This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google


UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000004479
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
AD FAMILIARES
EPISTOLÆ
Interpretatione & Notis illuſtravit
PHILIBERTUS QUARTIER,
è Societate Jesu,
JUSSU
CHRISTIANISSIMI REGIS,
IN USUM
SERENISSIMI DELPHINI.

PARISIIS,
Apud Dionysium Thierry, viâ Iacobeâ, ſub ſigno urbis Lutetiæ.
ET
Viduam Simonis Benard, viâ Iacobeâ, è regione Collegii Ludovici Magni.

M. DC. LXXXV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO GALLIARUM DELPHINO

PHILIBERTUS QUARTIER,

è Societate Iesu.

ILLVD *Epistolarum beneficio consequimur*, SERENISSIME DELPHINE, *ut orbem universum peragremus immoti; quæ domi apud nos geruntur, ea vel disjunctissimæ nationes facilè cognoscant, & vicissim quæ geruntur apud ipsas, ad nos*

Digitized by Google

pari facilitate perferantur, eo majori operæ pretio, quò major esse solet in hoc scribendi genere, quàm in quovis alio ingenuitas, & candor; id certè fœliciter, ac politè Cicero præstitit; ejus videlicet docemur literis, Quid Cæsar, quid Pompeius, quid cæteri perfecerint Romanæ gentis Heroës: tanta est hac ætate nostrâ, quanta fuit olim, vis epistolarum, ac necessitas; in ultimas quippe gentes pervadant, oportet, ut jam non Pompeii, aut Cæsaris, sed ut tuas, ut Ludovici Magni laudes ubique locorum celebrent. Dicent illæ scilicet, quæ hic usurpamus coram incredibili cum voluptate, quanta sit in moribus tuis suavitas, veritas in dictis, in omni vitæ cursu sapientia, quàm sincera in rebus divinis pietas, quàm benefica in singulos, & digna Principe viro indoles. Descriptæ ibidem legentur, in quarum Tu partem venis, Parentis Ma-

Digitized by Google

ximi virtutes eximiæ; gravitate condita manſuetudo, ut neque Majeſtas de benignitate, neque facilitas quidquam de auctoritate detrahat, & illa quidem metum, amorem altera, utraque venerationem, & cultum excitet; ingenium quantæcumque fortunæ capax, frons Imperio digna: procerum, robuſtumque corpus, quod labore nullo, ampla mens, & excelſa, quæ nullâ difficultate vincitur; impietatis odium, adverſus Deum, reſque ſacras reverentia; amplificandæ Religionis ardor, prudentiæ adjuncta ſemper proſperitas, rebuſque proſperis inaudita moderatio; in debellandis hoſtibus invictum robur, in ſuis ſervandis ſingularis vigilantia, cui jam verius, quàm olim Pompeio elogium illud attribui poteſt: Domi, ſuorum deliciæ; foris, hoſtium terror, & admiratio: *hæc dum exteræ gentes, ſal-*

tem per literas, audient, Te tali Parente felicem; Regem, Te Filio, fortunatum prædicabunt.

Lutetiæ Parisiorum Kalend. Octob. anno salutis M. DC. LXXXV.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NIHIL est, quòd te, multis hîc morer, Amice Lector; neque enim commendatione indigent Epistolæ Ciceronis : æstimabis ipse utrùm aliquam Commentarii nostri mereantur. Nonnulla tamen monere te velim : primùm, in hujus operis quasi contextu, id mihi potissimùm fuisse in animo, ut, quidquid occurrit ad intelligendum difficile, illud interpretatione simplici, & dilucidâ explicarem, notis pluribus, at brevissimis, aperirem ea, quæ vel ad Geographiam, vel ad Historiam pertinent. Interpretum, qui bene multi, doctissimique ante me fuerunt, & in primis Pauli Manutii labor subsidii plurimum attulit; sic tamen, ut quæ intacta reliquerunt, attingerem; quæ disputarunt fusiùs, paucis ego complecterer; omissaque de variis lectionibus longiori, & fastidiosâ concertatione, editioni Patissonii, quæ mihi omnium accuratissima visa est, fideliter, quoad fieri potuit, adhærerem: in ipsâ temporum notatione assensus sum Pighio, Annalium Romanorum Scriptori doctissimo, tùm Fabricio, qui vitæ Ciceronis Auctor est optimus; & Saliano, qui paululùm omnes à Petavio discrepant.

In ipsius Libri capite appposui tabulas eorum historicas, ad quos Cicero scribit, ut uno velut intuitu, in hujus ætatis historiam, unde pendet totius operis intelligentia, inspicere possis; totque Heroum, qui tantum sibi nomen apud posteros pepererunt, virtutes, & vitia cognoscere: labor, ni falsus sum, nec inutilis, nec injucundus.

Initio cujusvis Epistolæ, non Consulatûs modò, sed urbis etiam annum quo scripta est, annotavi. Sex denùm indices sub finem addidi, ex quibus fructum non mediocrem capias: primus est Geographicus, in quo designantur loeus, & pagina, ubi urbes, provinciæ, fluvii, &c. quos in Epistolis Tullius appellat, explicantur. Secundus Historicus, qui nomina eorum, quorum tabulas historicas confecimus, ordine Alphabetico continet. Tertius est Chronologicus, qui docet, quo quævis Epistola ordine scripta sit. Quartus, literarum genus multiplex indicat, ut eas, si quando tu quoque scripseris, ad imitandum, exemplar tibi labore nullo proponas. Quintus, quæ sunt in

Digitized by Google

notis, præter Geographiam, præcipua, complectitur. Sextus, quæ corrigenda sunt, & addenda, monet, donec his tandem accedat index vocabulorum omnium locupletissimus. In interpretandi ratione, viam ingressus sum, quam primus aperuit Carolus Santa-Mauræus Montauserii Dux, Delphini juventæ nuper Moderator, perfectâ, cumulatâque vir prudentiâ, integritate animi, veritatis admirabili studio, summâ apud Regem Maximum auctoritate, laude quondam bellicâ, nunc pacis artibus, in literas, ac literatos amore semper nobilis. Idem hoc opus promoverunt Iacobus Benignus Bossuetius, Condomensis anteà, nunc Meldensis Episcopus, orationis pariter, ac morum suavitate perillustris: & Petrus Daniel Huetius Alnetanus Abbas, ingenii elegantiâ, eruditione propè infinitâ, librisque in lucem editis, ad omnem memoriam commendatus. Unum tamen est, quod præter cætera sibi gratulentur, Regis scilicet omnium sapientissimi judicio delectos, ut Delphini animum doctrinæ simul, ac sapientiæ præceptis expolirent.

INDEX

Digitized by Google

INDEX HISTORICUS.

Qui Ciceronis, & eorum ad quos ipse scribit, mores, & historiam paucis complectitur.

MARCUS TULLIUS CICERO.

MARCUS TULLIUS CICERO Arpini equestri loco natus anno urbis 648. ad summum auctoritatis, & gloriæ fastigium virtute suâ, non majorum in Rempublicam meritis pervenit; primus ex sua familiâ Curules honores, & Consulatum adeptus anno 690. Catilinariam extinxit conjurationem, ultimoque supplicio affectis Lentulo & Cethego, quos habuerat Catilina perfidiæ suæ conscios, securitatem urbi, pacemque reddidit: à Clodio aliquantò pòst actus in exilium, Senatûs decreto, summo cùm honore revocatus est. In discordiâ civili Pompeium secutus, non sibi modò, sed & amicis reditum, & salutem impetravit. Annitente demùm Antonio, quem Philippicis gravissimè læserat, proscriptus est, & à Popilio Centurione, quem in causâ capitis defenderat, occisus. An. ætatis 64. urbis conditæ 710.

Illustri vir ingenio, cujusvis disciplinæ studiosus, & in quavis excellens, admirabilis Orator, Philosophus perelegans, historiæ scriptor eximius, acer etiam Theologus, ac sublimis; quique unus effecit, ut Græciam, quam armis Roma vicerat, eloquentiæ, ingeniique laude superaret: civis optimus, Consul vigilans, amicus fidelis, provinciæ Rector moderatus, ac sapiens, patriæ, oppresso Catilinâ, Parens, & Conditor appellatus: tantis virtutibus tenebrarum aliquid videntur offudisse, laudum aviditas nimia, rerum à se gestarum perennis ostentatio, in periculo timiditas, in rebus adversis animi demissio; quæ tamen à Tullio vitia nonnulli removent sapientiâ præstantes viri.

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER.

Publius Lentulus è Patriciâ Corneliorum gente, Spintheris ideò cognomen habuit, quòd, cùm ludis præesset, prodierit in scenam Comœdus hoc nomine, sic ei vultu similis, ut alter ab altero secerni vix posset.

Ædilis factus, scenam purpureis vestibus, argenteoque apparatu primus decoravit, exhibuitque ludos eâ magnificentiâ, ut Crassos ac Lucullos, & quotquot Ædilitio priùs munere functi erant, omnes longè superarit. Patriam propè labentem fulcire visus est, vel gentis suæ damno, dùm Lentulum Suram, ex eadem secum familiâ, Catilinariæ reum conjurationis, & An. u. c. 690. Coss. Marco Tullio Cicerone, & Caio Antonio.

Digitized by Google

capite damnandum, in custodiam ipse tradidit, Ciceronis in omnibus fidelis administer, à quo propterea suorum consiliorum particeps, & periculorum socius appellatur.

* An. u. c. 694. Coss. Caio Julio Cæsare, & Marco Calpurnio Bibulo.

* Ex Prætura Hispaniam adeptus eò se contulit, unde pòst Romam, Consulatum ut peteret, reversus est, cùm jam Cicero rogatione Clodiâ, impellente clàm Cæsare, connivente Pompeio, Italiâ pulsus exularet.

a An. u. c. 696. collegâ Quinto Cæcilio Metello Nepote.

a Consul, in restituendo Cicerone multùm, fœliciterque laboravit; palàm professus, nihil priùs acturum in senatu, quàm de tanti viri reditu & salute peractum esset; vel hoc facto optimè de patriâ meritus, qui patriæ parentem conservarit.

b An. u. c. 697. Coss. Cneio Cornelio Lentulo Marcellino, & Lucio Marcio Philippo.

b Anno pòst, in Ciliciam missus, provinciam hanc, cui Cyprus erat addita, per triennium dicitur administrasse; quo tempore Rex Ptolemæus, quem Ægyptii ob tyrannidem ejecerant, à Senatu petiit, ut restitueretur; hoc sibi munus deferri Lentulus ardenter cupiebat, utque Lentulo deferretur, summo labore Tullius contendit; sed irrito conatu, tùm Regis ambitione, qui reductionem suam Pompeio Magno demandari, id utique sibi glorioſum putabat fore; tùm ipsius Pompeii artibus, qui licet in speciem Lentulo faveret, clàm tamen per amicos operam dabat, ut reducendi Ptolemæi provincia sibi traderetur. Hanc in rem plura nunc eloqui nihil necesse, cùm epistolæ primi libri fermè omnes unum hoc argumentum tractent; jam verò quibuscum hostibus in Ciliciâ conflixerit, incertum est, at Imperatorem ab exercitu appellatum, & siquidem triumphavit, res triumpho dignas, qualescumque fuerint, gessisse constat.

c An. u. c. 704. Coss. Caio Claudio Marcello, & Lucio Cornelio Lentulo Crus.

c In civili discordiâ Pompeio adhæsit, à quo delectus est, ut Asculum, & Picenum cum decem cohortibus tueretur; sed repentino Cæsaris adventu, suorumque defectione territus, surripuit se se, Corfiniumque magnis itineribus ad Domitium contendit: ibi cùm Cæsaris in potestatem deveniſſet, veniam precatus est, veterem amicitiam, & illius in se beneficia sanè maximà commemorans; per eum quippè venerat Lentulus in Pontificum collegium, Hispaniam Prætor obtinuerat, & ad Consulatum faciliores habuerat aditus.

His beneficiis cumulum humanitate suâ Cæsar addidit; neque enim modò Lentulum abire incolumem passus est, sed facta insuper abeundi quò vellet, potestas; secessit ille Puteolos, inde pòst aliquantò navigaturus in Græciam, ut se Pompeio rursùm conjungeret.

VALERIUS.

Valerius nullâ re, quòd sciam, præterquàm Ciceronis amicitiâ, civilisque juris, etsi non apprimè illud callebat, professione notus.

CAIUS SCRIBONIUS CURIO.

Velleius. Plutarchus. Cicero.

Caius Scribonius Curio patrem habuit eloquentiâ, Consulatu, & triumpho nobilem; ipse dicendi arte, & ingenio non inferior, quàm pater: at

Digitized by Google

mores in utroque dispares. impurus, ut nec suæ famæ parceret, nec alienæ; prodigus, ut magnas inter opes egeret; ad facinus quodlibet audax, suoque ac Reipublicæ damno ingeniosus, & eloquens.

[e] Caii Clodii Quæstorem in Asiâ fuisse, ex epistolis libri secundi certò colligitur; unde post in urbem reversus, plebi Romanæ spectacula, ut mortui patris memoriam honoraret, sumptibus infinitis adornavit, frustrà dissuadente Tullio, qui prævidebat Curionem, dissipatis opibus, & alieno oppressum ære, turbas in Republicâ facturum. [e] An. u. c. 698. Coss. Cn. Pompeio magno II. Marco Licinio Crasso II.

[f] Tribunus plebis, Pompeio primùm, ac Senatui favere, mox Cæsari pariter, ac Pompeio adversari visus est, animo tamen ad Cæsarem inclinans: hunc demùm, grandi corruptus pecuniâ, liberè contra Consules, ipsamque Rempublicam defendendum suscepit. unde Virgilius: [f] An. u. c. 703. Coss. L. Æmilio Paulo, & Caio Claudio Marcello.

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit.—

Quapropter cùm sæpè fieret de successore Cæsaris in senatu mentio, à Curione sic intercessum, ut nihil de provinciis Consularibus potuerit hoc anno decerni.

[g] Exacto tandem Magistratu, relictâque urbe, Ravennam ad Cæsarem advolavit, Cæsarianæ dominationis velut signifer, civilisque incendii primarius satelles. [g] Eodem anno.

Jussus est à Cæsare in Siciliam cum tribus legionibus, eâque receptâ, in Africam se conferre.

[h] Juba Rex Mauritaniæ, idemque factionis Pompeianæ fautor, Curionem oderat, quòd Tribunus plebis, regnum ipsius in provinciæ formam redigere voluisset: hanc injuriam ut ulciscereturr, ultimam ei cladem moliri statuit: & certè Curio secundis aliquot prœliis in Africâ contra Pompeianos usus, & ab exercitu dictus Imperator, in fraudem inductus est: cùm enim aliquando prodiisset in aciem quasi cum Suburra Jubæ Præfecto, parvaque manu pugnandum sibi foret, ab ipso Rege, totoque exercitu ex improviso circumfusus, impetum non sustinuit. [h] An. u. c. 704. Coss. Caio Claudio Marcello, Lucio Cornelio Lentulo Crus.

Ubi Domitius Præfectus equitum rem desperatam videt, Curionem hortatur, ut fugâ saluti consulat, se ab eo non discessurum pollicitus: at ille: Ego-ne amisso, quem à Cæsare acceperam, exercitu, in ejus conspectum unquam revertar? Sic prœlians interficitur, ut imprudentiæ culpam, glorioso interitu utcumque pensaret.

MARCUS CŒLIUS RUFUS.

Marcus Cœlius Rufus, è plebeio, & equestri genere Puteolis natus est; sumptâque virili togâ, à patre ad Ciceronem deductus, ut liberalibus disciplinis informaretur; quo magistro sic profecit, ut summos inter Oratores Quintilianus eum referat. [i] An. u. c. 701. Conlule Cneio Pompeio magno III. sine colle-gâ.

[i] Tribunus plebis, quo anno Clodius à Milone occisus est, optimatum, & Milonis ipsius causam contra populi furorem studiosissimè suscepit; quin & ipsi Consuli, omnium qui adhuc extiterant, potentissimo resistere ausus,

Digitized by Google

capite damnandum, in custodiam ipse tradidit, Ciceronis in omnibus fidelis administer, à quo propterea suorum consiliorum particeps, & periculorum socius appellatur.

* An. u. c. 694. Coss. Caio Julio Cæsare, & Marco Calpurnio Bibulo.

* Ex Prætura Hispaniam adeptus eò se contulit, unde pòst Romam, Consulatum ut peteret, reversus est, cùm jam Cicero rogatione Clodiâ, impellente clàm Cæsare, connivente Pompeio, Italiâ pulsus exularet.

a An. u. c. 696. collegâ Quinto Cæcilio Metello Nepote.

a Consul, in restituendo Cicerone multùm, fœliciterque laboravit; palàm professus, nihil priùs acturum in senatu, quàm de tanti viri reditu & salute peractum esset; vel hoc facto optimè de patriâ meritus, qui patriæ parentem conservarit.

b An. u. c. 697. Coss. Cneio Cornelio Lentulo Marcellino, & Lucio Marcio Philippo.

b Anno pòst, in Ciliciam missus, provinciam hanc, cui Cyprus erat addita, per triennium dicitur administrasse; quo tempore Rex Ptolemæus, quem Ægyptii ob tyrannidem ejecerant, à Senatu petiit, ut restitueretur; hoc sibi munus deferri Lentulus ardenter cupiebat, utque Lentulo deferretur, summo labore Tullius contendit; sed irrito conatu, tùm Regis ambitione, qui reductionem suam Pompeio Magno demandari, id utique sibi gloriosum putabat fore; tùm ipsius Pompeii artibus, qui licet in speciem Lentulo faveret, clàm tamen per amicos operam dabat, ut reducendi Ptolemæi provincia sibi traderetur. Hanc in rem plura nunc eloqui nihil necesse, cùm epistolæ primi libri fermè omnes unum hoc argumentum tractent; jam verò quibuscum hostibus in Ciliciâ conflixerit, incertum est, at Imperatorem ab exercitu appellatum, & siquidem triumphavit, res triumpho dignas, qualescumque fuerint, gessisse constat.

c An. u. c. 704. Coss. Caio Claudio Marcello, & Lucio Cornelio Lentulo Crus.

c In civili discordiâ Pompeio adhæsit, à quo delectus est, ut Asculum, & Picenum cum decem cohortibus tueretur; sed repentino Cæsaris adventu, suorumque defectione territus, surripuit se se, Corfiniumque magnis itineribus ad Domitium contendit: ibi cùm Cæsaris in potestatem deveniisset, veniam precatus est, veterem amicitiam, & illius in se beneficia sanè maximà commemorans; per eum quippè venerat Lentulus in Pontificum collegium, Hispaniam Prætor obtinuerat, & ad Consulatum faciliores habuerat aditus.

His beneficiis cumulum humanitate suâ Cæsar addidit; neque enim modò Lentulum abire incolumem passus est, sed facta insuper abeundi quò vellet, potestas; secessit ille Puteolos, inde pòst aliquantò navigaturus in Græciam, ut se Pompeio rursùm conjungeret.

VALERIUS.

Valerius nullâ re, quòd sciam, præterquàm Ciceronis amicitiâ, civilisque juris, etsi non apprimè illud callebat, professione notus.

CAIUS SCRIBONIUS CURIO.

Velleius. Plutarchus. Cicero.

Caius Scribonius Curio patrem habuit eloquentiâ, Consulatu, & triumphò nobilem; ipse dicendi aste, & ingenio non inferior, quàm pater: at

mores in utroque dispares. impurus, ut nec suæ famæ parceret, nec alienæ; prodigus, ut magnas inter opes egeret; ad facinus quodlibet audax, suoque ac Reipublicæ damno ingeniosus, & eloquens.

[e] Caii Clodii Quæstorem in Asiâ fuisse, ex epistolis libri secundi certò colligitur; unde pòst in urbem reversus, plebi Romanæ spectacula, ut mortui patris memoriam honoraret, sumptibus infinitis adornavit, frustrà dissuadente Tullio, qui prævidebat Curionem, dissipatis opibus, & alieno oppressum ære, turbas in Republicâ facturum. [e] An. u. c. 698. Coss. Cn. Pompeio magno II. Marco Licinio Crasso II.

[f] Tribunus plebis, Pompeio primùm, ac Senatui favere, mox Cæsari pariter, ac Pompeio adversari visus est, animo tamen ad Cæsarem inclinans: hunc demùm, grandi corruptus pecuniâ, liberè contra Consules, ipsamque Rempublicam defendendum suscepit. unde Virgilius: [f] An. u. c. 703. Coss. L. Æmilio Paulo, & Caio Claudio Marcello.

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit.—

Quapropter cùm sæpè fieret de successore Cæsaris in senatu mentio, à Curione sic intercessum, ut nihil de provinciis Consularibus potuerit hoc anno decerni.

[g] Exacto tandem Magistratu, relictâque urbe, Ravennam ad Cæsarem advolavit, Cæsarianæ dominationis velut signifer, civilisque incendii primarius satelles. [g] Eodem anno.

Jussus est à Cæsare in Siciliam cum tribus legionibus, eâque receptâ, in Africam se conferre.

[h] Juba Rex Mauritaniæ, idemque factionis Pompeianæ fautor, Curionem oderat, quòd Tribunus plebis, regnum ipsius in provinciæ formam redigere voluisset: hanc injuriam ut ulciscereturr, ultimam ei cladem moliri statuit: & certè Curio secundis aliquot præliis in Africâ contra Pompeianos usus, & ab exercitu dictus Imperator, in fraudem inductus est: cùm enim aliquando prodiisset in aciem quasi cum Suburra Jubæ Præfecto, parvaque manu pugnandum sibi foret, ab ipso Rege, totoque exercitu ex improviso circumfusus, impetum non sustinuit. [h] An. u. c. 704. Coss. Caio Claudio Marcello, Lucio Cornelio Lentulo Crus.

Ubi Domitius Præfectus equitum rem desperatam videt, Curionem hortatur, ut fugâ saluti consulat, se ab eo non discessurum pollicitus: at ille: Ego-ne amisso, quem à Cæsare acceperam, exercitu, in ejus conspectum unquam revertar? Sic prælians interficitur, ut imprudentiæ culpam, glorioso interitu utcumque pensaret.

MARCUS COELIUS RUFUS.

Marcus Cœlius Rufus, è plebeio, & equestri genere Puteolis natus est; sumptâque virili togâ, à patre ad Ciceronem deductus, ut liberalibus disciplinis informaretur; quo magistro sic profecit, ut summos inter Oratores Quintilianus eum referat. [i] An. u. c. 701. Consule Cneio Pompeio magno III. sine collega.

[i] Tribunus plebis, quo anno Clodius à Milone occisus est, optimatum, & Milonis ipsius causam contra populi furorem studiosissimè suscepit; quin & ipsi Consuli, omnium qui adhuc extiterant, potentissimo resistere ausus,

Digitized by Google

& leges, quas ad oppugnandum Milonem de vi, & ambitu tulerat, argueret; sic indignante Pompeio, ut palàm diceret, se Rempublicam armis, si cogeretur, defensurum.

k An. u. c. 703. Coss. L. Æmilio Paulo, & Caio Claudio Marcello.

k Ædilis Curulis fuit, Hirtio competitore dejecto, quâ de re jocosiùs ad Ciceronem, & vicissim ad ipsum Cicero scribit. Ludos solemni exhibuisse pompâ testantur ejusdem Cœlii literæ, quibus fermè singulis Tullium rogat Cilicie tunc Proconsulem, ut per Cibyratas Pamphiliæ populos, & venandi arte nobiles, Pantheras conquiri, sibique ad apparatum sui muneris mitti quamprimùm curet.

l An. u. c. 704. Coss. Caio Claudio Marcello, & Lucio Cornelio Lentulo Cius.

l Orto Cæsarem inter, & Pompeium dissidio, neutram in partem inclinare visus: mutatâ mox sententiâ, Cæsari adhæsit, ad quem unà cum Curione, ut incendio civili facem ministraret, Ravennam profectus est. Ab ipso demùm Cæsare defecit; cujus defectionis hæc vulgò causa traditur.

m An. u. c. 705. Coss. Caio Julio Cæsare 2. P. Servilio Vatiâ Isaurico.

m Prætoriam dignitatem, sed peregrinam ei Cæsar dederat; urbanam autem, quæ longè illustrior, Trebonio: id ferens indignè Cœlius, de Cæsare in Græciâ contra Pompeium bellante falsos in vulgus rumores sparsit, quasi victus in acie cecidisset; post novarum tabularum, ac seditionis auctor, facto in Trebonium impetu, eum de tribunali deturbavit: quamobrem Servilii Consulis decreto, Senatu prohibitus, & concionem ad populum habere cùm vellet, ab eodem de rostris per vim deductus est. Ille ignominiâ permotus, ac dolore, Româ egreditur, ad Cæsarem se profici sci simulans; clàm verò nuntios ad Milonem mittit, qui Clodio interfecto exulabat; Cæsari, à quo reditum in urbem non impetrarat, infestus: bellum igitur ambo parant, Cœlius pervenit Thurios, Tarentini sinûs oppidum; ibique cùm municipes aliquot, militesque promissâ pecuniâ sollicitat, opprimitur.

n Velleius. Plutarchus.

n Vir eloquentiâ Curione superior, sed non minùs ingeniosè, nequam, iracundus, prodigus, intemperans, audax, saltandi studiosissimus, ars quondam ingenuis vix cognita: summus Orator, ut crimina tamen objiceret meliùs, quàm defenderet: multa in eo urbanitas, verùm stylus asperior: inconstantis animi, qui modò Reipublicæ, modò Cæsaris, nullius modò jura propugnaret; eloquio demùm, quàm mente, ac fortunâ melior; tumultuosè cùm vixisset, civiles inter tumultus indecorè periit.

CNEIUS SALLUSTIUS.

o An. u. c. 702. Coss. Servio Sulpicio Rufo, & Marco Claudio Marcello.

o Cneius Sallustius Marci Bibuli in Syriâ Proconsulis Quæstor fuit; anno quo Parthi Antiochiam obsidione cinxerunt.

QUINTUS MINUCIUS THERMUS.

p An. u. c. 701. Cõsule Cneio Pompeio magno III. sine collegâ.

p Quintus Minucius Thermus ex Prætura provinciam Asiæ Proprætor sortitus est, eamque prorogato imperio diutiùs administravit. Vir consilio bonus, & prudens animo; summâ integritate, gravitate, clementiâ, & singulari in miseros liberalitate: eò majori laude dignus, quòd ex iis, qui provincias tùm regebant, pauciissimi avaritiæ, & crudelitatis crimine vacarent.

Digitized by Google

q In bello civili Pompeii partes amplexus, Iguvium in Umbriâ cum quinque cohortibus obtinuit; verùm perspectâ Iguvinorum erga Cæsarem voluntate, & Curionis adventu cognito, cohortes ex urbe educit, & profugit, milites in itinere ab eo discedunt, & revertuntur. Lucanus:

Iguvium, pulso, jam perdidit Umbria, Thermo:

sic enim fortè melius versus ille legeretur, quàm ut legitur vulgò, *jusque sui pulso.*

q An. u. c. 704. Coss. Caio Claudio Marcello, & Lucio Cornelio Lentulo.

CAIUS COELIUS CALDUS.

Caius Cœlius Caldus, adolescens nobilis, acri judicio, & eximiâ morum suavitate, è Caldorum familiâ, quæ Cœliæ gentis tùm antiquissima Romæ erat, & solâ Consularis.

r Ciceronis in Ciliciâ Quæstor fuit; ab eoque cùm discederet, provinciæ suo loco præpositus: cujus facti rationem reddit in epistolâ decimâ quintâ hujus libri, ad Marcum Cœlium Rufum scriptâ.

r An. u. c. 703. Coss. L. Æmilio Paulo, & C. Claudio Marcello.

APPIUS CLAUDIUS PULCHER.

Appius Claudius Pulcher ortus est Patriciâ Claudiorum stirpe, viris domi, militiæque inclytis fœcundâ.

s Peracto Consulatu, in quo Domitium Ænobarbum collegam habuerat, u Ciliciæ Proconsul, & Cypri renuntiatus est, Lentuli Spintheris successor; & quoniam in octavum fermè mensem, sublatis, Tribunorum intercessione, comitiis, interregnum duravit, neque leges ullæ ferri potuerunt; seriùs, absque lege Curiatâ, suoque propterea sumptu in provinciam abiit, uti fusiùs explicatum est in notis ad librum tertium.

x Imperatoris nomen adeptus est; ex quâ pugnâ, non liquet: rem tamen ab eo benè gestam, non modò *Imperatoris* inscriptio, sed petitio triumphi testatur.

Successori Tullio, non modò obviam prodire, uti mos erat, noluit; sed ejus prætereà declinavit aspectum; sui nempe generis splendore inflatus, novum despiciebat hominem, sibique dignitate parem fieri, ægrè ferebat.

y E Ciliciâ decedens ad urbem accessit, ut triumphum ob egregiè bello facta peteret, sed à Publio Dolabellâ, Ciceronis paulò pòst genero, ambitûs, & Majestatis accusatus, triumphi postulatione relictâ, Romam ingreditur, moxque tribunali cum accusatore se sistit; quo facto adversariorum retudit sermones, paratiorque visus, quàm speraverat accusator; Hortensio deinde, & Marco Bruto defendentibus absolutus est, & ambitûs, & Majestatis crimine.

z Censuram obtinuit cum Lucio Calpurnio Pisone Cæsonino, Cæsaris socero; hique ultimi fuêre Censores, qui liberâ Republicâ, ex privatorum numero populi suffragiis creati sunt: languebat jam tùm hæc dignitas in tam perverso civitatis statu, & nemo sanæ mentis hanc admodum appetebat, ne aut notandis civibus in odium, aut non notandis in populi reprehensionem incurreret. Appius autem factionis Pompeianæ contra Cæsarem fautor acer-

s An. u. c. 699.

u An. u. c. 700. Coss. Domitio Calvino, & Valerio Messalâ.

x An. u. c. 701. Cneio Pompeio 3. Consule sine collegâ.

y An. u. c. 702. Coss. Servio Sulpicio Rufo, & Marco Claudio Marcello.

z An. u. c. 703. Coss. L. Æmilio Paulo, & Caio Claudio Marcello.

Digitized by Google

rimus, Cæsari, præter animi sui sententiam, multùm profuit; plures enim cùm notaret, tàm ex Senatorio, quàm ex Equestri ordine, eos à bonis alienavit partibus, atque, ut Cæsarianas amplectarentur, effecit.

Lustrum verò conditum ab iis illud fuisse existimo, quo Plutarchus in vitâ Cæsaris scribit, ante bellum civile censa fuisse civium trecenta viginti millia, cùm deinde anno urbis septingentesimo septimo, post bellum Africanum, Cæsare jam Dictatore censum agente, non ultrà centum quinquaginta millia numerata sint, reliquis bello civili quatuor annorum spatio, consumptis.

— en quò discordia cives
Perduxit miseros —

In hac fatali dissensione Pompeium secutus, ante Pharsalicam pugnam [a] morbo extinctus est: inquieto vir ingenio, spe ferox, divitiarum cupidus; provinciarum, quas rexit, non tàm custos, quàm expilator; scelerum fermè omnium conscius, quæ Censor in aliis severè notabat; nobilitate demùm suâ, & insitâ Claudiorum familiæ superbiâ, præter modum elatus.

[a] An. u. c. 705. Coss. Caio Julio Cæsare II. & P. Servilio Vatiâ Isaurico.

SERVIUS SULPICIUS RUFUS, & MARCUS CLAUDIUS MARCELLUS.

Servius Sulpicius Rufus, & Marcus Claudius Marcellus Consules eodem anno, sine vi, sine largitione creati sunt: generis ambo splendore clari; ille antiquissimâ Sulpiciorum stirpe, multis Consulatibus inclytâ; hic gente Claudiâ, quam Dictaturis quinque, Censuris septem, triumphis sex, duodetriginta Consulatibus nobilitatam esse, in Tiberii vitâ Suetonius tradit; & ne quid ad gloriæ similitudinem deesset, utraque demùm Imperatoriam dignitatem adepta.

An. u. c. 702.

Ille, quòd juris civilis scientiâ floreret, Jurisconsultus; hic ob eloquentiam, Orator appellatus est: tractabili Sulpicius, & facili ingenio: paulò vehementiori Marcellus: libertatis ex æquo studiosi; sed ille pacis conditionibus, hic libertatem armis contra Cæsarem tuendam censebat.

Cicero.

Marcellus, inito Magistratu, Galliarum administrationem ante legitimum tempus adimere Cæsari conatus est, simul & potestatem, quam ei populus permiserat, ut Consulatum absens peteret: restitit ei collega Sulpicius, quòd iniquum putaret ea rescindi, quæ populus jusserat, idque belli civilis occasionem fore intelligeret: hic leniori sententiâ, sibi, & Reipublicæ consulebat; severiorem ille secutus, se, & Rempublicam funditùs perdidit: vicit enim ejus opinio, & concordiæ spes omnis erepta.

In bello civili Sulpicius à Cæsare contra Pompeium, Marcellus à Pompeio contra Cæsarem stetit; alter Cæsarianam factionem amplexus, quòd firmior; Pompeianam alter, quòd honestior videretur.

[c] An. u. c. 707. Coss. Caio Julio Cæsare 3. & M. Æmilio Lepido.

[c] Post victum in Thessaliâ Pompeium Sulpicius Achaiæ, & beneficio Cæsaris, & nomine præfuit, non tàm lætus privato bono, quàm publicâ calamitate sollicitus: in exilium Marcellus ultrò discessit, ne vel supplex ad

Digitized by Google

Cæsarem accedere, quod imbecilli animi; vel bellum in Africâ cum aliis renovare cogeretur, quod imprudentis esse censebat.

Sulpicius, quâ valebat apud Cæsarem auctoritate, totam in id contulit, ut miseris civibus gratificaretur; unum id cogitabat in exilio Marcellus, ut Philosophiæ, sibique vacaret: ille in alienis calamitatibus misericordiâ; hic in suis propriis, patientiâ spectatus.

Marcello statutum erat procul à patriâ deinceps vivere, at precibus, & consilio Ciceronis adductus, ad Cæsaris clementiam confugit; jamque Romam, impetratâ veniâ, redibat, cùm à Magio quodam cliente suo interfectus est.

[d] Sulpicius in legatione ad Antonium pro rebus publicis obitâ, ætate jam grandis, interiit. [d] An. u. c. 710.

PUBLIUS NIGIDIUS FIGULUS, & M. TERENTIUS VARRO.

Ciceronis ætas præstanti viros eloquentiâ paucos tulit; multiplicis autem doctrinæ, inquit Gellius, habuit Columina Marcum Varronem, & Publium Nigidium; sic tamen, ut primas eruditionis adeptus sit Varro, Nigidius Varroni proximus accedat: ille stylo dilucidiori scripsit; obscurus hic, & subtilis: quare Varronis opera in medio posita sunt, & in usu communi; Nigidii subtilitas à plerisque negligitur. Laude dignior uterque; Varro quidem, si limatiùs; alter verò, si clariùs scripsisset. Aulus Gellius. Suetonius. Cicero.

Utriusque tamen scientia pluribus veterum testimoniis celebratur. Nemo unquam, teste Lactantio, non Romæ modò, sed ne quidem in Græciâ Varrone doctior extitit: ætatem patriæ, inquit Tullius, descriptiones temporum, domesticamque disciplinam, sedem regionum, divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuit; tàm multa eum legisse testatur divus Augustinus, ut mirum sit, aliquid ei ad scribendum superfuisse temporis; tàm multa scripsisse, ut ea vix à quoquam legendo percurri possint. Sed neque prætermitti silentio debet Quintiliani de eodem judicium; qui doctissimum hunc, scientissimum antiquitatis, Latinis, Græcisque rebus eruditum affirmat, ut nihilominùs majori fit ad scientiam, quàm ad eloquentiam adjumento.

Tantæ eruditioni laus quoque militaris accessit; bellò quippè Piratico Pompeii legatus coronam navalem eâ ætate celeberrimam obtinuerat: ejusdem posteà partes secutus, eamdem in Hispaniâ legationem obiit; sed tradito Cæsari exercitu, imperiique depositis insignibus, ad doctrinam totum se contulit, tantâ celebritate nominis sui, ut Bibliothecis tùm comparandis, tùm dirigendis, operam ejus Cæsar fœliciter adhibuerit. A Triumviris deinde proscriptus, amicorum, & Fusci in primis Caleni studio incolumis servatus est.

Publius Nigidius ex eo *Figuli* cognomen accepit, quòd interroganti, cur gemini eodem tempore in lucem editi diversâ conditione nascerentur; exem-

Digitized by Google

plum rotæ à figulo maximâ rapiditate revolutæ attulerit, ut diversam eodem temporis puncto cœli affectionem ex celerrimâ conversione, & incredibili motu probaret.

Ejus quoque varia, & admirabilis rerum cognitio in famâ est; Astrologicâ scientiâ præstitisse scribit Dio, lib. 45. pag. 270. imperiumque prædixisse Octavio Augusto, eo ipso quo natus est die: unde Lucanus, l. 1. v. 639.

At Figulus, cui cura deos, secretaque mundi
Nosse fuit, &c.

Maximus rerum indagator vocatur apud Macrobium, libro secundo Saturnalium, cap. 12. verùm ad Nigidii laudem nihil illustrius, quàm quod narrat Cicero in procemio libri de universitate. *Fuit*, inquit, *vir ille, cùm ceteris virtutibus, quæ quidem digne libero essent, ornatus omnibus, tùm acer investigator, & diligens earum rerum, quæ à naturâ involutæ videntur. Denique sic judico post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est, quodam modo, hunc extitisse qui illam renovaret.*

[f] An. u. c. 725. Coss. Imperatore Augusto, & M. Agrippâ.

Senatores ambo fuerunt, primariisque in Republicâ dignitatibus inclyti; Ædilitate plebis, & Præturâ Varro donatus est; Præturâ, & Tribunatu Nigidius: amicissimus uterque Ciceroni, Pompeii uterque adversus Cæsarem defensor: ille demùm annos nonaginta natus interiit, eumdemque vivendi fecit, & scribendi modum: Nigidius à Cæsare veniam cùm non impetrasset, in exilio mortuus est.

[g] An. u. c. 708. Caio Julio Cæsare quartùm Consule sine collegâ.

CNEIUS PLANCIUS.

[h] An. u. c. 695. Coss. Calpurnio Pisone Cæsonino, & Aulo Gabinio Nepote.

[h] Cneius Plancius, Lucii Apuleii in Macedoniâ Quæstor, equestri natus est familiâ, cujus pater Publicanus, avus, majoresque omnes, equites Romani: nemo Ciceroni constantior amicus; solus enim ex Magistratibus hujus anni exulem illum excepit, juvit, tutatus est; Dyrrachium usque missis obviam lictoribus processit, peramanterque susceptum Thessalonicam perduxit. Ejus in se beneficia passim fatetur Cicero: illum sui capitis custodem appellat; additque, omnibus provincialibus ornamentis, commodisque depositis, totam suam Quæsturam in eo sustentando, & conservando collocasse; idcirco etiam ex senatusconsulto gratias Plancio fuisse actas testatur.

[i] An. u. c. 697. Coss. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, & Lucio Marcio Philippo.

[i] Cùm esset plebi, ob suavitatem morum acceptissimus, Tribunitiam dignitatem ex Quæsturâ statim obtinuit; cujus Magistratus frequenter fit à Cicerone mentio in eâ oratione, quâ reum ambitûs eumdem defendit. Biennio pòst Ædilis Curulis creatus est.

QUINTUS METELLUS CÆLER.

Quintus Metellus Celer ex illustri Cæciliorum gente, quæ licet plebeia, reliquas tamen, si Corneliam exceperis, rerum gestarum splendore æquavit.

An. u. c. 690.

Prætor urbanus, Ciceronem Consulem ad opprimendum Catilinam enixè juvit: nam Piceno Præfectus, è conjuratis plurimos conjecit in vincula, & Catilinæ

Catilinæ in Transalpinam Galliam properanti omnes intercluſit aditus; unde à Tullio rerum à ſe geſtarum ſocius appellatur. Ex Prætura Galliam adeptus eſt, adjuvante Cicerone ipſo, qui provinciam hanc depoſuerat, [a] biennioque pòſt Conſul creatus, in eo magiſtratu ita ſe geſſit, ut Cicero ad Atticum ſcribens, virum bonum, & Conſulem egregium vocet.

[a] An. u. c. 693.

Hujus uxor Clodia fuit, Publii Clodii ſoror, à quo dicitur veneno ſublatus interiiſſe.

QUINTUS CÆCILIUS METELLUS NEPOS.

Quintus Cæcilius Metellus Nepos, Celeris, de quo ſuprà, frater; [b] cùm Prætor eſſet, legem de portoriis in urbe, & Italiâ tollendis tulit; lex bonis accepta, etſi legiſlator ipſe diſpliceret, cui ob ſeditiosè geſtos priores Magiſtratus, infeſtus erat Senatus.

[b] An. u. c. 693. Afranio Coſſ. & Metello Celere.

Ciceronem penitùs oderat; [c] ſed factus Conſul, ei reconciliatus eſt, operamque dedit cum Lentulo Spinthere collegâ ſuo, ut ab exilio revocaretur.

[c] Anno 696.

CAIUS ANTONIUS.

Caius Antonius, Marci Antonii Triumviri avunculus, avaritiæ ſordibus infamis; domi fidei dubiæ Conſul, dux bello infelix, iniquus provinciæ moderator, naturâ ſuſpicax, imbellis animo, mente curis gravioribus impari, in amicos turpiter ingratus; Syllæ partes in civili diſſenſione ſecutus, cùm Achaiam ſpoliaſſet, à Cenſoribus ſenatu motus eſt; reſtitutus tamen, Ciceronis in Conſulatu [d] collega fuit; devictoque per Petreium legatum ſuum Catilinâ, (ipſe enim aberat) Imperator appellatus, laureatos faſces in Macedoniam, quæ ſorte ipſi obvenerat, detulit; ſed oppreſſus à Dardanis, & provinciâ per vim, & avarè adminiſtratâ, accuſante Marco Cœlio damnatus, apud Cephalonios quindecim annis exulavit, donec interfecto Cæſare, à Marco Antonio Conſule revocatus, paulò pòſt è vitâ diſceſſit.

[d] Anno 690.

PUBLIUS SESTIUS.

Caii Antonii Conſulis Romæ, & in Macedoniâ Proconſulis Quæſtor fuit: ſic enim Tullius: *Quæſtor hic Caii Antonii collega mei, Judices, fuit ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus.* Et in eâdem pro Seſtio oratione: *Par propè laus Publii Seſtii eſſe debet, qui ſuum ita Conſulem obſervavit, ut & illi Quæſtor bonus, & vobis optimus civis videretur.* Ibidemque obiter narrat quæ Publius Seſtius in hoc Magiſtratu pro ſalute, & tranquillitate Reipublicæ prudenter, fortiterque geſſerit, quemadmodum Capuam à conjuratis attentatam metu ſeditionis liberarit, maximumque poſteà, ad victoriam de Catilinâ referendam, momentum attulerit.

[e] Anno u. c. 692. Coſſ. Pupio Piſone Calpurniano, Marco Valer. Meſſala Nigro.

[c] Cùm munus Quæſtoris exerceret in Macedoniâ, ſcripſit ad Ciceronem, periitque, efficeret in Senatu, ne ſibi ſuccederetur, cùm tamen anni ſuperioris exitu ad ipſum Ciceronem, ad Q. Fufium Tribunum plebis deſignatum,

Digitized by Google

amicosque cæteros aliter scripsisset : effecit itaque Cicero, ut Caio Antonio Proconsuli, & P. Sestio Proquæstori, in hunc adhuc annum Macedoniæ prorogaretur administratio.

[f] Anno u. c. 696. Coss. Publio Cornelio Lentulo Spinthere, Quinto Cæcilio Metello Nepote.

[f] Tribunus plebis factus, junctis statim cum Milone studiis, legem de revocando Cicerone contra Clodiam promulgavit. *Reliqui Magistratus*, inquit Tullius, *pænè omnes fuerunt defensores salutis meæ, ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate, præsidio, copiis T. Annius, & P. Sestius præstanti in me benevolentiâ, & divino studio extiterunt.* Fatetur insuper Cicero, bonis, clientibus, libertis, familiâ Sestii in calamitate se usum, ac sustentatum fuisse, non secùs ac fratris; immò benevolentiam, & fidem suam, non solùm animi dolore, sed etiam corporis vulneribus ostendisse Sestium : cùm enim & ipse obnuntiaret Consuli Metello ad Templum Castoris, Clodianorum infestis armis circumseptus, tot plagis affectus est, ut semianimus in eodem loco remanserit.

CNEIUS POMPEIUS MAGNUS.

[g] Anno u. c. 673. Coss. Lucio Cornelio Sullâ Felice, Q. Cæcilio Metello Pio.

Cneii Pompeii plebeia domus, Patriciarum nulli, tùm dignitatibus, tùm maximis bellis egregiâ cum laude confectis, inferior extitit. Ejus pater *Strabo* dictus, ac bello sociali Consul, præcipuum adversus Latinos victoriæ decus meruit; vir propriâ virtute conspicuus, filii tamen virtutibus, & gloriâ longè illustrior.

[g] Redeunti ex Africâ, ubi Regem Hiarbam, Syllanis infensum partibus, vicerat; Sylla ipse, tùm Dictator, summusque Reipublicæ moderator ac dominus, processit obviam, palámque *Magnum* salutavit : eidem, licet adhuc Equiti, & quatuor duntaxat supra viginti annos nato, concessum est, ut solemni pompâ triumpharet.

[b] Anno u. c. 682. Coss. Cn. Aufidio Oreste & Pub. Cornel. Lentulo Surâ.

Confecto fœliciter bello Sertoriano, & servili prorsùs extincto, Romanus iterùm eques [h] triumphavit; toties Imperator, antequam miles.

[i] Anno u. c. 683.

Marcus Licinius Crassus, & Cneius Pompeius Consules [i] hoc anno creati sunt; ille Prætorius, hic ne Quæstorius quidem : cognomen utrique singulare; huic, *Magni*; illi verò, *Divitis*. Tribunos plebis, nocendi potestate per Syllam privatos, ambo restituerunt, maximo tandem & Reipublicæ, & ipsius Pompeii damno.

[k] Anno u. c. 686. Coss. Caio Calpurnio Pisone, Marco Acilio Glabrione.

[k] Extraordinarium à Gabinio Tribuno plebis imperium nactus, Piratas, qui à Mithridate solicitati, maria omnia, & oras infestabant, brevissimo tempore perdomuit.

[l] Anno u. c. 691. Coss. Marco Pupio Pisone Calpurniano, Marco Valerio Messalâ Nigro.

[l] Ciliciæ, ac Bithyniæ administratio, cum Mithridaticâ expeditione, Pompeio delata est, summaque in omnes exercitus, quotquot essent extra Italiam, potestas, nemini, ad hunc usque diem, concessa; bellumque ejus auspiciis, & virtute terminatum est, quod annos quadraginta durasse Florus affirmat. Sic Romano Imperio incredibiliter amplificato, cùm jam antè Pompeius de Europâ, atque Africâ triumphasset, Asiâ demùm subactâ, de universo orbe triumphasse visus est.

[m] Anno u. c. 696 Coss. Publio Cornelio Lentulo Spinthere, Quinto Cæcilio Metello Nepote.

[m] Cùm annonæ summa esset caritas, & frumenti inopiâ Romana plebs

Digitized by Google

laboraret, Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum credita est, additâ classe, exercitu, & majori in provinciis imperio, quàm esset eorum, qui tùm illas regerent; nec multò pòst, quâ singulari erat industriâ, & sedulitate, navibus pelagum; urbem, Italiamque frumento implevit.

n. Pompeius, & Crassus, alterum hoc anno Consulatum adepti, cùm jam libertati publicæ perniciem ambo meditarentur, hos fermè duntaxat, ad reliquas dignitates admitti passi sunt, quos suorum consiliorum fautores cognovissent, Pompeio utraque Hispania, Syria Crasso cum Parthicâ expeditione in quinquennium assignata est. n Anno u. c. 698.

Clodianam cædem cùm maxima rerum perturbatio excepisset, nihil tutius Senatui visum est, quàm ut uni Pompeio, cujus erat maxima auctoritas, pari moderatione conjuncta, urbis regimen attribueretur; o quare Consul tertiùm sine collegâ renuntiatus, ac Dictatoriâ propemodùm armatus potestate, Rempublicam solus, legibus, & armis aliquandiù administravit; qui tamen, ut invidiam delatæ sibi Monarchiæ vitaret, suâ sponte in quinque menses anni extremos Quintum Metellum Scipionem socerum sibi in Consulatu collegam adjunxit. o Anno u. c. 701.

p Statim atque civilis exarsit discordia, *Magni* titulus in Pompeio consenescere visus est: cùm enim sibi persuasisset, exercitum Cæsaris, diuturnis fessum laboribus, studiosumque patriæ, ad suas partes facilè transiturum, nec delectus fecit, nec apparatus ad tantum bellum necessarios; audito deinde Cæsaris adventu, relictâ turpiter Italiâ, in Græciam præposterè navigavit; ad Pharsalum tandem inconsultè congressus, victusque, suis de rebus il'icò desperavit, nec sapienter: Appianus enim tres exercitus commemorat ex Pompeianis reliquiis collectos, quos, inquit, suus Imperator, dùs mentem adimentibus, neglexerat. p Anno u. c. 704. Coss. Caio Claudio Marcello, & Lucio Cornelio Lentulo Crus.

Incertus animi quid faceret, in Ægyptum abiit, ubi Ptolemæi jussu q trucidatur, ætatis anno quinquagesimo nono. Corpus in littore ab ejus liberto combustum est, & in arenâ tumulatum. sic discordante secum in eodem viro fortunâ, ut, cui modò ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. q Anno u. c. 705. Coss. Caio Julio Cæsare II. Pub. Servilio Vatiâ Isaurico.

r Egregiâ excelluit, ac liberali formâ, morum integritate, victûs temperantiâ, affabilitate sermonis. Nemo importunè minùs rogare, aut hilariè magis largiri solitus, adeò ut in dandis beneficiis frontem serenam, gravem in accipiendis præ se ferret. bello strenuus imperator, pace civis optimus; modò ut primus esset: orator mediocris; amicus constans, inimicus placabilis; nemo quisquam cætera omnia minùs, gloriam autem magis concupivit: honorum appetens; sic tamen, ut eos sponte sibi deferri, non per vim occupare vellet, &, quos lubens inierat, iis moderatè uteretur: ter Consul, totiès Triumphalis; Romæ per seipsum, Hispaniæ per legatos, orbis perè totius, victoriarum famâ, dominus ac rector: profundâ vir dissimulatione, aliud sentire solitus, aliud loqui; domi, civium deliciæ; foris, hostium terror, & admiratio. r Plutarchus, Velleius. Cicero.

MARCUS LICINIUS CRASSUS.

Marcus Licinius Craſſus patre natus eſt triumphali, & Cenſorio, ipſe du-
[f] Plutarchus, Velleius. plici, & ovatione, & Conſulatu clarus: [f] anguſtâ in domo, nec ſplendidè educatus eſt; frugalis ei, dùm vixit, menſa, eximia morum integritas, continentia ſingularis; ſed avaritiâ tàm ardens, ut virtutes ejus pariter, ac vitia penè obſcurarit.

Immenſæ opes *Divitis* ei cognomen pepererunt; quàm meritò, vel ex eo collige, quòd vulgò diceret, hunc duntaxat appellandum divitem, cui fructus annui ad exercitum alendum ſatis eſſent; comis erga hoſpites, & humanus; beneficâ in amicos voluntate, populo amabilis, & faſtu procul omni, jucundus.

Artem oratoriam coluit, quâ publicè ad civium defenſionem uteretur; nulla tam levis cauſa ad quam acceſſerit imparatus; nemo tam abjectus, cui non ſuccurreret, quem ſalutantem non comiter reſalutaret, blandéque complecteretur.

Syllanas in bello civili partes ſecutus, multa præclarè geſſit; ſed avaritiâ factum eſt, ut nihil inde laudis colligeret: direptione ſiquidem urbium, locupletum proſcriptionibus, publicâ demùm calamitate res ejus privata in immenſum crevit.

[t] Anno u. c. 673. Coſſ. Lucio Cornelio Syllâ & Quinto Cæcilio Metello Pio.

[t] Eo tempore Pompeius adhuc juvenis, & *Magni* cognomen, & priùs in Senatum, quàm lectus eſſet, Triumphi gloriam obtinuerat; tam florenti fortunæ Craſſus invidit; verùm, abjectâ ſpe bellicis eum rebus æquandi, confugit ad togam, ac largiendo, ſublevando, ſuffragando tantam fermè poteſtatem adeptus eſt, quantam vincendo Pompeius.

Abſentis Pompeii illuſtrius erat in urbe nomen, ob res bello fortiter geſtas, præſentem Craſſus paululùm obſcurabat; quòd ille inſitâ ſibi ſeveritate multitudinem declinaret, ac forum; pauciſque, ſibi uni commodus, advocatum ſe præberet; Craſſus autem facili cùm eſſet aditu, & cujuſvis negotia curaret ſedulò, plebi infimæ, multò quàm Pompeius, jucundior erat.

In ambobus corporis majeſtas, oriſque par facundia, perpetua laudis æmulatio, aliquandiù ſimultas, capitale nunquam odium; in vitæ curſu varius ac multiplex, nec amicus conſtans, nec inimicus difficilis placari, qui ſcilicet objecto quæſtu, amicitiam & odium ultrò deponeret. earumdemque legum, prout utilitas privata poſtulabat, defenſor eſſet, aut oppugnator.

[u] Anno u. c. 690. Coſſ. Marco Tullio Cicerone, Caio Antonio.

[u] Catilinæ faviſſe ſuſpicio fuit; cùm enim ampliſſimo exercitui Pompeius in Aſiâ tùm præeſſet, cupiebat cujuſvis opes contra illius potentiam creſcere; in hanc præterea ſpem adductus, ſi res ex ſententiâ ſuccederet, facilè apud conjuratos principem ſe fore.

[x] Anno u. c. 694. Coſſ. Caio Julio Cæſare, & Marco Calpurnio Bibulo.

[x] Conſule demùm Cæſare, inter eum, & Cneium Pompeium, & M. Craſſum inita potentiæ ſocietas, quæ urbi, orbique, ipſiſque tandem, diverſo licet tempore, exitium attulit: fecit id Pompeius, ut ea quæ in transmarinis provinciis decreverat, per Cæſarem Conſulem rata fierent: Cæſar autem, quòd animadverteret ſe, cedendo Pompeii gloriæ, aucturum ſuam,

Digitized by Google

& invidiâ communis potentiæ in illum rejectâ, confirmaturum partes suas: Crassus, ut, quem principatum assequi solus non poterat, auctoritate Pompeii, viribus autem Cæsaris, obtineret.

[z] Crassus, & Pompeius, qui jam unà Consules fuerant, alterum simul Consulatum iniêre, qui per vim ab iis occupatus, per vim quoque, nec honestè peractus est. Lege, quam Pompeius tulit, prorogata est Cæsari in aliud quinquennium Galliarum administratio; Crasso bellum Parthicum animo meditanti, Syria decreta.

[a] Proficiscentem malis ominibus & execrationibus retinere frustrà conati sunt Tribuni plebis; at Euphratem cùm esset transgressus, peteretque Seleuciam, huic impositam flumini, immanibus equitum circumsusus copiis, à Surenâ Parthorum duce [b] interemptus est: *vir*, teste Velleio, *cætera sanctissimus, nec pecuniæ, nec gloriæ concupiscendæ modum ullum fecit.*

[z] Anno u. c. 698.

[a] Anno u. c. 699. Coss. Lucio Domitio Ænobarbo, Appio Claudio Pulchro.

[b] Anno u. c. 700. Coss. Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Messalâ.

PUBLIUS VATINIUS.

Moribus homo profligatissimis, cupiditatum Cæsaris administer, funestissima civilis incendii fax; Reipublicæ pestis, ac pernicies, diis pariter, & hominibus detestabilis; *nemini*, ut Velleius ait, *non postferendus; in quo deformitas corporis, cum turpitudine certabat ingenii, adeo, ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur.* Quia tumidam strumâ cervicem haberet, *Struma* dictus, ex quo, *inflatus Orator* per jocum à Cicerone appellatus est, eódemque spectat illud in oratione contra eum habitâ in senatu: *Repente enim te, tanquam serpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.*

[c] Tribunatum plebis, excluso Catone, nactus, illum pro Cæsaris libidine gessit, Bibulumque ejus collegam duci jussit in carcerem.

[c] Anno u. c. 694. Coss. Cæsare, & Bibulo.

Infestissimus Ciceroni, quem Cicero vicissim capitaliter oderat, & Reipublicæ causâ, & suâ; quòd primùm Tribunus plebis, contra Senatûs voluntatem multa commisisset; deinde quia testimonium dixerat in Publium Sestium, cujus in primis operâ Cicero patriam revisérat: nihilominùs cum eodem posteà rediit in gratiam, eumque rogatu Cæsaris, ac Pompeii, bis in judicio defendit.

In bello civili Cæsaris partes amplexus, Octavium navali pugnâ superavit. [d] Anno deinde septingentesimo sexto fermè exacto, Consul unà cum Caleno renuntiatus est. In brevem hunc Vatinii Consulatum, Ciceronis apud Macrobium jocus extat: *Magnum ostentum*, inquit, *anno Vatinii factum est, quòd illo Consule, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit.*

[d] Caio Julio Cæsare Dictatore secúdùm. Magistro equitum Marco Antonio.

Indignus eo Magistratu omnium judicio habitus est; hinc secum Catullus Poëta stomachatur:

Quid est, Catulle, quòd moraris emori?
Sellâ in Curuli Struma Nonius sedet;
Per Consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quòd moraris emori?

[e] A Cæsare in Illyricum cum tribus legionibus missus est, ut huic pro-

[e] Anno u. c. 707. Coss. C. Julio Cæsare, Marco Æmilio Lepido; vel insequenti.

vinciæ, quæ nondùm pacata satis erat, imponeret tributa, ab eâque obsides acciperet.

[f] Anno u. c. 711. Coss. L. Munatio Planco, M. Æmilio Lepido secundùm.

[f] Post necem Cæsaris, legionibus suis à Marco Bruto Proconsule spoliatus Romam reversus est, & à Triumviris Triumphum obtinuit.

LUCIUS LUCCEIUS.

Lucius Lucceius eximiâ fuit integritate morum, singulari eruditione, neque minori orationis elegantiâ, mansuetudinis laude præsertim cumulatus; historiarum, quæ tamen injuriâ temporum exciderunt, politissimus scriptor; vel hoc ipso nomine faciendus plurimi, quòd illum Tullius maximi faceret, rerumque à se gestarum auctorem habere ardentissimè cuperet.

PUBLIUS TITIUS.

[g] Anno u. c. 710.

Publius Titius is ille est, ut auguror, qui mortuo Cæsare, [g] Tribunatum gessit: ad quidlibet Octavio devotus, Cascæ collegæ suo Magistratum per seditionem abrogavit; legem de Triumviris Reipublicæ constituendæ in quinquennium creandis per vim tulit; verùm haud multò pòst diem obiisse traditur; idque, quod jamdudum observatum fuerat, exemplo confirmasse suo, neminem scilicet, qui collegam suum Magistratu dejecisset, ei superstitem anni spatio vixisse.

PUBLIUS SESTIUS.

Publius Sestius diversus est, ut plerique conjiciunt, ab eo, pro quo Tullius orationem dixit: primùm quidem fuit ille, pro quo Ciceronis extat oratio, Lucii filius, non Publii, uti docet inscriptio epistolæ sextæ libri 5. deinde Sestius Publii filius, quo tempore hanc Tullius epistolam scripsit, exulabat, judicio damnatus; alter verò non modò non statim post Alexandrinum bellum, sed etiam post devictos in Hispaniâ Pompeii filios, lege Pompeiâ causam dixit; sed fratrem illius patruelem fuisse Pighius opinatur.

TITUS FABIUS.

[h] Anno u. c. 696. Coss. P. Cornelio Lentulo Spinthere, Q. Cæcilio Metello Nepote.

Titus Fabius, vel, ut aliis placet, Titus Fadius, vir novus, & obscuro genere, majores Magistratus, quos plerique familiæ splendori debent, virtute suâ consecutus est. Ciceronis amicus, & Quæstor, statim atque Tribunitiam potestatem [h] obtinuit, nervos in eâ re contendit omnes, ut Ciceronem patriæ restitueret. Videtur adversatus esse Pompeio, & hujus auctoritate in exilium pulsus; quod cùm iniquè ferret, multa Tullius colligit, quæ Fadium consolari, & ejus animum confirmare possint.

Digitized by Google

RUFUS.

Lucius Meſcinius Rufus, Ciceronis in Ciliciâ [i] Quæſtor, de quo ſic ipſe Tullius ad Atticum ſcribens, *Illud*, inquit, *difficillimum, relinquendus erat ex ſenatuſconſulto, qui præſſet, nihil minùs probari poterat, quàm Quæſtor Meſcinius; nam de Cœlio nihil audiebamus.* porrò Rufi mores ſibi diſplicuiſſe palàm declarat, cùm ineptum judicet, quem ſuo loco Ciliciæ præficiat: *Quæſtorem*, ait, *nemo dignum putat, etenim eſt levis, libidinoſus, ſagax*: idque cauſæ fuit, quamobrem Cœlium, licet paulò ante ſuum è provinciâ diſceſſum, adveniſſet, Rufo prætulerit. Reliquit tamen in Ciliciâ Meſcinium, ut rationes conficeret.

[i] Anno u. c. 702 Coſſ Servio Sulpicio, Marco Marcello.

Ortâ civili Cæſarem inter, & Pompeium diſſenſione, incertus animi quid faceret, per literas Ciceronem conſuluit, à quo, opinor, adductus eſt, ut caſtra Pompeii, tàm ſuâ, quàm Reipublicæ cauſâ, ſequeretur.

AULUS TORQUATUS.

Aulus Torquatus è Manliâ gente antiquiſſimâ, cui *Torquati* cognomen à Torque inditum eſt, quem Gallo ſingulari pugnâ victo Titus Manlius detraxit. Is de quo jam ſermo eſt, civis erat optimus, gravitate morum, & ſanctimoniâ præſtans; omni laude, inquit Cicero, & honore digniſſimus. Ex Prætura (neque enim Conſul unquam fuit) Africam ſortitus eſt, ibique impreſſa moderationis veſtigia reliquit.

Pompeianæ factionis defenſor in Græciam ante Ciceronem ipſum navigavit; exilio propterea cum benè multis aliis affectus eſt.

AULUS CÆCINA.

Aulus Cæcina excellenti ingenio fuit, animo forti, & magno, ſummâ virtute, literis haud mediocriter eruditus, ſcientiâ præſertim Auguratûs inſignis; Etruriæ, unde Romam venerat, nobiliſſimus, gratioſus apud populum, auctoritate ſummis propè par; ſed promptus linguâ, ſcriptis maledicus, qui non modò contra Cæſarem pro Pompeio diſtrinxit gladium, ſed ſtylum inſuper acuit; quapropter in exilium actus, impetrare vix tandem potuit ab irato Cæſare, ut in Italiam reverteretur. De Etruſcâ diſciplinâ, ut Plinius ait in indice lib. 2. volumen edidit, ex quo nonnulla de fulguribus recitat Seneca lib. 2. nat. Quæſt. c. 56. p. 858. cum hoc elogio: *Facundus vir*, inquit, *qui habuiſſet aliquod in eloquentiâ nomen, niſi illum Ciceronis umbra preſſiſſet.* Cicero.

TITUS FURFANIUS.

Tito Furfanio poſt Prætutam Siciliæ provincia cum exercitu [k] decreta eſt, in quam dicitur, ſummâ cum auctoritate, ſingularem detuliſſe clementiam; gravis nemini, in omnes officioſus.

[k] Anno u. c. 703. Coſſ. L. Æmilio Paulo, Caio Claudio Marcello.

Digitized by Google

TREBIANUS.

Nusquam comperi quis ille esset; nulla enim de Trebiano, nisi memoria me fallit, ab Historicis mentio facta est; id duntaxat ex epistolâ ad eum scriptâ colligitur, non mediocrem inter Ciceronis amicos locum obtinuisse, cum quo Pompeii partibus contra Cæsarem adhæserat; quapropter in exilium pulsus, Dolabellæ tandem operâ reditum in Italiam impetravit.

TITUS AMPIUS BALBUS.

1 An. u. c. 690. Coss. M. Tullio Cicerone, Caio Antonio.

Titus Ampius Balbus [1] Tribunus plebis legem tulit, ut Cneius Pompeius ob Mithridaticam victoriam, coronâ laureâ in ludis Circensibus, & omni cultu Triumphantium uteretur. Post Ædilitatem, Præturam sortitus est; ex Præturâ verò, Ciliciæ administrationem, in quâ Lentulum Spintherem, de quo antèa, successorem habuit.

QUINTUS LIGARIUS.

Quintus Ligarius, pro quo Ciceronis extat oratio, quam consule; legatus in Africâ Caio Considio Proconsuli, ibidem bello civili remansit: infesto fuit in Cæsarem animo, eum vicissim Cæsar capitaliter oderat, perpetuoque statuerat exilio multare; veruntamen Ciceronis oratione delinitus, veniam Ligario, & in patriam reditum concessit.

BASILIUS.

De Basilio certi nihil affirmari potest, nisi is ille sit, ut Corradus opinatur, qui cùm Cæsari faviſſet, in Cæsarem conjuravit, & à servis interfectus est.

BITHYNICUS.

Bithynicus è Pompeiâ gente, cui genti cognomen hoc Bithynia devicta peperit; filius, nisi fallor, Auli Pompeii, quem Plinius scribit, in Capitolio, cùm Deos salutaret, repentinâ morte obiisse, lib 7. cap. 53. Tullius in Bruto Quintum Pompeium Auli filium nominat, & fuisse secum, & cum M. Pisone, amicitiâ, studiis, exercitationibusque conjunctum, & biennio circiter se majorem dicit: utrùm autem Quintus Pompeius, qui claros inter Oratores à Tullio reponitur, idem sit cum eo, ad quem hanc epistolam mittit; an ejus pater, ut Manutio videtur: id enimverò asseverare nolim; uterque saltem Pompeianus, in bello civili diverso tempore periit.

LEPTA.

Lepta vigilans homo, & acer, cujus industriam in rebus gravissimis Tullius

Tullius adhibuit; cùm Cæsar, devictis in Hispaniâ Pompeii liberis, Rempublicam unus regeret, ejus sibi conciliare gratiam, & inter domesticos obtinere locum, omni ope conatus est; an fœlici exitu, non mihi constat.

TORANIUS.

Caius Toranius Niger ad Prætoriam dignitatem [m] evectus est; idemque videtur esse cum eo, qui senex, à proprio proditus filio, neci addictus fuit à Triumviris, Prætoriusque à Valerio Maximo appellatur; cujus hæc verba sunt, lib. 9. cap. undec. *Hanc crudelitatem, cui nihil adjici posse videtur, Caius Toranius* (de filio loquitur) *atrocitate parricidii superavit: namque Triumvirûm partes secutus, proscripti patris sui Prætorii, & ornati viri latebras, ætatem, notasque corporis, quibus agnosci posset, Centurionibus edidit, qui eum persecuti sunt. Senex de filii magis vitâ, & incrementis, quàm de reliquo spiritu suo solicitus; an incolumis esset, & an Imperatoribus satisfaceret, interrogare eos cœpit. è quibus unus: Ab illo, inquit, quem tantoperè diligis, demonstratus, nostro ministerio, filii indicio occideris: protinusque pectus ejus gladio trajecit. Collapsus itaque est, infœlix auctore cædis, quàm ipsâ cæde miserior.*

[m] Anno u. c. 692. Coss. Marco Pupio Pisone Calpurniano, Marco Valerio Messalâ Nigro.

CNEIUS DOMITIUS.

Cneius Domitius, filius, ut multi autumant, Lucii Domitii Ænobarbi, quem Cæsar suis infestissimum consiliis expertus est: Pompeianam cum patre factionem secutus, post cladem Pharsalicam, patrisque interitum, in Italiam, positis armis, rediit; incertum animi, afflictumque confirmat Cicero, & hortatur, ut se sibi, parentique suæ (erat hæc Porcia, Marci Catonis soror) incolumem, salvumque conservet.

MARCUS MARIUS.

Suspicatur Corradus, hunc esse Marcum Marium Gratidianum, qui Quinti fratris in Asiâ legatus fuit, & cognatione cum Ciceronibus conjunctus.

CAIUS JULIUS CÆSAR.

Caius Cæsar Juliorum ortus est gente, quâ nullam agnovit illustriorem Roma, cujus incolæ Regum se Dominos esse jactitabant: plus tamen familiæ splendoris addidit, quàm ab eâ mutuatus est; amplificandæ fortunæ suæ primarius artifex, & auctor.

[n] In uno Cæsare collecta erant hæc naturæ dona, quæ ducem omni ex parte perfectum effingunt. Ingenii vis, animi robur, morum suavitas, corporis firma constitutio, acres oculi, statura eminens, oris eximia species, & ad majestatem facta; magnitudo cogitationum, celeritas bellandi, perpetua domi, militiæque fœlicitas: quò gravius periculum, eò firmior audacia;

[n] Plutarchus. Velleius. Sallustius. Suetonius.

ſomnus, victuſque, non voluptate, ſed neceſſitate finitus; eadem ſemper diverſis in rebus mentis ſedes, ut nec infimis unquàm ſe deprimi, nec ſummis altiùs attolli pateretur. vix ullus alter, in quo tam certa extiterit vitæ æqualitas, tanta in proſperis moderatio, in ferendis injuriis par lenitas; hoſtium ſemper victor, victis hoſtibus rarò non pepercit.

Sed has virtutes, quantumvis erant magnæ, major utique vincebat ambitio, quæ nec privatum hominem, nec in Reipublicæ ſinu educatum doceret. Cæſaris illa vox fuit ex Euripide deprompta:

Si violandum eſt jus, regnandi causâ violandum eſt,
Aliis rebus pietatem colas.

Gadibus in Templo Herculis, ad viſam imaginis ſtatuam ingemuiſſe fertur, quòd eâ ætate, quâ Alexander orbem terrarum armis ſubegerat, nullum adhuc rerum à ſe geſtarum monumentum extaret: hac æmulatione ad novas ſpes captandas incitatus eſt.

Conciliare ſibi plebem; improbis eſſe perfugio, militum flectere quò vellet animos; optimatum frangere potentiam; libertatis in ſpeciem defenſor, ut eam opprimeret; novarum in dies legum architectus, ut antiquas everteret; eloquentiæ ſtudioſus, ut, quos in curiâ defenderat, illos in perpetuum ſibi devinctos teneret; in largitionibus effuſior, ut corrumperet, quos opibus auxerat.

Religionis ultra fidem negligens, nihil quidquam, vitâ ſuperſtite, à diis immortalibus poſtulavit, quid ſibi poſt mortem impendêret, parùm ſolicitus.

[o] Anno u. c. 692. Coſſ. Pupio Piſone Calpurniano, Marco Valer. Meſſalâ Nigro.

[o] Ex urbanâ Prætura Luſitaniam nactus provinciam, ac rebus ibidem præclarè geſtis, Triumphum meruerat; ſed hujus certam ſpem Conſulatûs honori poſthabuit. [p] Eodem tempore, cùm Pompeius impetrare non poſſet, ut acta ſua confirmarentur, relicto ſenatu, ſe cum Cæſare, Craſſoque conjunxit; ſic facta potentiæ ſocietas, ac jurejurando firmata, ut nihil deinceps, niſi ex eorum nutu, in Republicâ ratum eſſet: verùm illud animo meditabatur Cæſar, ut alterum alterius operâ perderet, ipſeque ſolus aliquandò dominaretur; inde civiles armorum motus, quibus orbis terrarum concuſſus eſt.

[p] Anno ſequente, Coſſ. Lu. Afranio, Quinto Cæcilio Metello.

[q] Anno u. c. 694. collegâ Marco Calpurnio Bibulo.

[q] Cæſar Conſulatum adeptus, Pompeii acta per Senatum approbavit; Stellatem & Campanum agros in pleroſque cives diviſit; deindè ut equeſtrem ordinem ab Senatu diſſidentem ſibi adjungeret, publicanos diminutionem flagitantes, tertiâ mercedum parte relevavit: Lucullo, Bibulo, Catone ipſo fruſtrà obſtrepente. Solus itaque regnabat in Republicâ Cæſar, quaſi Conſulatum ſolus geſſiſſet; omnis collegæ adempta auctoritas; quapropter id omne quod factum eſt hoc anno, tam verè, quàm jocosè factum eſſe dicebatur, *Julio, & Cæſare Conſulibus.*

His artibus, & infinitâ largitione, cùm ſibi ordinum omnium gratiam paraſſet, Galliam provinciam obtinuit; priùs autem quàm Româ diſcederet, affinitatis vinculo potentiam ſuam firmavit; ne quid enim, abſente ſe, Pompeius per Gabinium, qui cum Piſone deſignatus erat Conſul, moveret, Juliâ filiâ Pompeio collocatâ, Piſonis ipſe duxit.

Digitized by Google

Cùm autem Cicero Cæsarem asperiùs perstrinxisset, sensit injuriam Cæsar, ac dissimulavit; occasione nihilominùs undique conquisitâ, quâ se furtim, ac velut aliud agens ulciscereturnihil proposito convenientius visum est, quàm ut Clodium, aliunde jam infensum Tullio, in eum suscitaret: opinioni respondit eventus; vix enim ad plebem, adoptante P. Fonteio, Clodius traductus est, & Tribunitiâ potestate donatus, cùm summis contumeliis affectum Ciceronem exilio tandem mulctavit.

[f] Cæsar decretam sibi provinciam novem annis rexit, ut auctor est Suetonius; quo intervallo Galliam omnem, quæ à saltu Pyrenæo, Alpibusque, Rheno, Rhodanoque fluminibus continetur, in provinciæ formam redegit: primus etiam Romanorum Germanos Trans-Rhenanos, ponte super Rhenum imposito, lacessivit; Britannos quoque adiit, quò nullus antèa penetrarat.

[f] Inter hæc, legionibus in hiberna deductis, transgressus Alpes, ut res urbanas ipse cognosceret, Lucæ, quæ proxima Galliæ Cisalpinæ civitas erat, hiemavit; ibi cum Pompeio, Crassoque ità pactus est, ut sibi provincia Gallia in aliud quinquennium prorogaretur, Pompeius Hispaniam, Crassus Syriam sortiretur, Parthicumque bellum, amboque simul anno insequenti Consules fierent; sic Domitius Ænobarbus, qui palàm minatus erat, se adempturum Cæsari, & exercitum, & provinciam, Consulatu excidit.

[t] Subactâ tandem Galliâ, incredibile dictu est, in quantum opes Romanæ, vel ex hac unâ provinciâ creverint; certè Velleius asserit, Cæsaris auspiciis ac virtute fractam, idem penè stipendium, quod totus terrarum orbis, contulisse. Immensis igitur thesauris locupletatus Cæsar, Rempublicam largitionibus antè corrupit, quàm armis evertit.

[u] Mortuo Crasso, cùm neque parem Pompeius, neque superiorem ferre Cæsar ampliùs posset, civile bellum exortum est; [x] id agentibus Pompeianis, ut provinciâ Cæsar, exercituque cederet; Cæsarianis vicissim, idem ut Pompeius faceret, annitentibus.

[y] Tandem Senatus decrevit, ut ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: Curio, Antonius, Cassius, nequicquam intercedentes, fugere coguntur ad Cæsarem, qui cum copiis ad urbem properans, ita Pompeium, aliosque perterruit, ut sine morâ, urbe, ac deinde totâ Italiâ relictâ, in Græciam navigarint.

Cæsar Italiâ totâ intra sexaginta dies, torrentis fluvii more, peragratâ, & in suam potestatem sine sanguine redactâ, in Hispaniam proficiscitur, Afranium, Petreiumque Pompeii legatos ad Ilerdam superat, exercitu eorum in deditionem accepto; in reditu Massiliam expugnavit, primâque Dictaturâ donatus est, quam quidem quater, ac postremò perpetuam obtinuit.

[z] In Pharsalicis campis victus est à Cæsare Pompeius,

[a] Confecto Alexandriæ periculosissimo bello, regnum Cleopatræ, ejusque fratri permisit; deinde Pharnacem in Ponto profligavit, tantâ felicitate, & celeritate, quantam elogium illud Cæsaris testatur, *veni, vidi, vici.*

[b] Scipionem, & Catonem in Africâ cum Jubâ Rege devicit; Romamque reversus, fastos, annumque castigavit; unde anni Juliani profecti sunt.

[f] Ab anno u. c. 695. usque ad annum 703.

[f] Anno u. c. 697. Coss. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, & Lucio Marcio Philippo.

[t] Anno u. c. 701. Consule Pompeio Magno tertiùm sine collegâ.

[u] Anno u. c. 702. Coss. Servio Sulpicio Rufo, & Marco Claudio Marcello.

[x] Anno u. c. 703. Coss. L. Æmilio Paulo, Caio Claudio Marcello.

[y] Anno u. c. 704. Coss. Caio Claudio Marcello, & Lucio Cornelio Lentulo Crus.

[z] Anno u. c. 705. Coss. Caio Julio Cæsare II. Pub. Servilio Vatiâ Isaurico.

[a] Anno u. c. 706. Caio Julio Cæsare Dictatore II. Marco Antonio equitum Magistro.

[b] Anno u. c. 707. Coss. C. Julio Cæsare tertiùm, Marco Æmilio Lepido.

Digitized by Google

[c] Pompeii denique liberos ad Mundam in Hiſpaniâ maximo, difficillimoque prælio proſtravit, fuditque.

[d] Vix quatuor menſes, tot laborum, victoriarumque fructus perceperat, cùm Bruti, & Caſſii, aliorumque conſpiratione, in ſenatu ipſo confoſſus eſt, anno ætatis, ut Plutarchus ait, quinquageſimo ſexto, ſuæ duntaxat, non alienæ mortis conſcius, ſpreto ſcilicet amicorum conſilio, qui ſuaſerant, ut partam armis dominationem, armis tutaretur.

[c] Anno u. c. 708. Cæſare quartùm Conſule ſine collegâ.

[d] Anno u. c. 709. Coſſ. Caio Julio Cæſare quintùm, Marco Antonio.

TREBATIUS.

Caius Trebatius Teſta, Juriſconſultus, divitiarum paulò appetentior, in Galliam diſceſſerat, ut gratiam iniret apud Cæſarem, ejuſque auctoritate & operâ rem augeret ſuam; ſed cùm aliunde quietam tumultu procul, & diſcrimine bellico, vitam agere mallet, ſummoque urbis deſiderio teneretur, de ſuâ illum ſententiâ deducere conatur Cicero, pluresque per jocum ſuper eâ re literas ei ſcribit. Tradit Pighius, Tribunum plebis fuiſſe anno ſeptingenteſimo ſexto, Caio Julio Cæſare Dictatore ſecundùm.

TITUS FADIUS GALLUS.

Vide quæ antè diximus de Tito Fadio, ſeu Fabio Gallo, pag. xiv. eumdem enim eſſe Pighius in Annalibus affirmat, tom. 3. pag. 373. eorumque confutat ſententiam, qui exiſtimant, hîc Marcum Fabium Gallum, aut Publium Seſtium à Tullio deſignari.

MARCUS CURIUS.

Marcus Curius è Curiâ Conſulari gente, optimè ſemper in Ciceronem, ac Rempublicam animatus; Quæſturam urbanam exercuit anno urbis conditæ ſexcenteſimo nonageſimo primo[e]: quadriennio pòſt ad Tribunitiam dignitatem evectus, [f] ſuam quoque operam, auctoritatemque adhibuit, ut Tullius ab exilio revocaretur; quod Cicero ipſe in Oratione poſt reditum in ſenatu, honorificè teſtatur. Deſperatâ libertate, ob Cæſaris & Pompeii diſſidium, in Græciam ſe contulit, ut literarum ſtudiis, bello procul, tranquillè, & tutè vacaret.

[e] Coſſ. Julio Silano, & Licinio Murenâ.

[f] Coſſ. Cornelio Lentulo Spinthere, & Quinto Cæcilio Metello Nepote.

PUBLIUS VOLUMNIUS.

Publius Volumnius, notæ dicacitatis, ac limati judicii homo, interioribus inſtructus literis; cui urbanitas & facetiæ *Eutrapeli* nomen fecerunt. Hunc Antonius, ut multi opinantur Interpretes, in bello civili Præfectum fabrûm habuit.

Digitized by Google

TREBONIUS, & DOLABELLA.

Dolabella ſplendore generis Trebonio ſuperior, variis ambo dignitatum gradibus, familiaritate Cæſaris, & ingrati viciſſim erga Cæſarem animi vitio, turbulentâ mente, infelici demùm vitæ exitu propè pares.

Tribunatum uterque geſſit publicæ tranquillitati propemodùm exitialem. [g] Caius Trebonius aſper ad hunc honorem evectus, legem tulit, quâ ſancitum eſt, ut Cneius Pompeius Hiſpanias duas, Marcus autem Craſſus Syriam, & Parthicam expeditionem in quinquennium obtinerent, bellique eſſent in ſuâ quiſque provinciâ, ac pacis arbitri. Auctor idem fuit, ut Cæſari Galliarum adminiſtratio in aliud quinquennium prorogaretur. Exacto Tribunatu, in Galliam Cæſari legatus abiit; ortâque civili diſcordiâ, Prætor urbanus extra ſortem [h] creatus eſt.

[g] Anno u. c. 698. Coſſ. Cn. Pompeio Magno II. Marco Licinio Craſſo 2.

[h] Anno u. c. 705. Coſſ. Caio Cæſare II. Publio Servilio Vatiâ Iſaurico.

Victis in Hiſpaniâ Pompeii liberis, Cæſar quartum ſine collegâ Conſulatum iniit; ſed eodem depoſito, ſibi in reſiduos anni menſes Quintum Fabium Maximum, & Trebonium [i] ſubrogavit.

[i] Anno u. c. 708.

Mortuo Cæſare, cujus & ipſe percuſſor Trebonius fuit, [k] cùm Aſiam à Senatu Proconſul obtinuiſſet, à Dolabellâ Smyrnæ crudeliter occiſus eſt; quæſtione primùm tormentis habitâ pecuniæ publicæ; deinde cervicibus fractis, abſciſſo capite, quod affixum geſtari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abjici juſſit.

[k] Anno u. c. 709.

Sic primus è conjuratis, ſuæ erga Cæſarem perfidiæ pœnas Trebonius dedit; vir, teſte Velleio, *adverſus Cæſaris merita ingratiſſimus, particepſque cædis ejus, à quo ipſe in Conſulare provectus faſtigium fuerat.*

Publius Cornelius Dolabella, Marci Ciceronis gener, Cæſari familiaris, malorum conſiliorum auctor, ejuſdemque contra Rempublicam defenſor acerrimus; procax, temerarius, novarum rerum appetens; cùm grandem pecuniam deberet, à Patriciis tranſivit ad plebem, ut aſſequi Tribunatum poſſet.

[l] Hanc porrò dignitatem adeptus, ac lege de novis tabulis, ſeu de ære alieno reſcindendo promulgatâ, maximos abſente Cæſare excitavit Romæ tumultus. Id Cicero, ſcribens ad Atticum, ſæpè conqueritur, epiſt. 12. lib. 11. *Quòd me audis fractiorem eſſe animo, quid putas? cùm videas acceſſiſſe ad ſuperiores ægritudines, præclaras generi actiones?* εἰρωνικῶς: nam Dolabellæ actiones turpiſſimæ erant. Epiſt. 14. *Omnium conſpectum horreo; præſertim hoc genero*; id eſt tam turpi, tam perdito, tam flagitioſo, qui Cæſarem inſtigabat, ut vel Pompeianorum bona proſcriberet, vel tabulas novas poneret.

[l] Anno u. c. 706. Caio Julio Cæſare Dictatore II. M. Antonio Magiſtro equitũ. Conſules in reliquum anni tempus fuerũt Quintus Fufius Calenus, Publius Vatinius.

Ter contra cives pugnaſſe idem Cicero teſtatur Philip. 2. n. 75. *Ter depugnavit Cæſar cum civibus; in Theſſaliâ, Africâ, Hiſpaniâ, omnibus affuit his pugnis Dolabella, in Hiſpanienſi etiam vulnus accepit, ſi de meo quidem judicio quæris, nollem; ſed tamen, etſi conſilium à principio reprehendendum, laudanda conſtantia.*

Cæſar ad expeditionem Parthicam brevi profecturus, Conſulem in reli-

quum tempus anni Dolabellam designaverat, [m] qui, Cæsare paulò pòst occiso, dignitatem ejus, ac fasces invasit, licet nondùm Prætorius erat, nec viginti quinque annos natus.

[m] Anno u. c. 709. Coss. Coss. Caio Julio Cæsare V. M. Antonio.

Tùm libertatis de repentè factus assertor, erectam Cæsari columnam, inscriptamque, *Parenti patriæ*, evertit, seditionem à perditis de plebe hominibus excitatam compressit; ex illâ autem seditiosorum manu, qui liberi erant, de saxo Capitolino dejecti sunt, servi in crucem acti. Incredibile, quantis hoc factum laudibus à Cicerone celebretur. Phil. 1. *Quem petes recordari, Dolabella, in vitâ tibi illuxisse diem lætiorem, quàm cùm, expiato foro, dissipato cursu impiorum, principibus sceleris pœnâ affectis, te domum recepisti.*

Anno sequente, cùm Syriam, invito Senatu, ac Trebonio crudeliter necato, occupasset, [n] Reipublicæ hostis, allaborante præsertim Tullio, judicatus est: Syria Cassio decreta, qui Dolabellam Laodiceæ obsessum, desertum à cæteris, à seipso desperatum, ad mortem adegit.

[n] Anno u. c. 710. Coss. Hirtio, & Pansâ.

PAPIRIUS PÆTUS.

Papirius Pætus, quorum majores summis in Republicâ honoribus perfuncti sunt, lepido fuit, & polito ingenio, amabili, ut ait Tullius, indole, & in omni genere jucundâ, quique imaginem antiquæ, & vernaculæ festivitatis egregiè repræsentaret.

LUCIUS MUNATIUS PLANCUS.

Lucius Munatius Plancus, frater hic fuit Titi Planci Bursæ, qui graves cum Cicerone inimicitias gessit; Reipublicæ, ac Decimi Bruti contra Antonium aliquandiù defensor: destitutâ tandem Republicâ, ad Antonium cum Asinio Pollione transiit. Vell. lib. 2. *Plancus dubiâ, id est suâ fide, diù, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, & nunc adjutor Decimi Bruti, mox ejusdem proditor.*

[o] Galliam ulteriorem cum tribus legionibus obtinuit, in quâ Lugdunum paulò pòst condidisse ab Eusebio traditur.

[o] Anno u. c. 709. Coss. C. Julio Cæsare V. Marco Antonio.

In ipso quasi funestissimæ proscriptionis æstu duos Roma, dùm undique cadaveribus inquinata erat, [p] triumphos videre, & in summo luctu lætitiam simulare coacta est. Lepidus ex Hispaniâ triumphavit, ex Galliâ verò Plancus: sic enim imperatum est à Triumviris: *Sacris omnes, & epulis deûm hunc diem: qui contrà fecerit, proscriptus esto.* Itaque solemni pompâ invectus est in Capitolium Lepidus, cùm interim proscriptorum diriperentur ædes, & eorum bona sub hastâ publicè venderentur. Biduo antè triumpharat ex Galliâ Plancus; quam ob causam, incertum est; at Velleius utriusque sic meminit: *Nec Planco defuit gratia ad impetrandum, ut frater ejus Plotius proscriberetur, eóque inter jocos militares, qui currum Lepidi, Plancique secuti erant, inter execrationem civium, usurpabant hunc versum:*

De Germanis, non de Gallis duo triumphant Consules.

[p] Anno u. c. 710.

Digitized by Google

Lepidus enim fratrem Lucium Paulum proscripserat, qui tamen ad Brutum evasit; Plancus verò Cn. Plotium, qui delitescens in agro Salernitano, proditus & occisus est. Consules autem erant Lepidus, & Plancus in sequentem annum designati, Lepido scilicet in locum Decimi Bruti suffecto.

Censuram Plancus obtinuit sub Octavio, cui persuasisse referunt, ut *Augustus* appellaretur.

CAIUS FURNIUS.

Caium Furnium, [q] Tribunitiâ ornatum potestate declarat Cicero: nam superiore anno, cùm Proconsul abiret in Ciliciam, & Atticum ex itinere literis rogaret, ne pateretur provinciam sibi ultra annum protogari; addit, se idem hoc Q. Hortensio, & Furnio, quem sciebat anno insequenti futurum Tribunum plebis, mandasse.

[q] Anno u. c. 703. Coss. Æmilio Paulo, Caio Claudio Marcello.

[r] Proprætor Asiam obtinuit, qui Lucii Munatii Planci legatus in Galliâ fuerat anno urbis 710. Majorem autem Prætură dignitatem non adeptum declarat his verbis Eusebius in Chronico: *Furnii*, inquit, *pater, & filius clari Oratores habebantur, quorum filius Consularis ante patrem moritur.* [s] Legatus Augusti rebellantes Cantabros ad internecionem propè delevit.

[r] Anno u. c. 719.

[s] Anno u. c. 731.

MARCUS ÆMILIUS LEPIDUS, & M. ANTONIUS.

Antonii domus plebeia, Lepidi Patricia majorum gentium fuit; utraque nobilis, summisque semper honoribus perfuncta: hic ab Æmilio Æneæ nepote; ille suam ab Hercule originem repetebat; ambo prosperâ diù, ac florente fortunâ usi sunt; sed Antonii prosperitas egregiis erat animi subnixa dotibus: Lepidus constantem adcò fortunæ indulgentiam, nullâ virtute meritus videtur; uterque Cæsaris amicitiâ, Tribunatûs vinculo, amicorum proscriptione, libertatis, ac Reipublicæ ruinâ famosus.

Antonio fuit eximia formæ dignitas, promissa barba, procerum corpus, frons largior, aduncus nasus, virilis ab omni parte facies, quæ pictam Herculis imaginem adumbraret: facetus ac dicax, perpotationi deditus, bello melior, quàm pace; militum ad mensam comes, quorum animos, ac benevolentiam nemo sibi melius conciliare didicit: mira fuit in eo morum simplicitas; in præmiis effusus, pœnisque; ad beneficia tamen, quàm ad supplicia proclivior: si quem aculeis offenderet, inflicto vulneri adhibebat illicò medelam; siquidem repungi poterat, & vicissim impunè perstringi, ex æquo hilaris, sive rideret alios, sive ab aliis ipse rideretur. Velleius. Plutarchus.

Cæsar illos in Consulatu collegas habuit, Lepidum anno 707. Antonium autem anno 709. quo Cæsar necatus est. Ambo sub eodem Dictatore Magistri equitum; uterque, necem ut Cæsaris ulcisceretur, factus est cum Octavio Triumvir: ille fratrem, hic avunculum proscripsit: Lepidus Pontifex maximus, Antonius etiam Orientis Imperator; ille non multò pòst copiis spoliatus ab Octavio, Circeios relegatus est; alter in Actiacâ pugnâ victus ab Octavio, sibi mortem Alexandriæ conscivit: orbis fortè futurus

Digitized by Google

magiſter, niſi Cleopatræ ſervire maluiſſet, quàm orbi univerſo dominari: liberali vir ingenio, & quæ virtus principum virorum propria eſſe ſolet, præcipuâ benignitate in eos, quos res anguſtæ vexabant; immenſas nempe opes, non ad privata commoda, ſed ad ſalutem amicorum congeſtas, eſſe dicebat.

Levis & inconſtans Lepidus, minimâ domi ac militiæ gloriâ; in quo inerat cum mediocri virtute, ſumma vanitas.

SERVIUS GALBA.

Servius Galba nobili Sulpiciorum oriundus ſtirpe, nepos fuit, auctore Suetonio, illius Galbæ ſuæ ætatis eloquentiſſimi; proavus autem Galbæ Imperatoris. Cæſaris in Galliâ legatus fuerat; ſed Conſulatûs repulſam indignè paſſus, in Cæſarem ipſum cum Bruto & Caſſio conjuravit.

CAIUS ASINIUS POLLIO.

Cùm Cæſar Parthicam expeditionem meditaretur, & Magiſtratus per triennium creaſſet, provinciis quoque Rectores dedit, aliis quidem alios; Lepidum autem citeriori Hiſpaniæ, * Aſinium ulteriori, qui vivo adhuc Cæſare, in provinciam diſceſſit.

* An. u. c. 709. Coſſ. C. Julio Cæſare V. Marco Antonio.

Poſt Cæſaris necem, contra Antonium aliquandiù pro Republicâ ſtetit; ſed ubi Antonius, Lepidus, Octavius, inito inter ſe fœdere conjuncti ſunt, ad eorum partes cum duabus legionibus ſe contulit. primùm fortunam ſecutus, deinde amicitiâ quoque permotus Antonii. Vell. lib. 2. *Aſinius Pollio, firmus propoſito, & Julianis partibus fidus, Pompeianis adverſus, exercitum Antonio tradidit.*

Vir nominis ſui princeps, eloquentiæ laude, Auguſti Cæſaris amicitiâ, dignitate Conſulari, Virgilii præconiis, Cenſuræ literariæ ſeveritate, relato de Dalmatis Triumpho celeberrimus, omnium horarum homo, ſeriis, utpote, jociſque pariter accommodatus; invidus laudi Ciceronis, & vitiorum, quotquot in ejus ſcriptis deprehenderat, cenſor aſſiduus.

Antonio ad pugnam Actiacam fidus; Cæſare enim, ut ad bellum veniret, hortante, *Mea*, inquit, *in Antonium merita majora ſunt, illius in me beneficia notiora; itaque diſcrimini veſtro me ſubſtraham, & ero præda victoris.*

Primus Romæ bibliothecam aperuit, in eâque Marci Varronis imaginem viventis poſuit; res Græcorum ab eo Latinè ſcriptas, Suidas auctor eſt: leporum ac facetiarum pater à Catullo appellatur. Eum à bello civili ſcribendo deterret Horatius, lib. 2. Od. 1.

Periculoſæ plenum opus aleæ tractas, &c.

Ad extremum pænè Auguſti principatum vixiſſe Tacitus affirmat; è vitâ diſceſſit in villâ Tuſculanâ anno ætatis octogeſimo.

DECIMUS

Digitized by Google

DECIMUS BRUTUS.

Decimus Brutus è Juniâ gente à Posthumio adoptatus est; unde factum, ut ei cognomen *Albini* adhæserit: Cæsari familiaris; ejusdem in Galliâ legatus; designatus ab eo Consul; citeriori Galliæ præpositus, ac testamento, post Octavium, relictus hæres; Cæsaris tamen, post tot beneficia, percussor.

Mortuo Cæsare, eadem hæc Galliæ citerioris administratio à Senatu Decimo Bruto confirmata; sed cùm Antonius, qui civile bellum excitare cupiebat, eam appeteret, suis utpote consiliis aptam, nec posset obtinere; [a] ideò Brutum Mutinæ inclusum, per menses multos obsedit.

[a] Anno u. c. 710. Coss. Hirtio, & Pansâ.

Marcus Antonius hostis patriæ judicatus est, & obsidione solutâ fugere coactus; at vix Brutus liber evaserat, cùm ecce nuntiatur, Octavium Cæsarem, cum Lepido, & Antonio societatem fœderis iniisse: viribus inferior ad Marcum Brutum, in Macedoniam proficisci statuit; sed paulò pòst desertus à suis, ad Aquileiam jussu Antonii [b] interficitur, *justissimasque*, inquit Velleius, *optimè de se merito viro Caio Cæsari pœnas dedit; cujus, cùm primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit; & fortunæ, ex quâ fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat, censebatque æquum, quæ acceperat à Cæsare, retinere; Cæsarem, qui illa dederat, periisse.*

[b] Anno u. c. 710.

CNEIUS MATIUS.

Cneius Matius multiplicis vir doctrinæ, de quo, ni fallor, Aulus Gellius, cap. 6. lib. 6. Noctium Atticarum; quem consule.

CAIUS OPPIUS.

Caius Oppius Cæsari familiaris amicus, quique res ejusdem absentis cum Balbo curabat: à nonnullis creditur auctor operum, quæ ab aliis Hirtio tribuuntur. Huic summa erat, si Tullio credimus, & in consilio capiendo prudentia, & in dando fides.

Velleius. Plutarchus.

CAIUS CASSIUS LONGINUS.

Cassius fuit conjurationis in Cæsarem præcipuus auctor; bello quidem nobilis, sed iracundus, & naturâ asper: apud milites in pretio, sic tamen, ut ab iis timeri mallet, quàm amari: crudelis, & ferox: provinciarum, quibus præfuit, clades; hostibus implacabilis; inter familiares facetus, & dicax: in beneficum sibi Cæsarem crudeliter ingratus.

[c] Ex Quæsturâ Syriam aliquandiù, donec Marcus Bibulus advenisset, administraverat, reliquiisque exercitûs post cædem Marci Crassi conservatis, Parthos Antiochiâ fortiter repulerat.

[d] Tribunus plebis Pompeianam factionem amplexus est; & anno sequenti,

[c] Anno u. c. 701. Consule Pompeio sine collegâ.

[d] Anno u. c. 704. Coss. C. Claudio Marcello, Lucio Cornelio Lentulo.

Digitized by Google

classi Syriacæ à Pompeio præpositus; sed in Cæsarem cùm imprudens incidisset, se suasque naves ei tradidit; à quo deinde amplissimis honoribus decoratus est; ex animo tamen Pompeianis amicus, Cæsaremque dominum ægrè ferens, in eum conjuravit.

e Anno u. c. 711. Coss. L. Munatio Planco, M. Æmilio Lepido secundum.

[e] Ad urbem Philippos in Thessaliâ, cùm adversùs Octavium, & Antonium acie decertarent conjuratorum principes, ut Cassius sensit, eam partem exercitûs, in quâ erat, inclinare, ratus totum exercitum fusum esse, sibi manus intulit.

Percussorum porrò Cæsaris nullus triennio ampliùs superstes fuit, & omnes violentâ morte sublati, immò & quidam, eodem pugione quo Cæsarem confoderant, se ipsos interemerunt.

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER.

f Anno u. c. 709. Coss. Antonio, & Dolabellâ.

Publii Lentuli Spintheris, qui Ciceronem restituit, filius, [f] in Asiam extra ordinem à Senatu missus est, ut colligeret Reipublicæ vectigalia, provinciamque præsidiis, Dolabellâ hoste judicato, firmaret; occiso Cæsare, semet ultrò conjuratis adjunxit, hujus facinoris participem se gloriatus; quod quidem alii fecêre cum illo; sed postmodum, diverso mortis genere non secùs atque conjurati omnes, à Cæsarianis oppressi, interierunt.

QUINTUS CORNIFICIUS.

Quintus Cornificius doctrinâ præstans, & ingenio, in eorum numero, qui de arte Rhetoricâ scripserunt, à Quintiliano reponitur: Africam Proconsul obtinuit, ut apertè satis declarant Ciceronis ad eum epistolæ. Cæsare interfecto, cùm Marcus Antonius Consul bellum cogitans, distributisque in sequentem annum provinciis, Calvisium Cornificio successorem destinasset, sortitionem hanc Senatus irritam fecit, & Cornificio, aliisque provinciarum rectoribus prorogavit imperium, donec usque Senatusconsulto iis succederetur: verùm aliquantò pòst, cùm ex fœdere inter Triumviros inito Cæsar junior Africam omnem cum finitimis insulis in quinquennium accepisset, cum Tito Sestio, qui Cæsaris eum nomine de provinciâ decedere jubebat, bellum gessit, proscriptos à Triumviris, & ex Italiâ profugos recepit, postque varia certamina prælio tandem victus, & interemptus est.

CAIUS MEMMIUS GEMELLUS.

g Anno u. c. 690. Coss. M. Tullio Cicerone, & Caio Antonio.

Hic ille est, opinor, qui Lucium Lucullum [g] ex Mithridaticâ expeditione redeuntem, die ad populum dictâ, triumphare aliquandiù prohibuit.

h Anno u. c. 695. Coss. L. Calpurnio Pisone, Aulo Gabinio.

[h] Præturam adeptus Vatinium in jus vocavit, ob gestum seditiosè Magistratum, legesque contra auspicia, moremque majorum factas; quin etiam ad Senatum retulit, ut Caius Cæsar, qui superiore anno Consul fuerat, actorum suorum rationem reddere cogeretur: sed quæstionem cùm exercere vellet in Vatinium, vi de Tribunali deturbatus aufugit.

Digitized by Google

Post triennium cum Appio, & Ænobarbo Consulibus, obtinendi Consulatûs gratiâ, turpi pactione coïvit; eodemque anno de ambitu accusatus, damnatusque, Athenas in exilium profectus est.

Memmia gens plebeia fuit, quam à Mnestheo Æneæ socio originem duxisse auctor est Servius.

QUINTUS VALERIUS ORCA.

Quintus Valerius Orca Præturâ perfunctus [1] Africam obtinuit; quem paludatum Cicero, quòd ejus etiam operâ in patriam rediisset, prosecutus est. Idem posteà Cæsaris legatus in Galliâ, ejus, in bello civili partibus adhæsit.

[k] Primo belli civilis anno, Sardiniam à M. Cottâ relictam, Cæsaris jussu, unâ cum legione occupavit, ab eodemque deinde agris in Etruriâ dividendis præpositus est, addito Proprætoris nomine, ut majorem in provinciâ suâ potestatem haberet.

[1] Anno u. c. 697. Coss. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, & Lucio Marcio Philippo.

[k] Anno u. c. 704. Coss. Claudio Marcello, Cornelio Lentulo.

CLUVIUS.

Cluvius Puteolis in Campaniâ natus, is est, nisi sum falsus, quem in epistolâ 56. lib. 13. Thermo de meliori notâ commendat; illum quoque Cæsar agrorum divisioni præfecerat.

MARCUS RUTILIUS.

Idem cum Cluvio, jubente Cæsare, munus exercuit; majorum suorum gloriâ commendatus; quos inter enituit Publius Rutilius Rufus, qui Consulatum gessit anno urbis sexcentesimo quadragesimo octavo, ut Pighius habet; tùm de vitâ suâ, tùm de bello Numantino scripsit; vir quo nemo Romæ extitit, morum innocentiâ illustrior.

CRASSIPES.

Crassipes ex nobili Furiorum gente, non alio mihi nomine cognitus, præterquàm quòd Quæstoris officium in Bithyniâ obire jussus est.

MARCUS BRUTUS.

Marcus Brutus è Juniâ gente, quæ Româ Tarquinios ejecerat, oriundus, post Cneii Servilii adoptionem, Marcus Brutus Cæpio nominatus est.

Pietate in patriam, candore morûm, vitæ innocentiâ, elegantiâ ingenii, literarum, ac Philosophiæ studio, Ciceroni, & optimo cuique charissimus extitit. Ejus pater, jussu Pompeii magni cæsus traditur; inde gravis inter utrumque simultas: civili nihilominùs dissensione ortâ, Pompeii factionem, quòd eam Cæsarianâ justiorem crederet, secutus est, doloremque suum Reipublicæ charitati posthabuit. Velleius. Plutarchus. Cicero.

Digitized by Google

Post cladem Pharsalicam, Lariſſam fugiens, non modò ſervatus eſt incolumis, ſed ad ſummas quoque dignitates evectus.

[l] Anno u. c. 707. Coſſ. C. Julio Cæſare tertium, & M. Æmilio Lepido.

[l] Cæſar priùs in Africam quàm navigaret, eum Galliæ Ciſalpinæ, necdum Prætorium præfecerat, quam ſingulari moderationis, & ſapientiæ laude adminiſtravit; incorruptus Judex, & integer, ſummis pariter, & imis acceptus, exteris admirationi, ne quidem hoſtibus odio, quippe cui aliena mens erat à voluptatis & avaritiæ ſordibus, perpetuaque in omnes, & comparanda miraculo lenitas.

[m] Anno u. c. 709. Coſſ. C. Julio Cæſare quintùm, Marco Antonio.

Cæſaris ejuſdem beneficio [m] Præturam urbanam obtinuit; ſed ſui, Cæſariſque oblitus, necem ei, velut Tyranno, moliri auſus eſt, quem ut beneficum, & parentem colere debuerat; etſi non tàm ſponte ſuâ, quàm Caſſii impulſu id feciſſe conſtat, nec ſui, ſed Reipublicæ unius causâ; quod ipſum Antonius teſtimonio ſuo comprobavit, dicere ſolitus, cæteros in Cæſarem conjuraſſe, privatum ut odium ſatiarent; Brutum, ut publicæ duntaxat utilitati conſuleret.

[n] Anno u. c. 709. Coſſ. Cæſare & Antonio.

[n] Vix erat peracta cædes, cùm Antonius, corrupto Cæſaris teſtamento, accitiſque Romam veteranis militibus, plebem in conjuratos excitavit. M. Brutus & Caſſius, veteranorum, qui Cæſarem amabant, & plebeiæ factionis metu, urbe ceſſerunt, ambo edictis teſtati, libenter ſe vel in perpetuo exilio victuros, dùm Reipublicæ conſtaret concordia.

Cùm Cæſar bellum Parthicum cogitans, tàm provincias, quàm Magiſtratus in plures annos ordinaſſet, Marco Bruto Macedoniam, Syriam Caſſio, quas ambo Prætura defuncti regerent, decreverat; verùm Cæſare paulò pòſt occiſo, Marcus Antonius, & Dolabella Conſules, contra acta Cæſaris, & invito Senatu, hic obtinuit Syriam; Macedoniam ille Caio Antonio fratri,

[o] Anno u. c. 710. Coſſ. Pansâ, & Hirtio.

cùm Galliam ſibi ipſe impetraſſet, conceſſit: [o] at Senatus hoc anno, hoſtibus patriæ declaratis, & Dolabella, quòd Caium Trebonium Proconſulem in Aſiâ crudeliter necaſſet; & Marco Antonio, quòd Galliâ Ciſalpinâ per vim occupatâ, Decimum Brutum Mutinæ obſideret, Marco Bruto Macedoniam cum Illyrico, Caio autem Caſſio Syriam, bellique contra Dolabellam gerendi curam attribuit; aliis inſuper additis ex Ciceronis ſententiâ honoribus, uti ſcilicet omnes tranſmarinarum provinciarum Rectores, Bruti, & Caſſii imperata facerent, exercituſque, pecunias, & claſſem, prout libitum eſſet, colligerent. Hujus decreti auctoritate, Brutus copias accepit à Vatinio Proconſule, qui per annos aliquot Illyricum tenuerat, & Caio Antonio Marci fratre, quòd inſidias ſibi ſtrueret, interempto, firmum, & ipſe exercitum, pro libertatis defenſione, comparavit.

[p] Anno u. c. 711. Coſſ. L. Munatio Planco, & Marco Æmilio ſecundùm.

[p] Cum Bruto, & Caſſio, conjuratorum principibus, Octavius & Antonius acie decertarunt in campis Philippicis, vario primùm eventu, ſi quidem utrimque dextra cornua vicerunt, & utrimque caſtra direpta ſunt; ſed Caſſius, qui in eo cornu erat, quod pulſum eſt, ratus totum eſſe fuſum exercitum, ſe ipſe interemit. Brutus iterato poſt unum circiter menſem prælio, victus, & ipſe mortem ſibi conſcivit, annum agens ſeptimum, & trigeſimum: vir gloriâ nemini poſthabendus, niſi præpoſterâ patriæ charitate, ſuâque in Cæſarem perfidiâ, ſuo nomini turpitudinis labem aſperſiſſet.

Digitized by Google

ACILIUS.

Hunc Senatus ipsâ nocte, cùm jam legiones ad Octavium Cæsarem defeciſſent, clanculum miſit in Picenum ad habendos delectus; ſed à Cæſarianis in itinere captus, & ſervili, uti exierat, habitu ad Cæſarem deductus fuit; Cæſar ei pœnam ad tempus remiſit, ut opinionem nanciſceretur clementiæ: aliquantò pòſt cum aliis proſcriptus eſt. Illi conſanguineus Acilio, (nam affirmare non auſim eumdem eſſe) qui Maſſilienſi in obſidione invictum animi robur præ ſe tulit, de quo Suetonius, cap. 68. lib. 1. *Acilius navali ad Maſſiliam prælio, injectâ in puppem hoſtium dexterâ, & abſciſſâ, memorabile illud apud Græcos Cynegiri exemplum imitatus tranſiluit in navem, umbone obvios agens.* Aciliorum gens plebeia fuit, ſed multis Conſulatibus, & Triumphis inclyta.

QUINTUS ANCHARIUS.

Quintus Anchatius ad Tribunitiam dignitatem [q] evectus eſt Coſſ. Cæſare & Bibulo: ſummis à Cicerone laudibus extollitur egregia illius in hoc munere fides, ac fortitudo, cùm auſus ſit Publii Vatinii collegæ pernicioſis actionibus palàm adverſari.

[q] Anno u. c. 694.

Ex Prætura Macedoniam ſortitus obtinuit, Lucio Piſoni Proconſuli ſucceſſor datus, qui ex ſenatuſconſulto ob provinciam malè habitam revocatus erat.

Anno u. c. 698. Coſſ. Cn. Pompeſo Magno II. & Licinio Craſſo II.

LUCIUS CULLEOLUS.

De quo nihil peculiare habeo, quod dicam, præter illa quæ breviter in notis obſervavi.

QUINTUS GALLIUS.

Quintus Gallius Prætor urbanus ab Imperatore Cæſare, tùm Conſule, Africam provinciam impetraverat; viſuſque malo dolo agere, à collegis Prætura ſummotus eſt. Domum ejus diripuit populus; Senatus capitalem in eum protulit ſententiam; Cæſar eum juſſit ad fratrem M. Gallium abire, qui nave conſcensâ, nuſquam poſteà comparuit. Sic de illius obitu Suetonius, lib. 2. c. 27. ubi impotentiam Auguſti, & crudelitatem deſcribit. *Et Quintum Gallium Prætorem*, inquit, *in officio ſalutationis tabulas duplices veſte tectas tenentem, ſuſpicatus gladium occulere, nec quidquam ſtatim, ne aliud inveniretur, auſus inquirere, paulò pòſt per Centuriones & milites raptum è Tribunali, ſervilem in modum torſit, ac fatentem nihil, [r] juſſit occidi, priùs oculis ejus ſuâ manu effoſſis, &c.* Conſule epiſtolam quartam libri octavi.

[r] Anno u. c. 710. Triumviris Octavio Cæſare, Antonio, & Lepido.

APPULEIUS.

Hunc esse credibile est, cujus meminit Tullius Philippicâ sextâ, & ultimâ. [f] Hic Tribunus plebis Ciceronem populo excusavit, falsumque ostendit rumorem fuisse, qui per urbem ab inimicis sparsus erat, ipsum, Consulibus orbatâ Republicâ, fasces, & imperium quærere; à Senatu contra Antonium stetisse constat, & à Triumviris cum altero Appuleio, ut refert Appianus, proscriptum; quorum alteruter, idem est cum eo ad quem scripta est Ciceronis epistola: Marcus tamen Appuleius mortis elapsus discrimine, Consulatum obtinuit cum Silio, de quo infrà.

[f] Anno u. c. 710. iisdem Triumviris: interfectis ad Mutinam Coss. Hirtio, & Pansâ.

P. SILIUS NERVA.

Publius Silius Nerva post Tribunatum, ac Præturam, Bithyniam & Pontum Proprætor [t] administravit. Cicero ad Atticum è Ciliciâ scribens, *Thermum, Silium*, inquit, *verè audis laudari; valdè honestè se gerunt.*

[u] Consulatum longè pòst gessit eodem anno quo Augustus signa Crassi, & Aquilas à Parthis recepisse traditur; Augusti tandem legatus Alpinas subegit gentes, Pannonioscque cum Noricis in Istriam incursantes, ad pacis conditiones adegit.

[t] Anno u. c. 702. Coss. Servio Sulpicio Rufo, & Marco Claudio Marcello.

[u] Anno u. c. 703.

Anno u. c. 731.

CAIUS SEXTILIUS RUFUS.

Ciceronis ad Sextilium epistola, aliquandiù post Ciceronis è Ciliciâ reditum scripta est, postquam devicto Pompeio, & transmarinis provinciis in potestatem redactis, Cæsar [x] Cyprum insulam Quæstori Sextilio commisisset; quæ insula priùs videtur Ciliciæ Proconsulibus paruisse, ab eo tempore, quo à Catone provinciæ formam acceperat. Cæsare interfecto, classi sub Caio Cassio in Asiâ præfuit: quæ quidem omnia ex Tullii epistolis colliguntur.

[x] Anno u. c. 706. Dictatore Caio Julio Cæsare.

CAIUS TITIUS RUFUS.

Quæsturâ, Tribunatu, Ædilitate plebis perfunctus, urbanam demùm jurisdictionem sortitus est eodem anno, quo C. Curtius Pæducænus Prætor, ut vocant, peregrinus extitit; ad quem scripta est libri decimi tertii quinquagesima nona epistola.

PUBLIUS SERVILIUS ISAURICUS.

Cùm summos in Republicâ Magistratus obiisset, Consulatum tandem [y] adeptus est, solusque Romæ dignitatem hanc exercuit, Cæsare in Macedoniâ contra Pompeium bellum gerente; ad eumdem honoris pervenit gradum anno urbis conditæ septingentesimo duodecimo, cùm Proconsul Asiam priùs gubernasset anno septingentesimo sexto, quo scriptæ sunt ad eum Ciceronis epistolæ.

[y] Anno u. c. 705.

Digitized by Google

AULUS ALLIENUS.

Aulus Allienus Siciliæ Rector cum auctoritate Consulari : sic enim Hirtius in bello Africano : *Cæsar deinde Allieno Prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, & de reliquo exercitu celeriter imponendo datis mandatis ipse navem conscendit.* Idem Allienus posteà Cæsari reliquum exercitum è Lilybæo transmisit in Africam, ut ibidem Hirtius refert. *Allienus*, inquit, *interim Proconsul è Lilybæo in naves onerarias imponit legiones decimam-tertiam & decimam-quartam, &c. & in Africam mittit ad Cæsarem.* Successisse Acilio videtur. Ejus extat denarius argenteus cum signo Trinacriæ, & Victoriâ in rostro navis.

TERENTIA.

Terentia quater nupsit : Ciceroni, Sallustio Historico, Messalæ Corvino, Vibio Rufo. Sic Dio lib. 57. A Cicerone eo nomine repudiata est, quòd ejus domum ære alieno opprimi passa esset. Vixit centum & tres annos.

MARCUS PORCIUS CATO UTICENSIS.

Porciæ gentis gloria à Marco Catone Censorio duxit initium ; sed in Catone Uticensi supremum apicem attigit. In eo vel à primâ ætate eluxit indoles, quæ nec allici blanditiis, nec minis terreri poterat, fortunæ dominatrix, adulationis impatiens, à vitio quolibet aliena ; irasci non facilis, sed ubi exarserat, difficilis placari. Velleius. Sallustius. Plutarchus.

In virtutem tanto studio juvenis adhuc incubuit, ut divino instinctu eò videretur impelli ; victus ei tenuis, vestitus simplex, vultu, dum vixit, gravi semper, ac severo : majori utique admiratione ac laude dignus, quòd in lucem non prodierit Curiorum, aut Fabriciorum tempore, quo frugalitatis amor Romano civi in partem cesserat, virtusque sola laboris incitamentum erat, ac merces. Eâ vixit ætate Cato, quâ Romæ principatum tenebant avaritia, luxus, ambitio, legum jacebat auctoritas, nullus justitiæ, religioni-ve locus ; novam induerat faciem Romana Respublica, & continuâ flagitiorum serie, ultimam sibimet cladem imprudens parabat : in tanto cupiditatum, vitiorumque dominatu, Cato solus à virtute contra vitium stetit.

Si quæ nasceretur inter cives controversia, Catonis super hac judicium vim habebat oraculi ; huic rei vel id unum testimonio est : de Tribunatu disceptabant viri civitatis primarii, nec patrum decretis adduci poterant, ut ambitu desisterent : ii tandem jurarunt, id se ratum habituros, quod Cato censuisset ; hac ipsâ re Testati pluris à se fieri sententiam Catonis, quàm auctoritatem Senatûs.

[a] Designatis per vim Consulibus Pompeio, & Crasso, statutum Catoni fuit Prætura[m] Reipublicæ causâ petere, ut imminentem tyrannidem auctor

[a] Anno u. c. 698. Coss. Cn. Pompeio Magno II. & M. Licinio Crasso II.

ritate majori prohiberet; sed per vim, obnunciationem, pecuniamque depulsus est; factusque Prætor in ejus locum Vatinius, homo sanè nequam: Bonis ingemiscentibus, & Catone ipso prænuntiante, quanta Reipublicæ mala ab iis impenderent, qui Prætorem esse Catonem nolebant.

[a] Anno u. c. 699. Coss. Lucio Domitio Ænobarbo, & Appio Claudio Pulchro.

[a] Sequenti tandem anno Præturâ donatus est, quam tanto exercuit integritatis, ac sapientiæ studio, ut id solum ei videretur habere rationem, quod haberet justitiam; homo, ut Velleius ait, virtuti simillimus, visusque semper mortali conditione major.

[b] Anno u. c. 701. Coss. Servio Sulpicio Rufo, & Marco Claudio Marcello.

[b] Consulatum petierat Marcus Cato, non privati honoris, sed Reipublicæ causâ, cui perniciem nimia Cæsaris ac Pompeii potentia struebat: sed ejus petitioni utriusque fautores obstiterunt, quòd palàm præ se ferret, se Consulem arma Cæsari erepturum; sua illi quoque austeritas obfuit, cùm non modò largiri nihil voluisset, ut cæteri; sed etiam à Senatu contendisset, ut soli candidati per se prensarent; itaque, irato in eum populo, repulsam passus est, indignante Tullio, ac meritò Catonem arguente, quòd Reipublicæ conservandæ gratiâ petitionis molestias devorare recusasset.

[c] Anno u. c. 705. Coss. Cæsare II. & Servilio Vatiâ Isaurico.

[c] Profligato ad Pharsalum Pompeio, cùm summum Catoni à militibus deferretur imperium, Scipioni viro Consulari, ipse tantùm Prætorius, parere maluit.

[d] Anno u. c. 706. Caio Julio Cæsare Dictatore II. M. Antonio Magistro equitũ.

[d] Fusis iterum in Africâ Pompeianis, Uticæ gladio se transfixit. Libertatis, quoad licuerat, columen ac defensor; sed hostium multitudine obrutus, cum illâ simul interiit: neque enim Cato libertati superstes esse poterat, neque Catoni libertas.

CAIUS CLAUDIUS MARCELLUS.

Tres Marcelli; unus *Marci*, duo *Caii* prænomine per triennium deinceps Consulatum gessêre: primùm Marcus, cum Sulpicio anno urbis conditæ septingentesimo secundo, quibus Consulibus, in provinciam Cicero discessit: deinde anno urbis septingentesimo tertio, cum Lucio Paulo, Caius, (ad quem hæc præsens epistola) Marci non frater germanus, sed patruelis; hisque Consulibus Cicero, absoluto imperio Romam è Ciliciâ reversus est. Tertio tandem anno, id est urbis septingentesimo quarto, belli civilis primo, alter Caius, Marci biennio antè Consulis frater germanus, cum Lucio Lentulo; cujus anni primis diebus Cicero Proconsul ad urbem accessit, ut Triumphum peteret. Hic ille est Caius, qui ex Octaviâ minore Augusti sorore, duas Marcellas reliquit, illumque Marcellum, qui jam Ædilitius in spem imperii adolescebat, cùm immaturâ morte sublatus est.

LUCIUS PAULUS.

Æmiliæ gentis Patriciæ, quem cùm Cæsar suis infensissimum partibus intelligeret, mille & quingentis talentis ad se traduxit; sed eatenùs tantùm ut non adversaretur.

TIRO.

Digitized by Google

TIRO.

Tullius Tiro de vitâ patroni ſui Ciceronis, cujus libertus fuit, libros ſcripſit, quorum quartum citat Aſconius Pedianus in oratione pro Milone; Gellius, lib. 13. cap. 9. *Tullius Tiro*, inquit, *Marci Ciceronis alumnus, & libertus, adjutorque in literis ſtudiorum ejus fuit. Is libros complures de uſu, atque ratione linguæ Latinæ: item de variis, atque promiſcuis quæſtionibus compoſuit. In his eſſe præcipui videntur, quos Græco titulo* Παιδέκτας *inſcripſit, tanquam omne rerum, atque doctrinarum genus continens.* Et libro ſeptimo, capite tertio: *Tiro autem Tullius Marci Ciceronis libertus, ſanè quidem fuit ingenio homo eleganti, ut haud quaquam rerum, literarumque veterum indoctus.*

ADDITAMENTUM.

Neſcio quonam pacto contigit, ut, quoties Ventidii mentio facta eſt, ad indicem hiſtoricum id omninò rejecerim, quamvis nulla Ciceronis ad eum legatur epiſtola; quare ne ſua Lectorem expectatio fruſtretur, hîc adjiciam quæ de Ventidio Gellius breviter, & accuratè ſcribit. Lib. 15. cap. 4.

PUBLIUS VENTIDIUS BASSUS.

In ſermonibus nuper fuit ſeniorum hominum, & eruditorum, multos in vetere memoriâ altiſſimum dignitatis gradum aſcendiſſe, ignobiliſſimos priùs homines, & deprecatiſſimos. Nihil adeò de quoquam tantæ admirationi fuit, quantæ fuerunt quæ de Ventidio Baſſo ſcripta ſunt: eum Picentem fuiſſe, genere, & loco humili; & matrem ejus à Pompeio Strabone Pompeii Magni patre bello ſociali, quo Aſculanos ſubegit, captam cum ipſo eſſe; mox triumphante Pompeio Strabone, eum quoque puerum inter Anno u. c. 663. *cæteros ante currum Imperatoris ſinu matris vectum eſſe; poſt cùm adoleviſſet, victum ſibi agrè quæſiſſe, eumque ſordidè inveniſſe comparandis mulis, & vehiculis, quæ Magiſtratibus, qui ſortiti provincias forent, præbenda publicè conduxiſſet; in iſto quæſtu notum eſſe cœpiſſe Caio Cæſari, & cum eo profectum eſſe in Gallias: tùm quia in eâ provinciâ ſatis naviter verſatus eſſet, & deinceps civili bello mandata ſibi pleraque impigrè, & ſtrenuè feciſſet, non modò in amicitiam Cæſaris, ſed ex eâ in ampliſſimum quoque ordinem perveniſſe; mox Tribunum quoque plebi, ac deinde Prætorem creatum; atque in eo tempore judicatum eſſe à Senatu hoſtem cum Marco Antonio: poſt verò conjunctis partibus, non priſtinam tantùm dignitatem recuperaſſe, ſed & Pontificatum, ac deinde Conſulatum quo-* Anno u. c. 710. *que adeptum eſſe: eamque rem tam intoleranter tuliſſe populum Romanum, qui Ventidium meminerat curandis mulis victitaſſe, ut vulgò per vias urbis verſiculi perſcriberentur.*

Concurrite omnes augures, haruſpices.

Digitized by Google

Portentum inusitatum conflatum est recens.
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Eumdem Bassum Suetonius praepositum esse à Marco Antonio provinciis Orientalibus, Parthosque in Syriam introrumpentes tribus ab eo praeliis fusos scribit, eumque primum omnium de Parthis triumphasse. Juvenalis Anno u. c. 715. Satyrâ septimâ, tàm de Ventidii, quàm de Servii Tullii Regis fortunâ.

Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quàm
Sidus? & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.

Digitized by Google

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre; A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Grand-Conſeil, Requeſtes de noſtre Hoſtel & du Palais, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Ne voulant rien oublier de tout ce qui peut contribuer au ſoulagement de la lecture des belles Lettres, pour noſtre tres-cher & tres-amé Fils le DAUPHIN; Nous avons jugé que rien ne luy ſeroit plus utile pour cela, que de luy faciliter la lecture & l'intelligence des anciens Auteurs de la Langue Latine, par des moyens plus prompts & plus commodes que ceux dont on s'eſt ſervy juſques icy; & Nous nous ſommes d'autant plus portez à l'execution de ce deſſein, que Nous avons compris en meſme temps que le Public en recevroit beaucoup d'avantages: Ainſi Nous avons jettté les yeux ſur pluſieurs perſonnes ſçavantes de noſtre Royaume, pour travailler ſur ces anciens Auteurs de la langue Latine, y faiſant des Notes & des Explications qui puſſent en donner l'intelligence, ſans avoir beſoin d'autres Commentaires. Et dans la diſtribution qui a eſté faite de ce travail, Nous avons chargé pluſieurs Peres de la Compagnie de Jesus de travailler à l'explication des Oeuvres de Ciceron, dont ils ſe ſont acquittez à noſtre ſatisfaction; de ſorte que leſdites Oeuvres eſtant en état d'eſtre imprimées, Nous avons permis & accordé, permettons & accordons à Simon Benard, Imprimeur & Libraire de noſtre bonne ville de Paris, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & debiter leſdites Oeuvres de Ciceron, avec l'Interpretation & les Notes de pluſieurs Peres, dans tous les lieux de noſtre obeïſſance, en telles marges, volumes & caracteres qu'il voudra, pendant le temps de vingt années, à compter du jour que chaque Partie ſera achevée d'imprimer: pendant lequel temps Nous faiſons tres-expreſſes inhibitions & defenſes à tous Imprimeurs-Libraires, & autres perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'imprimer, ou faire imprimer leſdites Oeuvres de Ciceron, ſoit entieres, ou par parties, ny d'en rien extraire, ou autrement en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, vendre ny debiter icelles ſans la permiſſion & conſentement dudit Benard, ou de ceux qui auront droit de luy; à peine de trois mille livres d'amende, applicables, un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſpital General, & l'autre tiers audit Benard: à condition qu'il ſera mis deux Exemplaires deſdites Oeuvres en noſtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres de noſtre Chaſteau du Louvre, & un autre en celle de noſtre tres-cher & feal le ſieur le Tellier Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente; à peine de nullité des Preſentes: Comme auſſi de faire imprimer leſdites Oeuvres ſur de bon papier, & en beaux caracteres, ſuivant les Reglemens ſur ce intervenus. Si vous mandons que du contenu en ces Preſentes vous faſſiez jouïr & uſer ledit Benard, & ceux qui auront droit de luy, pleinement & paiſiblement, ceſſant, & faiſant ceſſer tous trou-

Digitized by Google

bles & empeſchemens au contraire. Voulons qu'en mettant au commencement, ou à la fin deſdites Oeuvres, l'extrait des Preſentes, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées à tous ceux qu'il appartiendra : CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. Donné à Verſailles le trentiéme jour d'Octobre, l'an de grace mil ſix cens quatre-vingts trois, & de noſtre regne le quarante-uniéme. Par le Roy en ſon Conſeil, CLINET.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le vingt-cinquiéme jour de Novembre 1683. *ſuivant l'Arreſt du Parlement du* 8. *Avril* 1653. *& celuy du Conſeil Privé du Roy, du* 27. *Fevrier* 1665. *Signé*, ANGOT, *Syndic.*

Ledit Benard a cedé moitié dudit Privilege à Denys Thierry Imprimeur-Libraire, & ancien Conſul des Marchands à Paris.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 4. *d'Octobre* 1685.

COMMENTARII

Digitized by Google

COMMENTARII IN EPISTOLAS FAMILIARES M. T. CICERONIS.

LIBER PRIMVS.

ARGUMENTUM.

REX Ægypti Ptolemæus, cognomento Auletes, quia tibiis canere solitus erat, Populi Romani amicus fuit. Regno pulsus, ob acerbam tributorum exactionem, Romam confugit, Consulibus Metello, & Lentulo, anno urbis condítæ sexcentesimo nonagesimo sexto. Acceptam ab Ægyptiis injuriam questus, petiit ut restitueretur; obtinuitque, Pompeii præsertim operâ, quem dudum sibi devinxerat: quare factum est, referente Lentulo, senatusconsultum, de Ptolemæo in regnum restituendo. Is honor spectabat Lentulum, cui Cilicia, non procul ab Ægypto distans, sortitò obtigerat; eidemque favebat Cicero, quòd ejus in primis autoritate ab exilio se revocatum agnosceret. Sed cùm mallet Ptolemæus à Pompeio reduci, summa, præter cæteros, autoritatis viro; eamque ob rem, apertis largitionibus, Se-

Digitized by Google

natorum animos per legatum corrumperet (ipse enim jam Ephesum se contulerat) universi ordinis invidiam collegit; divulgato deinde per Catonem Tribunum plebis commentitio Sybillæ oraculo, reductionem Regis in speciem vetante, eò redacta res est, ut nulla amplius Ptolemæo spes esset Ægyptum recuperandi; agrè tandem obtinuit ut à Gabinio Syriæ Proconsule restitueretur.

EPISTOLA I.

P. Cornelio Lentulo Spinteri Proconsuli in Cilicia, & Ptolemæi reductionem præter modum cupienti, super hac re scribit, varias Senatorum sententias explicat, & suum ipsi studium operamque pollicetur. Cneio Cornelio Lentulo Marcellino, & L. Marcio Philippo Coss. anno urbis conditæ 697.

M. T. Cicero s. d. P. * Lentulo [1] Procoss.

EGo omni [2] officio, ac potius [3] pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio. tanta enim magnitudo est tuorum erga me [4] meritorum, ut, quoniam tu, [a] nisi perfectâ re de me non conquiesti, ego, quia non idem in tua [b] causa [5] efficio, vitam mihi esse acerbam putem. [c] In causa hæc sunt: [6] Ammonius, regis legatus, apertè pecunia nos [7] oppugnat. res agitur per eosdem [8] creditores, per quos, cùm tu aderas, agebatur. [d] regis causa si qui sunt qui velint (qui pauci sunt) [e] omnes rem

INTERPRETATIO.

[a] *nisi me patriæ reddite.*
[b] *in reductione Regis* tibi demandanda.
[c] *hic status causæ est.*
[d] *Si qui sunt qui Regi faveant.*
[e] *omnes à Pompeio reduci Regem volunt.*

NOTÆ.

* *Lentulo*] Consule indicem historicum.

1. *Proconsuli*] Dicebantur ii Proconsules, qui decreto Senatûs in provincias discedebant, ut eas cum imperio administrarent, sive gesserant Consulatum, sive non gesserant.

2. *Officio*] Officium munus est, ad quod natus quisque & institutus videtur, quale est, præceptoris docere, discere verò, discipuli.

3. *Pietate*] Addit officio pietas plenam amoris venerationem, quæ primò cadit in Deum, deinde in patriam, & in propinquos, tum in homines de nobis optimè meritos.

4. *Meritorum*] Lege Clodiâ pulsum Ciceronem, in patriam Lentulus Consul restituit.

5. *Efficio*] Non erant hac parte dissimiles Lentulus & Cicero, quòd Lentulus, nisi confecto negotio Ciceronis, non conquieverit; Cicero verò ante confectum Lentuli negotium, conquievisse dicatur; sed quia Lentulus susceptam Tullii causam ad exitum adduxit, Cicero idem vix sperat se posse in causa Lentuli.

6. *Ammonius*] Româ Ptolemæus discesserat, veritus ne à Romanis, quos offenderat, sibi fieret injuria.

7. *Oppugnat*] Largitionibus hoc intendebat, ut Ptolemæi reductio non Lentulo committeretur, sed Pompeio.

8. *Creditores*] Epist. 2. lib. 2. ad Q. fratrem, *Creditores Regis apertè pecunias suppeditare contra Lentulum.* Creditores ii dicuntur, qui argentum, vel quid aliud credunt alteri, seu mutuum tradunt.

Digitized by Google

ad Pompeium deferri volunt; ſenatus [f] religionis [9] calumniam, non religione ſed malevolentia, & illius regiæ largitionis invidia, comprobat. Pompeium & hortari, & orare, & jam liberiùs accuſare, & monere, ut magnam [10] infamiam fugiat, non deſiſtimus: [g] ſed planè nec precibus noſtris, nec admonitionibus [11] reliquit locum. Nam cùm in ſermone quotidiano, tum in ſenatu palam ſic egit cauſam tuam, ut neque eloquentia majore quiſquam, neque gravitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit, cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum, & amoris erga te ſui. [12] Marcellinum tibi eſſe iratum ſcis. is, hac regia cauſa excepta, cæteris in rebus ſe acerrimum tui defenſorem fore oſtendit. Quod dat, accipimus: quod inſtituit referre de religione, & ſæpe jam retulit, [h] ab eo deduci non poteſt. Res ante idus acta ſic eſt: nam hæc idibus manè ſcripſi. [13] Hortenſii, & mea, & [14] Luculli ſententia [i] cedit religioni [15] de exercitu: [k] teneri enim res aliter non poteſt) ſed [16] ex illo S. C. quod te referente factum eſt, tibi decernit ut regem reducas: [l] quod commodo reip. facere poſſis: [m] ut exercitum

INTERPRETATIO.

[f] *fictam Sibyllini carminis interpretationem*, faux pretexte de Religion.

[g] *ſed nec ipſum orare aut monere fuit opus*, ipſe enim ſua ſponte, *cùm in ſermone quotidiano*, &c.

[h] *perſuaderi ei non poteſt, ut Sibyllinum oraculum negligat.*

[i] *cedit Sibyllæ oraculo*, reductionem Regis *cum exercitu* vetanti.

[k] *obtinere reductio Regis.*

[l] *modò id cum reip. commodo fiat.*

[m] *ut tuâ authoritate reſtituatur Ptolemæus, at ſine exercitu, ne quid fiat contra oraculum.*

NOTÆ.

9. *Religionis calumniam*] Calumnia apud Ciceronem, callida eſt & fraudulenta juris interpretatio; religionis autem calumnia, de qua hîc agitur, talis erat. Cato Tribunus plebis, excogitaverat, divulgaratque Sibyllinum oraculum, quo videbatur Ptolemæi reductio, ſaltem cum exercitu prohiberi. Conſule Dionem, lib. 39. Senatus probabat illud oraculum non religionis ſtudio, ſed invidiâ regiæ illius largitionis.

10. *Infamiam*] Vel ambitionis, ſi jam maximos honores adeptus, hunc qualemcunque Ægyptiæ legationis honorem appeteret: vel avaritiæ: videri enim poterat Ptolemæi pecuniâ corruptus: vel ingrati animi, hanc ſi reductionem Lentulo eripere conaretur; cujus lege, rei frumentariæ curationem ſumma cum poteſtate acceperat.

11. *Reliquit locum*] Adverte ſimulationem Pompeii, qui palam in ſenatu cauſam agebat Lentuli; clam autem per amicos, rebus unicè ſuis ſtudebat.

12. *Marcellinum*] Cneium Cornelium Lentulum Marcellinum, qui Conſulatum hoc anno gerebat. Adverſabatur Pompeio, propter nimiam ejus potentiam; item & Lentulo, quia Pompeium ornaverat.

13. *Hortenſii*] Qui dicendi laude, itidem ut Cicero, floruit.

14. *Luculli*] Non Lucii, Mithridatico bello clari, qui ſuperiori anno perierat; ſed Marci, quem Lucii fratrem extitiſſe, Cicero, Plutarchus & alii teſtantur.

15. *De exercitu*] Cenſuerat antè Cicero reducendum eſſe Regem cum exercitu; at ſententiam, ne religionem videretur lædere, mutavit.

16. *Ex illo ſenatuſconſulto*] Lentulo, priuſquam in provinciam abiret, reductionem Regis Senatus decreverat.

Digitized by Google

religio tollat, te auctorem ſenatus [17] retineat. Craſſus [18] tres legatos decernit: nec excludit Pompeium. cenſet enim etiam ex iis qui [19] cum imperio ſunt: [20] Bibulus tres legatos, ex iis qui privati ſunt. huic aſſentiuntur reliqui conſulares, præter [21] Servilium, qui omnino reduci negat oportere: & [22] Volcatium, qui, [23] Lupo referente, Pompeium decernit: & [24] Afranium, qui aſſentitur Volcatio: quæ res auget [25] ſuſpicionem [n] Pompeii voluntatis. nam advertebatur Pompeii familiares aſſentire Volcatio. [26] Laboratur vehementer: [27] inclinata res eſt. [o] [28] Libonis & [29] Hypſæi non obſcura [30] concurſatio, & contentio, omniumque Pompeii familiarium ſtudium, in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere videatur. [p] cui qui nolunt, iidem tibi, quòd eum [31] ornaſti, non ſunt amici. [q] Nos in cauſa auctoritatem eò minorem habemus, quòd tibi [32] debemus. [r] [33] gratiam autem noſ-

INTERPRETATIO.

[n] *velle Pompeium* hunc ſibi honorem *deferri.*

[o] *Libo & Hypſæus apertè pro Pompeio concurſant & contendunt.*

[p] *qui Pompeio non favent.*

[q] *ſententia mea eò minorem hac in re auctoritatem habet, quòd tibi ſum obligatus.*

[r] *auctoritatem quoque meam minuunt homines, qui putant ſe rem gratam facere Pompeio.*

NOTÆ.

17. *Retineat*] Quia jam Senatus hoc ſtatuerat ut Lentulus Ptolemæum reduceret.

18. *Craſſus*] Qui cum Cæſare & Pompeio ſummam rerum tenebat. Unde Lucanus:

Facta tribus dominis communis Roma.

Vide indicem hiſtoricum.

19. *Cum imperio*] Differunt hæc duo, eſſe cum imperio, & eſſe cum poteſtate: prius illud multò majus eſt. Imperium autem duplex fuit; alterum urbanum, quod erat penes majores Magiſtratus, id eſt Conſules, & Prætores, & ſine armis gerebatur: nec enim licebat intra urbis pomœria exercitum habere. Alterum provinciale, cui ſæpe adjunctus erat exercitus. Hujuſmodi fuit imperium Pompeii.

20. *Bibulus*] Marcus Calpurnius Bibulus Cæſari ob nimiam ejus potentiam, & Pompeio ob affinitatem ejus cum Cæſare, tunc temporis infenſus.

21. *Servilium*] Virum Conſularem, qui cognomen Iſaurici ab Iſauris devictis, mutuatus eſt.

22. *Volcatium*] Marci Æmilii Lepidi in Conſulatu collegam.

23. *Lupo*] Tribuno plebis, & Pompeii illuſtriſſimo defenſore.

24. *Afranium*] Operâ Pompeii ad Conſulatum quadriennio antè pervenerat: is bello civili, à Cæſare in Hiſpania victus, & liberatus, poſtea captus ab eodem in Africa, ſeditione militari ortâ, cæſus eſt.

25. *Suſpicionem*] Quamvis cupiditatem ſuam diſſimulabat, & Lentulo favere videbatur.

26. *Laboratur*] Vehementer contendunt tùm qui Pompeio ſtudent, tùm qui Lentulo, tùm etiam qui neutri.

27. *Inclinata*] Metaphorâ ductâ ab ædibus, quæ inclinatæ jamjam prolapſuræ ſunt; ſignificatque Lentuli cauſam in periculo verſari.

28. *Libonis*] Erat is è Scribonia gente, Tribunus plebis, non amicitiæ modò, ſed & affinitate cum Pompeio junctus, quippe cujus filia Sexto Pompeio nupſerat.

29. *Hypſæi*] P. Plautius Hypſæus Pompeii, Mithridatico bello, Quæſtor fuit.

30. *Concurſatio*] Concurſatio, eorum eſt propria, qui magiſtratus petunt, & civium captant ſuffragia.

31. *Ornaſti*] Intelligit rei frumentariæ curam, quam ipſi Lentulus Conſul detulit.

32. *Debemus*] Reditum in patriam.

33. *Gratiam*] Magnam in urbe & auto-

Digitized by Google

tram extinguit hominum suspicio, quòd Pompeio se gratificari putant. Ut in rebus multò antè quàm profectus es, ab ipso Rege, & ab intimis, ac domesticis Pompeii clam 34 exulceratis, deinde palam à consularibus exagitatis, & in summam invidiam adductis, [f] ita versamur. Nostram fidem omnes, amorem tui absentis præsentes tui cognoscent. si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *Res ita se habent ut antequam profectus es, quando jam corrupta erant* omnia *ab ipso Rege, & ab intimis ac domesticis Pompeii, & quando jam apertè Consulares largitionem Ptolemæi exagitaverant, & tanquam infamem, in summam invidiam adduxerant.*

NOTÆ.

ritatem & gratiam adeptus erat Cicero; at longè majorem Pompeius, cui multi gratam rem facere suspicabantur, si reductionem Regis ipsi, quamvis in speciem recusanti, decernerent.

34. *Exulceratis*] Ducta est ab ulceribus translatio, quæ sæpe, illato ungue, ingravescunt.

EPISTOLA II.

De regia causa scribit quid actum sit in senatu, quid ipse privatim fecerit cum Pompeio, Lentuli causâ; quo pacto contra Catonem & Caninium Tribunos plebis, ne quid molirì possent, providerit. Eodem anno.

Cicero S. D. Lentulo.

[a] IDibus Jan. in senatu nihil est confectum: propterea quòd dies magna ex parte consumptus est altercatione [1] Lentuli cos. & [2] Caninii Tribuni plebis, eo die nos quoque multa verba fecimus, maximéque visi sumus senatum commemoratione tuæ voluntatis erga illum ordinem commovere. Itaque postridie placuit, ut breviter sententias diceremus. videbatur enim reconciliata nobis [3] voluntas senatûs esse: quod tùm dicendo, tùm singulis appellandis, [b] rogandisque perspexeram. Itaque, cùm sententia prima Bibuli pronuntiata esset, ut tres legati Regem reducerent: secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompeius reduceret: postula-

INTERPRETATIO.

[a] *tertio decimo die Januarii.* [b] *rogandisque* sententiis.

NOTÆ.

1. *Lentuli*] Lentuli Marcellini, qui cùm vellet à Privatis Ptolemæum reduci, Pompeium excludebat.

2. *Caninii*] Legationem hanc Pompeio deferentis.

3. *Voluntas Senatûs*] Quem apertæ Regis largitiones priùs à Lentulo Spinthere alienaverant.

Digitized by Google

tum est, ut Bibuli sententia [4] divideretur: [c] quatenus de religione dicebat, cuique rei jam obsisti non poterat, Bibulo assensum est: de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortensii sententia, cùm Lupus Tribunus pleb. quòd ipse de Pompeio retulisset, [d] contendere cœpit, ante se oportere [5] discessionem facere, quàm Consules. ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum est: erat enim & [6] iniqua, & nova. Consules neque concedebant, neque valdè repugnabant: diem consumi volebant: id quod est factum. perspiciebant enim in Hortensii sententiam [e] multis partibus plures ituros: quanquam apertè [7] Volcatio assentirentur: multi [f] rogabantur, atque id ipsum [8] consulibus invitis. nam ii Bibuli sententiam valere cupierunt. Hac controversiâ usque ad noctem ductâ, senatus est dimissus, & ego eo die casu apud Pompeium cœnavi: nactusque tempus hoc magis idoneum, quàm unquàm antea, quòd post tuum discessum, is dies primus [g] [9] honestissimus nobis fuerat in senatu, ita sum cum illo loquutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuen-

INTERPRETATIO.

[c] *assensum est Bibulo, quatenus dicebat* nihil esse faciendum *contra religionem*, ac Sibyllinos versus, *cui rei jam obsisti non poterat*, quòd autem dixit *à tribus legatis* reducendum esse Ptolemæum, *in aliam prorsùs sententiam discessum est.*

[d] *Contendere cœpit se debere priùs sententias regare, quàm Consules.*

[e] *multò plures.*

[f] *rogabantur* sententiam ut dicerent.

[g] *mihi gloriosissimus.*

NOTÆ.

4. *Divideretur*] Quoties aliquis in dicenda sententia duo vel plura capita proponebat, si non probarentur omnia, postulabat, ut dividerentur, id est, ut separatim referretur de singulis. Sententiæ autem Bibuli erant partes duæ; prima, non esse reducendum cum exercitu Regem, propter oraculum Sibyllæ: altera, reducendum à tribus legatis, ex iis qui privati erant; quare postulatum est ut de singulis sententiæ partibus seorsùm referretur: si enim simul de utraque parte deliberatum esset, utramque simul aut rejici necesse erat, aut probari, quod multi nolebant.

5. *Discessionem*] Is magistratus discessionem faciebat, qui Senatum jubebat surgere, & in hanc vel in illam sententiam transire, cum hac formula: *Qui hæc sentitis, ite in hanc partem; qui aliter, ite in illam.* Hinc illud, *Pedibus ire in sententiam.* Hîc subjicio eorum nomina, qui vel Lentulo, vel Pompeio, vel neutri decernerent Regis Alexandrini reductionem, ut librum hunc quisque facilius intelligat. Decernebant Lentulo; Cicero, Hortensius, Lucullus, L. Racilius: Pompeio, Volcatius, Afranius, Lupus, Libo, Hypsæus, Caninius, & amici Regis: neutri; Marcellinus Consul, Servilius, Cato, Bibulus, major pars Senatûs.

6. *Iniqua*] Iniquum enim, & contra majorum consuetudinem, ut in rogandâ sententiâ Tribuni plebis Consulibus præirent.

7. *Volcatio*] Qui Pompeio favebat; porrò quòd apertè assentiebantur Consules Volcatio, non id ex animo, sed simulatè faciebant: nam neque à Lentulo, neque à Pompeio Regem reduci volebant, sed aut à privatis ex Bibuli sententia, aut prorsus non reduci.

8. *Consulibus*] Qui nec Lentulo hac in re, nec Pompeio studebant.

9. *Honestissimus*] Quia senatum hac die visus sum amicum tibi fecisse.

Digitized by Google

dam traducere. quem ego ipſum cùm audio, prorsùs eum libero omni [10] ſuſpicione cupiditatis : cùm autem ejus familiares omnium ordinum video, perſpicio id quod jam omnibus eſt apertum, totam rem iſtam jampridem à certis hominibus, non invito Rege ipſo, conſiliariiſque ejus, eſſe [11] corruptam. Hæc ſcripſi ad XVI. Kal. Feb. ante lucem. eo die ſenatus erat futurus. nos in ſenatu (quemadmodum ſpero) dignitatem noſtram, ut poteſt in tanta hominum perfidia & iniquitate, retinebimus. [h] Quòd ad popularem rationem attinet, hoc videmur eſſe conſequuti, ut ne [12] quid agi cum populo aut [13] ſalvis auſpiciis, aut ſalvis legibus, [14] aut denique [15] ſine vi poſſit. De his rebus, pridie quàm hæc ſcripſi, [i] [16] ſenatûs authoritas graviſſima interceſſerat : cui cum Cato & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta. eam ad te miſſam eſſe arbitror. De cæteris rebus quidquid erit actum, ſcribam ad te : & ut quàm rectiſſimè agantur, omni mea cura, opera, diligentia, gratia providebo. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *quòd ad populum attinet, hoc mihi videor perfeciſſe, ut nihil agere poſſint* Tribuni *cum populo contra te, ſi ſalva ſint auſpicia, ſalvæque leges, ſi denique nihil per vim geratur.*

[i] *Auctoritas Senatûs intervenit, cui Tribuni Cato & Caninius, cùm reſtitiſſent, nihilominus in tabulas eſt redacta.*

NOTÆ.

10. *Suſpicione*] Huic ſuſpicioni locum dederat Libonis & Hypſæi contentio, de qua ſup.

11. *Corruptam*] Ut Pompeium ſuſpicione cupiditatis liberaret, eam omnem in ejus familiares, Regiſque conſiliarios derivat.

12. *Agi cum populo*] Agere cum populo, ut apud Gellium legitur lib. 13 c. 15. eſt *rogare quid populum, quod ſuffragiis ſuis aut jubeat, aut vetet.* Feſtus autem, *Cum populo*, inquit, *agere, eſt populum ad concilium aut comitia vocare.*

13. *Salvis*] Cicero, ut tribunitiam contra Lentulum actionem impediret, certos habebat Magiſtratus, qui, quo die comitia facta eſſent, de cœlo ſervarent : fas enim non erat, cum ſervaretur de cœlo, quidquam decerni.

14. *Legibus*] Impediri quoque poterat actio tribunitia, interceſſione, cui legibus parendum erat. Ex Tribunis autem quoſdam habebat Tullius ſibi deditos, paratoſque vel ad ſervandum de cœlo, vel ad intercedendum.

15. *Sine vi*] Quam Tribuni plebis in ferendis legibus aliquando adhibebant.

16. *Authoritas*] Senatuſconſultum & authoritas differunt ; ſenatuſconſultum dicebatur, cum aliquid erat decretum à Senatu, nullâ interceſſione factâ ; ſin facta eſſet interceſſio, erat authoritas, quæ licet erat inutilis, in publicas tamen tabulas referebatur.

EPISTOLA III.

Commendat Lentulo A. Trebonii negotia. Eodem anno.

Cicero S. D. Lentulo.

[a] AULO Trebonio, qui in tua provincia magna negotia, & ampla, & expedita [2] habet, multos annos utor valdè familiariter. is cùm antea

NOTÆ

1. *A. Trebonio*] Is eques fuiſſe creditur : Senatoribus enim negotiari, non ſurge modo, ſed & lege vetitum.

2. *Expedita*] Quorum cura moleſtiæ nihil afferat.

Digitized by Google

semper & suo [3] splendore, & nostra, cæterorumque amicorum commendatione, gratissimus in provincia fuit: tum hoc tempore propter tuum in me amorem, nostramque necessitudinem, vehementer confidit his meis literis se apud te gratiosum fore. Quæ ne spes eum fallat, vehementer te rogo: commendoque tibi ejus omnia negotia, [4] libertos, procuratores, familiam: in primisque, ut quæ [5] T. Ampius de ejus re decrevit, ea comprobes: omnibusque rebus eum ita tractes, ut intelligat meam commendationem non vulgarem fuisse. Vale.

NOTÆ.

3. *Splendore*] Quem trahebat ex equestri ordine, qui Romæ summo semper in loco fuit.

4. *Libertos*] Liberti dicebantur, qui libertate donati fuerant, mediique servos inter & ingenuos, meliori quàm servi conditione, cùm civitatem adipiscerentur deteriore, quàm ingenui, cùm honores non caperent.

5. *T. Ampius*] Hic ante Lentulum Ciliciæ præfuerat, Prætorius vir, non Consularis.

EPISTOLA IV.

Exponit Lentulo, cur frequenti senatu, multis ei faventibus, causam tamen non vicerit. Eodem anno.

Cicero S. D. Lentulo.

AD XVI. Kal. Febr. cùm in senatu pulcherrimè staremus, quòd jam illam sententiam Bibuli de tribus [a] legatis pridie ejus diei frequentaramus, unumque certamen esset relictum, sententia [3] Volcatii: res ab adversariis nostris [a] extracta est variis calumniis. [4] causam enim, frequenti senatu, in magna [5] varietate, magnaque invidia eorum qui à te causam regiam [b] aliò

INTERPRETATIO.

[a] *dilata est diversis artibus.* [b] *ad alios.*

NOTÆ.

1. *Staremus*] Stat pulcherrimè Orator, cùm ejus sententia & oratio multis probantur.

2. *De tribus legatis*] Quos esse privatos volebat Bibulus, ut Pompeium simul & Lentulum excluderet.

3. *Volcatii*] Censebat Volcatius (eratque id unum reliquum certamen) à Pompeio reducendum Regem esse.

4. *Calumniis*] Calumnias hîc vocat Cicero, ficta Senatorum colloquia, & à proposito aliena, quibus, infectâ re, diem consumi volebant.

5. *Varietate*] Erant omnino quinque super hoc sententiæ: prima Hortensii, qui reductionem Ptolemæi Lentulo deferebat. Secunda Crassi, qui tribus legatis, etiamsi cum imperio essent. Tertia Bibuli, qui tribus item legatis, at privatis. Quarta Volcatii, qui uni Pompeio. Quinta Servilii, cui, Regem quovis modo reduci, non placebat.

6. *Curionem*

Digitized by Google

transferebant, obtinebamus. Eo die acerbum habuimus [6] Curionem, Bibulum multò [c] juſtiorem, penè etiam amicum: Caninius & Cato negarunt ſe legem [7] ullam ante [8] comitia eſſe laturos. Senatus haberi ante Kal. Febr. per legem [9] Pupiam (id quod ſcis) non poteſt: neque menſe Feb. toto, niſi perfectis aut rejectis [10] legationibus. Hæc tamen opinio eſt populi Romani, à tuis invidis atque obtrectatoribus [d] nomen inductum fictæ religionis, non tàm ut te impedirent, quàm ut ne quis propter exercitûs cupiditatem Alexandriam [11] vellet ire: dignitatis autem tuæ, nemo eſt quin exiſtimet habitam eſſe rationem ab ſenatu. Nemo eſt enim qui neſciat, quominus [12] diſceſſio fieret, per adverſarios tuos eſſe factum. qui nunc populi Romani [13] nomine, re autem vera ſceleratiſſimo [14] latrocinio, ſi quæ conabuntur agere, ſatis proviſum eſt, ut ne quid [15] ſalvis auſpiciiis, aut legibus, aut etiam ſine vi agere poſſint. Ego neque de meo ſtudio, neque de nonnullorum injuria ſcribendum mihi eſſe arbitror. quid enim aut me oſtentem, qui, ſi vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum aſſequutus? aut de aliorum injuriis querar, quod ſine ſummo dolore facere non poſſum? Ego tibi [16] à vi, hac præſertim imbecillitate magiſtratuum [f] præſtare nihil poſſum: vi exceptâ, poſſum confirmare, te & ſenatus, & populi Romani ſummo ſtudio amplitudinem tuam retenturum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] plus favorable. [d] *prætextum religionis fictæ objectum eſſe.* [e] *quominùs ſententia ferrentur.* [f] *polliceri contra vim non poſſum*, répondre.

NOTÆ.

6. *Curionem*] C. Scribonius Curio, Conſularis vir, & triumphalis, paterque illius, ad quem ſcriptæ ſunt libri ſecundi Epiſtolæ.

7. *Legem*] Id placere debuit Lentulo, ejuſque fautoribus, qui hanc ſibi legem fore contrariam ſciebant.

8. *Comitia*] Ante Sextilem menſem, quo creabantur Magiſtratus.

9. *Pupiam*] Quæ diebus Comitialibus, & ante Kal. Feb. cogi Senatum vetabat.

10. *Legationibus*] Quibus audiendis, eo menſe Senatus unicè vacabat.

11. *Vellet ire*] Quia conſtabat, Alexandrinos, niſi cogerentur armis, nunquam Regem recepturos eſſe.

12. *Diſceſſio*] De diſceſſione Senatorum ſententiam ferentium, vide epiſtolam ſecundam.

13. *Nomine*] Tribunorum erat populi Romani partes defendere; ſed hoc ſæpiùs nomine abutentes, iniquiſſimis legibus rempublicam labefactabant.

14. *Latrocinio*] Latrocinium non rarò ſumitur pro conventu improborum aliquid pravi molientium.

15. *Salvis auſpiciis*] Conſule Epiſtolam ſecundam.

16. *A vi*] Timebat Cicero ne Caninius pro Pompeio in Lentulum rogationem per vim ferret.

Digitized by Google

EPISTOLA V.

De ſtatu Alexandrina cauſæ, & de lege à Catone contra Lentulum promulgatâ ſcribit. Eodem anno.

Cicero s. d. Lentulo.

[a] TAMETSI nihil mihi fuit optatius, quàm ut primùm abs te ipſo, deinde à cæteris omnibus quàm gratiſſimus erga te eſſe cognoſcerer: tamen afficior ſummo dolore, ejuſmodi tempora poſt tuam profectionem eſſe conſequuta, ut & meam, & cæterorum erga te fidem, & benevolentiam abſens experirere. Te autem videre & ſentire [b] eamdem fidem hominum in tuâ dignitate, quam ego in meâ ſalute ſum expertus, ex tuis literis intellexi. Nos cùm maximè conſilio, ſtudio, labore, gratiâ de causâ regiâ niteremur, ſubitò exorta eſt nefaria Catonis [2] promulgatio, quæ noſtra ſtudia impediret, & animos [3] à minore curâ ad ſummum timorem traduceret. ſed tamen in ejuſmodi rerum perturbatione, quamquàm omnia ſunt metuenda, nihil magis quàm perfidiam timemus: & Catoni quidem, [4] quoquo modo ſe res habet, profectò reſiſtimus. De Alexandrinâ re, causâque regiâ tantùm habeo polliceri, me tibi abſenti, tuiſque præſentibus cumulatè ſatisfacturum. ſed vereor ne aut [5] eripiatur nobis, aut [6] deferatur: quorum utrum minùs velim, non facilè poſſum exiſtimare. Sed, ſi res coget, eſt quiddam tertium, quod neque Selicio, nec mihi diſplicebat, ut neque [c] jacere Regem pateremur, nec nobis repugnantibus, [7] ad eum deferri, ad quem propè jam delatum eſſe exiſtimatur. à nobis agentur omnia diligen-

INTERPRETATIO.

[a] *quamquàm mihi quidem jucundum fuit occaſionem datam, quâ grati animi ſpecimen dare tibi poſſem, multâ tamen fuit mi- jucundius, te operâ & officio meo indiguiſſe, poſtquàm profectus es in Ciliciam.* [b] *eamdem perfidiam.* [c] *non reſtitui Ptolemæum.*

NOTÆ.

1. *Eandem fidem*] Uterque deſertus eſt ab amicis: Tullius in exilii causâ: Lentulus in causâ Alexandrinâ.

2. *Promulgatio*] Quâ Ciliciæ imperium Lentulo volebat eripi: ſubitò exortam fuiſſe dicit, quia negaverant Tribuni plebis ſe legem ullam ante comitia laturos.

3. *A minore cura*] Minor enim illa cura erat, eniti ut accederet aliquid ad dignitatem Lentuli, id quod ex Ptolemæi reductione ſperabatur, quàm timor, ne nota dignitas eriperetur Lentulo, ex nefariâ promulgatione Catonis.

4. *Quoquo modo*] Difficili enim loco res erat.

5. *Eripiatur*] Commiſsâ Pompeio reductione Regis.

6. *Deferatur*] Nemini deferatur Ptolemæi reſtituendi cura.

7. *Ad eum*] Ad Pompeium: cur autem minimè illud diſplicebat? quia ſi Pompeio cauſa regia tradita eſſet, repulſam paſſus eſſe videbatur Lentulus; ſin autem utroque rejecto, alia reſtituendi via inita eſſet, neuter repulſam paſſus videbatur, aut certè communis erat repulſa.

Digitized by Google

ter : [8] ut neque, si quid obtineri poterit, non contendamus : nec, si quid non obtinuerimus, repulsi esse videamur. Tuæ sapientiæ, magnitudinisque animi est, omnem amplitudinem & dignitatem tuam in virtute, atque in rebus gestis tuis, atque in tua gravitate positam existimare. si quid ex iis rebus, quas tibi fortuna elargita est, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id majori illis [d] fraudi, quàm tibi futurum. A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi & cogitandi, utorque ad omnia Q. Selicio. neque enim prudentiorem quenquam ex tuis, neque fide majore esse judico, neque amantiorem tui.

[9] Hîc quæ agantur, quæque acta sint, ea te & literis multorum, & nuntiis cognoscere arbitror : quæ autem posita sunt in conjectura, quæque mihi videntur fore, ea puto tibi à me scribi oportere. Postea quàm Pompeius apud populum ad VIII. Idib. Feb. cùm pro Milone diceret, clamore convitioque [10] jactatus est, in senatuque à Catone asperè & acerbè, omnium magno silentio est accusatus, visus est mihi vehementer esse [11] perturbatus. Itaque Alexandrina causa, quæ nobis adhuc integra est, (nihil enim tibi [12] detraxit senatus, nisi id quod per eandem religionem dari alteri non potest) videtur ab illo planè esse depositа. Nunc id speramus, idque molimur, ut cùm Rex intelligat sese, id quod cogitabat, ut à Pompeio reducatur, assequi non posse, &, nisi per te sit restitutus, desertum se atque abjectum fore, proficiscatur ad te. quod sine ullâ dubitatione, si Pompeius paulum modò ostenderit sibi placere, faciet. sed nosti [13] hominis tarditatem & taciturnitatem. nos tamen nihil quod ad eam rem pertineat, prætermittimus. Cæteris injuriis quæ propositæ sunt à Catone, facilè, ut spero, resistemus. amicum ex Consularibus neminem tibi esse video, præter Hortensium & Lucullum. cæteri sunt partim obscuriùs iniqui, partim non dissimulanter irati. Tu fac animo forti magnoque sis, spereque fore, ut fracto impetu [14] levissimi hominis, tuam [15] pristinam dignitatem & gloriam consequare. Vale.

INTERPRETATIO

[d] *culpæ.*

NOTÆ.

8. *Ut neque*] Primùm enitar in eo, ut causa regia tibi decernatur, deinde si non potero id consequi, id agam, ut Pompeio ne tradatur.

9. *Hîc quæ*] Rectè probat Manutius hoc novæ Epistolæ initium videri.

10. *Jactatus*] A Clodio Milonem de vi accusante.

11. *Perturbatus*] Et quòd accusatus esset à Catone, & magno omnium silentio: intellexit enim alienatum à se fuisse Senatum.

12. *Detraxit*] Longè enim antè concesserat Senatus, ut Ptolemæum Lentulus reduceret, nondum hoc detraxerat; vetuerat tantùm, referente posteà Marcellino Consule, ne reduceret cum exercitu, ob Sibyllinum oraculum, & fictæ religionis calumniam.

13. *Hominis*] Rarò quid sentiret evulgantis, idque semper tardiùs.

14. *Levissimi hominis*] Catonis adhuc adolescentis, & turbulenti. Alius est à Catone qui dictus est Uticensis.

15. *Pristinam*] Quæ nefariâ Catonis promulgatione, Lentulo imperium abrogantis, in discrimen adducta erat.

Digitized by Google

EPISTOLA VI.

Lentulum ad constantiam hortatur. Eodem anno.

Cicero s. d. Lentulo.

QUÆ gerantur accipies ex Pollione, qui omnibus negotiis non interfuit solùm, sed præfuit. Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maximè scilicet consolatur spes, quòd valdè suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas & consiliis tuorum amicorum, & ipsâ die, quâ debilitantur cogitationes & inimicorum & proditorum. Facilè secundo loco me consolatur recordatio [a] meorum temporum: quorum imaginem video in rebus tuis nam, etsi [1] minore in re violatur tua dignitas, quàm mea salus afflicta sit: tamen est tanta [2] similitudo, ut sperem te mihi ignoscere, si ea non [3] timuerim, quæ ne tu quidem unquam timenda duxisti. Sed præsta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus. illustrabit (mihi crede) tuam amplitudinem hominum injuria. à me omnia summa in te studia officiaque expecta. non fallam opinionem tuam. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *exilii mei.*

NOTÆ.

1. *Minore*] Quia in Ciceronis causâ salus agebatur; in causâ Lentuli, sola dignitas: salus autem dignitate potior est.

2. *Similitudo*] Propter amicorum utrinque perfidiam.

3. *Non timuerim*] Sensus est, non timui nefariam Catonis promulgationem; idque mihi, opinor, ignosces, cùm ne tu quidem me in exilium pulso, timueris, cùm sperares hanc injuriam mihi honori fore.

EPISTOLA VII.

Primò laudat prudentiam Lentuli in retinendâ Pompeii amicitiâ. Secundò, de Alexandrinâ causâ, & statu præsenti civitatis scribit. Tertiò de rebus domesticis aliqua subjungit. Pompeio & Crasso II. Coss. anno u. c. 698.

Cicero s. d. Lentulo Procoss.

LEGI tuas literas, quibus ad me scribis, gratum tibi esse, quòd crebrò certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te benevolentiam facilè perspicias. quorum alterum mihi, ut te plurimùm diligam, facere necesse est, [1] si volo is esse quem tu me esse voluisti: alterum facio libenter, ut

NOTÆ.

1. *Si volo is esse*] Sensus est; si velim eo loco dignus esse, in quem me tuâ virtute restituisti. Diximus in primâ epistolâ, Lentulum non antè conquievisse, quàm ab exilio Ciceronem revocasset.

Digitized by Google

quoniam intervallo locorum & temporum disjuncti sumus, per literas tecum quamsæpissimè colloquar. quòd si rariùs fiet quàm tu expectabis, id erit causæ, quòd non ejus generis meæ literæ sunt, ut eas audeam temerè committere. quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus rectè dem, non prætermittam. Quod scire vis, quâ quisque in te fide sit & voluntate: difficile dictu est de singulis. unum illud audeo, quod antea tibi sæpè significavi, nunc quoque, re perspectâ & cognitâ, scribere: vehementer quosdam homines, & eos maximè, qui te & maximè debuerunt, & plurimùm juvare potuerunt invidisse dignitati tuæ: simillimamque [2] in re dissimili, tui temporis nunc & nostri quondam fuisse rationem: ut quos tu reipublicæ causâ læseras, palàm te oppugnarent: quorum auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderas, non tam memores essent virtutis tuæ, quàm laudis inimici. Quo quidem tempore, ut perscripsi ad te antea, cognovi Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullum, ex magistratibus autem L. [3] Racilium & fide & animo in te singulari. Nam nostra propugnatio ac defensio dignitatis tuæ, [4] propter magnitudinem beneficii tui, fortasse plerisque officii majorem authoritatem habere videatur, quàm sententiæ. præterea quidem de Consularibus nemini possum aut studii erga te, aut officii, aut amici animi esse testis. Etenim Pompeium, qui mecum sæpissimè, non solùm à me provocatus, sed etiam suâ sponte, de te communicare solet, scis temporibus illis non sæpè [5] in senatu fuisse. cui quidem literæ tuæ, quas proximè miseras, [6] quod facilè intellexerim, perjucundæ fuerunt. Mihi quidem humanitas tua, vel summa potiùs sapientia, non jucunda solùm, sed etiam admirabilis visa est. Virum enim excellentem, & tibi tuâ præstanti in eum [7] liberalitate devinctum, nonnihil [a] suspicantem, propter aliquorum opi-

INTERPRETATIO.

[a] retinuisti illâ epistolâ Pompeium, qui suspicabatur aliquantulùm, te alieno à se animo esse, quia multis videbatur Ptolemæi reductionem cupere.

NOTÆ.

2. *In re dissimili*] Eadem ne crebriùs iterentur. Vide supra ep.

3. *Racilium*] Anno superiori Tribunatum gesserat. Ex eo loco colligi potest, Tribunum plebis Magistratum fuisse, contrà quàm sentit Plutarchus, cui & Livius assentire videtur.

4. *Propter magnitudinem*] Epistolâ primâ, *Nos in causâ authoritatem tè minorem habemus, quòd tibi debemus*: quoniam à Lentulo singulare beneficium Tullius acceperat, plerique suspicabantur ab eo Lentuli causam defendi, non quò defendendam sentiret, sed ut ingrati animi declinaret vitium.

5. *In senatu fuisse*] Vel quia conviciis à Catone lacessitus, ab insidiis sibi timebat, vel quia rei frumentariæ cum imperio erat præpositus, iis autem qui cum imperio essent, urbem ingredi non licebat, nisi factâ priùs ab Senatu copiâ.

6. *Quod facilè intellexerim*] Dixerat superiori epistolâ, *nosti hominis tarditatem, & taciturnitatem*; nunc tamen apertè cognoscere se dicit, quid sentiret Pompeius.

7. *Liberalitate*] Annitente enim Lentulo Consule, potestas rei frumentariæ per quinquennium toto orbe terrarum Pompeio tradita fuerat.

Digitized by Google

nionem ſuæ cupiditatis, te ab ſe alienatum, illâ epiſtolâ retinuiſti. qui mihi cùm ſemper tuæ laudi favere viſus eſt, etiam ipſo ſuſpicioſiſſimo [8] tempore Caniniano: tùm verò lectis tuis literis perſpectus eſt à me toto animo de te ac de tuis ornamentis & commodis cogitare. Quare ea quæ ſcribam ſic habeto, me, cum illo re ſæpè communicatâ, de illius ad te ſententiâ atque auctoritate ſcribere: quoniam S. C. nullum extat, quo reductio Regis Alexandrini tibi [9] adempta ſit, eaque quæ de ea ſcripta eſt, [10] authoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, ut ne quis omninò regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum [b] ſtudium, quàm conſtantis Senatûs conſilium eſſe videatur, te poſſe perſpicere, qui [11] Ciliciam [12] Cyprumque teneas, quid efficere, & quid conſequi poſſis: & ſi [c] res facultatem habitura videatur, ut Alexandriam atque Ægyptum tenere poſſis, eſſe & tuæ, & noſtri imperii dignitatis, [13] Ptolemaïde, aut alio propinquo loco Rege collocato, te cum claſſe atque exercitu proficiſci Alexandriam: ut, cùm eam pace præſidiiſque firmatis, Ptolemæus [14] redeat in regnum. ita fore ut per te reſtituatur, quemadmodùm Senatus initio cenſuit, & ſine multitudine reducatur, quemadmodùm homines [15] religioſi Sibyllæ placere dixerunt. Sed hæc ſententia ſic & illi, & nobis probabatur, ut ex eventu homines de tuo conſilio exiſtimaturos videremus: ſi cecidiſſet, ut volumus & optamus, omnes te & ſapienter & fortiter: ſin aliquid eſſet [16] offenſum, eoſdem illos, & cupidè & temerè feciſſe, dicturos. quare quid aſſequi poſſis, non tàm facile eſt nobis quàm tibi, cui propè in conſpectu Ægyptus eſt, judicare. nos quidem hoc ſentimus: ſi exploratum tibi ſit, poſſe te

INTERPRETATIO.

[b] emportement. [c] *& tua & imperii noſtri dignitatis eſſe, ſi modò res facultatem tibi datura videatur obtinendæ Alexandriæ atque Ægypti, Ptolemaïde, &c.*

NOTÆ.

8. *Tempore Caniniano*] Tempus vocat ſuſpicioſiſſimum, quia ſuſpicabantur non pauci, impulſum fuiſſe à Pompeio Canium Tribunum plebis, ut pro eo contra Lentulum rogationem ferret.

9. *Adempta ſit*] Quæ ei data fuerat ex Senatuſconſulto, quod ipſo Lentulo Conſule referente factum erat.

10. *Authoritas*] Quid authoritas à ſenatuſconſulto diſcrepet, diximus in epiſtolâ ſecundâ.

11. *Ciliciam*] Minoris Aſiæ provinciam, (nunc Caramania propria dicitur) Amano & Tauro montibus, Pamphilia, & mari circunſcriptam; cujus urbs præcipua Tharſus fuit, ad Cydnum condita.

12. *Cyprum*] Nobiliſſima eſt in Pamphilio mari inſula, Ciliciam inter & Syriam; *Cypre.*

13. *Ptolemaïde*] Multæ ſunt hujus nominis civitates, quarum duæ præter cæteras inclitæ: altera Pentapoleos Libyæ, olim *Barce*, nunc *Tolometa*: altera Phœniciæ, *Acre*, de quâ hîc agitur.

14. *Redeat in regnum*] Poſt pacatam Ægyptum, præſidiiſque firmatam, redeat in regnum Ptolemæus; appoſitè *redeat*, non reducatur, ut non violetur oraculum Sibyllæ.

15. *Religioſi*] Dictum ironicè de Catone & aliis qui de religione minimè ſolliciti, religionis tamen nomine ſuam in Lentulum malevolentiam obtendebant.

16. *Offenſum*] Alexandrinis Regem ſuum recipere nolentibus.

Digitized by Google

illius regni [17] potiri, non esse cunctandum : sin dubium, non esse conandum. Illud tibi affirmo, si rem istam ex sententiâ gesseris, fore ut absens à multis, cùm redieris, ab omnibus collaudere. [18] offensionem esse periculosam propter interpositam auctoritatem religionemque video. sed ego te ut ad certam laudem adhortor, sic [19] à dimicatione deterreo, redeoque ad illud quod initio scripsi, totius facti tui judicium non tàm ex consilio tuo, quàm ex eventu homines esse facturos. Quòd si hæc ratio rei gerendæ [20] periculosa tibi videbitur, [21] placebat illud, ut, si Rex amicis tuis, qui per provinciam imperii tui pecunias ei crédidissent, fidem suam præstitisset, & auxiliis eum tuis, & copiis adjuvares : eam esse naturam & rationem provinciæ tuæ, ut illius reditum vel adjuvando confirmares, vel negligendo impedires. In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu facillimè optiméque perspicies : quid nobis placuisset, ex me potissimùm putavi te scire oportere. Quòd mihi [22] de nostro statu, de Milonis familiaritate, de levitate & imbecillitate Clodii gratularis : minimè miramur te tuis, ut egregium [23] artificem, præclaris operibus lætari. Quanquam est incredibilis hominum perversitas, (graviori enim verbo uti non libet) qui nos, quos favendo in communi causâ retinere potuerunt, [24] invidendo abalienaverunt: quorum malevolentissimis obtrectationibus nos scito [25] de vetere illâ nostrâ diuturnáque sententiâ propè jam esse depulsos : non nos quidem, ut nostræ dignitatis simus obliti, sed ut habeamus rationem aliquando etiam salutis. Poterat [26] utrumque præclarè, si esset fides, si gravitas in hominibus Consularibus : sed tanta est in plerisque levitas, ut eos non tàm constantia in rep. nostrâ delectet, quàm splendor offendat. Quod eò liberiùs ad te scribo,

NOTÆ.

17. *Potiri*] Non vi & armis, sed humanitate, & prudentiâ, quæ cives Regi suo reconciliet.

18. *Offensionem*] Periculosum esse offendere, si res agatur armis, propter interpositam authoritatem Senatûs, qui decreverat, ne quis omninò Regem reduceret; & propter oraculum Sibyllæ: etsi enim fictum erat religionis nomen, & authoritati Senatûs fuerat à Tribunis intercessum, adeóque esset irrita, tamen si res minùs benè processisset, jactassent ii qui invidebant Lentulo, violatam esse religionem, atque authoritatem Senatûs.

19. *A dimicatione*] Si res non possit nisi armis confici, hanc defere.

20. *Periculosa*] Periculosam esse censuit, hanc siquidem non est sequutus.

21. *Placebat illud*] Aliud consilium suggerit, ut Lentulus non quidem iret Alexandriam, ad placandos animos, urbemque præsidiis firmandam (id enim difficile videbatur & anceps) sed Ptolemæum redeuntem copiis auxiliisque adjuvaret; videret tamen antè, an creditoribus suis, amicis Lentuli fidem suam Rex præstitisset, id est, ejusmodi cautiones interposuisset, ut dubitare creditores non possent quin esset soluturus.

22. *De nostro statu*] De pristinâ dignitate recuperatâ, & reditu ab exilio.

23. *Artificem*] Id scilicet Lentulus effecerat, ut Cicero dignitatem recuperaret, ut Milonis uteretur familiaritate, ut Clodii nefariis conatibus obsisteret.

24. *Invidendo*] Hîc obiter optimates perstringit, quorum invidiâ adductus fuerat, ut in tuendâ republicâ, ad Pompeii maximè voluntatem se conformaret.

25. *De vetere illâ*] Cùm anteà crederet, neglectâ salute, dignitati suæ, & reipublicæ commodis unicè consulendum.

26. *Utrumque*] Salus utique & dignitas integra conservari.

Digitized by Google

Quòd tu non solùm [27] temporibus iis, quæ per te sum adeptus, sed jam olim nascenti propè nostræ laudi, dignitati, virtutique præfuisti: [28] simul quòd video, non, ut antehac putabam, [29] novitati esse invisum meæ. in te enim, homine omnium [30] nobilissimo, similia invidorum vitia perspexi: [31] quem tamen illi esse in principibus facilè sunt passi, evolare altiùs certè noluerunt. Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortunam: multùm enim interest, utrùm laus [32] imminuatur, an salus deseratur. me meæ tamen ne nimis pœniteret, tuâ virtute perfectum est. curasti enim ut plus additum ad memoriam nominis nostri, quàm ademptum [33] de fortunâ videretur. Te verò moneo, cùm beneficiis tuis, tùm amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam à pueritiâ inflammatus fuisti, omni curâ atque industriâ consequare, magnitudinemque animi tui, quam ego semper sum admiratus, semperque amavi, ne unquam inflectas cujusquam injuriâ. Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria [34] Consulatûs tui. hæc profectò vides quantò expressiora, quantóque illustriora futura sint, cùm aliquantùm ex provinciâ, atque ex imperio laudis acceserit. [35] Quamquam te ita agere volo, quæ per exercitum atque imperium gerenda sunt, ut hæc multò antè meditere: huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas, [36] sentiasque id, quod quia semper speraſti, non dubito quin adeptus intelligas, te facillimè posse obtinere summum atque altissimum gradum civitatis. Quæ quidem mea cohortatio ne tibi inanis aut sine causâ suscepta videatur, illa me ratio movit, ut te ex nostris [37] eventis communibus admo-

NOTÆ.

27. *Temporibus iis*] Quibus erat restitutus in patriam.

28. *Simul quòd*] Video causam cur mihi invideretur, non fuisse novitatem meam; quod tamen antèà putabam: tibi enim viro nobilissimo perinde ac mihi invisum est.

29. *Novitati*] Homines novi dicebantur ii, qui obscuro loco orti, industriâ suâ honores assequebantur. Novus homo nobilis non erat, sed origo & fons nobilitatis posteris suis, eos scilicet honores adeptus, unde nobilitas nascitur. Talis fuit Cicero, ex Arpinate equite Consul Romæ factus. Juven.

Hic novus Arpinas, &c.

30. *Nobilissimo*] Etsi plebeius erat Cornelius Lentulus, tamen erat nobilissimus, quia majores habebat præclarè meritos de patria, & summis reipublicæ honoribus perfunctos. Non ergo opponuntur plebeius, & nobilis; sed novus & nobilis, plebeius, & Patricius.

31. *Quem*] Passi sunt invidi te esse principes inter civitatis viros; sed altiùs evolare non permiserunt, præsertim in eo quòd reductionem regiam senatusconsulto tibi decretam ademerunt.

32. *Imminuatur*] Longè minùs est periclitari dignitatem, quàm salutem. Ep. 6. *Minore in re violatur tua dignitas, quàm mea salus afflicta sit.*

33. *De fortunâ*] De bonis fortunæ, quæ sola amiseram.

34. *Consulatûs tui*] Cùm me ab exilio revocasti.

35. *Quamquam*] Tacitè monet ut diù secum meditetur quid opus facto sit in reducendo Ptolemæo.

36. *Sentiasque*] Posse te assequi summum gradum civitatis, quem quia speraſti, non dubito quin postquam eum assecutus eris, intelligas te posse illum retinere. Non videtur hîc Cicero de Consulatu loqui, quo jam perfunctus erat Lentulus; sed de honore qui viris Consularibus de Republicâ optimè meritis habebatur; cujusmodi fuit Pompeius, qui civitatis, etiam peracto Consulatu, Princeps erat.

37. *Eventis communibus*] In quibus eamdem hominum perfidiam sumus experti.

38. *Summa*

Digitized by Google

nendum putarem, ut considerares in omni reliquâ tuâ vitâ, quibus crederes, quos caveres. Quod scribis te velle scire, qui sit reipublicæ status: summa [38] dissensio est, sed contentio dispar. nam qui plus opibus, armis, potentiâ valent, profecisse tantùm mihi videntur stultitiâ & [39] inconstantiâ adversariorum, ut jam etiam auctoritate plus valerent. Itaque, perpaucis adversantibus, omnia quæ [40] ne per populum quidem sine seditione assequi posse arbitrabantur, per Senatum [41] consequuti sunt. nam & stipendium Cæsari decretum est, & decem legati: &, ne [42] lege Semproniâ succederetur, facilè perfectum est. Quod ego ad te brevius scribo, quia me status hic reipublicæ non delectat: scribo tamen, ut te admoneam, quod ipse literis omnibus à pueritiâ deditus, experiendo tamen magis quàm discendo, cognovi, id ut tu rebus tuis integris discas, neque salutis nostræ rationem nobis habendam esse sine dignitate, neque dignitatis sine salute. Quòd mihi [43] de filiâ, & de Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam, speroque & opto nobis hanc conjunctionem voluptari [44] forè. [45] Lentulum nostrum eximiâ spe, summæ virtutis adolescentem, cùm cæteris artibus, quibus induisti semper ipse, tùm in primis imitatione tui fac erudias. nulla enim erit hac præstantior disciplina. quem nos, & quia te dignus est filius, & quia nos diligit, semperque dilexit, in primis amamus, carumque habemus. Vale.

NOTÆ.

38. *Summa dissensio est*] Hinc Cæsar, Pompeius & Crassus, qui conjunctis viribus, de suâ tantùm potentiâ laborabant: Cæsar in Galliis cum exercitu, Pompeius & Crassus Consules, inde verò reliqui optimates, qui pro Republicâ stabant, sed contentione & authoritate longè dispares.

39. *Inconstantiâ*] Arguit optimates inconstantiæ, quòd in gratiam cum P. Clodio, quem oderant, redierint; idcircò autem redierunt, quia Clodius oppugnare cœperat potentiam Cæsaris; sed reconciliando sibi Clodium, Ciceronem infensum Clodio à publicâ causâ abalienarunt.

40. *Ne per populum quidem*] Magna erat Cæsaris apud populum potentia, quem liberalitate, agrorumque divisione sibi devinxerat.

41. *Consecuti sunt*] Improbat ea Cicero, quæ ipso annitente facta sunt, nam quòd prorogatum est Cæsari in quinquennium imperium contra legem Semproniam, quòd eidem decem legati decreti, cum stipendio militum; harum Tullius sententiarum princeps & author fuit; non tamen hæc Lentulo scribit, ne animum ejus offendat: porrò se ad Cæsarem adjunxerat Cicero, propter obtrectationes optimatum, qui sibi homini novo subinvidebant.

42. *Lege Semproniâ*] In Oratione pro Balbo: *Senatus in angustiis ærarii victorem exercitum stipendio affecit; Imperatori decem legatos decrevit; lege Semproniâ succedendum non censuit.* Lege autem Semproniâ cautum erat, ut peracto quinquennio successor decerneretur.

43. *De filiâ*] Tullia nupta Crassipedi: jam nupserat L. Calpurnio Pisoni frugi; deinde Furio Crassipedi, tertiò Cornelio Dolabellæ.

44. *Forè*] Referendum ad *spero*, non ad *pto*, ut notat Manutius.

45. *Lentulum*] Lentuli filium, sed à Manlio Torquato adoptatum.

Digitized by Google

EPISTOLA VIII.

De reductione Ptolemæi, quoniam desperata erat, nihil scribit. Præsentem Reipublicæ statum conqueritur, spemque facit Lentulo supplicationis obtinendæ. Eodem anno.

Cicero s. d. Lentulo Procos.

DE omnibus rebus quæ ad te pertinent, quid actum, quid constitutum sit, quid Pompeius susceperit, optimè ex Emplatorio cognosces: qui non solùm interfuit his rebus, sed etiam præfuit: neque ullum officium erga te hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi prætermisit. ex eodem de toto statu rerum communium cognosces: quæ quales sint, [1] non facile est scribere: sunt quidem certè in [2] amicorum nostrorum potestate, atque ita ut nullam [3] mutationem unquam hac hominum ætate habitura res esse videatur. Ego quidem, ut debeo, & ut tutè mihi præcepisti, & ut me dignitas utilitasque cogit, me ad [a] ejus rationes adjungo, [4] quem tu in meis rationibus tibi esse adjungendum putasti. sed te non præterit, quàm sit [5] difficile, sensum in republicâ præsertim rectum & confirmatum, deponere: veruntamen ipse me conformo ad ejus voluntatem, à quo [6] honestè dissentire non possum. neque id facio (ut forsitan quibusdam videor) [7] simulatione. Tantùm enim animi [b] inductio, & mehercule amor erga Pompeium, apud me valet, ut quæ illi utilia sunt, & quæ ille vult, ea mihi omnia jam & recta, & vera videantur. neque, ut ego arbitror, errarent ne [8] adversarii quidem ejus, si, cùm pares esse non possent, pugnare desisterent. Me quidem etiam illa res consolatur, quòd ego is sum, cui vel maximè concedant omnes, ut vel ea defendam quæ Pompeius velit, vel taceam, vel etiam (id quod mihi maximè lubet) ad nostra me studia referam literarum. quod profectò faciam, si mihi [9] per ejusdem amicitiam licebit. Quæ enim pro-

Interpretatio.

[a] *Pompeii.* [b] *propositum.*

Notæ.

1. *Non est facile*] Mutatâ ratione Senatûs, judiciorum, reip. totius.

2. *Amicorum*] Pompeii, Cæsaris, immò & Crassi, quibuscum in gratiam redierat.

3. *Mutationem*] Ob nimiam horumce trium potentiam.

4. *Quem tu*] Cujus authoritatem in meo reditu promovendo adhibendam esse existimasti: hac totâ fermè epistolâ excusat se Cicero, quòd relictis tantisper reipublicæ partibus, ad Cæsarem, Pompeium, & Crassum se adjunxerit, ut eorum scilicet authoritate, quæ summa erat, suam in tuto collocare salutem posset.

5. *Difficile*] Maluisset Cicero pro republicâ stare contra potentiorum ambitionem; sed ut saluti suæ consuleret, famam paulùm neglexit.

6. *Honestè*] Propter Pompeii in me merita.

7. *Simulatione*] Quasi deinceps adversari Pompeio non possim.

8. *Adversarii*] Cato, Bibulus, Domitius.

9. *Per ejusdem amicitiam*] Nam si me

Digitized by Google

posita fuerant nobis, cùm & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententiis dicendis, libertas in republicâ [c] capessendâ, ea sublata tota, sed nec mihi magis quàm omnibus. nam aut assentiendum est [10] nullâ cum gravitate [11] paucis, aut frustrà dissentiendum. Hæc ego ad te ob eam causam maximè scribo, ut jam de [d] tuâ quoque ratione meditere. commutata tota ratio est Senatûs, judiciorum, rei totius publicæ: otium nobis exoptandum est, quod ii qui potiuntur rerum [e] præstaturi videntur, si [12] quidam homines patientiùs eorum potentiam ferre potuerint. Dignitatem quidem illam Consularem fortis & constantis Senatoris, nihil est quod cogitemus: amissa est culpâ eorum, qui à Senatu & [f] [13] ordinem conjunctissimum, & [14] hominem clarissimum abalienarunt. Sed, ut ea quæ conjunctiora rebus tuis sunt, revertar: Pompeium tibi valdè amicum esse cognovi: & [g] eo tu Consule, quantùm ego perspicio, omnia quæ voles, obtinebis. quibus in rebus me ille sibi affixum habebit: neque à me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur. neque enim verebor ne sim ei molestus: cui jucundum erit etiam propter id ipsum, quòd me esse [h] gratum videbit. Tu velim tibi ita persuadeas, nullam rem esse minimam, quæ ad te pertineat. quæ mihi non carior sit quàm meæ res omnes. idque quum sentiam, sedulitate mihimet ipse satisfacere possum, re quidem ipsâ ideò mihi non satisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum non modò referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum. [i] Rem te valdè benè gessisse [15] rumor erat: expectabantur literæ tuæ, de quibus eramus jam cum Pompeio loquuti: quæ si erunt allatæ, nostrum studium extabit [16] in conveniendis Magistratibus & Senatoribus. Cætera quæ ad

INTERPRETATIO.

[c] *administrandâ.* [d] *de tuis commodis.* [e] *permissuri.* [f] *equites Romanos.* [g] *quandiù erit Consul.* [h] *beneficiorum tuorum memorem.* [i] *bellum te fœliciter gessisse.*

NOTÆ.

rogat Pompeius ut in senatum veniam, ejusque defendam concilia; roganti deesse pro amicitiâ non possum.

10. *Nullâ cum gravitate*] Iis enim jam obsequi, quibus antèa restiti reip. studio, levitatis est.

11. *Paucis*] Sed quorum summa est in Senatu authoritas, Pompeium intelligo, Cæsarem, & Crassum.

12. *Quidam homines*] Cato, Bibulus, & alii adversarii.

13. *Ordinem coniunctissimum*] Notatur Cato, qui, Publicanis Asianis petentibus ut imminueretur locatio vectigalium, quæ, cupiditate prolapsi, nimiùm magno conduxerant, responsum à Senatu dari non est passus; hanc nactus occasionem Cæsar conciliandi sibi ordinis equestris, Publicanos remissionem petentes, tertiâ mercedum parte relevavit anno quo Consulatum gessit.

14. *Hominem clarissimum*] Pompeium: notatur potissimùm Lucullus, qui non permiserat ut acta Pompeii in Asiâ confirmarentur. Confirmata sunt postèa referente Cæsare Consule, cujus filiam uxorem Pompeius duxit.

15. *Rumor*] Certus postèa nuncius allatus est, unde sequentem epistolam inscribit: *Lentulo Imperatori.*

16. *In conveniendis*] Ut supplicatio publica tibi decernatur.

Digitized by Google

te pertinebunt, cùm etiam plus contenderimus, quàm possumus, minus tamen faciemus, quàm debemus. Vale.

EPISTOLA IX.

Quærenti Lentulo, cur cum inimicis in gratiam redierit, causas exponit consilii sui, & ostendit velle se rationem tam salutis habere, quàm dignitatis, & eorum obsequi voluntati, à quibus honestè dissentire non possit, Pompeium autem maximè significat. Domitio & Appio Coss. anno u. c. 699.

Cicero s. d. [1] Lentulo Imp.

PERJUCUNDÆ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi, te perspicere meam in te [2] pietatem. quid enim dicam benevolentiam? cùm illud ipsum gravissimum & sanctissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis esse videatur? Quòd autem grata tibi mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantiâ quadam amoris, ut etiam grata sint ea quæ prætermitti sine [3] nefario scelere non possunt: tibi autem multò notior atque illustrior meus in te animus esset, si [4] hoc tempore omni, quo sejuncti fuimus, & unà, & Romæ fuissemus. Nam [5] in eo ipso quod te ostendis esse facturum, quódque & in primis potes, & ego à te vehementer expecto in sententiis Senatoriis, & in omni actione atque administratione reipublicæ floruissemus. de quâ ostendam equidem paulò pòst, quid sit meus sensus, & status: & rescribam tibi ad ea quæ quæris. sed certè & ego te auctore amicissimo ac sapientissimo, & tu me consiliario fortasse non imperitissimo, fideli quidem & benevolo certè usus esses. [6] Quanquam tua quidem causa, te esse Imperatorem, provinciamque benè gestis rebus cùm exercitu victore obtinere, ut debeo, lætor: sed certè, qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores & præstantiores præsens capere potuisses. [7] in eis verò ulciscendis, quos tibi partim inimicos esse intelligis, propter tuam [8] propugnationem salutis meæ, partim invidere propter illius actionis [9] amplitudinem & gloriam,

NOTÆ.

1. *Lent. Imp.*] Certus jam nuncius allatus erat, rem fœliciter Lentulum gessisse, & Imperatorem appellatum esse à suo exercitu.

2. *Pietatem*] Vide Epistolam quintam.

3. *Nefario scelere*] Ingrati animi, quo nullum videtur odiosum magis.

4. *Hoc tempore*] Triennio, quo Romæ Cicero, in Ciliciâ Lentulus vixit.

5. *In eo ipso*] Scripserat Lentulus, se postquàm in urbem rediisset, unà cum Cicerone, totum in tuendâ republicâ, ferendisque Consulari viro dignis sententiis, futurum; rescribit Cicero, si hoc tempore omni affuisses Romæ, id quod facturum te dicis, jam feciſses, & in sententiis Senatoriis, omnique actione, & administratione reipublicæ ambo floruissemus.

6. *Tuâ causâ*] Licet alioquì te hîc Romæ adesse, mihi fuisset multò utilius.

7. *In eis verò*] Eos designat, qui contenderant ne Ptolomæus à Lentulo reduceretur.

8. *Propugnationem*] Lentulus in Consulatu suo causam Ciceronis à Clodio pulsi apertè suscepit, nec nisi perfectâ re quievit.

9. *Amplitudinem*] Gloriosum enim fuit, Clodio, multisque aliis repugnantibus, reditum Ciceronis impetrare.

Digitized by Google

mirificum me tibi comitem præbuiſſem. Quamquam [10] ille perennis inimicus amicorum ſuorum, qui tuis maximis beneficiis ornatus, in te potiſſimùm [11] fractam illam & debilitatam vim ſuam contulit, [12] noſtram vicem ultus eſt ipſe ſeſe. ea eſt enim conatus, quibus patefactis, nullam ſibi in poſterum non modò dignitatis, ſed ne libertatis quidem partem reliquit. [a] Te autem, etſi mallem in meis rebus expertum, quàm etiam in tuis, tamen in moleſtiâ gaudeo, eandem fidem cognoſcere hominum, [13] non ita magnâ mercede, quàm ego maximo dolore cognoram. [14] De quâ ratione totâ jam videtur mihi exponendi tempus dari, ut tibi reſcribam ad ea quæ quæris. certiorem te per literas ſcribis eſſe factum, me cum Cæſare & [15] cum Appio eſſe in gratiâ: teque id non reprehendere adſcribis. [16] Vatinium autem ſcire te velle oſtendis, quibus rebus adductus defenderim & laudarim. quod tibi ut planiùs exponam, altiùs paulò rationem meorum conſiliorum repetam neceſſe eſt. [17] Ego me, Lentule, initio rerum atque [18] actionum tuarum non ſolùm meis, ſed etiam [19] Reipublicæ reſtitutum putabam: &, quoniam tibi incredibilem quendam amorem, & omnia in te ipſum ſumma ac ſingularia ſtudia deberem, reip. quæ te in me reſtituendo multùm [20] adjuviſſet, eum certè me animum merito ipſius debere arbitrabar, quem anteà tantummodò communi officio civium, non aliquo erga me ſingulari beneficio, [21] debi-

INTERPRETATIO.

[a] *etſi autem mallem te in meis rebus expertum eſſe* perfidiam hominum, *quàm in tuis, tamen in hac moleſtiâ gaudeo te eandem perfidiam hominum cognoſcere non ita magno damno tuo, quàm ego maximo dolore cognoram.*

NOTÆ.

10. *Ille perennis*] Clodius, vel, ut Manutius ſentit, Cato, qui ornatus beneficiis Lentuli, nefariam tulit rogationem, ut imperium Ciliciæ Lentulo abrogaretur.

11. *Fractam*] Quia Lentulo nihil nocuit.

12. *Noſtram vicem*] Se ipſe punivit, cùm à nobis puniendus eſſet.

13. *Non ita magnâ mercede*] Dignitas enim tua læſa eſt, mea ſalus in periculum adducta: Epiſt. 7. *Multùm intereſt, utrùm laus imminuatur, an ſalus deſeratur.*

14. *De quâ ratione*] Ut intelligas quanta ſit hominum perfidia.

15. *Cum Appio*] Cum Appio, propter Clodium ejus fratrem, inimicitias contraxerat; cum Cæſare autem, quòd liberiorem de ſtatu temporum, orationem in judicio quodam habuiſſet: ſed cum utroque in gratiam rediit, ut contra amicorum perfidiam, de quâ ſæpè expoſtulat, ſecurum ſe præſtaret.

16. *Vatinium*] Quem in primis oderat, & ſuâ & reipublicæ causâ: geſſerat enim Tribunatum plebis pro Cæſaris libidine; deinde teſtimonium dixerat in P. Sextium familiarem Ciceronis. Valer. Max. lib. 11. cap. 2. *Cicero Publium Vatinium dignitati ſuæ ſemper infeſtum, duobus publicis judiciis tutatus eſt.* Extat oratio in Vatinium.

17. *Ego*] Quòd redierit cum inimicis in gratiam, quòd ab antiquo tuendæ reipublicæ inſtituto paulùm deflexerit; culpam in malevolos & obtrectatores derivat, per quos non licuit commodis reipublicæ æquè atque anteà ſervire.

18. *Actionum*] Suum in patriam reditum, Lentuli actionem vocat.

19. *Reip.*] Sic ut florere in eâ poſſem, eamque pari modo defendere.

20. *Adjuviſſet*] Quoniam mira fuit omnium ordinum ad reſtituendum Ciceronem conſenſio.

21. *Debitum*] Debent omnes cives pa-

tum præſtitiſſem. Hac me mente fuiſſe, & Senatus ex me, te Conſule, audivit, & tu in noſtris ſermonibus colloquutionibuſque ipſe vidiſti. etſi jam [22] primis temporibus illis, multis rebus meus offendebatur animus, cùm, te agente [23] de reliquâ noſtrâ dignitate, aut occulta [24] nonnullorum odia, aut obſcura in me ſtudia cernebam. Nam neque [25] de monimentis meis ab iis adjutus es, à quibus debuiſti: neque [26] de vi nefariâ, quâ cum fratre eram domo expulſus: neque hercule in iis ipſis rebus, quæ quamquam erant mihi propter rei familiaris naufragia neceſſariæ, tamen à me minimi putabantur, in meis damnis [27] ex authoritate Senatûs reſarciendis eam voluntatem quam expectaram, præſtiterunt. Quæ cùm viderem (neque enim erant obſcura) non tamen tam acerba mihi hæc accidebant, quàm erant illa grata [28] quæ fecerant. Itaque, quamquam & Pompeio plurimùm, te quidem ipſo prædicatore ac teſte, debebam: & eum non ſolùm beneficio, ſed amore etiam & perpetuo quodam judicio meo diligebam: tamen, non reputans [29] quid ille vellet, in omnibus meis ſententiis de Republicâ priſtinis permanebam. Ego, ſedente Cn. Pompeio, cùm, ut laudaret P. Sextium, [30] introïiſſet in urbem, dixiſſetque [31] teſtis Vatinius, me, fortunâ & felicitate C. Cæſaris commotum, [32] illi amicum eſſe cœpiſſe, dixi, me eam [33] Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, [34] omnium triumphis victoriiſque anteferre: dixique [35] eodem teſte, alio loco, eoſdem eſſe [36] qui Bibulum

NOTÆ.

triæ ſtudere, cui nati ſunt; ſed ii maximè quos patria ſingulari aliquo beneficio affecit.

22. *Primis temporibus*] Reditûs mei ab exilio.

23. *De reliquâ noſtrâ dignitate*] Erat è Tullii dignitate, ut domus ipſi reſtitueretur, unde à Clodio pulſus fuerat; reique domeſticæ reſarcirentur damna: ſed utrumque dùm petiit, tùm ſenſit alienatas à ſe optimatum voluntates.

24. *Nonnullorum*] Optimates notat, qui de reditu Ciceronis cùm laboraſſent, tamen re confectâ, occultis odiis ab eo diſſidere cœperunt, eâ re ſcilicet offenſi, quòd cum Pompeio & Cæſare in gratiam rediiſſet.

25. *De monimentis*] De domo reſtituendâ, quam incenderat Clodius, extat oratio pro domo ad Pontifices.

26. *De vi*] Epiſtolâ tertiâ, lib. 4. ad Att. *Armatis hominibus ante diem tertium Non. Nov. expulſi ſunt fabri de aréâ noſtrâ, diſturbata porticus Catuli, quæ ex ſenatuſconſulto, &c.*

27. *Ex authoritate*] Factum erat ſenatuſconſultum, ut domus Ciceronis reſtitueretur. *Authoritas* autem *Senatûs* pro ſenatuſconſulto interdùm uſurpatur.

28. *Quæ fecerant*] Ut me patriæ redderent: eſt enim viri ſapientis, beneficia potiùs, quàm injurias attendere.

29. *Quid ille vellet*] Placeretne Pompeio, ut pro more meo reipublicæ jura defenderem.

30. *Cùm introïiſſet*] Quò introire, niſi factâ à Senatu poteſtate, non eſſet auſus: rem enim frumentariam cum imperio curabat.

31. *Teſtis*] In P. Sextium, quem Albinovanus de vi accuſabat.

32. *Illi*] Cæſari, cui ſupplicationes, ſtipendium, & decem legatos Cicero decrevit.

33. *Bibuli*] Quem Vatinius domi ſe continere coëgit, ne Cæſaris acta impediret.

34. *Omnium*] Cæſaris & Pompeii.

35. *Eodem teſte*] Pompeio.

36. *Qui Bibulum*] Notat, præter cæteros, Pompeium, qui Bibulo, vim Cæſaris prohibere cupienti, fortiter reſtitit.

Digitized by Google

exire domo prohibuissent, [37] & qui me coëgissent. Tota verò [38] interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem [39] illius Tribunatûs : in quo omnia dicta sunt libertate, animoque maximo [40] de vi, [41] de auspiciis, [42] de donatione regnorum : neque verò [43] hac in causâ modò, sed constanter sæpè in senatu. quinetiam, Marcellino & Philippo Consulibus, nonis April. mihi est Senatus assensus, ut [44] de agro Campano, frequenti Senatu, idibus Maii referretur. Num potui magis [45] in arcem illius causæ invadere ? aut magis obliviſci [46] temporum meorum, & meminisse [47] actionum ? hac à me sententiâ dictâ, magnus animorum motus est factus, cùm eorum, quorum oportuit, tùm illorum etiam, quorum [48] nunquam putaram. Nam, hoc senatusconsulto in meam sententiam facto, Pompeius, [49] cùm nihil mihi ostendisset se esse offensum, [50] in Sardiniam & in Africam profectus est : eoque itinere [51] Lucam ad Cæsarem [52] venit : ubi multa [53] de meâ sententiâ questus est Cæsar : quippe qui etiam [54] Ravennæ Crassum antè vi-

NOTÆ.

37. *Et qui me coëgissent*] Ut in exilium discederem.

38. *Interrogatio*] Ita inscribitur oratio in Vatinium.

39. *Illius Tribunatûs*] Quem Vatinius gessit, Consule Cæsare.

40. *De vi*] Illatâ collegæ Cæsaris Bibulo, quem etiam in vincula conjicere conatus est.

41. *De auspiciis*] A Vatinio spretis : neque enim licebat, eo die ferri legem, quo die Magistratus servasset de cœlo. Vatinius spretâ religione, legem tulit pro Cæsare, qui rempublicam pro libidine suâ Consul administrabat.

42. *Donatione regnorum*] Ut Cæsari Vatinius obsequeretur, fœdera cum civitatibus, Regibus, & Tetrarchis fecit, quod eidem his verbis objicit : *Volo uti mihi respondeas, fecerisne fœdera Tribunus plebis cum civitatibus, cum Regibus, cum Tetrarchis.*

43. *Hac in causâ*] In causâ Sextii habitâ in foro.

44. *De agro Campano*] Quem Cæsar Consul dividendum statuerat civibus Romanis, qui ternos pluresve liberos haberent. Cicero, cui hæc divisio minimè placebat, de re illâ referri voluit, & quidem frequenti senatu, ut senatusconsultum fieret contra legem Cæsaris : fieri autem non poterat, nisi frequens Senatus esset, certusque numerus Senatorum sententiam diceret.

45. *In arcem*] Translatum à re bellicâ, quasi uti dicat ; an potui magis adversari Cæsari & Pompeio ?

46. *Meorum*] Exilii mei, quo moneri videbar, ne deinceps Potentiorum animos offenderem.

47. *Actionum*] Earum rerum quas feci pro repub. cùm essem Consul : sic Lentulo animi sui constantiam commendat.

48. *Nunquam putaram*] Pompeium indicat, qui tùm Cæsari erat amicus.

49. *Cùm nihil mihi*] Nec enim solitus erat offendere quid sentiret, epist. 1. lib. 8. *Solet aliud sentire & loqui.*

50. *In Sardiniam, &c.*] Ut frumentum Romam deportandum curaret : Sardinia autem, quam à Sardo Herculis filio conditam fuisse nonnulli volunt, insula est Italiæ, inter Tyrrhenum mare, & Balearicum sita.

51. *Lucam*] Extremum oppidum Galliæ Cisalpinæ, quam Cæsar cum Transalpinâ & Illyrico regebat ; nunc Respublica sui juris, *la Republique de Lucques*, optimis legibus temperata.

52. *Venit*] Antequam in Sardiniam proficisceretur.

53. *De meâ sententiâ*] Ad Campanum agrum quod pertinet ; quæ sententia mea, si valuisset, timendum erat Cæsari, ne pleraque omnia quæ decreverat Consul, à Senatu rescinderentur ; quia adversante Bibulo collegâ, & servante de cœlo decreverat.

54. *Ravennæ*] Ravenna urbs Galliæ Togatæ, aliàs Æmiliæ, nunc Romandiolæ

Digitized by Google

dissèt, ab eóque in me esset incensus. sanè molestè Pompeium id ferre constabat. Quod ego cùm audissem ex aliis, maximè ex meo [55] fratre cognovi: quem cùm in Sardiniâ Pompeius paucis pòst diebus quàm Lucâ discesserat, convenissèt: Te, inquit, ipsum cupio: nihil opportunius potuit accidere. nisi cum Marco fratre diligenter egeris, [b] dependendum tibi est quod mihi pro illo [56] spopondisti. Quid multa? questus est graviter: [57] sua merita commemoravit: quid egisset sæpissimè [58] de actis Cæsaris cum ipso meo fratre: quidque sibi is de me recepisset, in memoriam redegit: seque quæ [59] de meâ salute egisset, voluntate Cæsaris egisse, ipsum meum fratrem testatus est: cujus causam, dignitatemque mihi ut commendaret, rogavit ut eam ne oppugnarem, si nollem, aut non possem tueri. Hæc cùm ad me frater pertulisset, & cùm antè tamen Pompeius ad me cum mandatis Vibullium misisset, [60] ut integrum mihi de causâ Campanâ ad suum reditum reservarem: [c] collegi ipse me, & cum ipsâ quasi rep. sum colloquutus, ut mihi tam multa pro se perpesso atque perfuncto, concederet, ut officium meum, memoremque in benemeritos animum, [61] fidemque fratris mei præstarem: eumque quem bonum civem semper habuisset, [62] bonum virum esse pateretur. [63] In illis autem meis actionibus sententiisque omnibus, quæ Pompeium videbantur offendere, [64] certorum hominum, quos jam debes suspicari, sermones referebantur ad me: qui cùm illa sentirent in repub. quæ ego agebam, semperque sensissent, me tamen non satisfacere Pompeio,

INTERPRETATIO.

[b] *persolvendum tibi.* [c] *ad me redii.*

NOTÆ.

Caput ad mare Adriaticum, paret summo Pontifici.

55. *Fratre*] Quem credibile est fuisse in Sardiniâ Pompeii legatum: nam hîc Prætor tunc erat Appius.

56. *Spopondisti*] Fratrem, si reduceretur ab exilio, nihil contra me aut Cæsarem moliturum.

57. *Sua merita*] Tùm in Marcum Ciceronem, quem unà cum Lentulo ab exilio revocarat: tùm in Quintum ipsum, quem eo tempore fuisse in Sardiniâ Pompeii legatum suspicamur.

58. *De actis Cæsaris*] Promiserat Pompeio Quintus Cicero, fratrem suum, si reduceretur in patriam, acta Cæsaris confirmaturum.

59. *De mea salute*] De me restituendo.

60. *Ut integrum*] Ut causam agri Campani, ante suum reditum non attingerem: reipsâ non attigit ut patet ex sequentibus.

61. *Fidemque*] Fidemque à fratre meo jam Pompeio obligatum, liberarem.

62. *Bonum virum*] Distinguit bonum civem à bono viro, quòd bonus civis patriæ, bonus vir amicitiæ satisfaciat.

63. *In illis autem*] Allatæ sunt duæ causæ, cur in gratiam cum Cæsare & Pompeio redierit: prima quòd Cicero in reditu suo adjutorem causæ suæ Cæsarem habuisset: altera, quòd Quintus Cicero pro Marco fratre spopondisset, nihil eum contra Cæsaris voluntatem esse facturum. Tertiam nunc addit, malevolentiam nonnullorum optimatum, qui cùm eadem sentirent pro Republicâ, quæ Cicero; tamen ejus laudi invidebant, offendi ab eo Pompeium & Cæsarem gaudebant; & inimicum ejus Clodium unicè diligebant.

64. *Certorum hominum*] Catonem in primis, Bibulum, L. Domitium Cæsaris inimicos significat.

65. *Funditùs*

Digitized by Google

Cæsaremque inimicissimum mihi futurum, gaudere se aiebant. Erat hoc mihi dolendum, sed multò magis illud, quòd [d] inimicum meum (meum autem? imò verò, legum, judiciorum, otii, patriæ, bonorum omnium) sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me præsente osculabantur, non illi quidem ut mihi [e] stomachum facerent (quem ego [65] funditùs perdidi) sed certè ut facere se arbitrarentur. Hîc ego, quantùm humano consilio efficere potui [66] circumspectis rebus omnibus, rationibusque subductis, summam feci cogitationum mearum omnium: quam tibi, si potero, breviter exponam. Ego, si ab improbis & perditis civibus rempublicam teneri viderem, sicut & [67] meis temporibus scimus, & [68] nonnullis aliis accidisse accepimus, [69] non modò præmiis (quæ apud me minimùm valent) sed ne periculis quidem compulsus ullis (quibus tamen moventur etiam fortissimi viri) ad eorum causam me adjungerem, ne si summa quidem eorum in me merita constarent. Cùm autem in republicâ Cn. Pompeius princeps esset (vir is, qui hanc potentiam & gloriam maximis in rempublicam meritis, præstantissimisque rebus gestis esset consequutus, cujusque ego dignitatis ab adolescentiâ fautor, in [70] Præturâ autem & in Consulatu adjutor etiam extitissem) cúmque idem auctoritate & sententiâ per se, consiliis & studiis tecum me adjuvisset, [f] meumque inimicum, unum in civitate haberet inimicum: non putavi famam inconstantiæ mihi pertimescendam, si quibusdam in sententiis paulùm me immutassem, meamque voluntatem ad summi viri, de meque optimè meriti dignitatem aggregassem. In hac sententiâ complectendus erat mihi Cæsar, ut vides, [71] in conjunctâ & causâ & dignitate. Hîc multùm valuit cùm vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi, & Quinto fratri cum Cæsare fuisse, tum humanitas ejus ac liberalitas, brevi tempore & literis & officiis perspecta nobis & cognita. Vehementer etiam res ipsa publica me movit: quæ mihi videbatur contentionem (præsertim maximis rebus à Cæsare gestis) cum illis viris nolle fieri, &, ne fieret, vehementer recusare. Gravissimè autem me in hanc mentem impulit &

INTERPRETATIO.

[d] *Clodium.* [e] *iram commoverent.* [f] *Clodium.*

NOTÆ.

65. *Funditus perdidi*] Sic mihi impero, ut nullâ me re ad iracundiam provocare possit.

66. *Circumspectis*] Omnia diligenter consideravi, rationes pro utraque parte subduxi, quarum summâ factâ, intellexi plura me ad Cæsaris & Pompeii conjunctionem, quàm ad optimatum partes tuendas hortari.

67. *Meis temporibus*] Cùm Cinna, Marius, Sylla rerum potirentur.

68. *Nonnullis aliis*] Decemviris Rempublicam gerentibus.

69. *Non modò*] Videretur addenda negatio, *non modò nullis præmiis*, sed eleganter omitti notat Manutius.

70. *In Præturâ*] Prætor Cicero persuasit, ut Pompeio Mithridatici belli cura traderetur. Idem Consul retulit de supplicationibus decernendis, ob rem à Pompeio benè gestam Mithridatico bello.

71. *In conjunctâ*] Primùm quia Cæsar & Pompeius pleraque communi consilio gesserant.

Digitized by Google

Pompeii fides [72] quam de me Cæsari dederat, & fratris mei, quam Pompeio. Erant præterea hæc animadvertenda in civitate, quæ sunt apud Platonem nostrum scripta divinitùs, QUALES in republicâ principes essent, [72] tales reliquos solere esse cives. Tenebam memoriâ, nobis Consulibus, ea fundamenta jacta ex Kalendis Januar. confirmandi Senatus, ut neminem mirari oporteret, nonis Decembr. tantùm vel animi fuisse in illo ordine, vel [74] auctoritatis. Idemque memineram, nobis privatis, [75] usque ad Cæsarem & Bibulum Consules, cùm sententiæ nostræ magnum in Senatu pondus haberent, [76] unum ferè sensum fuisse bonorum omnium. Posteà, cùm tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque respublica Consules haberet, sed [77] mercatores provinciarum, & seditionum [78] servos ac ministros, [s] jecit quidam casus caput meum, [79] quasi certaminis causa, in mediam contentionem dissensionemque civilem. quo in discrimine, cùm mirifica senatus, incredibilis Italiæ totius, singularis bonorum omnium consensio in me tuendo extitisset, [80] non dicam quid acciderit, (multorum est enim & varia culpa) tantùm dicam brevi, [81] non mihi exercitum, sed duces defuisse. In quo, ut jam sit in iis culpa qui me non defenderunt, non minor est in iis qui reliquerunt: &, si accusandi sunt qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi qui se timere simularunt. Illum quidem certè nostrum consilium jure laudandum est, quòd meos cives, & à me servatos, & me servare cupientes, spoliatos ducibus, * servis armatis objici noluerim, declararique maluerim, quanta vis esse potuisset in consensu bonorum, si iis [82] pro me stante pugnare licuisset, cùm afflictum excitare potuissent: quorum quidem animum tu non perspexisti solùm, cùm de me ageres, sed etiam [83] confirmasti atque

INTERPRETATIO.

*[s] exposuit caput meum contentioni, & dissensioni civili. * Clodianis satellitibus.*

NOTÆ.

72. *Quam de me*] Quintus frater Pompeio, Pompeius Cæsari promiserat, Marcum Ciceronem ejus acta confirmaturum.

73. *Tales reliquos*] Ex quo intellexi, mutatâ optimatum sententiâ, mihi quoque sententiam esse mutandam.

74. *Auctoritatis*] In ferendâ sententiâ contra conjuratos. Nonis Decemb. factum est senatusconsultum de necandis Lentulo, Cethego, aliisque conjuratis.

75. *Usque ad Cæsarem, &c.*] Per triennium.

76. *Unum fuisse*] Mira fuit omnium bonorum hoc toto tempore in tuendâ Republicâ consensio; quia præibat exemplo Tullius. *Quales autem sunt principes civitatis, tales fere sunt reliqui cives.*

77. *Mercatores*] Pisonem & Gabinium, quibus Consulibus à Clodio pulsus est in exilium, mercatores appellat, quia caput Ciceronis, acceptis pretii loco provinciis, Clodio vendiderant.

78. *Servos*] Duce Clodio.

79. *Quasi certaminis*] Ob contentionem ortam inter cives, aliis Ciceroni, aliis Clodio faventibus.

80. *Non dicam*] A quibus desertus sim.

81. *Non exercitum*] Quia Senatus & equester ordo egregiè animati erant; sed deerant duces, Cæsar, & Pompeius, & Crassus.

82. *Pro me stante*] Antequam ejectus abirem in exilium.

83. *Confirmasti*] Cæsarem & Pompeium in causâ Ciceronis tuendâ Lentulus reti-

Digitized by Google

tenuisti. Quâ in causâ (non modò non negabo, sed etiam semper & meminero, & prædicabo libenter) usus es quibusdam nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quàm fuerant iidem in [h] tenendo. quâ in sententiâ [84] si constare voluissent, suam auctoritatem simul cum salute meâ recuperassent. recreatis enim bonis viris consulatu tuo, & constantissimis atque optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompeio præsertim ad causam adjuncto, cùm etiam Cæsar, rebus maximis gestis, singularibus ornatus, & novis honoribus, ac judiciis Senatus, ad auctoritatem ejus ordinis adjungeretur, nulli improbo civi locus ad rempublicam violandam esse potuisset. sed attende, quæso, quæ sint consecuta. Primùm [85] illa furta muliebrium religionum: qui non pluris fecerat bonam Deam, [86] quàm tres sorores, impunitatem est eorum sententiis assecutus, qui, cùm [87] Tribunus plebis pœnas [88] à seditioso cive [89] per bonos viros judicio persequi vellet, exemplum præclarissimum in posterum vindicandæ seditionis, de republicâ [90] sustulerunt: [91] iidemque posteà non meum monumentum, (non enim illæ manu-

INTERPRETATIO.

[h] *in conservando.*

NOTÆ.

nuerat, cùm eos alienare conatus esset Clodius.

84. *Si constare*] Nec obtrectationibus suis, ac præsertim familiaritate Clodii me lædere.

85. *Illa furta*] Exponit iniquam agendi rationem optimatum in diligendo Clodio inimico suo, ut inde colligat Lentulus jure Ciceronem, iis relictis adhæsisse Pompeio & Cæsari. Primùm, inquit, nota sunt Clodii flagitia; scilicet furta muliebrium religionum, cùm Clodius, amore Pompeiæ Cæsaris uxoris, in ædem bonæ Deæ, quò subire viris piaculum erat, veste muliebri clàm est illapsus; ac deprehensus, de violatis bonæ Deæ sacris accusatus est. Hæc triennio ante exilium Ciceronis peracta sunt; quod notandum, ne quis putet superioribus verbis deceptus, post ejus reditum illa contigisse.

86. *Quàm tres sorores*] Qui post sorores suas constupratas, ipsius bonæ Deæ sacra violaverat, is impunitatem est assecutus eorum sententiis, qui, &c. quòd dicitur impunitatem assecutus Clodius, non propterea absolutus Judicum sententiâ dicendus est, sed tantùm non punitus. Quod ipsa vox *impunitas* significat. Deinde loquitur de judicio quodam reditum Ciceronis consecuto, quo judicio Milo Clodium de vi accusavit. Clodius enim, cùm reficeretur domus Ciceronis ex authoritate Senatûs, fabros ex aream expulit, Quinti fratris ædes inflammari jussit, eandemque vim ædibus Milonis paravit: tùm vocatus est in judicium de vi à Milone; sed Judices in Clodium propensi, extrahi judicium passi sunt usque ad Ædilitia comitia, quibus Ædilis creatus Clodius, vocari in judicium non potuit. Id Tullius hoc loco queritur.

87. *Tribunus pl.*] Milo.

88. *A seditioso cive*] Clodio.

89. *Per bonos viros*] Per integros Judices, notat optimates, qui suo hac in re muneri defuerunt.

90. *Sustulerunt*] Non puniendo Clodium.

91. *Iidemque*] Iidemque in atrio libertatis, quod erat non tàm meum, quàm Senatûs monumentum (quia neque manubiis meis erat ornatum, neque meâ authoritate, sed Senatûs, me tamen opus locante, extructum) inscribi cruentas litteras, ac nomen Clodii passi sunt, deletâ priori inscriptione, quam exstare Senatus volebat, ut extaret publicum oppressæ conjurationis monumentum.

Digitized by Google

biæ meæ, sed operis locatio mea fuerat) monumentum verò senatus, [92] hostili nomine, & [93] cruentis inustum literis esse passi sunt. Qui me homines quòd salvum esse voluerunt, est mihi gratissimum: sed vellem, non solùm salutis meæ, quemadmodùm medici, sed etiam, ut [94] aliptæ, [95] virium, & coloris rationem habere voluissent. nunc, ut [96] Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissimâ arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam [97] reliquit: sic quidam homines [98] in capite meo solùm elaborarunt, reliquum corpus imperfectum, ac rude reliquerunt. in quo ego [99] spem fefelli non modò invidorum, sed etiam inimicorum meorum: qui de uno acerrimo, & fortissimo viro, meoque judicio, omnium magnitudine animi, & constantiâ præstantissimo, Q. Metello, L. F. quondam falsam opinionem acceperunt; [100] quem post reditum dictitant, fracto animo, & demisso fuisse. est verò [101] probandum, qui & summâ voluntate cesserit, & egregiâ animi alacritate abfuerit, neque sanè redire curarit, eum ob id ipsum fractum fuisse animo, in quo cùm omnes homines, tùm [102] M. illum Scaurum, singularem virum, constantiâ, & gravitate superasset. Sed, quod de illo acceperant, aut etiam [103] suspicabantur, de me idem cogitabant, abjectiore animo me futurum: cùm respublica majorem etiam mihi animum, quàm unquam habuissem, daret: quæ jam declarasset, sese non potuisse me uno cive carere: cúmque Metellum unius. Tribuni plebis rogatio, me universa respublica, duce Senatu, comitante Italiâ, [104] promulgantibus omnibus, referente Consule, comitiis [105] centuriatis, cunctis ordinibus, hominibusque incumbentibus, omnibus denique suis viribus recuperasset. Neque verò ego mihi posteà quidquam [i] assumpsi, neque hodie assumo, quod quemquam male-

INTERPRETATIO.

[i] *arrogavi.*

NOTÆ.

92. *Hostili nomine*] Clodii, qui hostis patriæ.

93. *Cruentis*] Quasi ex meo cruore confectis: indicant enim meam ejectionem, id est, interitum. Sic Manutius.

94. *Aliptæ*] Qui in Palæstris athletas ungebant oleo, ἀλείφω, ungo.

95. *Virium, & coloris*] Non tantùm revocassent ab exilio, nec salutem duntaxat ut medici, reddidissent; sed colorem quoque & vires, id est, in pristinam dignitatem aliptis similes me restituissent.

96. *Apelles*] Pictor egregius, à quo uno se pingi Alexander voluit. Val. Max.

97. *Reliquit*] Præproperâ morte oppressus.

98. *In capite*] Id est, salutis meæ curam aliquam; nullam dignitatis habuerunt.

99. *Spem fefelli*] Sperarunt enim me, repetitâ exilii mei memoriâ, post reditum segniorem fore ad tuendam rempublicam, quod & Quinto Metello Lucii filio putant, falsò quidem, sed tamen putant contigisse.

100. *Quem post reditum*] Pulsus erat in exilium, quòd L. Saturnini legem de agro Gallico dividendo, per vim latam approbare noluisset.

101. *Probandum*] Quasi uti dicat; quo pacto probare possent fracto animo Metellum fuisse, qui, &c.

102. *M. illum Scaurum*] Patricium, gentis Æmiliæ, sæpè principem Senatûs.

103. *Suspicabantur*] Fit enim sæpè ut adversâ fortunâ frangatur animus.

104. *Promulgantibus*] Omnibus fermè Magistratibus de meo reditu legem promulgantibus.

105. *Comitiis Centuriatis*] Comitia centuriata ea sunt, quibus populus per class-

Digitized by Google

volentissimum jure possit offendere. tantùm enitor, ut neque amicis, neque etiam [105] Alienioribus operâ, consilio, labore desim. Hic meæ vitæ cursus offendit eos fortasse, qui splendorem, & speciem hujus vitæ intuentur, solicitudinem autem, & laborem perspicere non possunt. Illud verò non obscurè queruntur in meis sententiis, quibus ornem Cæsarem, [107] quasi desciverim à pristinâ causâ. Ego autem cùm illa sequor, [108] quæ paulò antè proposui, [109] tùm hoc non in postremis, [110] de quo cœperam exponere. Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, [111] quem reliquisti; qui confirmatus Consulatu nostro, nonnunquàm posteà interruptus & afflictus ante te Consulem, [112] recreatus abs te totus est, nunc ab iis à quibus tuendus fuerat, derelictus: idque non solùm fronte atque vultu (quibus simulatio facillimè sustinetur) ii declarant, qui tum [113] nostro illo statu [114] optimates nominabantur, sed etiam [115] sententia sæpè jam [116] tabellaque docuerunt. Itaque tota jam sapientium civium (qualem me & esse & numerari volo) & sententia & voluntas mutata esse debet. Id enim jubet idem ille Plato, quem ego auctorem vehementer sequor: TANTUM contendere in republicâ quantùm probare tuis civibus possis: vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendæ reipublicæ fuisse, quòd, cùm offendisset populum Athenienſem [117] propè jam desipientem senectute, cúmque eum nec persuadendo, [118] nec cogendo regi posse vidisset, cùm persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quòd, [119] neque desipiente populo, neque integrâ re [120] mihi ad consulendum capesseremne rempublicam implicatus te-

NOTÆ.

sium centurias distributus, suffragium ferebat.

106. *Alienioribus*] Nec amicis, nec propinquis.

107. *Quasi*] Perinde ac si laudando Cæsarem, Reipublicæ essem oblitus.

108. *Quæ paulò antè*] Voluntatem Pompeii, ejus in me merita, fidem ei de me datam, Cæsaris præclarè gesta, &c. quæ me ad utrumque ornandum excitant.

109. *Tùm hoc non*] Non parum me movet, ut Pompeio Cæsarique sim amicus.

110. *De quo*] Redit ad illud unde erat digressus, paulò longiusculè; cœperat exponere sententiam Platonis, qui quales essent in civitate principes, tales esse dicebat reliquos cives, sic ut mutatis principibus, mutaretur etiam status civitatis; eandem sententiam nunc repetit, ut probet commutatâ civitate se ab instituto vitæ cursu deflectere tantillùm potuisse.

111. *Quem reliquisti*] Discedens in Ciliciam cum Proconsulari dignitate.

112. *Recreatus*] Oppresserat enim Clodius, Pisone & Gabinio Consulibus, authoritatem Senatûs.

113. *Nostro illo statu*] Cùm florerem in Republicâ.

114. *Optimates*] Defensores Reipub.

115. *Sententiâ*] In Senatu, ubi cupiditati suæ, non civium commodis serviunt.

116. *Tabellâ*] In suffragiis, quibus absolvunt eos quos puniri oportebat.

117. *Propè jam desipientem*] Ex longo peccandi usu, adeò ut nullis remediis videretur sanari posse.

118. *Nec cogendo*] Quia vim patriæ afferre non licet.

119. *Neque desipiente*] Quia nondum morbus inveteraverat: Consule enim Lentulo, florebat adhuc Respublica bonorum virorum consiliis.

120. *Mihi*] Ut Platoni, qui Rempublicam cùm nunquam attigisset, consulere poterat, utrùm illam attingeret, necne:

nebar. Sed lætatus tamen sum quòd mihi liceret in eadem causâ & mihi [121] utilia, & cuivis bono recta defendere. Huc accessit commemoranda quædam & divina Cæsaris in me fratremque meum liberalitas: qui mihi quascumque res gereret, tuendus esset, nunc in tantâ felicitate, [122] tantisque victoriis, etiamsi in nos non is esset qui est, tamen ornandus videretur. Sic enim te existimare velim, [123] cùm à vobis meæ salutis auctoribus discesserim, neminem esse, cujus officiis tam esse devinctum non solùm confitear, sed etiam gaudeam. Quod quoniam tibi exposui, [124] facilia sunt ea quæ à me de Vatinio & de Crasso requiris. Nam de Appio quod scribis, sicut de Cæsare, [125] te non reprehendere, gaudeo tibi consilium probari meum. De Vatinio autem, primùm reditus intercesserat in gratiam per Pompeium, statim ut ille Prætor est factus, cùm quidem ego ejus petitionem, gravissimis in senatu sententiis oppugnassem: neque tam illius lædendi causâ, quàm defendendi atque ornandi Catonis: pòst autem Cæsaris, ut illum defenderem, mira contentio est consecuta. Cur autem laudarim, peto à te ut id à me néve in hoc reo, néve in aliis requiras: ne tibi ego idem reponam, cùm veneris: tametsi possum vel absenti. Recordare enim [127] quibus laudationem [128] ex ultimis terris miseris. Nec hoc pertimueris. nam à me ipso laudantur & laudabuntur iidem. [129] Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam ille stimulus, de quo in judicio, cùm illum defenderem, dixi me facere, quiddam quod [130] in Eunucho parasitus suaderet militi.

NOTÆ.

ego verò ejus pridem administratione implicatus tenebar.

121. *Utilia*] Utilia ob conjunctionem cum potentioribus: recta, & honesta, quia ipsi qui potentiores sunt, benè de Republicâ meriti sunt.

122. *Tantisque victoriis*] Quas in Galliâ retulit.

123. *Cùm à vobis discesserim*] Vobis tamen exceptis, per quos restitutus in patriam, salutem recuperavi.

124. *Facilia sunt*] Quia conjuncta & communis omnium illorum causa est.

125. *Te non reprehendere*] Reditum in gratiam cum Appio: reconciliati sunt ambo per Pompeium, cujus filio nupta erat Appii filia. De Appio consule indicem historicum.

126. *Primùm reditus*] Quæris cur Vatinium laudarim? Dicam primùm cur cum eo redierim in gratiam, reconciliavit nos Pompeius; statim atque Vatinius Prætor factus est, quem ego petentem Præturam, vehementer oppugnavi, non tàm ut illum læderem, quàm ut juvarem competitorem ejus Catonem, qui tamen victus est. Deinde, rogatu Cæsaris, eumdem accusatum de ambitu defendi; immò etiam laudavi. Defendebant tres patroni, laudabant viri clarissimi civitatis, vel præsentes, vel per litteras, ut reis gratiam apud Judices conciliarent.

127. *Quibus*] Recordare enim quos laudaris, eos scilicet de quibus non optimè sentiebas.

128. *Ex ultimis terris*] Hispaniâ citeriori, quam anno superiori cum imperio obtinebas; vel ex Ciliciâ, quam nunc obtines.

129. *Sed tamen*] Ob eam quoque rationem defendi Vatinium, ut par pari referrem optimatibus, qui mihi ut stomachum facerent, fovebant, & amplexabantur Clodium: ego quoque, injuriam ut injuriâ repellam, Vatinium defendi, optimatibus invisum.

130. *In Eunucho*] Comœdiâ Terentianâ, inscriptâ, *Eunuchus*, Parasitus gnatho

Digitized by Google

[131] Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuò. si quando illa dicet, Phædriam
Comessatum intromittamus: tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. si laudabit hæc
Illius formam: tu hujus contra. denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Sic petivi à Judicibus, ut, quoniam quidam nobiles homines, & de me optimè meriti nimis amarent [132] inimicum meum, meque inspectante sæpè eum in senatu modò [133] severè seducerent, modò familiariter, atque hilarè amplexarentur: quoniamque illi haberent [134] suum Publium, darent mihi ipsi [135] alium Publium, in quo possem eorum animos mediocriter lacessitus leviter repugnare. neque solùm dixi, sed etiam sæpè facio, diis, hominibusque approbantibus. Habes de Vatinio, cognosce de Crasso. Ego, cùm mihi cum illo magna jam gratia esset, quòd ejus omnes gravissimas injurias, communis concordiæ causa, voluntariâ quadam oblivione [136] contriveram: repentinam [137] ejus defensionem Gabinii, quem proximis superioribus diebus acerrimè oppugnasset, tamen, si sine ullâ meâ contumeliâ suscepisset, tulissem: sed, cùm me [138] disputantem, non lacessentem, læsisset, exarsi, non solùm præsenti, credo, iracundiâ, (nam ea tam vehemens fortasse non fuisset) sed cùm inclusum illud odium multarum [k] ejus in me injuriarum, quod ego [139] effudisse me omne arbitrabar, residuum tamen insciente me fuisset, omne repentè [140] apparuit. Quo quidem tempore ipso quidam homines, & iidem illi, quos sæpè [141] nutu, significationeque appello, cùm se maximum fructum cepisse dicerent [142] ex libertate meâ, meque tùm deni-

INTERPRETATIO.

[k] *Crassi.*

NOTÆ.

suaderet militi Thrasoni, ubi, &c.

141. *Ubi nominabit*] Statim ut Thaïs meretricula nominabit Phœdriam rivalem Thrasonis, tu Thraso continuò Pamphilam nominato, ut suspicetur Thaïs Pamphilam à te amari, si quando Thaïs dicat, intromittamus Phædriam ad convivium, dic tu, ut meretriculam repungas, Pamphilam provocemus ad canendum.

132. *Inimicum meum*] Clodium.

133. *Severè seducerent*] Id est, sevocarent quasi res magni ponderis in aurem dicturi.

134. *Suum Publium*] Clodium.

135. *Alium Publium*] In Vatinio, in quo tuendo obtrectatores meos repungerem.

136. *Contriveram*] Privatas injurias communis concordiæ causâ volens oblitteraveram.

137. *Ejus defensionem*] Defensionem Gabinii susceptam à Crasso, id est, non expectatam, cùm antea idem Crassus Gabinium oppugnasset.

138. *Disputantem*] Cùm sententiam in senatu dicerem, nec lacesserem Crassum, ipse me lacessivit.

139. *Effudisse*] Quando privatas simultates in gratiam patriæ deposui.

140. *Apparuit*] Significat vetus suum odium erga Crassum, quod oblivione sepultum putabat, resedisse occultum in pectore, deinde repentè erupisse.

141. *Nutu*] Neminem horum nominatim appellat.

142. *Ex libertate*] In Republicâ tuendâ, oppugnandisque potentioribus, Pompeio scilicet, Crasso, & Cæsare: quæ li-

Digitized by Google

que sibi esse visum reipublicæ qualis fuissem, restitutum, cúmque ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset: gaudere se dicebant, mihi & illum [143] inimicum, & eos, qui in eadem causâ essent, nunquam amicos futuros. quorum iniqui sermones cùm ad me per homines honestissimos perferrentur, cúmque Pompeius ita contendisset, ut nihil unquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam, Cæsarque per literas maximâ se molestiâ ex illâ [144] contentione affectum ostenderet: habui non [145] temporum solùm rationem meorum, sed etiam [146] naturæ: Crassusque, ut quasi testata populo Romano esset nostra gratia, penè à meis Laribus in provinciam est profectus. nam cùm mihi [147] condixisset, cœnavit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Quamobrem ejus causam, quod te scribis audisse, magnâ illius commendatione susceptam, defendi in senatu, sicut mea fides postulabat. Accepisti, quibus rebus adductus, quamque rem, causamque defenderim, [148] quique meus in republicâ sit pro meâ parte capessendâ status. de quo sic velim statuas, me hæc eadem sensurum fuisse, [149] si mihi integra omnia ac libera fuissent. nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes, neque delendum, etiam si id fieri posset, summorum civium principatum: neque permanendum in unâ sententiâ, conversis rebus, ac bonorum voluntatibus immutatis, sed temporibus assentiendum. NUNQUAM enim præstantibus in republicâ gubernandâ viris laudata est in unâ sententiâ perpetua permansio. sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum [1] tenere non queas; cùm verò id possis, mutatâ velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum quem ceperis, potiùs quàm, eo commutato, quò velis tamen pervenire: sic, cùm omnibus nobis in administrandâ republicâ propositum esse debeat, id quod à me sæpissimè dictum est, cum dignitate otium, NON idem semper dicere, sed idem semper [150] spectare debemus. Quamobrem, ut paulò antè posui, si essent omnia mihi solutissima, tamen in republicâ non alius essem atque nunc

INTERPRETATIO.

[1] *attingere.*

NOTÆ.

bertas maximè enituit in oratione contra Vatinium.

143. *Inimicum*] Pompeium, cui cum Cæsare & Crasso communis erat causa, idemque propositum Rempublicam opprimendi.

144. *Ex illâ contentione*] In quâ odium meum vetus erga Crassum apparuit.

145. *Temporum*] Exilii, quo admonebar, ut potentiorum animos non læderem, ne salus iterum mea in discrimen veniret.

146. *Naturæ*] Sed indolis meæ, quæ placari est facilis, & à contentione abhorret.

147. *Condixisset*] Denunciasset se apud Ciceronem cœnaturum.

148. *Quique meus*] Et qui sit meus in Republicâ administrandâ status, ad me quod attinet.

149. *Si mihi integra*] Quamvis integrum mihi esset Pompeium, Cæsarem & Crassum oppugnare, idem sentirem faciendum in Republicâ, quod facio.

150. *Spectare*] Nempè bonum Reipublicæ.

151. *Homines*

Digitized by Google

ſum. Cùm verò in hunc ſenſum & alliciar beneficiis [151] hominum, & compellar [152] injuriis, facilè patior ea me de republicâ ſentire ac dicere, quæ maximè cùm mihi, tùm etiam reipublicæ rationibus putem conducere. Apertiùs autem hæc ago, ac ſæpiùs quòd & Quintus, frater meus, [153] legatus eſt Cæſaris, & nullum meum [154] minimum dictum, non modò factum, pro Cæſare interceſſit, quod ille non ita illuſtri gratiâ exceperit, ut ego eum mihi devinctum putarem. Itaque ejus omni & gratiâ, quæ ſumma eſt, & opibus, quas intelligis eſſe maximas, ſic fruor ut meis. nec mihi aliter potuiſſe videor hominum perditorum de me conſilia frangere, niſi cum præſidiis iis quæ ſemper habui, nunc etiam potentium benevolentiam conjunxiſſem. His ego conſiliis ſi te præſentem habuiſſem (ut opinio mea fert) eſſem uſus eiſdem. Novi enim temperantiam & moderationem naturæ tuæ: novi animum tùm mihi amiciſſimum, tùm nullâ [155] in cæteros malevolentiâ [m] ſuffuſum, contraque cùm magnum & excelſum, tùm etiam apertum & ſimplicem. Vidi ego quoſdam [156] in te tales, quales tu eoſdem in me videre potuiſti. quæ me moverunt, [157] moviſſent eadem te profectò. ſed, quocunque tempore mihi poteſtas præſentis tui fuerit, tu eris omnium moderator conſiliorum meorum: tibi erit eidem, cui ſalus mea fuit, etiam dignitas curæ. Me quidem certè tuarum actionum, ſententiarum, voluntatum, rerum denique omnium ſocium comitemque habebis: neque mihi in omni vitâ res tam erit ulla propoſita, quàm ut quotidie vehementiùs te de me optimè meritum eſſe lætere. Quòd rogas ut mea tibi ſcripta mittam, quæ poſt diſceſſum tuum ſcripſerim: ſunt orationes quædam, quas [158] Menocrito dabo, neque ita multæ [159] ut pertimeſcas. Scripſi etiam (nam etiam ab orationibus disjungo me ferè, referoque ad [160] manſuetiores muſas, quæ me maximè, ſicut jam à primâ adoleſcentiâ delectarunt) ſcripſi igitur [161] Ariſtotelico more, quemadmodùm quidem volui, tres libros in diſputatione ac dialogo de Oratore: quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles.

INTERPRETATIO.

[m] *infectum.*

NOTÆ.

151. *Hominum*] Cæſaris & Pompeii.

152. *Injuriis*] Quorumdam optimatum, qui ſplendori meo invident.

153. *Legatus.*] In Galliâ.

154. *Minimum meum dictum*] Nihil non modò feci pro Cæſare, ſed ne dixi quidem, quòd ſummi beneficii in loco non habuerit, & eo nomine multùm ſe mihi debere non profiteatur.

155. *In cæteros*] Eóque diſſimilis es optimatibus cæteris.

156. *In te tales*] Malevolos nimirùm, & obtrectatores.

157. *Moviſſent*] Ut ſuaderes mihi faciendum quod feci.

158. *Menocrito*] Lentuli ſervo.

159. *Ut pertimeſcas*] Jocus, quaſi ſcripta ſua ſi fuiſſent longiora, moleſta Lentulo futura fuiſſent.

160. *Manſuetiores*] Manſuetiores Muſas vocat ea ſtudia, quæ à ſolenni tumultu ſemota, privatim ac domi coluntur.

161. *Ariſtotelico more*] Non vulgari, ſed exquiſitâ quadam arte, uniuſque Ariſtotelis propriâ.

Digitized by Google

abhorrent enim à communibus præceptis, & omnem antiquorum & Aristotelicam, & [162] Isocraticam rationem oratoriam complectuntur. Scripsi etiam versibus tres libros de [163] temporibus meis: quos jampridem ad te misissem, si esse edendos putassem. sunt enim testes, & erunt sempiterni meritorum tuorum erga me, meæque in te pietatis. [164] Sed, quia verebar, non eos qui se læsos arbitrarentur (etenim id feci parcè & molliter) sed eos quos erat infinitum benè de me meritos omnes nominare. Quos tamen ipsos libros, si quem cui rectè committam, invenero, curabo ad te perferendos. Atque istam quidem partem vitæ consuetudinisque nostræ totam ad te defero. quantùm literis, quantùm studiis, veteribus nostris delectationibus consequi potuimus, [165] id omne ad arbitrium tuum, qui hæc semper amasti, libentissimè conferemus. Quæ ad me de tuis rebus domesticis scribis, quæque mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri, rogari verò sine magno dolore vix possim. Quod de Quinti fratris negotio scribis, te priore æstate, quòd morbo impeditus in [166] Ciliciam non transieris, conficere non potuisse, nunc autem omnia facturum ut conficias: id scito esse ejusmodi, ut frater meus verè existimet, adjuncto isto fundo patrimonium fore suum per te constitutum. Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui, nostrique studiis, & [167] exercitationibus velim quamfamiliarissimè certiorem, & quamsæpissimè facias: existimesque neminem cuiquam neque cariorem, neque jucundiorem unquam fuisse, quàm te mihi: idque me, non modò ut tu sentias, sed ut omnes gentes, etiam ut posteritas omnis intelligat, esse facturum. Appius in sermonibus anteà dictitabat, postea dixit etiam in senatu palàm, sese, si licitum esset [168] legem curiatam ferre, [169] sortiturum esse cum collegâ provinciam: [170] si curiata lex non esset, [171] se paraturum cum collegâ, tibique successurum: legem curiatam Consuli ferri [172] opus esse, necesse non esse: se, quoniam ex S. C. [173] provinciam haberet,

NOTÆ.

162. *Isocraticam*] Hic Isocrates alius est ab illo Isocrate discipulo Socratis; vixitque temporibus Aristotelis.

163. *Temporibus*] De exilio meo, & reditu in urbem.

164. *Sed*] Sed eos non misi, quia verebar, &c.

165. *Totum id ad arbitrium*] Totum id arbitrio tuo permitto.

166. *Ciliciam*] Partem provinciæ tuæ.

167. *Exercitationibus*] Oratoriis.

168. *Legem Curiatam*] Lex Curiata erat, quæ Curiatis Comitiis ferebatur. Comitia Curiata fiebant, cùm populus per curias congregabatur.

169. *Sortiturum*] Lege Curiatâ vetitum erat Consulibus Prætoribusque in provincias succedere, nisi priùs eas inter se sortiti essent.

170. *Si Curiata*] Ob intercessionem alicujus Tribuni plebis.

171. *Se paraturum*] Partiturum cum collegâ Domitio. Consules vel sortiebantur provincias, vel comparabant inter se; id est, conveniebant inter se utram utri caperent.

172. *Opus esse*] Dixit Appius, partes equidem esse Consulis, ferre legem Curiatam; verùm ad id cogi non posse. Consulatur index historicus in Appio.

173. *Provinciam*] Nullam habebat nominatim; sed tantùm factum erat senatusconsultum de ambobus Consulibus in provincias mittendis.

Digitized by Google

lege Corneliâ imperium habiturum, [174] quoad in urbem introiisset. Ego quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio: varias esse opiniones intelligo. Sunt qui putent non posse te decedere, quòd sine lege curiatâ tibi succedatur: sunt etiam qui, si decedas, à te relinqui posse, qui provinciæ præsit. Mihi non tam de jure certum est, (quanquam ne id quidem valdè dubium est) quàm illud, ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, quâ te scio libentissimè solere frui, pertinere, te sine ullâ morâ provinciam successori [175] concedere: præsertim cùm sine suspicione [176] tuæ cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare. ego utrumque puto meum esse, &, quod sentiam, ostendere: &, quod feceris, defendere.

SCRIPTA jam epistolâ superiore, accepi tuas literas [177] de publicanis: quibus æquitatem tuam non potui non probare. [178] felicitate autem, quod vellem, consequi potuisses, ne ejus ordinis, quem semper ornasti, rem, aut voluntatem offenderes. equidem non desinam tua decreta defendere: sed nosti consuetudinem hominum. scis quàm graviter inimici illi ipsi [179] Q. Scævolæ fuerint. tibi tamen sum auctor, ut quibus rebus possis, eum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. id etsi difficile est, tamen mihi videtur esse prudentiæ tuæ. Vale.

NOTÆ.

174. *Quoad in urbem*] Inde colligitur lege Corneliâ imperium à Proconsule tandiu retentum, donec introiret in urbem.

175. *Concedere*] Etiam sine lege Curiatâ succedente. Nota hîc Proconsulem potuisse abire in provinciam sine lege Curiatâ, sed nunc ei viaticum ex publico non suppeditari: quare dicit Appius, legem hanc utilem quidem esse, non verò necessariam.

176. *Tuæ cupiditatis*] In retinendâ diutiùs provinciâ.

177. *De Publicanis*] Contra quos decreta fecisti, ne provinciæ molesti essent.

178. *Felicitate*] Vellem te sic felicem esse, ut hunc ordinem (Publicanorum) non offenderes, maximâ enim authoritate valent.

179. *Q. Scævolæ*] Qui Prætor eos offenderat.

EPISTOLA X.

Valerio significat se gratias egisse Lentulo de beneficiis in ipsum collatis. De cetero jocosa est, & referta salibus Epistola.

M. Cicero S. D. L. Valerio Jurisconsulto.

[1] CUR enim tibi hoc non gratificer, nescio: præsertim cùm his temporibus, [2] audaciâ pro sapientiâ liceat uti. [3] Lentulo nostro egi per literas

NOTÆ.

1. *Cur enim*] Cur te Jurisconsultum non appellem, quamquam Jurisconsultus non sis. Consule inscriptionem Epistolæ, *Valerio Jurisconsulto.*

2. *Audaciâ*] Causam addit, quia plerique Jurisconsulti nominantur, qui sunt in jure minimè versati; sed audaces, sibique præfidentes: cùm tu igitur non idem facias, cur non tibi, tanquam Jurisconsulto gratificer? Juris tamen peritum non fuisse Valerium ex aliis epistolis liquet lib. 3. ad Appium: *L. Valerium Jurisconsultum valdè tibi commendo, etiamsi non est Jurisconsultus: meliùs enim ei cavere volo, quàm ipse aliis solet.*

3. *Lentulo*] Ciliciam, in quâ tùm versabatur Valerius, administranti.

Digitized by Google

tuo nomine gratias diligenter. sed tu velim desinas jam nostris literis uti, & nos aliquando revisas, & ibi malis esse, ubi [4] aliquo numero sis, quàm istic ubi solus sapere videare. quanquam qui istinc nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quòd nihil respondeas. partim contumeliosum, quòd [5] [6] malè respondeas. Sed jam cupio tecum coram jocari. quare fac, ut quamprimùm venias: neque in [7] Apuliam tuam accedas, ut possimus salvum venisse gaudere. nam [8] illò si veneris, tanquam [9] Ulisses, cognosces tuorum neminem.

NOTÆ.

4. *Aliquo numero*] Uti reliquos inter Jurisconsultos nomen hîc aliquod obtineas: Perpetuus jocus.

5. *Quòd nihil*] Valerius nihil respondebat, quia rarò, propter imperitiam, consuebatur: id autem Tullius joco eleganti in ejus superbiam confert.

6. *Quòd malè*] Lepidè: non enim, quia contumeliosus erat, sed quia juris & legum ignarus, malè respondebat.

7. *In Apuliam*] Ne tuo nos, qui hîc Romæ sumus, aspectu prives.

8. *Illò*] In Apuliam.

9. *Tanquam Ulisses*] Qui ob diuturnam absentiam à nemine suorum cognitus est: hæc autem Valerio cur tribuit? an quòd à patriâ longiùs abfuisset, an potiùs, ut conjicit Manutius, perstringitur jocosè ejus ignobilitas? ut dicat Cicero: *Nemo te cognoscet, quia obscuro loco natus es.*

LIBER II.

AD CURIONEM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Excusat se Curioni de litterarum infrequentiâ; ad gloriam & virtutem hortatur; suam illi demùm senectutem commendat. Domitio Calvino, & Valerio Messala Coss. anno urbis conditæ septingentesimo.

M. Cicero s. d. C. [1] Curioni.

QUANQUAM me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo: tamen non tam mihi molestum fuit, accusari abs te officium meum quàm jucundum requiri: præsertim cùm, in quo accusabar, culpâ [2] vacarem: in quo autem desiderare te significabas meas literas, præ te ferres [3] perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem & optatum amorem tuum. equidem neminem prætermisi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui literas non dederim. etenim quis est tam in scribendo impiger, quàm ego?

NOTÆ.

1. *Curioni*] Consule indicem historicum.

2. *Vacarem*] Quia in scribendo minimè negligens fui.

3. *Perspectum*] Exilii mei tempore.

Digitized by Google

à te verò bis, terve ad ſummum, & eas perbreves accepi. quare ſi iniquus es in me Judex: condemnabo eodem ego te crimine. ſin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis. Sed de literis hactenus. non enim vereor, ne non ſcribendo te expleam: præſertim ſi in eo genere ſtudium meum non aſpernabere. Ego, te [4] abfuiſſe tàm diù à nobis, & doleo, quòd carui fructu jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ: & lætor, quòd abſens omnia cum maximâ dignitate es conſecutus, quódque in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna reſpondit. Breve eſt, quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit. Tanta eſt expectatio vel animi, vel ingenii tui: ut ego te obſecrare, obteſtarique non dubitem, ſic ad nos [5] confirmatus revertare, ut quam expectationem tui concitaſti, hanc ſuſtinere, ac tueri poſſis. Et quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio: te rogo, ut memineris, quantæcunque tibi acceſſiones fient & fortunæ, & dignitatis, eas te non potuiſſe conſequi, niſi meis puer olim fideliſſimis, atque amantiſſimis conſiliis paruiſſes. quare hoc animo in nos eſſe debebis, ut ætas noſtra jam [6] ingraveſcens, in amore, atque in adoleſcentiâ conquieſcat tua. Vale.

NOTÆ.

4. *Abfuiſſe*] In Aſiâ Curio verſabatur.

5. *Confirmatus*] Paratus ad ſuſtinendam expectationem quam de ſe concitaverat.

6. *Ingraveſcens*] Attigerat quinquageſimum quartum ætatis annum.

EPISTOLA II.

Scribit de obitu patris, ſeque illi parentis futurum loco pollicetur. Eodem anno.

Cicero S. D. Curioni.

GRAVI [1] teſte privatus ſum amoris ſummi erga te mei, patre tuo [2] clariſſimo viro: qui, cùm ſuis laudibus, tùm verò te filio, ſuperaſſet omnium fortunam, ſi ei contigiſſet, ut te antè videret, quàm à vitâ diſcederet. ſed ſpero noſtram amicitiam non egere teſtibus. tibi patrimonium dii [3] fortunent. me certè habebis, cui carus æquè ſis, & perjucundus, ac fuiſti patri. Vale.

NOTÆ.

1. *Teſte*] Curio adoleſcens in gratiam irati patris, Tullii operâ, redierat.

2. *Clariſſimo viro*] Conſulari ſcilicet, ac triumphali. Val. Max. lib. 9. c. 1. frugalitatem in eo laudat; nequitiam in filio reprehendit.

3. *Fortunent*] Ut damni nihil facias.

Digitized by Google

EPISTOLA III.

Admonet Curionem, ut virtute, non muneribus & spectaculis, populum sibi conciliet. Eodem anno.

Cicero S. D. Curioni.

[1]RUPÆ studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine: sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quidquam te absente fieri quod tibi, cùm venisses, [2] non esset integrum. Meam quidem sententiam aut scribam ad te posteà pluribus; aut, ne ad eam meditere, [3] imparatum te offendam, corámque contra [4] istam tuam rationem, [5] meam dicam: ut aut te in meam sententiam adducam, aut certè testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim: ut, si quando, quod nolim, [6] displicere tibi tuum consilium cœperit, possis meum recordari. Brevi tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quæ tibi naturâ, studio, fortunâ data sunt, faciliùs omnia quæ sunt in republicâ amplissima, consequi possis, quàm muneribus: quorum neque [7] facultatem quisquam admiratur: (est enim copiarum, non virtutis) neque quisquam est, quin [8] satietate jam defessus sit. Sed aliter atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiæ meæ. quare omnem hanc disputationem in adventum tuum differo. Summa scito in expectatione te esse, eaque à te expectari, quæ à summâ virtute, summoque ingenio expectanda sunt, ad quæ si es, ut debes, paratus (quod ita esse confido) plurimis, maximisque [9] muneribus & nos amicos, & cives tuos universos, & rempublicam afficies. illud profectò cognosces, mihi te neque cariorem, neque jucundiorem esse quenquam. Valè.

NOTÆ.

1. *Rupæ*] Rupæ liberto tuo voluntas non defuit promittendi populo, nomine tuo, munera.

2. *Non esset integrum*] Ut id faceres, vel omitteres, prout ex amicorum tuorum concilio Romæ judicares.

3. *Imparatum*] Ne quid objicere possis.

4. *Istam tuam rationem*] Quâ adductus es, ut munera populo Romano promitti velles.

5. *Meam*] Quâ adducor ut te dissuadeam à muneribus populo dandis.

6. *Displicere*] Displicuit sanè: nam alieno oppressus ære, cùm neque creditoribus facere satis, nec temporis prorogationem obtinere posset, relicto Reipublicæ patrocinio, totum se addixit Cæsari. Consule indicem historicum.

7. *Facultatem*] Magnitudinem, abundantiam.

8. *Satietate*] Tales enim ludi sæpè jam coram populo exhibiti sunt.

9. *Muneribus*] Si virtute præcellas, hoc erit amplissimum munus, quo & cives, & amicos ornare possis.

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

Hortatur Curionem ad ſtudium virtutis, ut expectationi, quam ſui fecit, reſpondeat. Eodem anno.

Cicero S. D. Curioni.

EPISTOLARUM genera multa eſſe non ignoras, ſed unum illud certiſſimum, cujus cauſa inventa res ipſa eſt, ut certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet. Hujus generis literas à me profectò non expectas. tuarum enim rerum domeſticarum habes & ſcriptores, & nuntios: in meis autem rebus nihil eſt ſanè novi. Reliqua ſunt epiſtolarum genera duo, quæ me magnoperè [1] delectant: unum familiare, & jocoſum: alterum ſeverum, & grave. utro me minùs deceat uti, non intelligo. Jocerne tecum per literas? civem mehercule non puto eſſe, qui [2] temporibus his ridere poſſit. An gravius aliquid ſcribam? quid eſt, quod poſſit graviter à Cicerone ſcribi ad Curionem, niſi de republicâ? atque in hoc genere hæc mea cauſa eſt, ut neque ea quæ nunc ſentio, [3] velim ſcribere. Quamobrem quoniam mihi nullum ſcribendi argumentum relictum eſt, utar eâ clauſulâ, quâ ſoleo: teque ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor. eſt enim tibi gravis [4] adverſaria conſtituta & parata, incredibilis quædam expectatio: quam tu una re facillimè vinces, [5] ſi hoc ſtatueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis eſſe elaborandum. In hanc ſententiam ſcriberem plura, niſi te tuâ ſponte ſatis incitatum eſſe confiderem: & hoc, quidquid attigi, non feci inflammandi tui cauſâ, ſed teſtificandi amoris mei. Vale.

NOTÆ.

1. *Delectant*] Quæ tamen uſurpare non licet.

2. *Temporibus*] Quæ ad interitum Reipublicæ vergunt, ob nimiam Pompeii & Cæſaris potentiam.

3. *Velim ſcribere*] Ne Cæſarem & Pompeium, quibuſcum in gratiam redierat, offenderet.

4. *Adverſaria*] Eò quòd acriter Curioni erat connitendum, ut expectationem quam ſui reliquerat, ſuſtineret, aut vinceret.

5. *Si hoc ſtatueris*] Si ſtatuas in his artibus tibi eſſe laborandum, quibus eæ laudes comparantur, quarum gloriam adamaveris.

EPISTOLA V.

Gratulatur Curioni, quòd Romæ non ſit, ubi Reſpublica laborat domeſticis malis; & ibi ſit, ubi laudem ex rectè factis conſequatur. Poſtremò eum ad Reipublicæ defenſionem excitat. Eodem anno.

Cicero S. D. Curioni.

[1] HÆC negotia quo modo ſe habeant, ne [2] epiſtolâ quidem narrare audeo tibi. etſi, ubicunque es, ut ſcripſi ad te anteà, in eadem

NOTÆ.

1. *Hæc negotia*] Quis ſit præſens Reipublicæ ſtatus.

2. *Ne epiſtolâ*] Dicere enim, aut ſcribere quid ſentias periculoſum, ob Pompeii & Cæſaris potentiam.

Digitized by Google

es [3] navi: tamen, quòd abes, gratulor: vel quia non vides ea quæ nos: vel quòd excelso, & illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum & sociorum, & civium conspectu: quæ ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed & clarissimâ, & unâ omnium voce perfertur. Unum illud nescio, gratulerne tibi, an timeam, quòd mirabilis est expectatio reditûs tui: non quò verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat: sed mehercule, ne, cùm veneris, non [4] habeas jam, quod cures: ita sunt omnia debilitata, jam propè & extincta. Sed hæc ipsa, nescio, rectène sint literis commissa. quare cætera cognosces ex aliis. Tu tamen, sive habes aliquam spem de republicâ; sive [5] desperas, ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo cive, ac viro debent, qui sit rempublicam afflictam, & oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus in veterem libertatem, ac dignitatem vindicaturus. Vale.

NOTÆ.

3. *Es navi*] In eodem versaris discrimine: qui enim eadem vehuntur navi, idem illis naufragii periculum impendet.

4. *Non habeas*] Mederi non possis Reipublicæ, quæ fracta ac debilitata est.

5. *Desperas*] Contende tamen, ut boni saltem civis officium impleas.

EPISTOLA VI.

Milonem Curioni summo studio commendat in petitione Consulatûs. Eodem anno.

Cicero S. D. Curioni.

NONDUM erat auditum, te ad Italiam adventare, cùm Sex. Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te literis misi: sed tamen, cùm appropinquare tuus adventus putaretur, & te jam ex Asiâ Romam versus profectum esse constaret: magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis citò mitteremus, cùm has ad te quamprimùm perferri literas magnoperè vellemus. Ego, si mea in te essent officia solùm, Curio, tanta, quanta magis à te ipso prædicari, quàm à me ponderari solent: verecundiùs à te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem. GRAVE est enim homini [a] pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo se benè meritum putet: ne id, quod petat, exigere magis, quàm rogare, & in mercedis potiùs, quàm beneficii loco numerare videatur. sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsâ [1] novitate meorum temporum clarissima & maxima extiterunt. ESTQUE animi [b] ingenui, cui multùm debeas, eidem plurimùm velle debere: non dubitavi id à te per literas petere, quod mihi omnium esset ma-

INTERPRETATIO.

[a] *modesto.* [b] *candidi.*

NOTÆ.

1. *Novitate*] Cùm mutatâ fortunâ in exilium abiit.

2. *In*

Digitized by Google

ximum, maximéque necessarium. neque enim sum vesitus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem : cùm præsertim confiderem, nullam esse gratiam tantam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando, cumulandoque illustrare possit. Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem [2] in Milonis Consulatu fixi, & locavi : statuique, in eo me non officii solùm fructum, [3] sed etiam pietatis laudem debere quærere. Neque verò cuiquam salutem, ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto, quantæ mihi sit honos ejus : in quo omnia mea posita esse decrevi. Huic te unum tanto adjumento esse, si volueris, posse intelligo, ut nihil sit prætereà nobis requirendum. Habemus hæc omnia : bonorum studium conciliatum [4] ex Tribunatu, propter nostram (ut spero te intelligere) causam : vulgi, ac multitudinis propter magnificentiam [5] munerum, liberalitatemque naturæ: juventutis, & [6] gratiosorum in suffragiis, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam : nostram suffragationem si [7] minùs potentem, at probatam tamen, & justam, & debitam, & propterea fortasse etiam [8] gratiosam. [9] Dux nobis, & auctor opus est, & eorum [10] ventorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator. qui si ex omnibus unus optandus esset, quem tecum conferre possemus, non haberemus. quamobrem, si me memorem, si gratum, si bonum virum [11] vel ex hoc ipso, quòd tam vehementer de Milone laborem, existimare potes, si dignum denique tuis beneficiis judicas : hoc à te peto, ut subvenias huic meæ solicitudini, ut huic meæ laudi, vel (ut verius dicam) [12] propè saluti tuum studium dices. De ipso T. Annio tantùm tibi polliceor, te majoris animi, gravitatis, constantiæ, benevolentiæ erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem. mihi verò tantùm decoris, tantùm dignitatis adjunxeris, ut eundem te facilè agnoscam fuisse [13] in laude meâ, qui fueris [14] in salute. Ego, ni te videre scirem, cùm hæc ad te scriberem,

NOTÆ.

2. *In Milonis Cons.*] In muniendâ Miloni ad Consulatum viâ.

3. *Sed etiam pietatis*] Tanta sunt Milonis in me merita, ut non officio solùm, tanquam amicus, sed etiam pietate velut parens colendus sit.

4. *Ex Tribunatu*] Tribunus multos sibi conciliavit, quia causam Ciceronis summo studio amplexus est, eumque revocandum ab exilio curavit, quo nihil facere potuit populo jucundius.

5. *Munerum*] Ludorum, quos Ædilis exhibuit.

6. *Gratiosorum*] Habemus & eorum studium, qui sunt in suffragiis officiosi, quia ipsemet Milo in eo genere, id est in suffragiis officiosus est.

7. *Si minùs potentem*] Modestiæ causâ, authoritatem & gratiam suam elevat.

8. *Gratiosam*] Erit enim grati animi indicium.

9. *Dux*] Quem sequantur ii quos sibi Milo conciliavit, & quo authore Consularem ei dignitatem deferant.

10. *Ventorum*] Civium, qui etsi faveant Miloni, gubernatore tamen egent, eundem ut cursum feliciter teneant.

11. *Vel ex hoc ipso*] In gratiâ referendâ maximè elucet bonitas indolis.

12. *Propè saluti*] Res acriùs urgeri non potuit; quasi Ciceronis ipsa salus in Milonis Consulatu reposita esset.

13. *In laude meâ*] Quam consequar, si Milo Consulatum, te duce & authore adipiscatur.

Digitized by Google

15 quantùm officii ſuſtinerem, quantoperè mihi eſſet in hac petitione Miloānis omni non modò contentione, ſed etiam dimicatione elaborandum, plura ſcriberem. Nunc tibi omnem rem, atque cauſam, 16 meque totum commendo, atque trado. Unum hoc ſic habeto: ſi à te hanc rem impetraro, me penè plus tibi, quàm ipſi Miloni, debiturum. non enim mihi tam mea ſalus cara fuit, in quâ præcipuè ſum ab illo adjutus, quàm pietas erit in referendâ gratiâ jucunda. eam autem unius tui ſtudio me aſſequi poſſe confido. Vale.

NOTÆ.

14. *In ſalute*] Cùm patriæ, te adjutore, ſum redditus.

15. *Quantùm officii*] Quantùm in hac commendatione munus ſuſtineam ob immenſa propè Milonis in me beneficia.

16. *Meque totum*] Quia in Milonis Conſulatu mea omnia poſita eſſe decrevi.

EPISTOLA VII.

Curioni de Tribunatu gratulatur: deinde petit, ut ſibi Proconſulis munus, quod habebat in Ciliciâ, prorogari non ſinat. Ser. Sulpicio, & M. Marcello Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingenteſimo ſecundo.

Cicero Procoſ. s. D. Curioni Trib. plebis.

SERA gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim ſi nullâ negligentiâ prætermiſſa eſt. longè enim abſum: audio ſerò. ſed & tibi gratulor: &, ut ſempiternæ laudi tibi ſit iſte Tribunatus, exopto: teque hortor, ut omnia gubernes, & moderere prudentiâ tuâ, ne te [1] auferant aliorum conſilia. nemo eſt, qui ſapientiùs tibi ſuadere poſſit te ipſo. [2] nunquam labêre, ſi te audies. non ſcribo hoc temerè. cui ſcribam, video. novi animum, novi conſilium tuum. non vereor, ne quid timidè, ne quid ſtultè facias, ſi ea defendes, quæ ipſe recta eſſe ſenties. Quòd in id Reipublicæ tempus [3] non incideris, ſed veneris, (judicio enim tuo, non caſu, in ipſum diſcrimen rerum contuliſti Tribunatum tuum) profectò vides, [4] quanta vis in republicâ temporum ſit, quanta varietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates: quid inſidiarum: quid vanitatis in vitâ, non dubito quid cogites. ſed amabo te, cura, & cogita, nihil novi, ſed illud idem, quod initio ſcripſi: tecum loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera. alteri qui meliùs dare conſilium poſſit; quàm tu, non fa-

NOTÆ.

1. *Auferant*] Verebatur id quod accidit, ne Curio, relictis Reipublicæ partibus, Cæſari adhæreret.

2. *Nunquam labêre*] Rectum ſemper virtutis curſum tenebis.

3. *Non incideris*] Quia cùm poſſet Curio Tribunatum ſuum differre in tempus magis tranquillum, videbatur Tribunatum hoc anno petiiſſe, ut Rempublicam ſeditionibus agitatam juvaret.

4. *Quanta vis*] Quæ ſæpè ſapientiſſimorum overtit conſilia.

Digitized by Google

cilè inveniri potest: tibi verò ipsi certè nemo meliùs dabit. Dii immortales, cur ego non adsum vel spectator laudum tuarum, vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum? [5] tametsi hoc minimè tibi deest: sed tamen efficeret magnitudo, & vis amoris mei, consilio te ut possem juvare. Scribam ad te plura aliàs. paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios: ut, quoniam sanè feliciter, & ex meâ sententiâ rem publicam gessimus, unis literis [6] totius æstatis res gestas ad Senatum perscriberem. [7] De sacerdotio tuo, quantam curam adhibuerim, quamque difficili in re, atque causâ, cognosces ex iis literis, quas Thrasoni, liberto tuo, dedi. Te, mi Curio, pro tuâ incredibili in me benevolentiâ, meâque item in te singulari, rogo, atque oro, [8] ne patiare mihi quidquam ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. præsens tecum egi, cùm te Tribunum plebis isto annò fore non putarem: itemque petivi sæpiùs per literas, sed tùm quasi à Senatore nobilissimo, & adolescente gratiosissimo, nunc à Tribuno plebis, & à Curione Tribuno: non ut decernatur aliquid novi, quod solet esse difficilius; sed ut ne quid novi decernatur: & [9] ut S. C. & leges defendas, eaque mihi [10] conditio maneat, qua profectus sum. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

NOTÆ.

5. *Tametsi hoc*] Etsi enim deessent amici consiliorum tuorum participes, tibi ipse dux es, optimusque Consiliarius.

6. *Totius æstatis*] Res gestas fœliciter in Amano monte.

7. *De sacerdotio*] De Pontificatu, quem petiit, obtinuitque post patris item Pontificis obitum.

8. *Ne patiare*] Sed Tribunitiam potestatem oppone.

9. *Et ut senatusconsf.*] Quæ annuam jubent esse provinciam.

10. *Conditio*] Ne plus anno Ciliciam administrarem.

EPISTOLA VIII.

Cœlium objurgat in conscribendis rebus leviſſimis ineptè sedulum. Hortatur ut totum se tradat Pompeio. Eodem anno.

Cicero Procos. s. d. M. [1] Cœlio Rufo.

[2] QUID? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum [2] compositiones, ut [3] vadimonia dilata, & [4] Chresti compilatio-

INTERPRETATIO.

Quid? An tu existimas hoc me tibi mandasse, ut ad me scriberes, &c.

NOTÆ.

1. *M. Cœlio*] Is est qui litteras, quæ octavo libro leguntur, ad Ciceronem scripsit. Vide indicem historicum.

2. *Compositiones*] Gladiatores ante certamen componebantur, & comparabantur qui, cum quo dimicaret, ut pares essent. Hinc par gladiatorum.

3. *Vadimonia*] Prorogatum tempus litigandi: vadatur enim, qui vocat aliquem in jus, & jubet ut certo die ante Judicem se sistat.

4. *Chresti*] Furta, latrocinia: quis au-

Digitized by Google

nem mitteres, & ea, quæ nobis, cùm Romæ sumus, narrare nemo audeat? vide quantùm tibi meo judicio tribuam : (nec mehercule injuria) [b] σοφιστικώτερον enim te adhuc neminem cognovi) ne illa quidem curo mihi scribas quæ maximis in rebus reipublicæ geruntur quotidie : nisi quid ad me ipsum pertinebit. scribent alii : multi nuntiabunt : perferet multa etiam ipse rumor. quare ego nec præterita, nec præsentia abs te, sed ut ab homine longè in posterum prospiciente, futura expecto : ut, ex tuis literis cùm [6] formam reipublicæ viderim, quale ædificium futurum sit, scire possim. neque tamen adhuc habeo, quod te accusem. neque enim fuit, quod tu plus providere posses, quam quivis nostrum : in primisque ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in aliis, nisi de republicâ sermonibus [7] versatus sum : quæ nec possunt scribi, nec scribenda sunt. tantùm habeto, civem egregium esse Pompeium, & ad omnia, quæ providenda sunt in republicâ, & animo, & consilio paratum. quare da te homini : complectetur, mihi crede. [8] jam iidem illi & boni, & mali cives videntur, qui nobis videri solent. Ego cùm [9] Athenis decem ipsos dies fuissem, multúmque mecum Gallus noster Caninius, proficiscebar inde pridie non. Quint. cùm hoc ad te literarum dedi. Tibi cùm omnia mea commendatissima esse cupio, tùm nihil magis, quàm ne tempus nobis provinciæ prorogetur. in eo mihi sunt omnia. quid, quando, & quo modo, & per quos agendum sit, tu optimè constitues. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *peritiorem Reipublicæ gubernandæ.*

NOTÆ.

tem sit ille Chrestus, non constat.

5. *Quantùm*] Neque enim res præteritas perscribi à te volo, sed futuras ; quod soli viri prudentes, & acri judicio possunt.

6. *Formam*] Statum Reipublicæ : translatio petita ab Architectis, qui ex formâ ædificii, quale sit ædificium futurum ostendunt, forma ædificii, *le plan d'un bâtiment*. Dabis igitur primùm formam Reipublicæ, deinde conjecturam tuam de futuro toto ædificio scribes, ut qualis sit futura Respublica intelligam.

7. *Versatus sum*] Ex quibus sermonibus Tarenti habitis, futurum Reipublicæ statum conjeci.

8. *Iidem*] Eosdem in bonorum & malorum civium numero reponit, quos ego & tu reponendos esse censemus.

9. *Athenis*] Athenæ, urbs Græciæ quondam primaria, quam Tullius doctrinarum inventricem nominat.

EPISTOLA IX.

Cœlio gratulatur Ædilitatem, deque Hirro ejus competitore repulsam passo jocatur. Eodem anno.

Cicero Procos. s. d. M. Cœlio Rufo, Ædili Cur. designato.

PRIMÙM tibi, ut debeo, gratulor, lætorque tùm præsenti, tùm etiam [1] speratâ tuâ dignitate, seriùs non negligentia mea, sed ignorantia rerum

NOTÆ.

1. *Speratâ*] Ædilitas enim gradus erat ad majores Magistratus.

Digitized by Google

omnium. in his enim ſum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardiſſimè omnia perferuntur. & cùm gratulor, tùm verò quibus verbis tibi gratias agam, non reperio, [1] quòd ita factus ſis, ut dederis nobis, quemadmodum ſcripſeras ad me, quem ſemper ridere poſſemus. itaque cùm primùm [3] audivi, [4] ego ille ipſe factus ſum, (ſcis quem dicam) [5] egique omnes illos adoleſcentes, quos ille jactitat. [6] difficile eſt loqui. [7] Te autem contemplans abſentem, & quaſi tecum coram loquerer, non ædepol quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris. quod quia [8] præter opinionem mihi acciderat, [9] referebam me ad illud: Incredibile hoc factu objicitur. [10] repentè verò inceſſi omnibus lætitiis. in quo cùm objurgarer, quòd nimio gaudio penè deſiperem, ita me defendebam: [11] Ego voluptatem animi nimiam. quid quæris? dùm illum rideo, penè ſum factus [12] ille. Sed hæc plutibus, multaque alia & de te, & ad te, cùm primùm ero aliquid nactus otii. Te verò, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, ultorem non modò inimicorum, ſed etiam invidorum meorum: ut eos partim ſcelerum ſuorum, partim etiam ineptiarum pœniteret. Vale.

NOTÆ.

1. *Quòd ita*] Quod eò modo Ædilitatem adeptus ſis.

3. *Audivi*] Te Ædilem deſignatum, Hirrumque repulſum eſſe.

4. *Ille ipſe*] Hirrus, id eſt, illius perſonam indui: venerunt enim in mentem omnia quæ mihi de illo ſcripſeras.

5. *Egique*] Mihique repræſentavi omnes illos adoleſcentes, quorum ſe ſuffragiis jactitabat Ædilem fore.

6. *Difficile eſt loqui*] Quæ de Hirro mecum animo cogitaverim.

7. *Te autem contemplans*] Divinare nemo poſſit quò vox illa *contemplans* referatur: nulla dubitatio eſt, quin ex Poëtâ vetuſtiore locum hunc expreſſerit Cicero uſque ad *feceris* quare? fruſtrà quæratur conſtructio, cùm locus integer non ſit. Sic explicari poteſt: Te autem contemplans, &c. non ædepol, aiebam, exprimi poteſt quantam, ô Cœli, rem egeris, & quantum, &c. quando Hirrum dejeciſti.

8. *Præter opinionem*] Ut is qui gratioſæ juventutis patrocinio fretus, Ædilitatem ſe conſecuturum ſperabat, ſpe ſuâ dejiceretur.

9. *Referebam me ad illud*] Ad illud dictum Poëtæ, quod in Hirrum cadebat: facilè ergo crediderim ſequentia verba, *incredibile hoc factu objicitur*, illius Poëtæ eſſe. quæ ſic expono: Incredibile, inquiebam, mihi videtur quòd Hirrum Cœlius dejecerit.

10. *Repentè verò*] Manutius hoc quoque dictum vult ab eodem illo Poëtâ.

11. *Ego voluptatem*] Iterùm Poëta loquitur: ego voluptatem animi nimiam, gratum errorem arbitror.

12. *Ille*] Tàm ſtultus quàm ille eſt.

EPISTOLA X.

Cœlium negligentiæ in ſcribendo arguit, tùm res à ſe geſtas in Amano monte; & expugnationem Pindeniſſi magnificè narrat. Eodem anno.

Cicero Imp. S. D. Cœlio Rufo Ædili Cur. deſignato.

1 TU vide, quàm ad me literæ non perferantur. non enim adduci poſſum, ut abs te, poſteà quàm Ædilis factus es, nullas putem datas,

NOTÆ.

1. *Tu vide*] Tu vide ut ad me literæ tuæ non perferantur.

Digitized by Google

præsertim cùm esset tanta res, [2] tantæ gratulationes : [3] de te, quia quod sperabam : de [4] Hillo, (balbus enim sum) [5] quod non putabam. Atqui sic habeto, nullam me epistolam accepisse tuam post comitia ista præclara, [6] quæ me lætitiâ extulerunt. ex quo vereor, ne idem eveniat in meas literas. equidem nunquam domum misi unam epistolam, quin esset ad te altera : nec mihi est te jucundius quidquam, nec carius. Sed balbi non sumus : ad rem redeamus. Ut [7] optasti, ita est. velles enim, ais, tantummodò ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis. [8] Parthos times, quia diffidis copiis nostris. ergo ita accidit. Nam, Parthico bello nunciato, locorum quibusdam angustiis, & naturâ montium fretus, ad [9] Amanum exercitum adduxi, satis probè ornatum auxiliis, & quadam auctoritate apud eos qui me non norant, nominis nostri. [10] multum est enim in his locis : Hiccine est ille, qui urbem ? quem senatus ? [11] nosti cætera. Cùm venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo [12] communis est, divisus [13] aquarum divortiis : [14] Cassius noster, quod mihi magnæ voluptati fuit, feliciter ab Antiochiâ hostem rejecerat. Bibulus provinciam acceperat : interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses, hostes sempiternos. multi occisi, capti : reliqui dissipati. castella munita, improviso adventu capta, & incensa. Ita

NOTÆ.

2. *Tantæ gratulationis*] Id est, tantâ gratulatione digna, adeoque mihi perscribenda, ut tibi gratularer.

3. *De te*] Quia, quod sperabam, Ædilis factus es.

4. *De Hillo*] Cœlius de Hirro competitore suo loquens, ita scripserat epist. 4. lib. 8. *Spero te celeriter auditurum & de nobis quod speraſti, & de illo quod vix sperare ausus es.* Quibus verbis Cicero respondens, eadem penè repetit ; & quia scripserat Cœlius *de illo* facetè & falsè, aspirationem Cicero addidit, ut Hirri nomen more balborum, qui *r* litteram exprimere non possunt, enunciaret : scripsit ergo *de Hillo* ; deinde subjunxit, *balbus enim sum.* In sequentibus autem, cùm *r* litteram expeditè proferat, *balbi*, inquit, *non sumus.* Hæc Manutius.

5. *Quod non putabam*] Ædilitatis repulsam passurum.

6. *Quæ me lætitiâ*] Quia te Ædilem fecerunt.

7. *Ut optasti*] Optabat Cœlius, ut triumphandi materiam in Ciliciâ Tullius inveniret.

8. *Parthos times*] Numero potiores : dicam igitur quomodò res se habuerit. Ad Parthos quod attinet, consule indicem historicum.

9. *Ad Amanum*] Tauri montis pars est, ab Orientali Ciliciæ parte, quam claudit, ad Euphratem excurrens ; hodie *Montenegro* appellari creditur, hic ad mare Issicum fauces efficit, quas Amani portas, seu Pylas vocant.

10. *Multum est enim*] Multus est enim hominum sermo exclamantium : hiccine est ille Cicero, qui urbem servavit ? quem Senatus parentem patriæ appellavit.

11. *Nosti cætera*] Quæ mihi ob res in Consulatu præclarè gestas, decreta sunt.

12. *Communis est*] Pars enim Amani montis in Syriâ est Bibuli provinciâ, pars in Ciliciâ provinciâ Ciceronis.

13. *Aquarum divortiis*] Fit aquarum divortium, cùm aquæ dividuntur.

14. *Cassius*] Quæstor M. Crassi in Syriâ fuerat ; quo cæso, exercitûs reliquias Antiochiam adduxerat, unde hostes repulit. Cicero Phil. 11. de Cassio : *Magnas ille res gessit ante Bibuli adventum, cùm Parthorum nobilissimos duces, maximasque copias fudit, Syriamque immani Parthorum impetu liberavit.*

Digitized by Google

victoriâ juſtâ Imperator appellatus [16] apud Iſſum: quo in loco ſæpè, ut ex te audivi, [17] Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro eſſe ſuperatum: abduxi exercitum ad [18] infeſtiſſimam Ciliciæ partem. ibi quintum & vigeſimum jam diem aggeribus, [19] vineis, turribus oppugnabam oppidum munitiſſimum Pindeniſſum, tantis opibus, tantoque negotio, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit, niſi [20] nomen oppidi. quod ſi, ut ſpero, cepero: tùm verò literas publicè mittam. Hæc ad te in præſenti ſcripſi, ut ſperes te aſſequi id [21] quod optaſti. Sed, ut redeam ad Parthos: hæc æſtas habuit hunc exitum ſatis felicem: ea quæ ſequitur, magno eſt in timore. quare, mi Rufe, vigila, primùm ut mihi ſuccedatur: ſin id erit, ut ſcribis, &, ut ego arbitror, [22] ſpiſſius: illud, quod facile eſt, ne quid mihi temporis prorogetur. De republicâ ex tuis literis, ut anteà tibi ſcripſi, cùm præſentia, tùm etiam futura magis expecto. quare, ut ad me omnia quamdiligentiſſimè perſcribas, te vehementer rogo. Vale.

NOTÆ.

16. *Apud Iſſum*] Iſſus urbs eſt Syriam inter & Ciliciam, ab Iſſo, vicinus ille maris Mediterranei ſinus, Iſſicus vocatus.

17. *Clitarchus*] Alexandri Hiſtoricus, ejuſdemque in expeditione Perſicâ comes.

18. *Infeſtiſſimam*] Latrociniis.

19. *Vineis*] Inſtrumentum bellicum, quo tecti milites ad mœnia ſubibant.

20. *Niſi nomen oppidi*] Jocosè dictum: nihil mihi deeſt ad ſummam gloriam, niſi ut ab illo oppido capto nominer Pindeniſſanus, ut à devictâ Africâ Scipio vocatus eſt Africanus.

21. *Quod optaſti*] Ut negotii tantùm haberem, quantùm ſufficeret triumpho.

22. *Spiſſius*] Id eſt, tardiùs, ut in Bruto, *ſpiſſè atque vix ad Antonium pervenimus.*

EPISTOLA XI.

Miro ſe teneri urbis deſiderio ſcribit, ſe dediſſe operam ut Pantheræ quas Ædilis Cœlius petierat, conquirerentur. Poſtremo litteras ab eodem de Reipublicæ ſtatu poſtulat. Lucio Æmilio Paulo, & Caio Claudio Marcello Conſulibus, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo tertio.

Cicero Imp. s. d. Cœlio Ædili Cur.

PUTARES ne unquam accidere poſſe, ut mihi verba deeſſent, neque ſolùm iſta veſtra [1] oratoria, ſed hæc etiam levia [2] noſtratia? Deſunt autem propter hanc cauſam, quòd mirificè ſum ſolicitus quidnam de provinciis [3] decernatur. Mirum me deſiderium tenet urbis, incredibile meorum,

NOTÆ.

1. *Oratoria*] Cœlius inter Oratores locum habuit: Oratores autem non niſi verbis elegantibus & exquiſitis utuntur.

2. *Noſtratia*] Quæ vulgò & ſine delectu uſurpamus.

3. *Decernatur*] Timebat ne Cilicia im-

Digitized by Google

atque in primis tui, ſatietas autem provinciæ: vel quia [4] videmur eam famam conſecuti, ut non tam acceſſio quærenda, quàm fortuna metuenda ſit; vel quia totum negotium non eſt dignum viribus noſtris, qui majora in republicâ onera ſuſtinere & poſſimus, & ſoleamus: vel quia [5] belli magni timor impendet: quod videmur effugere, ſi ad conſtitutam diem decedemus. [6] De Pantheris per eos, qui venari ſolent, agitur mandato meo diligenter; ſed mira paucitas eſt: & eas quæ ſunt, valdè aiunt queri, quòd [7] nihil cuiquam inſidiarum in meâ provinciâ, niſi ſibi, fiat. Itaque conſtituiſſe dicuntur in [8] Cariam ex noſtrâ provinciâ decedere. ſed tamen ſedulò fit, & in primis à [9] Patiſcho. quidquid erit, tibi erit: ſed quid planè eſſet, neſciebamus. Mihi mehercule magnæ [10] curæ eſt Ædilitas tua, ipſa dies me admonebat: ſcripſi enim hæc [11] ipſis Megalenſibus. Tu velim ad me de omni reipublicæ ſtatu quamdiligentiſſimè perſcribas: ea enim certiſſima putabo quæ ex te cognovero. Vale.

NOTÆ.

perium ſibi prorogaretur.

4. *Videmur*] Ne ſi tardiùs decedam ex provinciâ, plus famæ detrahatur, quàm accedat.

5. *Belli*] Parthici.

6. *De Pantheris*] Quas petierat Cœlius pro ludis quos populo Romano daturus erat.

7. *Quod nihil*] Jocus: commendat æquitatem ſuam: ſignificat enim nullas, ſe Proconſule, compilationes in Cilicià factas.

8. *Cariam*] Regio eſt minoris Aſiæ, Lyciam inter & Ioniam. Urbs primaria fuit Halicarnaſſus, in quâ Mauſolus regnavit.

9. *Patiſcho*] Venatore, quem Cœlius ipſe noverat.

10. *Curæ eſt*] Unde intelligas de Pantheris ſedulò fieri.

11. *Ipſis Megalenſibus*] Tempore, quo Ædiles Megalenſes ludos inſtituunt; quare Megalenſium ludorum tempus, quod in menſem Aprilem cadit, me admonet ut de Pantheris cogitem, & de ludis, quos menſe Septembri populo Romano daturus es. Megalenſes autem ludi in honorem magnæ Deæ celebrabantur: ſic dicti ſunt à Megaleſio templo, prope Peſſinuntem in Phrygiâ, unde ejus ſimulachrum Romam advectum eſt.

EPISTOLA XII.

Petit à Cœlio litteras de rebus urbanis; eumque hortatur, ut in urbe malit, quàm in provinciâ vivere. Eodem anno.

Cicero Imp. ſ. d. Cœlio Ædili Cur.

SOLICITUS equidem eram de rebus urbanis: ita tumultuoſæ [1] concio-nes, [2] ita moleſtæ quinquatrus afferebantur; nam [3] citeriora nondum

NOTÆ.

1. *Conciones*] Tribunorum plebis, qui Cæſaris cauſam in Galliâ agentis, cum tumultu Romæ defendebant.

2. *Ita moleſtæ*] Ita turbulentæ dicuntur fuiſſe quinquatrus feſti Minervæ, ſic dicti à numero quinque dierum, quibus celebrabantur. Ovid. lib. 3. Faſt.

Una dies media eſt, & ſunt ſacra Minervæ
Nomina quæ à junctis quinque diebus habent.

3. *Citeriora*] Id eſt, quæ Romæ poſt quinquatrus peracta ſunt.

4. *Multa*

Digitized by Google

audiebamus: sed tamen nihil me magis solicitabat, quàm in his molestiis non me, si qua ridenda essent, ridere tecum. sunt enim [4] multa, sed ea non audeo scribere. illud molestè fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum literarum. Quare, etsi cùm tu hæc leges, ego jam annuum munus confecero: tamen obviæ mihi velim sint literæ tuæ, quæ me erudiant de omni republicâ, ne hospes planè veniam. hoc meliùs quàm tu facere nemo potest. [5] Diogenes tuus, homo modestus, à me cum Philone [6] Pessinunte discessit. iter habebant ad [7] Dejotarum regem: quanquam omnia nec benigna, [8] nec copiosa cognorant. Urbem, mi Rufe, cole, & in istâ luce vive. omnis enim peregrinatio (quod ego [9] ab adolescentiâ judicavi) obscura, & sordida est iis, quorum industria Romæ potest illustris esse. Quod cùm probè scirem, utinam in sententiâ permansissem: cum unâ mehercule ambulatiunculâ, atque uno sermone nostro omnes fructus provinciæ non confero. Spero me integritatis laudem consecutum. [10] non erat minor ex contemnendâ, quàm ex conservatâ provinciâ. [11] spes triumphi, inquis? satis gloriosè triumpharem, si non essem tamdiù quidem in desiderio rerum mihi carissimarum. sed, ut spero, propediem te videbo. tu mihi obviam mitte epistolas te dignas. Vale.

NOTÆ.

4. *Multa*] Quæ ridere possimus, significat nonnullorum ineptias, quas ex amicorum litteris cognoverat.

5. *Diogenes*] Amicus tuus cum Philone liberto tuo.

6. *Pessinunte*] Urbs est Phrygiæ, templo Cybeles inclyta, cui ἀπὸ τῆς μονῆς nomen inditum est, quòd illius Deæ simulacrum è cœlo lapsum divinis hîc honoribus coli cœptum sit.

7. *Dejotarum*] Ita vulgatæ lectiones, quibus veteres libros omnes manuscriptos repugnare ait Manutius, legendumque censet, *Adiatorigem*, quem Comanorum Regem hoc tempore fuisse docet Strabo.

8. *Nec copiosa*] Apud Regem ad quem profecti sunt: benignitas ad voluntatem juvandi pertinet, copia ad facultatem: utrumque autem Regi defuisse significat.

9. *Ab adolescentiâ*] Maximè cùm Quæsturam in Siciliâ gessit: tùm enim cognovit obscuros esse Magistratus, qui in provinciâ gererentur.

10. *Non erat minor*] Laudem integritatis adeptus sum in provinciâ, quæ ne minimum quidem in me sumptum fecit; sed in recusandâ provinciâ, eamdem integritatis & abstinentiæ laudem essem consecutus, cùm intellexissent omnes me lucri studio non trahi.

11. *Spes triumphi*] Objectio Cœlii: Si non administrasses provinciam, quæ spes triumphi fuisset?

EPISTOLA XIII.

Respondet Epistolæ nonæ libri octavi. Eodem anno.

Cicero Imperator S. D. Cœlio Ædili Cur.

RARAS tuas quidem, (fortasse enim non perferuntur) sed suaves accipio literas: vel quas proximè acceperam, quàm prudentes, quàm multi & officii, & consilii. Etsi omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas: tamen confirmantur nostra consilia, cùm sentimus prudentibus, fideliterque suadentibus idem videri. Ego Appium (ut sæpè tecum

locutus sum) valdè diligo : meque ab eo diligi statim cœptum esse, ut [1] simultatem deposuimus, sensi. nam & honorificus in me consul fuit, & suavis amicus, & studiosus studiorum etiam meorum. Mea verò officia ei non defuisse, tutè es testis : [2] quoniam κωμικὸς μάρτυς, ut opinor, accidit Phania. & mehercule etiam pluris eum feci, quòd te amari ab eo sensi, jam me [3] Pompeii totum esse scis : Brutum à me amari intelligis. Quid est causæ, cur mihi non sit in optatis, complecti [4] hominem florentem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis ? [5] collegam meum præsertim, & in ipsâ [6] collegii laude, & scientiâ studiosum mei? Hæc eò pluribus scripsi, quòd mihi significabant tuæ literæ subdubitare, quâ essem erga illum voluntate. credo te audisse aliquid. falsum est, mihi crede, si quid audisti. [7] Genus institutorum, & rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius administratione provinciæ. ex eo quidam suspicati fortasse sunt [8] animorum contentione, non opinionum dissensione me ab eo discrepare. nihil autem feci unquam, neque dixi, quod contra illius existimationem esse vellem [9] Post hoc negotium autem, & temeritatem nostri Dolabellæ, deprecatorem me pro illius periculo præbeo. [10] Erat in eadem epistolâ veternus civitatis. gaudebam sanè, & congelasse nostrum [11] amicum lætabar otio. Extrema pagella pupugit me tuo [12] chirographo. [13] Quid ais? Cæsarem nunc defendit Curio? quis hoc putaret [14] præter me? nam, ita [15] vivam, putavi. Dii immortales, [16] quàm ego risum nostrum desidero. Mihi erat in animo, quoniam [17] jurisdictionem confe-

NOTÆ.

1. *Simultatem*] Simultas erat inter Appium, & Ciceronem, propter Clodium fratrem Appii, eumdemque Ciceronis inimicum; sed simultatem hanc, authore Pompeio, deposuerunt.

2. *Quoniam*] Indicat Phaniam libertum Appii conciliatorem fuisse amicitiæ inter Appium & Ciceronem : commeabat enim ab uno ad alterum; vocat comitem testem, quia testes qui superveniunt in comœdiis, patefactâ rei veritate, turbas vulgò sedant.

3. *Pompeii*] Pompeium hîc nominatim appellat, quia socer erat Appii filiæ. Item postea Brutum qui gener Appii.

4. *Hominem*] Appium.

5. *Collegam*] In Auguratu.

6. *Collegii laude*] Ob libros quos de jure augurali scriptos misit ad Ciceronem.

7. *Genus institutorum*] Ratio quam in administrandâ Ciliciâ sequor, non nihil dissimilis est administrationi Appii, cui successi.

8. *Animorum contentione*] Odio & invidiâ in Appium.

9. *Post hoc negotium*] Post illam dissimilitudinem in administratione provinciæ, cùm ausus esset Dolabella accusare Appium de ambitu, deprecator accessi pro Appii periculo.

10. *Erat in eadem epistolâ*] Quam scripsisti, nona est libri octavi, ubi hæc sunt: *Nisi ego cum Tabernariis & Aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset.*

11. *Amicum*] Curionem, quem novi turbulentum, nihil in Republicâ turbarum excitare : verba Cœlii in eadem epistolâ 9. hæc sunt : *Curioni nostro Tribunatus conglaciat.*

12. *Chirographo*] Id est, ob eas res quas ipse manu tuâ scripsisti, cùm Librarii manu in reliquâ epistolâ usus esses.

13. *Quid ais?* In extremâ illâ pagellâ.

14. *Præter me*] Qui hominem novi.

15. *Ità vivam*] Juramenti genus.

16. *Quàm ego risum*] Quàm ego cupio ridere de rebus illis.

17. *Jurisdictionem*] Forum egerat Laodiceæ omnium diœcesium, præter Ciliciæ, quare adjungit se eò iturum, ut reliquam

ceram, civitates [18] locupletaram, publicanis etiam [19] superioris lustri reliqua sine sociorum ullâ quefelâ conservaram: privatis, summis, infimis fueram jucundus, proficisci in Ciliciam nonis Maii: &, cùm primùm [20] æstiva attigissem, [21] militaremque rem collocassem, decedere ex S. C. Cupio te Ædilem videre: miroque desiderio me urbs afficit, & omnes mei, tuque in primis. Vale.

NOTÆ.

jurisdictionem conficiat. Ita Manutius.

18 *Locupletaram*] Hic locus explicatur verbis ipsis Ciceronis, epist. 2. lib. 6. ad Atticum: *Mirabantur in civitatibus ipsorum furta Græcorum, quæ Magistratus sui fecerant, quæsivi ipse de iis qui annis decem proximis magistratum gesserant. Apertè fatebantur; itaque sine ullâ ignominiâ suis humeris pecunias populi retulerunt.*

19. *Superioris lustri*] Provinciales homines vectigalia publicanis debebant superioris etiam lustri, quæ ut libenter solverent, Ciceronis operâ & authoritate factum est. Ita Manutius epistolâ eadem ad Atticum: *Populi nullo gemitu, Publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil solverant, etiam superioris lustri reddiderunt; itaque Publicanis in oculis sumus.* Græcorum autem Olympiadi respondebat lustrum Latinorum, quod quinto quoque anno ineunte absolvebatur; quo tempore novi creabantur Censores. Lustrum, inquit Varro, tempus quinquennale dicitur à luendo, hoc est solvendo; quòd quinto quoque anno instituebatur census seu æstimatio bonorum cujusque, secundùm quam tributa pendebantur: lustrorum initium Servio Tullio regi, uno Scriptorum consensu, defertur.

20. *Æstiva*] Locus quò æstatis tempore adducuntur milites.

21. *Militaremque*] Præsidium contra Parthos.

EPISTOLA XIV.

Fabium Cœlio commendat. Eodem anno.

Cicero Imp. s. d. Cœlio Ædili Cur.

MARCO Fabio, viro optimo, & homine doctissimo, familiarissimè utor, mirificéque eum diligo, cùm propter summum ejus ingenium, summamque doctrinam, tùm propter singularem modestiam. ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. Novi ergo vos [1] magnos patronos. hominem occidat oportet, qui vestrâ operâ uti velit. sed in hoc homine nullam accipio excusationem. omnia relinques, si me amabis, cùm tuâ operâ Fabius uti volet. Ego res Romanas vehementer expecto & desidero: in primisque quid agas, scire cupio: nam jam diù propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur. Vale.

NOTA.

1. *Magnos patronos*] Qui soletis causas nullas, nisi graves, recipere, quales sunt eorum qui hominem occiderunt.

Digitized by Google

EPISTOLA XV.

Respondet epistolis undecimæ, duodecimæ, & septimæ decimæ libri octavi. Eodem anno.

Cicero Imp. s. d. Cœlio Ædili Cur.

NON potuit accuratiùs agi, neque prudentiùs, quàm actum est à tecum Curione [1] de supplicatione. & mehercule confecta res est ex meâ sententiâ, cùm celeritate, tùm quòd [2] is qui erat iratus, [3] competitor tuus, & [4] idem meus, assensus est [5] ei, qui ornavit res nostras divinis laudibus. Quare scito me sperare ea quæ [6] sequuntur: ad quæ tu te para. [7] Dolabellam à te gaudeo primùm laudari, deinde etiam amari. nam ea quæ speras Tulliæ meæ prudentiâ [8] temperari posse, scio, [9] cui epistolæ tuæ respondeant. [10] quid si meam legas, quam ego tùm ex tuis literis missi ad Appium? sed quid agas? [11] sic vivitur. quod actum est, dii approbent. spero fore jucundum generum nobis. multùm in eo tua nos humanitas adjuvabit. [12] Resp.

NOTÆ.

1. *De supplicatione*] Mihi decretâ, confectâque; supplicatio dicebatur, cùm P. R. in Deorum templa, de victoriâ partâ gratias acturus veniebat. Mos erat ut provinciarum Rectores, postquam ab exercitu Imperatores fuerant appellati, lictores haberent laureatos, laureataque ad Senatum litteras de re benè gestâ mitterent, quibus Imperatoris nomen ac supplicationes impetrarent à Senatu; cùm autem primis temporibus in unum alterumve diem ægrè supplicatio decerneretur, eo demùm progressa res est, ut supplicationes etiam in quinquaginta decretæ sint, Camillo Veiis captis in quatriduum, quot dierum, nullo antè bello concesserant: Cneio Pompeio, Mithridatico bello confecto, duodecim: Cæsari, bello Gallico, primùm quindecim, pòst viginti: Hirtio, Pansæ, & Octaviano, Mutinâ liberatâ, quinquaginta dierum decretæ sunt; quâ quidem in re tùm Imperatoris qui victoriam retulerat, tùm ipsius victoriæ ratio habebatur.

2. *Is*] Hirrus.

3. *Competitor tuus*] In Ædilitate.

4. *Et idem meus*] In auguratu & utrimque victus est.

5. *Ei*] M. Catoni, qui licet Ciceroni supplicationem non decreverat, res tamen ab eo in provinciâ benè gestas, publicè celebrarat. Extat eâ de re Catonis ad Ciceronem epistola lib. 15.

6. *Quæ sequuntur*] Triumphum, quem plerique, post supplicationem, obtinebant.

7. *Dolabellam*] Qui eo tempore Tulliæ nupsit. Vide indicem historicum.

8. *Temperari posse*] Nonnulla Dolabellæ vitia, filiæ meæ prudentiâ corrigi posse.

9. *Cui epistolæ tuæ*] Ei scilicet quâ scripseras de temeritate Dolabellæ, qui Appium de ambitu accusare erat ausus: postremâ autem epistolâ ais fore moderatiorem Dolabellam prudentiâ Tulliæ meæ.

10. *Quid si meam*] Quid si epistolam legas quam ego de eodem Dolabellâ scripsi ad Appium, excerptam ex tuis litteris? significat epist. 10. lib. 3. in quâ sic loquitur de Dolabellâ: *cujus sermo stultus & puerilis erat, jam antea ad me à M. Cœlio familiari nostro perscriptus.*

11. *Sic vivitur*] Hæc est humanæ vitæ consuetudo, ut multa nobis nec opinantibus eveniant: absente autem Cicerone, nec opinante, hæ nuptiæ factæ sunt, vel saltem sic esse factas simulat.

12. *Resp.*] Quam Tribuni plebis perturbant, in primisque Curio, qui Cæsaris causam contra optimates acriter tuebatur.

Digitized by Google

me valdè solicitat. faveo Curioni : Cæsarem [13] honestum esse cupio : pro Pompeio emori possum : sed tamen [14] ipsâ republicâ nihil mihi est carius. [a] in quâ tu, non [15] valdè te jactas. [16] districtus enim mihi videris esse, quòd & bonus civis & bonus amicus es. Ego de provinciâ decedens, Quæstorem [17] Cœlium præposui provinciæ. Puerum, inquis ? at Quæstorem, at nobilem adolescentem, at [18] omnium ferè exemplo. neque erat superiore honore usus, quem præficerem. [19] Pontinius multò antè discesserat. à [20] Q. fratre impetrari non poterat : quem tamen si reliquissem, dicerent iniqui, non me planè post annum, ut Senatus voluisset, ex provinciâ decessisse, quoniam alterum me reliquissem. fortasse & illud adderent, Senatum eos voluisse provinciis præesse, qui antèa non præfuissent : fratrem meum triennium Asiæ præfuisse. Denique nunc solicitus non sum : si fratrem reliquissem, omnia timerem. postremò, non tàm meâ sponte, quàm potentissimorum [21] duorum exemplo, qui omnes Cassios, Antoniosque complexi sunt, hominem adolescentem non tàm allicere volui, quàm [22] alienare nolui. hoc tu meum consilium laudes necesse est : mutari enim non potest. [23] De Ocellâ parùm planè ad me scripseras, & in [24] actis non erat. Tuæ res gestæ ita notæ sunt, ut transmontem [25] Taurum, etiam [26] de Matrinio sit auditum. Ego, nisi quid me [27] Etesiæ morabuntur, celeriter (ut spero) vos videbo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *de quâ tu non valdè laboras.*

NOTÆ.

13. *Honestum esse*] Honorificè tractari.

14. *Ipsâ Rep.*] Quam tres illi, Curio, Cæsar, Pompeius perturbant.

15. *Non valdè*] Quia neque Rempublicam, neque Cæsarem defendebat : postea ad Cæsarem transiit.

16. *Districtus*] Incertus enim videris esse, quòd ut bonus civis favere optimatibus velles, ut bonus amicus, Curioni, Cæsari, Pompeio.

17. *Cœlium*] Caium Cœlium, ad quem scripta est ultima epistola hujus libri.

18. *Omnium exemplo*] Qui decedentes è provinciâ Quæstorem præponere solebant.

19. *Pontinius*] Dignitate superior, Præturam enim gesserat, & de Allobrogibus triumphaverat.

20. *A Quinto*] Qui tùm erat M. Ciceronis legatus : ab eo impetrari non poterat, ut me decernente, provinciam administraret.

21. *Duorum*] Pompeii & Cæsaris : Pompeius sine sorte delegit Q. Cassium, Cæsar Antonium, & sic illustres familias sibi conciliarunt. Vide epist. 6. lib. 6. ad Atticum.

22. *Alienare*] Alienassem, si quem alium præposuissem provinciæ.

23. *De Ocellâ*] De Servio Ocellâ bis in adulterio deprehenso parùm planè ad me scripseras ; noluit scilicet Cœlius, ubi deprehensus esset, indicare.

24. *In actis*] Quibus urbanæ res perscribuntur.

25. *Taurum*] Maximus est totius Asiæ mons, quam perpetuo jugo ab occasu in ortum divisit.

26. *De Matrinio*] Erat Scriba Ædilicius, qui cum videtur Cœlius aliquâ de re contendisse.

27. *Etesiæ*] Quot annis flare incipiunt circa tempus Caniculæ, desinuntque post quadraginta dies, dicti sunt Ἐτήσιαι, id est annui.

EPISTOLA XVI.

Respondet epistolæ quæ est decima sexta lib. 8. quâ Cœlius eum rogabat, ut belli civilis tempore in oppidum aliquod bello vacuum secederet, neque Pompeium sequeretur. Caio Claudio Marcello, & Lucio Cornelio Lentulo Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quarto, & belli civilis primo.

Cicero Imp. s. d. Cœlio Ædili Cur.

MAGNO dolore me affeciſſent tuæ literæ, niſi jam & ratio ipſa depuliſſet omnes moleſtias, & diuturnâ deſperatione rerum [a] obduruiſſet animus ad dolorem novum. ſed tamen, quare acciderit, ut ex meis [1] ſuperioribus literis id [2] ſuſpicarere, quod ſcribis, neſcio. [3] quid enim fuit in illis, præter querelam temporum, quæ non animum meum magis ſolicitum haberent, quàm tuum? nam non eam cognovi aciem ingenii tui, quod ipſe videam, te id ut non putem videre. Illud miror, adduci potuiſſe te, qui me penitùs noſſe deberes, ut me exiſtimares aut tam improvidum, qui [4] ab excitatâ fortunâ ad inclinatam, & propè jacentem deſciſcerem; aut tam inconſtantem, ut collectam gratiam [5] florentiſſimi hominis effunderem, [6] à meque ipſe deficerem, & quod initio, ſemperque fugi, civili bello intereſſem. Quod eſt igitur meum triſte [7] conſilium? ut diſcederem fortaſſe in aliquas ſolitudines. [8] noſti enim non modò ſtomachi mei, cujus tu ſimilem quondam habebas, ſed etiam oculorum in hominum [9] inſolentium indignitate faſtidium. Accedit etiam [10] moleſta hæc pompa lictorum meorum, no-

Interpretatio.

[a] *niſi diuturna deſperatio rerum, doloris novi ſenſum ademiſſet.*

Notæ.

1. *Superioribus*] Hæ literæ non extant.

2. *Id ſuſpicarere*] Ut bello civili implicarer, meque cum Pompeio conjungerem.

3. *Quid enim*] Unum enim illud ex meis literis potuiſti colligere, iniquitatem ſcilicet temporum, & cladem Reipublicæ me conqueri, quæ certè non magis mentem meam ſollicitant, quàm tuam.

4. *Ab excitatâ fortunâ*] Ab excitatâ & florente Cæſaris fortunâ ad inclinatam Pompeii, qui relictâ Italiâ, fugit in Græciam.

5. *Florentiſſimi hominis*] Cæſaris, jam fortunâ ſic proſperè functi, ut totam Italiam, pulſo Pompeio, obtineret.

6. *A meque ipſe deficerem*] Qui civile bellum odio ſemper habuerim.

7. *Conſilium*] Quod literis meis expreſſi, an adhærendi, ut tu ſuſpicatus es Pompeio? nequaquam, ſed ab urbe diſcedendi.

8. *Noſti enim*] Noſti enim, non modò ut ſtomachus meus, ſed vel oculi mei faſtidiant certos homines, id eſt Cæſarianos.

9. *Inſolentium*] Cæſariani fugâ Pompeii evaſerant ferociores, & optimatibus inſultabant: addit autem, ſimilem Cœlio fuiſſe quondam ſtomachum, id eſt animum, quando Rempublicam contra improbos tuebatur.

10. *Moleſta*] Præterea ſtudium ſolitudinis me tenet: alioquin enim latere non poſſum, ſed quocumque pergo, præeunt lictores tanquam Imperatori appellato ab

Digitized by Google

menque imperii, quo appellor. eo si onere carerem, [b] quamvis parvis Italiæ latebris contentus essem. sed incurrit hæc nostra laurus non solùm in oculos, sed jam etiam in [11] voculas malevolorum. quod cùm ita esset, nihil tamen unquam de [12] profectione, nisi [13] vobis approbantibus, cogitavi. Sed mea prædiola tibi nota sunt: in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim. Quod autem [c] in maritimis facillimè sum, moveo nonnullis suspicionem, velle me [14] navigare. quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium. [d] nam ad bellum quidem, quî convenit? præsertim [15] contra eum, cui spero me satisfeciſſe: [16] ab eo, cui tamen satisfieri nullo modo potest. Deinde sententiam meam tu facillimè perspicere potuisti jam ab illo tempore, cùm in Cumanum mihi [17] obviam venisti. non enim te celavi. sed nonne tùm providisti, quàm abhorrerem ab urbe relinquendâ? [18] quod cùm audissem, nonne tibi affirmavi, quidvis me potiùs perpessurum, quàm ex Italiâ ad bellum civile exiturum? quid ergo accidit, cur consilium mutarem? nonne omnia potiùs, ut in sententiâ permanerem? credas hoc mihi velim, quod puto te existimare, ex his miseriis nihil aliud me quærere, nisi ut homines aliquando intelligant, me nihil maluisse, quàm pacem: eâ desperatâ, nihil tam fugisse, quàm arma civilia. hujus me constantiæ puto fore, ut nunquàm pœniteat. etenim memini in hoc genere gloriari solitum esse familiarem nostrum Q. Hortensium, quòd nunquam [19] bello civili interfuisset: hoc nostra laus erit illustrior, quòd illi tribuebatur ignaviæ: de nobis id existimari posse [20] non arbitror. Nec me ista [21] terrent, quæ mihi à te ad timorem fidissimè, atque amantissimè proponuntur. Nulla est enim acerbitas, quæ non omnibus, hac orbis terrarum perturbatione, impendere videatur: quam quidem ego à republicâ meis privatis, & domesti-

INTERPRETATIO.

[b] *quantumvis.* [c] *in maritimis locis libenter sum.* [d] *neque enim convenit me bello interesse, qui semper pacem amavi.*

NOTÆ.

exercitu, ob rem benè gestam contra Parthos.

11. *In voculas*] Qui pompam lictorum, ac laureatos fasces mihi præire vident, contumeliosè multa dicunt; quasi pulso Pompeio, quem sequutus sum, tamen cogitarem triumphare.

12. *De profectione*] In Græciam, quò jam se receperat Pompeius.

13. *Vobis*] Te & meis.

14. *Navigare*] Ad Pompeium.

15. *Contra eum*] Cæsarem, cui spero me satisfeciſſe, quòd huc usque Pompeium non sim secutus.

16. *Ab eo*] Pompeio, quem si nunc sequar, nihilominùs illi non faciam satis: diutiùs enim me cunctatum queretur: istuc *ab eo* referendum ad superius verbum *navigare*, hac sententiâ; quî possum navigare ad bellum à Pompeio contra Cæsarem, id est, stando à Pompeio contra Cæsarem.

17. *Obviam*] è Ciliciâ redeunti.

18. *Quod cùm audissem*] Pompeium, relictâ urbe, in Græciam profugisse.

19. *Civili bello*] Syllæ & Marii temporibus gesto.

20. *Non arbitror*] Quid ni arbitraretur? fortè ob Catilinæ conjurationem extinctam.

21. *Terrent*] Quæ scripsisti, ut Pompeianas mihi partes dissuadeas: Cœlii

cis incommodis libentiſſimè, [22] vel iſtis ipſis quæ tu me mones ut caveam, [c] redemiſſem. Filio meo, quem tibi carum eſſe gaudeo, ſi erit ulla reſpublica ſatis amplum patrimonium relinquam memoriam nominis mei: ſin autem nulla erit, nihil accidet ei ſeparatim à reliquis civibus. Nam, quod rogas, ut reſpiciam [23] generum meum, adoleſcentem optimum, mihique cariſſimum: an dubitas, cùm ſcias, quanti cùm illum, tùm verò Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementiſſimè ſolicitet? & eo, quòd in communibus miſeriis hac tantùm oblectabar [f] ſpecula, Dolabellam meum, vel potiùs noſtrum, fore ab [24] iis moleſtiis, quas liberalitate ſuâ contraxerat, liberum. [g] velim quæras, quos ille dies ſuſtinuerit, in urbe dum fuit, quàm [25] acerbos ſibi, quàm mihi ipſi ſocero non honeſtos. [26] Itaque neque ego hunc [27] Hiſpanienſem caſum expecto, de quo mihi exploratum eſt [28] ita eſſe, ut tu ſcribis: nec quidquam aſtutè cogito. ſi quando erit civitas, erit profectò nobis locus: ſin autem non erit, in eaſdem ſolitudines tu ipſe, ut arbitror, venies, in quibus nos conſediſſe audies. Sed ego fortaſſe [h] vaticinor, & hæc omnia meliores habebunt exitus. recordor enim [29] deſperationes eorum, qui ſenes erant adoleſcente me. eos ego fortaſſe nunc imitor, & utor ætatis vitio. velim ita ſit. [i] ſed tamen, togam [30] prætextam texit [31] Oppio, puto te audiſſe. [k] nam Curtius noſter [32] dibaphum cogitat; [l] ſed

INTERPRETATIO.

[c] *à Republicâ in me tranſtuliſſem.* [f] *exiguâ ſpe.* [g] *cogita obſecro.* [h] *hallucinor.* [i] *ſed tamen Oppium in Ædilitate obtinendâ juvi.* [k] *Curtius noſter amicus Auguratum deſiderat.* [l] *ſed Hortenſius*, cujus locum occupare debet, *nondum mortuus eſt.*

NOTÆ.

verba hæc ſunt: *Si exiſtimes eandem rationem fore Cæſari in dimittendis adverſariis & conditionibus ferendis, erras; nihil niſi atrox, & ſævum cogitat, atque etiam loquitur.*

22. *Vel iſtis ipſis*] Periculis, incommodis, quæ mones ut caveam. Sic autem Cœlius eum monuerat, *Cogita ne te tuaſque omnes funditùs evertas, &c.*

23. *Generum*] Dolabellam.

24. *Ab iis moleſtiis*] Ab ære alieno, quod liberalitate ſuâ, & incommodis ſumptibus contraxerat: victore enim Cæſare, conſtabat neminem fore qui Dolabellam Cæſaris familiarem de creditis pecuniis appellare auderet.

25. *Quàm acerbos*] Ob æris alieni magnitudinem.

26. *Itaque*] Hoc referendum exiſtimo ad ea quæ dixit, non ſe terreri iis periculis quæ cavenda dixerat Cœlius; quare, inquit, neque expecto exitum belli Hiſpanienſis, ut conſilium manendi, vel diſcedendi ex urbe capiam, id quod aſtuti hominis eſſet.

27. *Hiſpanienſem caſum*] Exitum belli quod in Hiſpaniâ Cæſar adverſus Petreium & Afranium, Pompeii legatos, gerebat anno belli civilis primo.

28. *Ita eſſe*] Hiſpaniâ ſcilicet potiturum Cæſarem.

29. *Deſperationes*] Syllanis temporibus deſperabant ſalvam fore Rempublicam, quæ tamen in priſtinum ſtatum reſtituta eſt.

30. *Prætextam*] Ædilitatis togam primam, & hîc pro ipsâ Ædilitate ſumitur.

31. *Oppio*] Amico Cæſaris.

32. *Dibaphum*] Id eſt purpuram bis tinctam, quâ Augures utebantur.

33. *Infectos*

Digitized by Google

sum [33] infector moratur. Hæc adspersi, ut scires, me tamen [34] in stomacho solere ridere. De Dolabellâ quod scripsi, suadeo videas, tanquam si res tua agatur. Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temerè faciemus. te tamen oramus, [35] quibuscumque erimus in terris, ut nos, liberosque nostros ita tueare, ut amicitia nostra, & tua fides postulabit. Vale.

NOTÆ.

33. *Infector*] Id est Hortensius Orator & Augur, qui tingere debebat vestem Curtii, id est, morte suâ locum inter Augures Curtio relinquere; animam autem tunc agebat Hortensius.

34. *In stomacho*] Vel cùm iratus sum.

35. *Quibuscumque in terris*] Sive in solitudinem discedam, sive proficiscar ad Pompeium.

EPISTOLA XVII.

Respondet binis littteris Cneii Sallustii, qui Bibuli in Syriâ Proconsulis Quæstor erat. Lucio Æmilio Paulo, & C. Claudio Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

Cicero Imp. s. d. [1] Cneio Sallustio [2] Procos.

Literas à te mihi [a] stator tuus reddidit [3] Tarsi ad XVI. Kal. Sext. his ego ordine, ut videris velle, respondebo. De successore meo nihil audivi. nec [4] quemquam fore arbitror. [b] quin ad diem decedam, nulla causa est, præsertim sublato metu Parthico. commoraturum me nusquam sanè arbitror. [5] Rhodum, [6] Ciceronum causa puerorum, accessurum puto: neque id tamen certum est. ad urbem velim quamprimùm venire: sed tamen iter meum reipublicæ & rerum urbanarum ratio gubernabit. [7] Successor tuus

INTERPRETATIO.

[a] *Stator.* [b] *nihil impedit quominus discedam* ex provinciâ *stato tempore.*

NOTÆ.

2. *Cneio Sallustio*] Sic legendum ut patet ex litteris ad Atticum; non *Caninio*. Consule indicem historicum.

Procos.] Proconsul quoque appellatur Servius epist. 6. lib. 5. qui tamen [illegible] cum Antonio Proconsule in Macedoniam profectus est, quare mendum in [illegible] locum irrepsisse facilè credidere, legendumque *Proquæstori*.

3. *Tarsi*] Urbs Ciliciæ caput, multi [illegible] nomine illustris, sed eo maximè quòd [illegible] Gentium Doctorem orbi dede-

4. *Nec quemquam*] Quia Tribuni plebis intercesserant, ne successor Cæsari mitteretur; quæ res impedimentum provinciis cæteris objecit.

5. *Rhodum*] Rhodus insula maris Carpathii nobilissima; ab eâ Rhodii equites, qui inde à Solimano pulsi anno salutis 1522. Melitam dono Caroli V. Imperatoris obtinuerunt.

6. *Ciceronum*] Duo erant; Alter filius Ciceronis, alter nepos ex filiâ.

7. *Successor*] Hunc infrà nominat Marium.

Digitized by Google

non potest ita maturare ullo modo, ut tu me in Asiâ possis convenire. [8] De rationibus referendis, non erat incommodum te nullam referre: quam tibi scribis à [9] Bibulo fieri potestatem: sed id vix mihi videris per legem Juliam facere posse: quam Bibulus [10] certâ quadam ratione non servat, tibi magnoperè servandam censeo. Quod scribis Apameâ præsidium [11] deduci non oportuisse: videbam idem cæteros existimare, molestéque ferebam, de eâ re minùs commodos sermones malevolorum fuisse. Parthi [12] transierint, nec ne, præter te, video dubitare neminem. itaque omnia [13] præsidia, quæ magna, & firma paraveram, commotus hominum non dubio sermone, dimisi: Rationes mei quæstoris nec verum fuit me tibi mittere, nec tùm erant confectæ. eas nos [14] Apameæ deponere cogitabamus. [15] De prædâ meâ, [16] præter quæstores urbanos, id est populum Romanum [17] teruncium nec attigit, nec tacturus est quisquam. [18] Laodiceæ me prædes accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ, ut & mihi, & populo cautum sit sine vecturæ periculo. Quod scribis ad me [19] de drachmis ccclɔɔɔ, nihil est quod in isto genere cuiquam possim commodare. [d] omnis enim pecunia ita tractatur, ut [20] præda à præfectis, quæ autem [21] mihi attributa est, à quæstore curetur. Quod quæris, quid existimem de legionibus, quæ decretæ sunt in [22] Syriam: anteà dubitabam, venturæ ne essent, nunc mihi non est dubium, quin, si anteà auditum erit otium esse in Syriâ, venturæ non sint,

INTERPRETATIO.

[c] *potuisti sine incommodo nullam rationem reddere* pecuniæ administratæ, *pro facultate tibi à Bibulo lata, quanquam id mihi, &c.*

[d] *nam omnis pecunia ita tractatur, ut prædæ curam habeant Præfecti: illius verò* pecuniæ *quæ mihi data est, Quæstor curam habeat.*

NOTÆ.

8. *De rationibus referendis*] Per legem à Cæsare latam, provinciarum rationes referri oportebat, id est reddi rationem pecuniæ, & administrationis provinciæ.

9. *A Bibulo*] Cui Proconsuli si tu Quæstor obtemperes, nihil inde incommodi patieris.

10. *Certâ quadam ratione*] Bibulus infensus Cæsari, non servabat legem Juliam, quia latam contra auspicia dicebat, se nimirùm de cœlo servante.

11. *Deduci non oportuisse*] Quòd dicis præsidium Apameâ removendum non fuisse ob incursiones Parthorum, &c.

12. *Transierint*] Euphratem, patriam repetentes.

13. *Præsidia*] Apameæ, aliisque in locis collocatæ.

14. *Apameæ*] Lex Julia jubebat deponi rationes in duobus oppidis, & earum exemplum Romam mitti. De Apameâ vide epist. septimam libri tertii.

15. *De prædâ*] Quæ devictis Amanensibus, ab exercitu meo facta est.

16. *Præter Quæstores*] Quorum erant partes populi Romani pecuniam curare.

17. *Teruncium*] Nummum sic appellatum, quia tres uncias continet.

18. *Laodiceæ*] Oppidum est minoris Asiæ, ubi prædes se accepturum dicit, ut quantùm pecuniæ Laodiceæ relinqueret, tantùm sibi persolveretur Romæ.

19. *De drachmis ccclɔɔɔ.*] Centum millibus; quæ summa ad nostram monetam si reducatur, efficit librarum quadraginta millia, *quarante mille Francs.*

20. *Præda*] Id est pecunia quæ confecta est ex spoliis hostium.

21. *Mihi attributa est*] Ut exercitûs Imperatori.

22. *In Syriam*] Ad propulsandas Parthorum incursiones.

Digitized by Google

[23] Marium quidem successorem tardè video esse venturum, propterea quòd Senatus ita decrevit, ut cum legionibus iret. Uni epistolæ respondi: venio ad alteram. Petis à me, ut Bibulo te quamdiligentissimè commendem. in quo mihi voluntas non deest: sed locus videtur esse tecum expostulandi. solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo sunt, certiorem me nunquam feceris, quàm valdè Bibuli voluntas à me sine [24] causâ abhorreret. Permulti enim ad me detulerunt, cùm magnus Antiochiæ [25] metus esset, & magna spes in me, atque in exercitu meo, solitum dicere, quidvis se perpeti malle, quàm videri eguisse [26] auxilio meo. quod ego [27] officio quæstorio te adductum reticere de Prætore tuo non molestè ferebam: quanquam, quemadmodùm [28] tractarêre, audiebam. ille autem, cùm [29] ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me literam nunquam misit, ad quem intelligebat ejus belli periculum [30] pertinere. tantùm [31] de auguratu filii sui scripsit ad me. in quo ego misericordiâ [32] commotus, & quòd semper amicissimus [33] Bibulo fui, dedi operam, ut ei quamhumanissimè scriberem. ille, si omnibus est malevolus, quod nunquam existimavi: [e] minùs offendor in me. sin à me est alienior: nihil tibi literæ meæ proderunt. Nam, ad senatum, quas Bibulus literas misit, in iis, quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit. se ait curasse, ut cum quæstu populi [34] pecunia permutaretur. quod autem meum erat proprium, ut [35] alariis [36] transpadanis uti negarem, id etiam populo se remisisse scribit. quod verò illius erat solius, id mecum communicat. [37] equitibus auxiliariis, inquit, cùm ampliùs frumenti postularemus. Illud verò pusilli animi, & ipsâ malevolentiâ [f] jejuni, atque inanis, quòd

INTERPRETATIO.

[e] *minùs me offendit, quàd in me sit malevolus.* [f] *humilis.*

NOTÆ.

23. *Marium*] Tuum in Quæsturâ successorem.

24. *Sine causâ*] Immò gravi de causâ insensus erat Ciceroni, qui Cæsarem in curiâ ornaverat, eique supplicationes quindecim dierum, stipendium, ac decem legatos decerni curaverat: quæ quidem omnia ad Cæsaris potentiam, quem Bibulus oderat, accessionis plurimùm attulerunt.

25. *Metus*] A Parthis.

26. *Auxilio meo*] Ad repellendos Parthos.

27. *Officio Quæstorio*] Quæstoris enim est dicta factave sui Proconsulis reticere.

28. *Tractarêre*] Quamquam poteras & de me iis certiorem facere; noveram enim quàm tecum iniquè ageret.

29. *Ad Thermum*] Q. Minutium Thermum Asiæ Proprætorem.

30. *Pertinere*] Ob Ciliciam, quæ Syriæ finitima est.

31. *De Auguratu*.] Quem Bibuli filius petebat.

32. *Commotus*] Jam enim duobus liberis orbatus erat Bibulus.

33. *Bibulo*] Filio petenti Auguratum.

34. *Pecunia*] Collecta ex Parthorum devictorum spoliis: permutare pecuniam, est operam dare ut alicubi numeretur, quæ alibi solvatur.

35. *Alariis*] Quòd noluerim uti alariis, id est equitibus auxiliariis, qui in alis collocantur ad tuendos pedites.

36. *Transpadanis*] Trans Padum lectis.

37. *Equitibus auxiliariis*] Sunt verba Bibuli petentis à populo Romano commeatus. Loquitur autem suo & Ciceronis nomine, *cùm postularemus*: id Ciceroni dis-

Digitized by Google

» Ariobarzanem quem Senatus per me regem appellavit, mihique commendavit, iſte in literis non regem, ſed regis » Ariobarzanis filium appellat. hoc animo qui ſunt, deteriores fiunt rogati: ſed tibi morem geſſi: literas ad eum ſcripſi: quas cùm acceperis, facies quod voles. Vale.

NOTÆ.

plicet, qui commeatum militibus ſuis ſuppeditarat.

38. *Ariobarzanem*] Regem Cappadociæ, Cicerone referente, appellatum.

39. *Ariobarzanis*] Quem Mithridates regno bis expulit; quem Romani bis reſtituerunt; ſemel Sylla; iterum Pompeius.

EPISTOLA XVIII.

Suadet ut decedens Quæſtorem potius quàm legatos provinciæ, ſuo loco præficiat. Eodem anno.

M. Cicero Imp. s. d. Q. [1] Thermo Prætori.

OFFICIUM meum erga Rhodonem, cæteraque mea ſtudia, quæ tibi, ac tuis præſtiti; tibi, homini [a] gratiſſimo, grata eſſe vehementer gaudeo: mihique ſcito in dies majori curæ eſſe dignitatem tuam: quæ quidem à teipſo integritate, & clementiâ tuâ ſic amplificata eſt, ut nihil addi poſſe videatur. ſed mihi, magis magiſque quotidie de [b] rationibus tuis cogitanti, placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni noſtro, ut ad me venit, oſtendi, graves te ſuſcepturum inimicitias, ſi [2] adoleſcens potens, & nobilis à te ignominiâ affectus eſſet. & hercle ſine dubio erit ignominia. [3] habes enim neminem honoris gradu ſuperiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipſo vincit viros optimos, hominesque innocentiſſimos, legatos tuos, quòd & quæſtor eſt, & quæſtor tuus. nocere tibi iratum neminem poſſe perſpicio: ſed tamen tres fratres, ſummo loco natos, promptos, non indiſertos, te nolo habere iratos, præſertim jure: quos video deinceps Tribunos plebis per triennium fore. Tempora autem Reipublicæ qualia futura ſint, quis ſcit? mihi quidem turbulenta videntur fore. cur ego te velim incidere in terrores [4] tribunitios? præſertim cùm ſine cujuſquam reprehenſione legatis quæſtorem poſſis anteferre: quid ſi dignum ſe majoribus ſuis præbue-

INTERPRETATIO.

[a] *officiorum memori.* [b] *quid tibi maximè conducat.*

NOTÆ.

1. *Q. Thermo*] Adi hiſtoricum indicem.

2. *Si adoleſcens*] Si Quæſtorem tuum, adoleſcentem potentem, nobilem, provinciæ non præpoſueris, cùm ex eâ decedes.

3. *Habes*] Quæſtor legatis dignitate ſuperior erat.

4. *Tribunitios*] Nemo niſi periculosè offendebat Tribunum plebis, qui poterat lege latâ civem ex urbe ejicere.

Digitized by Google

fit, ut spero, & opto, tua laus ex aliquâ parte fuerit: [c] sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Quæ mihi veniebant in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar, quòd in Ciliciam proficiscebar, existimavi me ad te oportere scribere. tu quod egeris, id velim Dii approbent: sed, si me audies, vitabis inimicitias, & [d] posteritatis otio consules. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *sin aliquid peccabit* in administratione provinciæ, *tota offensio in illum, non in te recidet.* [d] *& posterorum tuorum quieti prospicies.*

EPISTOLA XIX.

Significat optatiorem sibi Quæstorem obtingere non potuisse. Hortatur ut maturè veniat. Eodem anno.

M. Cicero Imp. S. D. C. Cœlio Caldo, L. F. Quæst.

CUM optatissimum nuncium accepissem, te mihi quæstorem obtigisse, eo jucundiorem mihi eam [1] sortem sperabam fore, quo diutiùs in provinciâ mecum fuisses. magni enim videbatur interesse, ad eam [2] necessitudinem, quam nobis sors tribuisset, consuetudinem quoque accedere. posteà, cùm mihi nihil neque à te ipso, neque ab ullo alio de adventu tuo scriberetur, verebar ne id ita caderet, quod etiam nunc vereor, ne antequam tu in provinciam venisses, ego de provinciâ decederem. accepi autem à te missas literas in Ciliciâ, cùm essem in castris, ad x. Kal. Quint. scriptas humanissimè, quibus facilè & officium, & ingenium tuum perspici possit: sed neque unde, neque quo die datæ essent, aut quo tempore te expectarem, significabant: nec is, qui attulerat, à te acceperat, ut ex eo scirem, quo ex loco, aut quo tempore essent datæ. quæ cùm essent incerta, existimavi tamen esse faciundum, ut ad te [4] statores meos, & lictores cum literis mitterem: quas si satis opportuno tempore accepisti, gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quamprimum [3] veneris. Nam, quod ad me Curius, consobrinus tuus, mihi, ut scis, maximè necessarius, quod item C. Virgilius, propinquus tuus, familiarissimus noster, de te accuratissimè scripsit, valet id quidem apud me multum, sicuti debet hominum amicissimorum diligens commendatio: sed tuæ literæ, [4] de tuâ præsertim dignitate, & de

INTERPRETATIO.

[4] *apparitores meos.*

NOTÆ.

1. *Sortem*] Quia sorte Quæsturam acceperat.
2. *Necessitudinem*] Quæ maxima erat Consulem inter & Quæstorem.
3. *Veneris*] Antequam ex illâ decedam.
4. *De tuâ dignitate*] Quas mihi scribis

nostrâ conjunctione maximi sunt apud me ponderis. mihi quæstor optatior obtingere nemo potuit. quamobrem quæcunque à me ornamenta in te proficiscentur, ut omnes intelligant, à me habitam esse rationem tuæ, majorumque tuorum dignitatis. sed id jam facilius consequar, si ad me in Ciliciam veneris. quod ego & mea, & reipublicæ, & maximè tua interesse arbitror. Vale.

NOTÆ.

de dignitate Quæstoris tibi traditâ.

5. *Proficiscentur*] Sunt qui post *proficiscentur*, addunt, *elaborabo*, hac sententiâ, efficiam ut, quæcumque ornamenta in te conferam, omnes intelligant me rationem habuisse dignitatis tuæ, & majorum tuorum.

LIBER III.

AD APPIUM.

EPISTOLA I.

Excusat brevitatem epistolæ, eoquòd Appius à Phaniâ de Reipublicæ statu certior fieri poterat; suam in Appium benevolentiam testatur; Phaniam laudat, Cilicemque ejus libertos. Postremò Valerium Iurisconsultum cum joco familiari commendat. S. Sulpicio, & M. Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo secundo.

M. Cicero S. D. Appio Pulchro Imperatori.

Si ipsa respublica tibi narrare posset, quo modo sese haberet, non faciliùs ex eâ cognoscere posses, quàm ex liberto tuo Phaniâ: ita est homo non modò prudens, verùm etiam, quod vidi, curiosus. Quapropter ille tibi omnia explanabit. id enim mihi & ad brevitatem est aptius, ad & reliquas res [1] providentius. De meâ autem benevolentiâ erga te etsi potes ex eodem Phaniâ cognoscere, tamen videntur etiam aliquæ [2] meæ partes. Sic enim tibi persuade, carissimum te mihi esse, cùm propter multas suavitates ingenii, officii, humanitatis tuæ: tùm quod ex literis tuis, & multorum sermonibus intelligo, omnia, quæ à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod cùm ita sit, perficiam profectò, ut longi temporis usuram

NOTÆ.

1. *Providentiùs*] Reliquas res quæ ad Rempublicam pertinent, tutiùs ex Phaniâ cognosces, quàm ex litteris, quibus omnia committi non debent.

2. *Meæ partes*] Videtur meum esse munus, significare tibi, quàm te sincerè & ex animo diligam.

Digitized by Google

quâ [3] caruimus, intermissâ nostrâ consuetudine, & gratiâ, crebritate, & magnitudine officiorum meorum sarciam. idque me, quoniam tu ita vis, puto [a] non [4] invitâ Minervâ esse facturum: [b] [5] quam quidem ego si fortè de tuis sumpsero, non solùm Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Cilix, libertus tuus, anteà mihi minus fuit notus: sed, ut mihi reddidit à te literas, plenas & amoris, & officii, mirificè ipse suo sermone [c] subsecutus est humanitatem literarum tuarum. jucunda mihi ejus oratio fuit, cùm de animo tuo, cùm de sermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. quid quæris? biduo factus est mihi familiaris, ita tamen, ut Phaniam valde sim desideraturus. quem cùm Romam remittes, quod, ut putabamus, celeriter eras facturus: omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me voles, mandata des velim. L. [6] Valerium Jurisconsultum valde tibi commendo, sed ita [7] etiam, si non est Jurisconsultus. melius enim ei cavere volo, [8] quàm ipse aliis solet. valdè hominem diligo. est ex meis domesticis, atque intimis familiaribus. omnino tibi agit gratias: sed idem scribit, meas literas maximum apud te pondus habituras. id cum ne fallat, te etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *non invito genio.* [b] *quam quidem Minervam si ex monumentis familiæ tuæ nominare voluero, non jam Pallada, sed Appiada nominabo.* [c] *imitatus est.*

NOTÆ.

3. *Quæ caruimus*] Ob inimicitias quæ graves ipsi cùm Clodio Appii fratre intercesserant.

4. *Invitâ Minervâ*] Qui naturâ & ingenio repugnante, opus aliquod aggreditur. Is invitâ Minervâ dicitur aggredi, eo quòd litterarum studiis hæc Dea præesset. Horatius:

Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ.

5. *Quam quidem ego*] Appiades Deæ dictæ sunt à Grammaticis Pallas, Pax, Concordia, Venus, Vesta, quarum templa propè forum Cæsaris extructa erant: sic autem appellatæ ab Aquâ Appiâ, quam in idem forum Appiorum unus deduci curavit. Ad illud respexit Cicero scribens ad Appium.

6. *Valerium Jurisconsultum*] Quem jam anteà Lentulo Ciliciæ Proconsuli commendarat. Vide ultimam epistolam primi libri.

7. *Etiamsi non est*] In jure minùs versatum fuisse jam indicavit in epistolâ ultimâ libri primi.

8. *Quàm aliis*] Quorum causas ob ignorantiam non optimè tueri solitus erat.

EPISTOLA II.

Ciliciam provinciam sortitus petit ab Appio, cui succedebat, ut eam sibi quammaximè aptam explicatamque tradat. Eodem anno.

Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro Imp.

CUM & [1] contra voluntatem meam, & præter opinionem accidisset, ut mihi [2] cum imperio in provinciam proficisci necesse esset, in multis,

NOTÆ.

1. *Contra voluntatem*] Administrationem provinciæ jam antè Cicero rejecerat; domi quàm bello melior: cùm enim ex Consulatu in Galliam aut in Macedoniam ire posset, utramque volens cessit: in epist. ad Catonem, ep. 4. lib. 15. *Provinciam ornatam, & spem non dubiam triumphi neglexi.*

2. *Cum imperio*] Vide epistolam primam libri primi.

Digitized by Google

& 3 variis moleſtiis, cogitationibuſque meis hæc una conſolatio occurrebat, quòd neque tibi amicior, quàm ego ſum, quiſquam poſſet ſuccedere : neque ego ab ullo provinciam accipere, qui mallet eam mihi quammaximè aptam explicatamque tradere. quòd ſi tu quoque eandem de meâ voluntate erga te ſpem habes : ea te profectò nunquam fallet. A te maximoperè pro noſtrâ ſummâ conjunctione, tuaque ſingulari humanitate etiam atque etiam peto, & quæſo, ut, quibuſcunque rebus potes, (potes autem plurimis) proſpicias & conſulas rationibus meis. Vides ex 4 S C. provinciam eſſe habendam. ſi eam, quoad ejus facere potueris, quàm expeditiſſimam mihi tradideris, facilior erit mihi quaſi 5 decurſus mei temporis. quid in eo genere efficere poſſis, tui conſilii eſt. 6 ego te, quod tibi veniet in mentem mea intereſſe, valdè rogo. Pluribus verbis ad te ſcriberem, ſi aut tua humanitas longiorem orationem expectaret : aut id fieri noſtra amicitia pateretur : aut 7 res verba deſideraret, ac non pro ſe ipſâ loqueretur. hoc velim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te proviſum eſſe intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam voluptatem eſſe capturum. Vale.

NOTÆ.

3. *Variis moleſtiis*] Quas & urbis abſentia, & Parthorum vicinitas homini ad bellum minimè nato creabant.

4. *Ex ſenatuſconſ.*] Statuerat Senatus, ut duas provincias Conſulares, Syriam, & Ciliciam Bibulus & Cicero ſorte deligerent. Ciceroni Cilicia obtigit.

5. *Decurſus*] Facilius annuum adminiſtrationis meæ tempus decurram.

6. *Ego te*] Ego te valdè rogo, ut efficias, id omne quod intelliges mea intereſſe.

7. *Aut res*] Quandoquidem Proconſul debet operam dare, tùm honoris ſui, tùm Reipublicæ causâ, ut provinciam ſucceſſori ſuo quàm maximè explicatam tradat.

EPISTOLA III.

Petit ab Appio idem quod in ſuperiori epiſtolâ, maximè verò ut militum numerus non imminuatur. Eodem anno.

Cicero Procoſ. S. D. Appio Pulchro Imperatori.

AD XI. Kal. Jun. 1 Brundiſium cùm veniſſem, Q. Fabius legatus tuus, mihi præſto fuit, eaque me ex tuis mandatis monuit, quæ non modò mihi, ad quem pertinebant, ſed univerſo ſenatui venerant in mentem, præſidio firmiori 2 opus eſſe ad iſtam provinciam. cenſebant enim omnes ferè,

NOTÆ.

1. *Brundiſium*] Urbem Salentinorum maritimam, contra Tarentum; unde rectus eſt in Græciam trajectus. *Brundiſi*, Gallis *Brindes*, portum habet tutum, ab Ætolis, Diomedis ſociis, conditum. Lucanus lib. 2. de Pompeio loquens,

-----profugusque per Appula rura
Brunduſii tutas conſcendit Magnus in arces.

Nunc. civitas Archiep. regni Neapolitani, in provinciâ Hidruntinâ, & in oræ maris Adriatici.

2. *Opus eſſe*] Ut Cilicia tuta eſſet ab incurſionibus Parthorum.

3. *Negaret*

ut in Italiâ ſupplementum meis, & Bibuli legionibus ſcriberetur. id cùm Sulpitius Coſ. paſſurum ſe [3] negaret, multa [4] nos quidem queſti ſumus, ſed tantus conſenſus ſenatûs fuit, ut maturè proficiſceremur, parendum ut fuerit: itaque fecimus. Nunc, quod à te petii literis iis, quas Romæ tabellariis tuis dedi, [5] velim tibi curæ ſit, quæ ſucceſſori [6] conjunctiſſimo, & amiciſſimo commodare poteſt is, qui provincjam tradit, ut ea, pro noſtrâ conſtantiſſimâ voluntate erga te, curâ, ac diligentiâ tuâ complectare: ut omnes intelligant, nec me benevolentiori cuiquam ſuccedere, nec te amiciori potuiſſe provinciam tradere. Ex iis literis, quarum exemplum ad me miſiſti, quas in ſenatu recitari voluiſti, ſic intellexeram, permultos à te milites eſſe dimiſſos: ſed mihi Fabius idem demonſtravit, id te cogitaſſe facere, ſed cùm ipſe à te diſcederet, integrum militum numerum fuiſſe. Id ſi ita eſt, pergratum mihi feceris, ſi iſtas exiguas copias, quas habuiſti, quamminimum imminueris. quâ de re S. C. quæ facta ſunt, ad te miſſa eſſe arbitror. [7] equidem pro eo, quanti te facio, quidquid feceris, approbabo: ſed te quoque confido ea eſſe facturum, quæ mihi intelliges maximè eſſe accommodata. Ego C. Pontinium, legatum meum, Brundiſii expectabam: eumque ante Kal. Jun. Brundiſium venturum arbitror. qui cùm venerit, quæ primùm navigandi nobis facultas data erit, eâ utemur. Vale.

NOTÆ.

3. *Negaret*] Ne militibus Italia nudaretur.

4. *Multa nos*] Ego & Bibulus.

5. *Velim tibi curæ ſit*] Da operam, obſecro, ut hanc mihi benevolentiam præſtes, quam præſtare poteſt is qui provinciam tradit ſucceſſori amiciſſimo; id eſt, ut explicatam, optimoque præſidio firmatam relinquas.

6. *Conjunctiſſimo*] Propter Auguratum quem unà exercebant.

7. *Equidem*] Quoniam plurimi te facio, quidquid feceris, non poſſum non approbare.

EPISTOLA IV.

Significat expectari à ſe L. Clodium cum Appii mandatis; ſuum illi ſtudium in omnibus rebus pollicetur; cauſas, quibus ad eum diligendum adducatur, recenſet. Eodem anno.

Cicero Procoſ. S. D. Appio Pulchro Imperatori.

PRIDIE non. Jun. cùm eſſem Brundiſii, literas tuas accepi, quibus erat ſcriptum, te L. [1] Clodio mandaſſe, quæ illum mecum loqui velles. eum ſanè expectabam, ut ea, quæ à te afferret, quamprimùm cognoſcerem. Meum ſtudium erga te, & officium tametſi multis jam rebus ſpero tibi eſſe cognitum, tamen in iis maximè declarabo, quibus plurimùm ſignificare potuero, tuam mihi exiſtimationem, & dignitatem cariſſimam

NOTÆ.

1. *L. Clodio*] Præfecto Fabrûm. Quale eſſet illud munus, docet ſequens epiſtola.

Digitized by Google

esse. Mihi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus L. F. & diligentissimè M. Octavius Cn. F. demonstravit, me à te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis jam anteà judicaram, maximéque illo [2] libro augurali, quem, ad me amantissimè scriptum, suavissimum misisti. mea in te omnia summa necessitudinis officia [2] constabunt. nam cùm te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidiè pluris feci: [3] tùm accesserunt etiam conjunctiones necessariorum tuorum. duos enim [4] duarum ætatum plurimi facio, [5] Cn. Pompeium filiæ tuæ socerum, & M. [6] Brutum, generum tuum. [7] collegii quoque conjunctio, præsertim tam honorificè [8] à te approbata, [9] non mediocre vinculum mihi quidem attulisse videtur ad voluntates nostras copulandas. Sed, si Clodium convenero, ex illius sermone ad te scribam plura: & ipse operam dabo, ut te quamprimùm videam. Quod scribis, manendi tibi causam eam fuisse, ut me convenires; id mihi, ne mentiar, gratum est. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *non obscura erunt.*

NOTÆ.

2. *Illo libro Augurali*] Quem de institutis & disciplinâ Augurum scripserat Appius, Tullioque dedicaverat.

3. *Tùm accesserunt*] His accedit amicitia quæ mihi summa est cum necessariis & affinibus tuis.

4. *Duarum ætatum*] Senescente Pompeio, Bruto juvene.

5. *Cneium Pompeium*] Cujus ex filiis alter Appii filiæ nupsit.

6. *M. Brutum*] Alteram hic Appii filiam uxorem duxerat; quâ deinde dimissâ, Porciæ Catonis Uticensis filiæ nupsit.

7. *Collegii conjunctio*] Quia uterque Augur fuit.

8. *A te approbata*] Cùm ad me librum Auguralem scripsisti.

9. *Non mediocre vinculum*] Quia neminem licebat inter Augures cooptare, qui vel uni è collegio infensus esset.

EPISTOLA V.

Agit Appio gratias, quòd effecerit ut explicatam sibi provinciam traderet; tùm rationem exponit itineris sui, quò certiùs de congressu statuere Appius possit. Eodem anno.

Cicero Procos. s. d. Appio Pulchro Imperatori.

[1] TRALLES veni ad VI. Kal. Sext. ibi mihi præsto fuit L. Lucilius cum literis, mandatisque tuis: quo quidem homine neminem potuisti nec mihi amiciorem, nec, ut arbitror, ad ea cognoscenda, quæ scire

NOTÆ.

1. *Tralles*] Urbem Asiæ minoris, inter Caystrum & Meandrum fluvios; hanc Ptolemæus Cariæ, Strabo Ioniæ, Stephanus Lydiæ attribuit.

Digitized by Google

volebam, aptiorem, prudentioremve mittere. ego autem & tuas literas legi libenter, & audivi Lucilium diligenter. Nunc, quoniam & tu ita sentis (scribis enim, quæ de [2] nostris officiis ego ad te scripserim, etsi ea jucunda fuerunt, tamen, quoniam ex alto repetita sunt, non necessaria te putasse) & ea verâ, confirmatâ amicitiâ, & perfectâ fide, commemoratio officiorum supervacanea est: eam partem orationis prætermittam. tibi tamen agam, ut debeo, gratias. animadverti enim, & didici ex tuis literis, [3] te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres, restitueresque, & præparares quodammodo omnia, quò mea ratio facilior, & solutior esse posset. Hoc tuum officium cùm mihi gratissimum esse dicam: sequitur illud, ut te existimare velim, mihi magnæ curæ fore, atque esse jam, primùm ut ipse tu, tuique omnes, deinde etiam ut reliqui scire possint, me tibi esse amicissimum. quod quibus adhuc non satis est perspectum, ii [a] mihi nolle magis hoc animo nos esse, quàm non intelligere videntur. sed profectò intelligent. neque enim obscuris personis, nec parvis in causis res agetur. sed hoc fieri meliùs quàm dici, aut scribi, volo. Quòd itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visuruſne me sis in provinciâ: ea res sic habet. Brundisii cùm loquerer cum Phaniâ liberto tuo, veni in eum sermonem, ut dicerem, me libenter ad eam partem provinciæ primùm esse venturum, quò te maximè velle arbitrarer. tunc mihi ille dixit, classe te velle decedere: perfore accommodatum tibi, si [4] ad Sidam, maritimam partem provinciæ, navibus accessissem. Dixi me esse facturum: itaque feciſſem, nisi mihi L. Clodius noster [5] Corcyræ dixisset, minimè id esse faciendum: te [6] Laodiceæ fore ad meum adventum. erat id mihi multò brevius, multóque commodius, cùm præsertim te ita malle arbitrarer. tua ratio postea est commutata. nunc, quid fieri possit, tu facillimè statues. ego tibi meum consilium exponam. Pridie Kal. Sext. puto me Laodiceæ fore: ubi perpaucos dies, dùm pecunia accipitur, quæ mihi ex publicâ permuta-

INTERPRETATIO.

[a] *ii quibus nondum perspecta satis est* amicitia nostra, *videntur potiùs nolle nos* ambo amico *esse animo, quàm id ignorare.*

NOTÆ.

2. *De nostris officiis*] Quibus inter nos mutuò certavimus.

3. *Te in omnibus*] Te in omnibus rebus dedisse operam, ut paratam mihi, & expeditam provinciam traderes, quo faciliùs illam & commodiùs regerem.

4. *Ad Sidam*] Urbem Pamphiliæ ad mare sitam, non procul à Ciliciâ: ampla quondam erat Metropolis, hodie penè extincta.

5. *Corcyræ*] Insula est Ionio in mari; oppidum habet permunitum ejusdem nominis, nunc *Corfou*, cum duplici arce in colle, armamentario, & portu capacissimo; subest ditioni Venetorum.

6. *Laodicea*] Ex multis urbibus quæ sic appellatæ sunt, duæ principem locum obtinent; altera in Syriâ sita est, quæ nomen accepit à Laodice matre Seleuci Nicanoris; altera in Phrygiâ, & Lyco flumini

Digitized by Google

tione debetur, commorabor. Deinde iter faciam ad exercitum: ut circiter id. Sext. putem me ad [7] Iconium fore. sed, si quid nunc me fallit in scribendo, (procul enim aberam ab re ipsâ, & locis) simul ac progredi cœpero, quàm celerrimis potero, & quàm creberrimis literis faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum, atque itinerum meorum. oneris tibi imponere nec audeo quidquam, nec debeo: sed, quod tuo commodo fieri possit, utriusque nostrûm magni interest, priùs ut te conveniam, quàm decedas. quam facultatem si quis casus eripuerit, mea tamen in te omnia officia constabunt, non secùs, ac si te vidissem. Tibi de nostris rebus nihil sum antè mandaturus per literas, quàm desperaro, coram me tecum agere posse. Quod te à [8] Scævolâ petisse dicis, ut, dùm tu abesses, ante adventum meum provinciæ præesset: eum ego Ephesi vidi, fuitque mecum familiariter triduum illud, quod ego Ephesi commoratus sum: nec ex eo quidquam audivi, quod sibi à te mandatum diceret. sanè vellem potuisse obsequi voluntati tuæ: non enim arbitror noluisse. Vale.

NOTÆ.

imposita, de quâ hîc agitur.

7. *Iconium*] Urbem Asiæ minoris in Lycaonia, etiam nunc ampla est, & probè munita, Caramaniæ latè sumptæ caput & ubi manet totius regionis Præfectus, nunc *Cogni* sub dominio Turcarum. Hîc Ciceronem exercitus expectabat.

8. *A Scævolâ*] Fuit Muciæ gentis cognomen. Hunc Appii vel Quæstorem in Ciliciâ fuisse, vel legatum credibile est.

EPISTOLA VI.

Declarat non per se, sed per Appium stetisse quominùs congrederentur, se tamen illi fore semper amicissimum, de ratione itineris nonnulla subjungit. Eodem anno.

Cicero Procos. s. D Appio Pulchro Imperatori.

[1] CUM meum factum cum tuo comparo, [a] etsi non magis mihi faveo in nostrâ amicitiâ tuendâ, quam tibi, tamen multò magis meo facto delector, quàm tuo. Ego enim Brundisii quæsivi [2] ex Phaniâ, cujus mihi videbar & fidelitatem erga te perspexisse, & nosse locum, quem apud te is teneret, quam in partem provinciæ maximè putaret te velle ut in succedendo primùm venirem. cùm ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius fa-

INTERPRETATIO.

[a] *quanquam existimo* me non magis esse sedulum *in nostrâ amicitiâ tuendâ, quàm tu sis.*

NOTÆ.

1. *Cùm factum meum*] Congressum Appii optabat Tullius; id verò declinare velle Appius videbatur.

2. *Ex Phaniâ*] Vide epistolam quintam.

Digitized by Google

cere posse, quàm si ad Sidam navigassem : etsi minus dignitatis habebat ille adventus, & ad multas res mihi minùs erat aptus, tamen me ita dixi esse facturum. Idem ego cùm L. Clodium Corcyræ conveniſſem, hominem ita tibi conjunctum, ut mihi, cum illo cùm loquerer, tecum loqui viderer: dixi ei me ita facturum esse, ut in eam partem, quam Phania rogasset, primùm venirem. tunc mihi ille cùm gratias egisset, magnoperè à me petivit, ut Laodiceam protinùs irem. [3] te in primâ provinciâ velle esse, ut quamprimùm decederes: quin, nisi ego successor essem, quem tu cuperes videre, te, anteà quàm tibi successum esset, decessurum fuisse. quod quidem erat consentaneum cum iis literis, quas ego Romæ acceperam, ex quibus perspexisse mihi videbar, quàm festinares decedere. Respondi Clodio me ita esse facturum, ac multò quidem libentiùs, quàm si illud esset faciendum, [4] quod promiseram Phaniæ. itaque & consilium mutavi, & ad te statim meâ manu scriptas literas misi, quas quidem ex tuis literis intellexi, satis maturè ad te esse perlatas. Hoc ego meo facto valdè delector. nihil enim potuit fieri amantius. considera nunc vicissim tuum. Non modò [5] ibi non fuisti, ubi me quamprimùm videre posses, sed [6] eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum [7] lege, ut opinor, Corneliâ constituti essent. [b] ut tuum factum illis, qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis, ut levissimè dicam, & fugientis congressum : meum verò conjunctissimi & amicissimi esse videantur. Ac mihi tamen antequam in provinciam venirem, redditæ sunt à te literæ : quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei conveniendi afferebas : cùm intereà, credo equidem malevoli homines, (altè enim patet hoc vitium, & est in multis) sed tamen probabilem materiem nacti sermonis, ignari meæ constantiæ, conabantur alienare à te voluntatem meam, qui [c] te forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, judicare dicerent : cùm posses jam suspicari tibi esse successum: quæ ne ab iis quidem fieri solerent, qui brevi tempore sibi succedi putarent. Horum ego sermone non movebar : quinetiam (credas mihi velim)

INTERPRETATIO.

[b] *adeò ut illi, qui ignorant quo animo inter nos simus, putent tuam agendi rationem esse hominis alieni, & fugientis congressum.*

[c] *te jus Tarsi dicere.*

NOTÆ.

3. *Te in primâ provinciâ*] Cujus prima urbs erat Laodicea, de quâ in proximè sup. epist. Solebat autem decessor successorem suum in primâ provinciâ præstolari.

4. *Quod promiseram Phaniæ*] Scilicet ad Sidam me navigaturum.

5. *Ibi non fuisti*] Laodiceæ, in primâ provinciâ.

6. *Eò discessisti*] In Ciliciam, quæ ultima provincia est.

7. *Lege Corneliâ*] Quâ cautum erat, ne provinciarum Rectores, ultra dies triginta post successoris adventum, in provinciâ morarentur.

Digitized by Google

si quid tu ageres, levari me putabam molestiâ: & ex annuâ provinciâ, quæ mihi longa videretur, propè jam undecim mensium provinciam factam esse gaudebam, si [8] absenti mihi unius mensis labor [9] detractus esset. Illud (verè dicam) me movet, in tantâ militum paucitate abesse [10] tres cohortes, quæ sint plenissimæ, nec me scire ubi sint. Molestissimè autem fero, quòd te ubi visurus sim, nescio: eóque ad te tardiùs scripsi, quòd quotidie te ipsum expectabam: cùm interea ne literas quidem ullas accepi, quæ me docerent quid ageres, aut ubi te visurus essem. Itaque virum fortem, mihique in primis probatum, Antonium, præfectum [11] evocatorum, misi ad te, cui, si tibi videretur, cohortes traderes: ut, dum tempus anni esset idoneum, aliquid negotii [12] gerere possem. in quo, tuo consilio ut me sperarem esse usurum, & amicitia nostra, & literæ tuæ fecerant: quod ego ne nunc quidem despero. sed planè quando, aut ubi te visurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum. Ego, ut me tibi amicissimum esse, & æqui, & iniqui intelligant, curabo: de tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse. id si correxeris, mihi valdè gratum erit. & ut habere rationem possis, quo loco me, [13] salvâ lege Corneliâ, convenias: ego in provinciam veni pridie Kal. Sext. iter in Ciliciam facio [14] per Cappadociam. castra movi ab Iconio pridie Kal. Septemb. Nunc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, si putabis me esse conveniendum, constitues quo loco id commodissimè fieri possit, & quo die. Vale.

NOTÆ.

8. *Absenti mihi*] Ab urbe Tarsensi, ubi forum agebas: in provinciam enim Cicero jam venerat.

9. *Detractus*] Jurisdictione quam Tarsi Appius exercebat.

10. *Tres cohortes*] Romana cohors tribus manipulis, manipulus autem duabus constasse centuriis dicitur: in hanc rem plura si quæris, consule Cantelium nostrum Valerii Maximi doctissimum interpretem.

11. *Evocatorum*] Hi erant emeriti milites, qui, si postularet necessitas, modò litteris, modò precibus, interdùm etiam nuntiis ab Imperatore ad militiam evocabantur. Hos in provinciâ Cicero contraxerat.

12. *Gerere possem*] Bellum significat; quod ipsi contra Amanienses perpetuum fuit.

13. *Salvâ lege*] Vide superiora.

14. *Per Cappadociam*] Asiæ minoris regio est ampla, in quâ olim multæ urbes & celebres. Hanc ab Occidente Galatia & Lycaonia terminant; à Meridie Cilicia, ab ortu Euphrates, à Septentrione Euxinus Pontus: aliâ viâ poterat, eaque breviori in Ciliciam venire; per Cappadociam autem transiit, ut finitimos Reges Parthis non apertè inimicos, in officio contineret.

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

Appii querelam confutat; de Appio viciſſim & juſtiùs queritur, virtutem extollens contra inanem nobilitatis arrogantiam. Luc. Paulo, & C. Marcello Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingenteſimo tertio.

Cicero [1] Imp. s. D. Appio Pulchro.

PLURIBUS verbis ad te ſcribam, cùm plus otii nactus ero. hæc ſcripſi ſubitò, cùm Bruti pueri Laodiceæ me conveniſſent, & ſe Romam properare dixiſſent. itaque nullas iis, præterquam ad te, & ad Brutum, dedi literas. [3] Legati Apameani mihi [4] volumen à te plenum querelæ iniquiſſimæ reddiderunt, quòd eorum [5] ædificationem literis meis impediſſem. Eadem epiſtolâ [6] petebas, ut eos quamprimùm, ne in hiemem inciderent, ad facultatem ædificandi liberarem: & ſimul [7] peracutè querebare, quòd eos [8] tributa exigere vetarem priùs, quàm ego, re cognitâ, permiſiſſem. genus enim quoddam fuiſſe impediendi, cùm ego cognoſcere non poſſem, niſi cùm ad hiemem me ex Ciliciâ [9] recepiſſem. ad omnia accipe, & cognoſce [10] æquitatem expoſtulationis tuæ. Primùm, cùm ad me aditum eſſet ab iis, qui dicerent à ſe intolerabilia tributa [11] exigi: quid habuit iniquitatis, me ſcribere, ne facerent antequam ego rem, cauſamque cognoſcerem? Non poteram, credo, ante hiemem. ſic enim ſcribis. Quaſi verò ad cognoſcendum ego ad illos, non illi [12] ad me venire debuerint. tam longè? inquis. quid? cùm dabas iis literas, per quas mecum agebas, ne eos

NOTÆ.

1. *Imp.*] Sic inſcribenda eſt hæc epiſtola, quia data eſt Laodiceæ, quò ſe receperat Cicero, devictis Amanienſibus, & Pindeniſſo capto, atque adeò Imperatoris titulo inſignitus.

2. *Appio*] Qui Romæ tùm verſabatur; unde litteras querelarum plenas ad Tullium miſerat.

3. *Legati Apameani*] Apameæ plures extitêre. Apamea Syriæ, clara olim, ad fluvium Orontem, à Seleuco Rege condita, ac de ſororis nomine appellata. Apamea Bithyniæ ad Propontidem propè Cianum ſinum, priùs Myrtea, ſicut & hodie à Turcis nominatur. Apamea Phrygiæ majoris, quæ & Cibotos, & Celænæ, nunc *Apamia*, ad Murſyam fluvium poſita, & à Seleuco quoque Rege extructa; olim ſub Metropoli Antiochenâ Piſidiæ, poſt & ipſa Metropolis effecta, nunc paucis incolis habitata jacet. De hac nunc ſermo eſt.

4. *Volumen*] Litteras *volumen* appellat, quòd earum longitudo voluminis figuram exhibet.

5. *Ædificationem*] Templum in honorem Appii, ut Manutius explicat, extruere volebant.

6. *Petebas*] Petebas ut eis quamprimùm facultatem ædificandi concederem, ne hyeme pòſt adveniente, prohiberentur.

7. *Peracutè*] Quia tibi venit in mentem ea queri, de quibus nemo alter cogitaſſet.

8. *Tributa*] Neceſſaria ad extructionem hujus Templi.

9. *Me recepiſſem*] In Aſiam, eoſque conveniſſem ad cauſam hanc cognoſcendam.

10. *Æquitatem*] Ironicè dictum.

11. *Exigi*] Ut Templum illud erigeretur.

12. *Ad me*] In Ciliciam, ut rem hanc examinarem.

Digitized by Google

impedirem quominùs ante hiemem ædificarent, non eos ad me venturos arbitrabare? tametsi id quidem fecerunt ridiculè, quas enim literas afferebant, ut opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt. Sed scito, & multò plures esse, qui de tributis recusent, quàm qui exigi velint, & me tamen, quod te velle existimem, esse facturum. De Apameanis hactenùs. A Pausania, Lentuli liberto, [13] accenso meo, audivi, cùm diceret, te secum esse questum, quòd tibi obviam non prodiissem. Scilicet contempsi te: nec potest fieri me quidquam superbius. Cùm puer tuus ad me [14] secundâ ferè vigiliâ venisset, isque te ante lucem Iconium mihi venturum nuntiasset, incertumque, utra via, cùm essent duæ: altera Varronem, tuum familiarissimum: altera Q. Leptam, [15] præfectum fabrûm meum, tibi obviam misi: mandavi utrique eorum, ut antè ad me excurrerent, ut tibi obviam prodire possem. currens Lepta venit, mihique nuntiavit, te jam castra prætergressum esse. confestim Iconium veni. cætera jam tibi nota sunt. An ego tibi obviam non prodirem? primùm [16] Appio Claudio? deinde [17] Imperatori? deinde [18] more majorum? deinde, quod caput est, amico? præsertim cùm in isto genere multò etiam [a] [19] ambitiosiùs facere soleam, quàm honos meus & dignitas postulet. Sed hæc hactenus. Illud idem Pausania dicebat te dixisse: Quid? Appius [20] Lentulo, Lentulus Appio processit obviam, Cicero Appio noluit? Quæso, etiamne tu [21] has ineptias, homo, meâ sententiâ, summâ prudentiâ, multâ etiam

INTERPRETATIO.

[a] *studiosiùs.*

NOTÆ.

13. *Accenso*] Sic legendum, non *Cæsonio*, ut quidam habent codices: Romanis autem in more fuit, accensi munus libertis deferre.

14. *Secundâ vigiliâ*] Veteres noctem in quatuor partes æquales dividebant, easque pro anni tempore longiores, aut breviores, quibus singulis, quia singulæ militum custodiæ vigilabant, vigiliæ nomen est inditum.

15. *Præfectum fabrûm*] Hanc lectionem probat Cicero in libro de Oratore, *Jam ut Censoria tabulæ loquuntur, fabrûm & procûm audeo dicere, non fabrorum aut procorum.* Præfectus autem fabrûm dicebatur, eorum Judex, quos exercitus habebat Tignarios, Carpentarios, &c. munus hoc quæstuosissimum fuisse docet Vegetius.

16. *Appio Clodio*] Erat is ex Patriciâ gente, majorum nobilitate clarus, honoribus ipse defunctus amplissimis, opibus præterea, affinibus, amicisque præpollens.

17. *Imperatori*] Ob rem in provinciâ benè gestam adversus hostes, Imperator à militibus appellatus erat.

18. *More majorum*] Id moris erat, ut provinciæ qui succederet, decessori iret obviam.

19. *Ambitiosiùs*] Submissiùs, ut nonnulli explicant, & indecentiùs quàm, &c. nos in interpretatione Manutium sequuti sumus.

20. *Lentulo*] Lentulo Spintheri Appius, Appio Tullius in Ciliciæ administratione successit.

21. *Tu has ineptias*] Ita ne hujusmodi ineptiæ in mentem tibi venire possint, tibi, inquam, homini, &c.

22. *Urbe-*

Digitized by Google

doctrina, plurimo rerum usu: adde [22] urbanitatem, quæ est virtus, ut Stoïci rectissimè putant: ullam [b] [23] Appietatem, aut Lentulitatem, valere apud me plus, quàm ornamenta virtutis existimas? cùm ea [24] consecutus nondùm eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam sum [25] admiratus: viros eos, qui ea vobis reliquissent, magnos arbitrabar. Posteà verò quàm ita & accepi, & gessi [c] maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem: superiorem quidem nunquam, sed parem vobis me speravi esse factum. Nec mehercule aliter vidi existimare vel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui unquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono. tu si aliter existimas, nihil errabis, si paulò diligentiùs, ([26] ut quid sit [d] ἐξοχὴ, [27] quid sit [e] εὐγένεια, intelligas) [28] Athenodorus, Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis. Sed, ut ad rem redeam, me tibi non amicum modò, verum etiam amicissimum existimes velim. profectò omnibus meis officiis efficiam, ut ita esse verè possis judicare. tu autem si id agis, ut minùs meâ causâ, dùm ego absum, debere videaris, [29] quàm ego tuâ laborarim: libero te istâ curâ.

[f] [30] παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι
Οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δ' μητίετα Ζεύς.

sin autem natura es [g] φιλαίτιος: illud [h] non perficies. quò minùs tuâ causâ velim: hoc assequêre, ut, quam in partem accipias, minùs laborem. Hæc

INTERPRETATIO.

[b] *an Appii, aut Lentuli* nobilitatem. [c] *maximas* Reip. *dignitates.* [d] *excellentia.* [e] *nobilitas.* [f] *apud me quidem & alii* erunt *qui me colent, maximè verò Consiliarius Jupiter.* [g] *querulus.* [h] *non perficies ut minùs tibi faveam.*

NOTÆ.

22. *Urbanitatem*] Multùm huic nomini tribuisse Stoïcos author est Plutarchus, adeò ut *urbanum* hunc dicerent, omni qui prorsùs vitio careret.

23. *Appietatem*] Plus nimiò sibi de suâ nobilitate placebat Appius, quod quidem vitium Claudiæ familiæ insitum fuisse, notavit posteà Tacitus his verbis, *Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere, atque insitâ Claudia familia superbiâ.*

24. *Consecutus nondum eram*] Prætutam, Consulatum, &c.

25. *Sum admiratus*] Quia re verâ pro nihilo habenda sunt omnia nobilitatis insignia, nisi virtus comes adsit.

26. *Ut quid sit ἐξοχὴ*] Declarat hac voce Tullius nobilitatem quæ virtute comparatur.

27. *Quid sit εὐγένεια*] Nobilitas est, quæ majoribus tantùm debetur. Primam extollit Cicero, alteram nisi virtute & egregiis in Republicâ meritis nitatur, pro nihilo putat.

28. *Athenodorus*] Philosophus Augusto perfamiliaris, & ejusdem, ut multi putant, præceptor, ad extremam usque senectutem vixit.

29. *Quàm ego tuâ laborarim*] Cùm multis in rebus suam Appio operam navasset Cicero, tùm maximè in publicâ supplicatione ipsi decernendâ.

30. *Παρ', &c.*] Expressus ex Homero locus, quo Tullius significat, quanquàm despiciatur ab Appio, fore tamen alios, à quibus colatur, quos inter Pompeium Jovis nomine designat.

ad te scripsi liberiùs, fretus conscientiâ officii mei, benevolentiaque, quam à me [31] certo judicio susceptam, quoad tu voles, conservabo. Vale.

NOTÆ.

31. *Certo judicio*] Id est, eâ mente susceptam, ut sincerè & perpetuò retinerem.

EPISTOLA VIII.

Appii querelas iterùm refellit, additâ sui facti excusatione; ipsumque Appium aut levem significat, qui sermonibus iniquorum crediderit; aut nimis astutum, qui ea quæ ipse cogitet, in alios transferat. Hæc epistola ante septimam collocanda fuit. Ser. Sulpitio, & M. Marcello Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo secundo.

Cicero Proconsul s. d. Appio Pulchro.

ETSI, quantùm ex literis tuis intelligere potui, videbam te hanc epistolam, cùm [a] ad urbem esses, esse lecturum, [b] refrigerato jam [c] levissimo sermone hominum [2] provincialium: tamen, cùm tu tam multis verbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putavi, ut tuis literis brevi responderem. Sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodammodo relinquenda sunt. nihil enim habent, quod aut [3] definitum sit, aut certum, nisi, me vultu, & taciturnitate significasse, tibi non esse amicum: idque [d] pro tribunali, cùm aliquid ageretur, & nonnullis in conviviis intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse, [4] possum intelligere: sed cùm sit nihil, nec quid dicatur quidem intelligo. illud quidem scio, meos multos, & illustres, & ex superiore, & ex æquo loco sermones habitos cum tuâ summâ laude, & cum magnâ significatione nostræ familiaritatis, ad te verè potuisse deferri. Nam [5] quod ad legatos attinet, quid à me fieri potuit aut [6] [e] elegantius, aut justius, quàm ut sumptus egentissimarum civitatum

INTERPRETATIO.

[a] *Propè urbem.* [b] *imminuto.* [c] *falso prorsùs.* [d] *cùm à superiore loco dicerem.* [e] *commodiùs.*

NOTÆ.

1. *Cùm ad urbem*] Qui triumphum petebant ob res in provinciâ benè gestas, extra urbem expectare solebant, donec lege latâ triumphantes ingrederentur. Triumphum petiit Appius, sed ne obtineret, Dolabellæ accusatione factum est.

2. *Provincialium*] Phryges & Lycaones intelligit, qui de Cicerone falsa quædam Appio narraverant.

3. *Definitum sit*] Quia nullam rem singillatim nec certum indicium ostendis, unde colligas me tibi non esse amicum.

4. *Possum intelligere*] Quia novi quàm benè sim erga te animatus, unde nec intelligo quid à te dicatur.

5. *Quòd ad legatos*] Cùm Ciliciam expilasset Appius, timuit ne in jus vocaretur, quare petiit ut provincia sumptu publico legatos mitteret, qui suam administrationem coram Senatu laudarent: istuc verò factu inutile Tullius intrà ostendit.

6. *Elegantiùs*] Intactâ siquidem digni-

Digitized by Google

minuerem sine ullâ imminutione dignitatis tuæ, præsertim ipsis civitatibus postulantibus? 7 nam mihi totum genus legationum tuo nomine proficiscentium notum non erat. Apameæ cùm essem, multarum civitatum [f] principes ad me detulerunt, sumptus decerni legatis nimis magnos, cùm solvendo civitates non essent. hîc ego multa simul cogitavi. Primùm, te, hominem non solùm sapientem, verumetiam, ut nunc loquimur, urbanum, non arbitrabar [8] genere isto legationum delectari. idque me arbitror [9] Synnadis pro tribunali multis verbis disputavisse: [g] primùm Appium Claudium Senatui, populoque Romano non [10] Myndensium testimonio, (in eâ enim civitate mentio facta est) sed suâ sponte esse laudatum: deinde, me ista vidisse multis accidere, ut eorum causâ legationes Romam venirent, sed his legationibus non meminisse ullum tempus laudandi, aut locum dari: studia mihi eorum placere, quòd in te benè merito grati essent, consilium totum videri minimè necessarium: si autem vellent declarare in eo officium suum, [h] laudaturum me, si quis suo sumptu functus esset officio: concessurum si legitimo: non permissurum, si infinito. quid enim reprehendi potest? nisi quod addis, visum esse quibusdam [11] edictum meum quasi consultò ad istas legationes impediendas esse accommodatum. Jam non tam mihi videntur injuriam facere ii, qui hæc disputant, [i] quam si cujus aures ad hanc disputationem patent. Romæ composui edictum. nihil addidi, nisi quod Publicani me rogarunt, cùm * Samum ad me venissent, ut [k] de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. [l] Diligentissimè scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum: quo in capite sunt quædam nova, salutaria civitatibus, quibus ego magnoperè delector. Hoc verò ex

Interpretatio.

[f] *primarii cives.*

[g] *Myndensium non egere testimonio, ut Senatui populoque Romano commendaretur à se ipso commendatus satis.*

[h] *approbaturum me, si quis sumptu suo legationem hanc obiret; concessurum, si publico sumptu, at modico.*

[i] *quàm hi qui talia dicentibus aures præbent.*

[k] *ut unum edicti tui* caput *transferrem in meum.*

[l] *diligentissimè conservatum est* caput illud.

Notæ.

tate tuâ, civitatum sumptus minui.

7. *Nam mihi*] Si legationem hanc prohibui, feci levandæ provinciæ, non tui lædendi gratiâ, cùm nescirem eam unicè ob rem legatos Romam proficisci, ut te laudarent.

8. *Genere isto legationum*] Quæ & inanes essent, & civitates jam egenas exhauriret.

9. *Synnadis*] Phrygiæ majoris oppido, cujus diœcesis Ciceronis provinciæ attributa fuerat; fuit postea Archiepiscopalis & Metropolis ingens, suo quoque marmore nobilis; hodie penè jacet. Meminit Synnadæ Claudianus in Eutropium:

Marmore, purpureis cedit cui Synnada venis?

10. *Myndensium*] Myndus, nunc *Menteşe*, teste Leunclavio, urbs Cariæ maritima, non procul Halicarnasso; hoc tempore primaria regionis, & Præfecti sedes.

11. *Edictum*] Ad cujus normam jus in provinciâ dicerem; cui edicto nihil à me est additum contra hanc legationem quam tantoperè cupiebas.

* *Samum*] Samos Ciceroni Samus, in-

Digitized by Google

quo ſuſpicio nata eſt, me exquiſiviſſe aliquid, in quo te offenderem, [12] tranſlatitium eſt. neque enim eram tam [13] deſipiens, ut privatæ rei causâ legari putarem, qui & tibi non privato, & pro re non privatâ ſuâ, ſed publicâ, non in privato, ſed in publico orbis terræ conſilio, id eſt, in ſenatu, ut gratias agerent, mittebantur. [14] Neque, cùm edixi, ne quis injuſſu meo proficiſceretur, excluſi eos, qui me in caſtra, & qui trans Taurum perſequi non poſſent. nam id eſt maximè in tuis literis irridendum. quid enim erat, quòd me perſequerentur in caſtra, Taurumve tranſirent, cùm ego Laodicea uſque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum [15] diœceſium, quæ cis Taurum ſunt, omniumque earum civitatum magiſtratus legationeſque convenirent? Niſi fortè poſtea cœperunt legare, quàm ego Taurum tranſgreſſus ſum. quod certè non ita eſt. cùm enim Laodiceæ, cùm Apameæ, cùm Synnadis, cùm [16] Philomeli, cùm Iconii eſſem, quibus in oppidis omnibus commoratus ſum: omnes jam iſtius generis legationes erant conſtitutæ. Atque hoc tamen te ſcire volo, me de iſto ſumptu legationum, aut minuendo, aut remittendo decreviſſe nihil, niſi quod principes civitatum à me poſtulaſſent, [17] ne in venditionem tributorum, & illam acerbiſſimam exactionem, quam tu non ignoras, [18] capitum, atque oſtiorum inducerentur ſumptus minimè neceſſarii. Ego autem, cùm hoc ſuſcepiſſem, non ſolùm juſtitiâ, ſed etiam miſerico diâ adductus, ut levarem miſeriis perditas civitates, & perditas maximè [19] per magiſtratus ſuos, non po-

NOTÆ.

ſula maris Icarii, Ioniæ adjacet è regione Epheſi. Hîc vaſa fabricari cœpta ſunt, teſte Aulo Gellio.

12. *Tranſlatitium eſt*] Illud utique non novum, ſed in veteres ſimultates noſtras transferendum eſt, quas nondum extinctas eſſe plerique ſuſpicantur. Utrùm Ciceronis mentem hîc aſſequar, non affirmaverim; alii aliter declarant; interpretationem noſtram, cui placuerit, ſequatur.

13. *Deſipiens*] Sic locum explico. Intelligere potes, mihi nunquam fuiſſe in animo, ad legationem hanc quod attinet, te offendere, quam quidem nunquam putavi fuiſſe decretam, privatæ rei causâ, quæque tuâ multùm intereſſet; ſed tantùm ut in Senatu gratias publicè ageret, quod minimè neceſſarium ſemper judicavi.

14. *Neque cùm edixi*] Duo videtur Appius objeciſſe Ciceroni; primum, edixiſſe ne quis injuſſu ſuo è provinciâ diſcederet; ſecundum, trans Taurum abiiſſe, quò civitatum legati eum perſequi non poſſent, ut facultatem eundi Romam peterent, quo facto, videbantur excludi, id eſt, prorsùs omni eundi Romam poteſtate privari. Hoc ultimum confutat Cicero, dùm oſtendit nihil fuiſſe opus ut eum legati extra Taurum perſequerentur; ſiquidem priùs montem Taurum quàm tranſiret, iſtius generis legationes jam audierat.

15. *Diœceſium*] Idem apud Romanos Diœceſis fuit, quod apud nos Præfectura, vel juriſdictio. Tres autem Aſiaticæ Diœceſes Cilicienſi provinciæ in gratiam Tullii additæ ſunt; Synnadenſis, Apamenſis, Cibyratica.

16. *Philomeli*] Philomelium urbs Phrygiæ magnæ, verſus confinia Galatiæ.

17. *Ne in venditionem tributorum*] Quoniam tributa, ſtatim atque imponuntur, colligi non poſſunt; venduntur alicui, qui quanti emit, tantum in præſenti numerat de ſuo, ut ſibi deinde factâ ſibi cogendi poteſtate, acerbè & crudeliter exigit.

18. *Capitum*] Per ſingula capita, ſingulaſque domos tributa exigebantur ab iis qui illa emerant.

19. *Per Magiſtratus*] Vocem hanc de induſtriâ ſubjungit, ne videatur ſingilla-

Digitized by Google

sui in illo sumptu non necessario negligens esse. Tu, cùm istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. sin autem eo genere delectaris, ut, quæ tibi in mentem veniant, aliis attribuas: genus sermonis inducis in amicitiam [m] minimè liberale. Ego, si in provinciâ de tuâ famâ detrahere unquam cogitassem, non ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundisii, neque ad Præfectum fabrûm Corcyræ, quem in locum me venire velles, [n] retulissem. Quare potes, doctissimis hominibus auctoribus, quorum sunt de amicitiâ gerendâ præclarissimè scripti libri, genus hoc totum orationis tollere: [20 21] Disputabant, ego contrà disserebam: [22] Dicebant, ego negabam. An mihi de te nihil esse dictum unquàm putas? [o] ne hoc quidem, quòd cùm me Laodiceam venire voluisses, Taurum ipse transisti? quòd iisdem diebus [p] meus conventus erat Apameæ, Synnadis, Philomeli, [23] tuus Tarsi? non dicam plura, ne, in quo te objurgem, id ipsum videar imitari. illud dicam, ut sentio: si ista, quæ alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa culpa est: sin alii tecum hæc loquuntur, tua tamen, quòd audis, culpa nonnulla est. mea ratio in totâ amicitiâ nostrâ constans & gravis reperietur. quòd si quis me [24] astutiorem fingit, [25] quid potest esse callidius, quàm, cùm te absentem semper defenderim, cùm præsertim mihi usu venturum [26] non arbitrarer, ut ego quoque absens à te defendendus essem, nunc committere, ut tu jure optimo me absentem deserere posses? [27] unum genus excipio sermonis, in quo persæpè aliquid dici-

INTERPRETATIO.

[m] *indignum* homine *liberaliter* educato.

[n] *non tàm* apertè *dixissem quem in locum me venire velles.*

[o] putasne non mihi dictum esse *quòd, cùm me Laodiceam, &c.*

[p] *jus dicebam.*

NOTÆ.

tim Appium avaritiæ, & crudelitatis in regendâ provinciâ insimulare; quam tamen ab ipso vexatam fuisse alibi docet.

20. *Disputabant*] Paucis exprimit genus hominum, qui videri volunt amici, cùm amici verè non sint; finguntque ea in gratiam amici confutasse, quæ nunquam à quoquam alio, sed à se ipsis excogitata sunt: sic ergo loquentem inducit Appium, *disputabant, &c.*

21. *Disputabam*] Hæc contra te loquebantur; sed ego te contrà illos defendebam.

22. *Dicebant*] A te legationem fuisse impeditam, quòd laudi meæ invideres; ego verò negabam: fortè nemo homo hoc Appio dixerat, sed ipse Appius hoc de Cicerone suspicabatur, mentem verò suam ut melius tegeret, hujusmodi sermones aliis tribuebat.

23. *Tuus Tarsi?*] Hoc jure poterat queri Cicero, qui jam provinciæ administrationem aggressus erat.

24. *Astutiorem*] Quasi consultò ad impediendam legationem, suum Tullius edictum accommodasset.

25. *Quid potest esse callidius*] Ironicè dictum, neque enim in eo callidum se Cicero, sed stultum exhibuisset, ut patet ex iis quæ sequuntur.

26. *Non arbitrarer*] Non enim fore putabat ut in provinciam iret.

27. *Unum excipio genus sermonis*] Cùm assero nihil hîc esse dictum contra te, excipio sermones hujusmodi, quos equidem haberi tu nolles, quamquam in legatos duntaxat tuos, Præfectosque, non in te ipsum cadant.

Digitized by Google

tur, quod te putem [28] nolle dici: si aut legatorum tuorum cuipiam, aut Præfectorum, aut Tribunorum militum malè dicitur: quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut gravius diceretur, aut in plures, quàm mecum Corcyræ Clodius est locutus, cùm in eo genere maximè quereretur te [q] aliorum improbitate minùs felicem fuisse. [r] hos ego sermones, quòd & multi sunt, & tuam existimationem (ut ego sentio) non offendunt, lacessivi nunquam, sed non valdè repressi. [29] si quis est, qui neminem bonâ fide in gratiam putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam, simulque non de meis pejus, quàm de te, existimat. sin autem quem mea instituta in provinciâ non delectant, & quadam [30] dissimilitudine institutorum meorum, ac tuorum lædi se putat, cùm uterque nostrûm rectè fecerit, sed non idem uterque secutus sit: hunc ego amicum habere non curo. Liberalitas tua, ut hominis nobilissimi, latiùs in provinciâ patuit: nostra si angustior, & si de tuâ prolixâ, beneficâque naturâ [f] limavit aliquid posterior annus, [31] propter quandam tristitiam temporum, [t] non debent mirari homines, cùm & natura semper ad largiendum [32] ex alieno fuerim restrictior, & [33] temporibus, quibus alii moventur, iisdem ego movear, me esse [34] acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. De rebus urbanis, quòd me certiorem fecisti, cùm per se mihi gratum fuit, tum quòd significasti tibi omnia mea mandata curæ fore. in quibus unum illud te præcipuè rogo, ut cures, [u] ne quid mihi ad hoc negotii aut oneris accedat, aut temporis: Hortensiumque, [35] nostrum collegam, & familiarem roges, ut, si unquam meâ causâ quidquam aut sensit, aut fecit, [x] de hac quoque sententiâ bimâ decedat, quâ mihi nihil potest esse inimicius. De nostris re-

INTERPRETATIO.

[q] legatorum præfectorumque *tuorum.*

[r] *hos ego sermones non excitavi, sed neque admodum reprimere* curavi, *quia & communes sunt, nec tuam existimationem, ut opinor, offendunt.* [f] *imminuit.*

[t] *non debent mirari homines, si ipsis sim acerbus, ut laudi meæ consulam.*

[u] *ne Cilicia administratio ultra annum prorogetur.*

[x] *roga Hortensium, ut sententiam non ferat de conservando mihi* per biennium provinciæ imperio.

NOTÆ.

28. *Nolle dici*] Quia Proconsul in regimine provinciæ, non omni modo vacare culpâ, sed suorum etiam facta præstare debet. quare fieri vix potest, ut Præfecti accusentur, quin Proconsul ipse in partem & culpæ, & accusationis veniat.

29. *Si quis est qui, &c.*] Idcirco nonnulli hæc de Cicerone & Appio garriebant, quòd crederent veteres inimicitias ex animo non deposuisse.

30. *Dissimilitudine*] Quia liberalem se Appius, se verò restrictiorem Cicero præbuit.

31. *Propter quandam tristitiam temporum*] Quæ impedimento fuerunt, quominùs liberalitatem tuam imitarer.

32. *Ex alieno*] Asperiùs perstringit Appium, quem indicat ex alieno liberalem fuisse.

33. *Temporibus*] Quæ miserrima evaserant Magistratuum avaritiâ.

34. *Acerbum sibi*] Non imitando largitiones tuas.

35. *Nostrum collegam*] In Auguratu.

Digitized by Google

bus quòd ſcire vis, Tarſo nonis Octob. [36] Amanum verſus profecti ſumus. hæc ſcripſi poſtridie ejus diei, cum caſtra haberem [37] in agro Mopſuheſtiæ. ſi quid egero, ſcribam ad te: neque domum unquam ad meos literas mittam, quin adjungam eas, quas tibi reddi velim. De Parthis quod quæris, fuiſſe nullos puto. [38] Arabes qui fuerunt, admiſto [39] Parthico ornatu, dicuntur omnes revertiſſe. hoſtem eſſe [40] in Syriâ negant ullum. Tu velim ad me quàm ſæpiſſimè & de tuis rebus ſcribas, & de meis, & de reipublicæ ſtatu: [41] de quo ſum ſolicitus eò magis, quòd ex tuis literis cognovi, Pompeium noſtrum [42] in Hiſpaniam iturum. Vale.

NOTÆ.

36. *Amanum verſus*] Hoc in monte quæ geſſerit, ſcripſit ad Cœlium, ep. 10. lib. 2. ſed fuſiùs ad Catonem, epiſt. 4. lib. 15.

37. *In agro Mopſuheſtiæ*] Urbem hanc in Ciliciâ, ad Pyramum fluvium, Mopſus Argivorum Rex condidit, quam ideò Græci Μόψου ἱερὸν nominant.

38. *Arabes*] Syriis natio finitima, unde facilis erat in Ciliciam irruptio: Arabes fuiſſe olim ditiſſimos inde colligitur, quòd *Arabum Gaza* proverbii locum apud Horatium obtineant.

39. *Parthico ornatu*] Quò plus terroris incuterent.

40. *In Syriâ*] Nunc *Surittan* Turcis, provincia Aſiæ pulcherima, inter Ciliciam, & mare Syrium ad Occaſum, & Meſopotamiam ad Ortum; Euphrate fluvio hanc ſejungente, illam monte Amano, cui Armenia minor ad Septentrionem incumbit, ad Meridiem verò Arabia deſerta, & Palæſtina: tota ſubeſt Turcarum dominio.

41. *De quo ſum ſollicitus*] Timebat, ne quid ex abſentiâ Pompeii, Reſpublica detrimenti caperet; ſed opinione ſuâ falſus eſt: Hiſpaniam enim ſi Pompeius petiiſſet, nullum exſtitiſſet civile bellum, ut alibi ipſe Tullius fatetur.

42. *In Hiſpaniam*] Quam per legatos Petreium & Afranium, adminiſtrabat.

EPISTOLA IX.

Appii litteris humaniſſimè reſpondet; de ſpe triumphi gratulatur; invitat ad perficiendos libros Augurales; ſupplicationes ſibi decerni petit. L. Paulo & C. Marcello Conſulibus, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo tertio.

Cicero Imp. s. d. Appio Pulchro.

VIX tandem legi literas dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, officii, diligentiæ. Adſpectus videlicet urbis tibi tuam priſtinam urbanitatem reddidit. nam quas ex itinere, antequam ex Aſiâ egreſſus es, ad me literas miſiſti, unas [1] de legatis à me prohibitis proficiſci, alteras [2] de Apameanorum ædificatione impeditâ, legi perinvitus. itaque conſcientia meæ conſtantis erga te voluntatis reſcripſi tibi ſubiratus. iis verò literis lectis, quas Philotimo, liberto meo, dediſti, cognovi, intellexique in provinciâ mul-

NOTÆ.

1. *De legatis*] Quos Appius ire Romam cupiebat, ut ab iis coram Senatu laudaretur. Vide ſup. epiſt.

2. *De Apameorum ædificatione*] De iis epiſt. 7.

Digitized by Google

tos fuisse, qui nos quo animo inter nos sumus, esse nollent: [a] ad urbem verò ut accesseris, vel potiùs ut primùm tuos videris, cognosce te ex iis, quâ in te absentem fide, quâ in omnibus officiis tuendis erga te observantiâ, & constantiâ fuissem. itaque quanti illud me æstimare putas, quod est in tuis literis scriptum? si quid acciderit, quod ad meam dignitatem pertineat, etsi vix fieri possit, tamen te parem mihi [3] gratiam relaturum. tu verò facilè facies: NIHIL est enim quod studio, & benevolentiâ, vel amore potiùs effici non possit. Ego, etsi & ipse ita judicabam, & fiebam crebrò à meis per literas certior, tamen maximam lætitiam cepi ex tuis literis de spe minimè dubiâ, & planè exploratâ triumphi tui: neque verò ob eam causam, quò ipse faciliùs consequerer, (nam id quidem [4] Ἐπικούρειον est) sed mehercule, quòd tua dignitas, atque amplitudo mihi est ipsa cara per se. Quare, quoniam plures tu habes, quàm cæteri, quos scias in hanc provinciam proficisci, quòd te adeunt ferè omnes, si quid velis: gratissimum mihi feceris, si ad me, simul atque adeptus eris, quod & tu confidis, & ego opto, literas miseris. [d] [5] Longi subsellii, ut noster Pompeius appellat, judicatio, & mora, si quem tibi item unum, alterumve diem abstulerit, (quid enim potest amplius?) [e] tua tamen dignitas suum locum obtinebit: sed, si me diligis, si à me diligi vis, ad me literas, ut quamprimùm lætitiâ afficiar, mittito. [f] Et velim, reliquum quod est promissi, ac muneris tui, mihi persolvas. cum ipsam cognitionem juris auguralis consequi cupio: tum mehercule tuis incredibiliter studiis erga me, muneribusque delector. [g] Quòd autem à me tale quiddam desideras, sanè mihi considerandum est, quónam te remunerer potissimùm genere. nam profectò non est meum, qui in scribendo, ut soles admirari, tantum industriæ ponam, committere, ut scribendo negligens fuisse videar, præsertim cùm id non modò negligentis, sed etiam ingrati animi crimen futurum sit. Verùm hæc videbimus.

INTERPRETATIO.

[a] *ubi verò ad urbem accessisti, intellexi te cognovisse ex tuis, quâ, &c.*

[b] *Epicureum.*

[c] *Quoniam igitur scis multò melius quàm cæteri, quinam in Asiam proficiscantur, quia priùs te adeunt ferè omnes* quæsitum, numquid habeas quod nunciari *velis.*

[d] *si Senatores ad judicandum tardi, tibi unum aut alterum diem protrahendo auferant; nihil enim* præterea nocere *tibi possunt.*

[e] *triumphum nihilominùs tibi debitum obtinebis.*

[f] *& velim ut mittas mihi reliquos* de jure Augurali libros, *quos promisisti.*

[g] *quod autem à me exigis ut scribam aliquid quod muneri huic tuo respondeat.*

NOTÆ.

3. *Gratiam relaturum*] Te scilicet parem mihi gratiam relaturum, si quid acciderit, &c. etsi vix speras id accidere posse: loquitur de supplicatione quam sibi decerni cupiebat Cicero, quemadmodùm anteà Appio decernendam curaverat; Appius autem posse id fieri vix sperabat, ob Cæsaris & Pompeii dissidia, quæ Senatorum animos aliò avocabant.

4. Ἐπικούρειον] Quòd Epicuri nihil præter utilitatem privatam curare crederentur.

5. *Longi subsellii*] Senatus à Pompeio jocosè appellabatur *longum subsellium*, ob varias

Illud, quod polliceris, velim pro tuâ fide, diligentiâque, & pro noſtrâ non inſtitutâ, ſed jam inveteratâ amicitiâ cures, enitare, [6] ut ſupplicatio nobis quàm honorificentiſſimè, quamprimúmque decernatur. Omninò ſeriùs miſi literas, quàm vellem. in quo cùm difficultas navigandi fuit odioſa: tum [7] in ipſum diſceſſum ſenatûs incidiſſe credo meas literas. [h] ſed id feci adductus auctoritate, & conſilio tuo: idque à me rectè factum puto, quod non ſtatim, ut Imperator appellatus ſim, ſed [i] aliis rebus additis, [k] æſtiviſque confectis, literas miſerim. Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum oſtendis: meque totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] ſi ſtatim poſt primam victoriam de Amanenſibus relatam, non ſcripſi ad Senatum, *id feci, &c.*

[i] *Pindeniſſo expugnato.*
[k] *dimiſſis in hyberna militibus.*

NOTÆ.

varias plurium magiſtratuum, & pugnantes ſententias, quæ rerum exitum mirè protrahebant. Quod tunc quoque contigit, cùm de Appii triumpho conſultum eſt.

6. *Ut ſupplicatio*] Pro rebus in Amano monte benè & fœliciter geſtis. Quid ſit ſupplicatio, vide epiſt. 15. lib. 2. p. 52.

7. *In ipſum diſceſſum Senatûs*] Aprili menſe, ut putat Manutius, cujus ferè dies omnes vel ludis addicebantur, vel feſti erant, vel Comitiales, per quos lege Pupiâ haberi Senatus non poterat.

EPISTOLA X.

Se graviter commotum eſſe ſcribit, quòd Appius à Dolabella de majeſtate ſit accuſatus; addit, eundem Dolabellam Tulliæ, ſe inſcio, nupſiſſe; & quia ſuſpicabatur Appius, prohibitas à Cicerone legationes, quæ Romam ad ſuam laudem ire decreviſſent, hanc ei ſuſpicionem conatur adimere: indicat poſtremò, ſperare ſe, futurum, ut ei Cenſura deferatur; neque ſpem fefellit eventus. Eodem anno.

Cicero Imperator s. d. Appio Pulchro.

CUM eſt ad nos allatum [a] de temeritate eorum, qui tibi negotium faceſſerent, etſi graviter primo nuntio commotus ſum, quòd nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen, ut me collegi, cætera mihi facillima videbantur, quòd & in te ipſo maximam ſpem, & in tuis magnam habebam, multaque mihi veniebant in mentem, quamobrem [b] iſtum laborem tibi etiam honori putarem fore. Illud planè moleſtè tuli, quòd certiſſimum, & juſtiſſimum triumphum hoc invidorum conſilio eſſe tibi ereptum videbam: [c] quod tu ſi tanti facies, quanti ego ſemper

INTERPRETATIO.

[a] *de temeritate Dolabellæ, qui te majeſtatis & ambitûs accuſavit.*
[b] *iſtam injuriam.*
[c] *ſi* triumphum *minimi facies, ut ego minimi ſemper judicavi eſſe faciendum.*

Digitized by Google

[d] judicavi faciendum esse: facies sapienter, & ages victor ex inimicorum [d] dolore triumphum justissimum. ego enim planè video fore nervis, opibus, sapientiâque tuâ, vehementer ut inimicos tuos pœniteat intemperantiæ suæ. De me tibi sic, contestans omnes deos, promitto, atque confirmo: me pro tuâ dignitate (malo enim dicere, quàm pro salute) in hac provinciâ, cui tu præfuisti, rogando, deprecatoris: laborando, propinqui: auctoritate, cari hominis (ut spero) apud civitates: gravitate, imperatoris suscepturum officia, atque partes. omnia volo à me & postules, & expectes. vincam meis officiis cogitationes tuas. Q. Servilius perbreves à te mihi literas reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ visæ sunt. injuriam enim mihi fieri putabam, cùm rogabar. [e] nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti [f] Pompeium, [g] quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti [h] Brutum facerem: quanquam in consuetudine quotidianâ perspexisses, sicuti perspicies: [i] sed quoniam accidit, si quid à me prætermissum fuerit, commissum facinus & admissum dedecus confitebor. [k] [2] Pontinius, qui à te tractatus est præstanti ac singulari fide, cujus tui beneficii sum ego testis, [l] præstat tibi memoriam, benevolentiamque, quam debet: qui cùm, maximis rebus suis coactus, à me invitissimè decessisset, tamen, ut vidit tua interesse, conscendens jam navem [3] Epheso Laodiceam revertit. [m] Talia cùm te studia videam habiturum esse innumerabilia, planè dubitare non possum, quin tibi amplitudini ista solicitudo futura sit. si verò efficis ut [4] Censores creentur, & si ita gesseris censuram, ut & debes, & potes: non tibi solùm, sed tuis omnibus video in perpetuum summo te præsidio futurum. Illud pugna, & enitere, [n] ne quid nobis temporis prorogetur: ut, cùm hîc tibi satisfecerimus, [o] istic quoque nostram in te benevolentiam

INTERPRETATIO.

[d] *malevolentiâ.*

[e] *nollem accidisset hac* injusta Dolabellæ accusatio.

[f] *socerum* filiæ tuæ.

[g] *quem unum pluris facio quàm omnes.*

[h] *generum tuum.*

[i] *sed quoniam accidit* ut, quod nollem, Dolabella te accusaret, *si quid prætermittam*, quod tibi hac in re subsidio esse possit, *fatebor me commissse crimen, & admisisse quod non decet.*

[k] *Pontinius cui* certa *præstantis & fidelis* amicitiæ signa *præbuisti.*

[l] *memorem se præstat* beneficii tui.

[m] *cùm videam te innumerabiles habiturum* tuæ causæ *studiosos* defensores, *non dubito quin gloriosa tibi futura sit hæc accusatio.*

[n] *enitere ne mihi plus anno prorogetur provinciæ regimen.*

[o] *Romæ.*

NOTÆ.

1. *Judicavi*] Cicero, cùm esset Consul, & provinciam ornatam, Galliam scilicet, & spem certam triumphi neglexerat.

2. *Pontinius*] Vir Prætorius, qui de Allobrogibus ipso Appio Consule annitente, triumphaverat.

3. *Epheso*] Urbs est Ioniæ maritimæ, in Asiâ minori, Dianæ templo in primis nobilitata.

4. *Censores*] A censu, qui quinto quoque anno haberi solitus erat, Censores dicti sunt; quorum erat civium omnium familias & facultates describere, populum

Digitized by Google

navare poſſimus. Quæ de hominum, atque ordinum omnium erga te ſtudiis ſcribis ad me, minimè mihi miranda, & maximè jucunda acciderunt: eademque ad me perſcripta ſunt à familiaribus meis. itaque capio magnam voluptatem, cùm tibi, cujus mihi amicitia non ſolùm [p] ampla, ſed etiam jucunda eſt, ea tribui video, quæ debeantur: tùm verò etiamnum remanere in civitate noſtra ſtudia propè omnium conſenſu erga fortes & induſtrios viros: quæ mihi ipſi [q] una ſemper tributa merces eſt laborum, & vigiliarum mearum. Illud verò mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuiſſe [r] in eo adoleſcente, cujus ego ſalutem duobus [s] capitis judiciis ſummâ contentione defendi, ut, tuis inimicitiis ſuſcipiendis, [t] obliviſceretur patroni omnium fortunarum, ac rationum ſuarum, præſertim cùm tu omnibus vel ornamentis, vel præſidiis redundares, illi (ut leviſſimè dicam) multa deeſſent: [6] cujus ſermo ſtultus & puerilis erat jam anteà ad me à M. [7] Cœlio, familiari noſtro, perſcriptus: de quo item ſermone multa ſcripta ſunt abs te. ego autem citiùs cum eo, qui tuas inimicitias ſuſcepiſſet, veterem conjunctionem diremiſſem, [t] quàm novam conciliaſſem. neque enim de meo erga te ſtudio dubitare debes: neque id eſt obſcurum cuiquam in provinciâ, nec Romæ fuit. [u] ſed tamen ſignificatur in tuis literis ſuſpicio quædam, & dubitatio tua: de quâ [8] alienum tempus eſt mihi tecum expoſtulandi, purgandi autem mei neceſſarium. [x] Ubi enim ego cuiquam [9] legationi fui impedimento, quominùs Romam ad laudem tuam mitteretur? [z] aut in quo potui, ſi te palàm odiſſem, minùs quod tibi obeſſet, facere? ſi clàm, magis apertè inimicus eſſe? Quòd ſi eſſem eâ perfidiâ quâ ſunt ii qui in nos hæc conferunt: tamen eâ ſtultitiâ certè non fuiſſem, ut aut in obſcuro odio apertas inimicitias, aut, in quo tibi nihil nocerem, ſummam oſtenderem voluntatem no-

INTERPRETATIO.

[p] *gloriosa.* [q] *maxima.*
[r] *in Dolabellâ.*
[s] *obliviſceretur me patronum ſuarum fortunarum*, tibi amiciſſimum eſſe.
[t] *quam novam* nuptiis filiæ *conciliaſſem.*
[u] *ſed tamen ſignificas in tuis litteris, tibi ſuſpectam eſſe & dubiam fidem meam.*
[x] *non enim impedivi quominùs legatio Romam mitteretur ad te laudandum.*
[z] *ſi te palàm odiſſem, nihil poteram facere, quod tibi minùs noceret*, quàm prohibendo hanc legationem; *& ſi clàm* te odiſſem, *non* poteram *apertiùs* ſignificare *me tibi inimicum eſſe.*

NOTÆ.

in Tribus partiri, in omnium mores inquirere, &c. Cenſuræ, inquit Livius, origo parva fuit, at tanto deinde incremento aucta eſt, ut morum diſciplinæque Romanæ penès eam regimen eſſet.

5. *Capitis judiciis*] Judicium capitis, quo quis libertate, aut civitate, aut capite, mulctatur.

6. *Cujus ſermo ſtultus*] Fortè dixerat Dolabella, accuſationem hanc Ciceroni ſocero ſuo probari.

7. *A M. Cœlio*] Non extant hæ Cœlii litteræ, de quibus hîc Cicero: in iis enim quæ ad nos pervenerunt, nulla ſermonis hujuſce à Dolabellâ facti, habetur mentio.

8. *Alienum*] Quòd nolit ex accuſatione jam ſollicito Appio dolorem afferre.

9. *Legationi*] De hac legatione vide epiſt. 8.

Digitized by Google

cendi. Ad me adire quosdam memini, qui dicerent, nimis magnos sumptus legatis decerni. quibus ego non tam imperavi, quàm censui, sumptus legatis quammaximè [10] ad legem Corneliam decernendos. atque in eo ipso me non perseveraſſe, testes sunt [11] rationes civitatum: in quibus, quantùm quæque voluit, legatis tuis datum induxit. Te autem quibus mendaciis homines levissimi onerarunt? non modò sublatos sumptus, sed etiam [a] à procuratoribus eorum, qui jam profecti essent, repetitos, & ablatos, eamque causam multis omninò non eundi fuisse. Quererer tecum, atque expostularem, nisi, ut suprà scripsi, purgare me tibi [b] hoc tuo tempore, quàm accusare te, mallem, idque putarem esse rectius. itaque nihil de te, quòd credideris, de me, quamobrem non debueris credere, pauca dicam. nam si me virum bonum, si dignum iis studiis, eâque doctrinâ, cui me à pueritiâ dedi, si satis magni animi, non minimi consilii in maximis rebus perspectum habes: nihil in me non modò perfidiosum, & insidiosum, & fallax in amicitiâ, sed ne humile quidem, aut [c] jejunum debes agnoscere. sin autem me astutum, & occultum lubet fingere: [d] quid est, quod minùs cadere in ejusmodi naturam possit, quàm aut florentissimi hominis aspernari benevolentiam, aut ejus existimationem oppugnare in provinciâ, cujus laudem [e] domi defenderis: aut in [f] eâ re animum ostendere inimicum, in quâ nihil obsis: aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum levissimum? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis essem, [g] cùm te ex fratre meo ne tunc quidem, cùm tibi propè necesse esset eas agere partes, inimicum mihi fuisse cognovissem? [h] cùm verò reditum nostrum in gratiam uterque expetisset, [i] quid in Consulatu tuo frustrà mecum egisti, quod me aut facere, aut sentire voluisses? quid mihi mandasti, [k] cùm te [12] Puteolis prosequerer, in quo non expectationem tuam diligentiâ meâ vicerim? Quòd si id est maximè astuti, omnia ad suam utilitatem referre: quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius [l] quàm hominis

INTERPRETATIO.

[a] *sed etiam me repetiisse hanc pecuniam à procuratoribus, &c.*

[b] *calamitoso hoc tempore*, quo in judicium vocaris.

[c] *nihil vanum.*

[d] *quid est quod possit minùs convenire ingenio callido & occulto, quàm Appii Claudii florentissimi hominis, &c.*

[e] *Romæ.*

[f] *in legatione impediendâ.*

[g] *cùm ex fratre meo cognovissem, te mihi ne tunc quidem inimicum fuisse, cùm tibi propè necesse esset inimici agere partes*, propter P. Clodium fratrem tuum mihi infensissimum.

[h] *& siquidem ego & tu reconciliationem mutuam* sincerè *expetiimus*, quare occulti odii me insimulas.

[i] *quid in Consulatu tuo me sentire, aut facere voluisti, quod* non fecerim, aut senserim?

[k] *cùm te* euntem in provinciam, *honoris causâ, comitarer.*

[l] *Appii Claudii.*

NOTÆ.

10. *Ad legem Corneliam*] Quæ definiebat sumptus provinciarum legatis decernendos.

11. *Rationes*] Tabulæ sunt publicæ, quæ rationes accepti expensique continent.

12. *Puteolis*]-Maritima urbs Campaniæ,

Digitized by Google

nobilissimi, atque honoratissimi conjunctio, cujus opes, ingenium, liberi, [m] affines, propinqui, mihi magno vel ornamento, vel præsidio esse possent? quæ tamen ego omnia in expetendâ amicitiâ tuâ, non astutiâ quadam, sed aliquâ potiùs sapientiâ secutus sum. Quid illa vincula, quibus quidem libentissimè adstringor, quanta sunt? studiorum similitudo, suavitas consuetudinis, delectatio vitæ, atque victus sermonis societas, [n] literæ interiores. [o] Atque hæc domestica. [p] Quid illa tandem popularia? reditus illustris in gratiam, in quo ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspicione perfidiæ: amplissimi [q] sacerdotii collegium, in quo non modò amicitiam violari apud majores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Quæ ut omittam tam multa, atque tanta, quis unquam tanti quenquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium, socerum filiæ tuæ? Etenim, si merita valent, patriam, liberos, salutem, dignitatem, memetipsum mihi per illum [13] restitutum puto. si consuetudinis jucunditas: quæ fuit unquam amicitia consularium in nostrâ civitate conjunctior? si ulla amoris, atque officii signa: quid mihi ille non commisit? quid non mecum communicavit? quid de se in senatu, cùm ipse abesset, per quenquam agi maluit? quibus ille me rebus non ornatissimum voluit amplissimè? quâ denique ille facilitate, quâ humanitate tulit [r] contentionem meam [14] pro Milone, adversantem interdum actionibus suis? quo studio providit, [s] ne qua me illius [15] temporis invidia attingeret, cùm me consilio, cùm auctoritate, cùm armis denique [16] texit suis? quibus quidem temporibus hæc in eo gravitas, hæc animi altitudo fuit, non modò ut [17] Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum malevolis de me sermonibus crederet. Hujus igitur filius cùm sit gener tuus, cúmque præter

INTERPRETATIO.

[m] *Pompeius & Brutus.*
[n] *scientiæ recondita.*
[o] hæc autem quæ hactenùs commemoravi, *privata sunt, &* inter nos.
[p] quid illa commemorem, *quæ publica sunt, & patent omnibus.*
[q] *augurâtûs*, quem unà exercemus.
[r] *summum studium quo Milonem defendi, quanquam* studium hoc meum *interdùm adversaretur Pompeii consiliis.*
[s] *provident ut ab improborum invidiâ tutus essem.*

NOTÆ.

in regno Neapolitano, aquis calidis celeberrima. *Pouzol.*

13. *Restitutum puto*] Pompeio clàm adnitente, pulsus est in exilium Cicero, quòniam ejus cum Cæsare & Crasso societatem asperiùs perstringebat: ut ab exilio revocaretur, effecit idem Pompeius, fore sperans, ut beneficii memor, de præsenti Reipublicæ statu queri desineret.

14. *Pro Milone*] Ob necem Clodii in judicium vocato.

15. *Temporis invidiæ*] Eò quòd multi crederent Tullii consilio, Clodium à Milone interfectum esse.

16. *Armis texit suis*] Quo die, pro Milone dixit in senatu Cicero, Pompeius qui tùm solus Consulatum gerebat, curiam armatis militibus sepsit, ne quid ex illâ contentione detrimenti Resp. caperet.

17. *Phrygi, aut Lycaoni*] Phrygia, &

Digitized by Google

hanc conjunctionem affinitatis, quàm sis Cn. Pompeio carus, quámque jucundus, intelligam: quo tandem animo in te esse debeo? cùm præsertim eas ad me is literas miserit, quibus, etiam si tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen, totumque me ad ejus viri, ita de me meriti, voluntatem, nutumque converterem. Sed hæc hactenùs. pluribus enim etiam fortasse verbis, quàm necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quæ à me [t] perfecta, quæque instituta sunt, cognosce. atque hæc agimus, & agemus [u] magis pro dignitate, quàm pro periculo tuo. te enim, ut spero, propediem censorem audiemus: [18] cujus magistratûs officia, quæ sunt [19] maximi animi, [20] summique consilii, tibi diligentiùs, & accuratiùs, quàm hæc, quæ nos de te agimus, cogitanda esse censeo. Vale.

INTERPRETATIO.

[t] *quæ perfeci, & quæ incepi.*
[u] *magis ut tuam dignitatem tueamur, quàm ut avertamus à te periculum*, quod nullum tibi ab accusatione impendet.

NOTÆ.

Lycaonia duæ sunt Asiæ minoris provinciæ, quas ad Ciliciam pertinuisse, vel ex hoc loco constat.

18. *Cujus magistratus*] Non propriè: Magistratus enim & jus dicebat, & habebat imperium: Censori autem neutrum contigit.

19. *Maximi animi*] Quia Censoris erat Consulares etiam viros, si quid deliquissent, è senatu interdùm dejicere.

20. *Summique consilii*] Quòd in mores universæ civitatis inquireret.

EPISTOLA XI.

Appio de crimine majestatis absoluto gratulatur, eundemque de ambitu absolvendum confirmat. Eodem anno.

Cicero Imperator s. d. Appio Pulchro, ut spero, Censori.

CUM essem in castris ad fluvium [1] Pyramum, redditæ mihi sunt uno tempore à te epistolæ duæ, quas ad me Q. Servilius Tarso miserat. earum [a] in alterâ dies erat adscripta nonarum Aprilium: in alterâ, quæ mihi recentior videbatur, dies non erat. respondebo igitur superiori priùs: in quâ scribis ad me [b] de absolutione [2] majestatis, de quâ etsi permultum antè

INTERPRETATIO.

[a] *in alterâ, dies Aprilis quinta ascripta erat.* [b] *de majestatis crimine te absolutum.*

NOTÆ.

1. *Pyramum*] Pyramus, hodie *Maliniſtra*, transit in Ciliciam per Tauri montis angustias, multaque habet admiratione digna. Consule Strabonem, lib. 12.

2. *Majestatis*] Majestatis reus habetur qui dicit ea, moliturve, quæ Reipublicæ,

Digitized by Google

certior factus eram literis, nuntiis, famâ denique ipsâ: (nihil enim fuit clarius: non quò quisquam aliter putasset: sed nihil de insignibus ad laudem viris obscurè nuntiari solet) tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ literæ: non solùm, quia planiùs loquebantur, & uberiùs, quàm vulgi sermo: sed etiam quia magis tibi videbar gratulari, cùm de te ex te ipso audiebam. Complexus igitur sum cogitatione te absentem, epistolam verò osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum. quæ enim à cuncto populo, à senatu, à judicibus, ingenio, industriæ, virtuti tribuuntur: [c] quia mihi ipse assentor fortasse cùm ea esse in me fingo, mihi quoque ipsi tribui puto: nec tam glorioſum exitum tui judicii extitisse, sed tam pravam [d] inimicorum tuorum mentem fuisse mirabar. [e] De ambitu verò quid interest, inquies, an de majestate? [f] ad rem nihil: [g] alterum enim non attigisti, alteram auxisti. Veruntamen [h] est majestas (ut [4] Sylla voluit) ne in quemvis impunè declamare liceret: [i] ambitus verò ita apertam vim habet, ut aut accusetur [r] improbè, aut defendatur. quî enim facta, aut non facta largitio ignorari potest? [k] tuorum autem honorum cursus cui suspectus unquam fuit? me miserum, qui non affuerim. quos ego risus excitassem. Sed de majestatis judicio duo mihi illa ex tuis literis jucundissima fuerunt: unum, quòd te ab ipsâ republicâ defensum scribis, quæ quidem etiam in summâ bonorum, & fortium civium copiâ tueri tales viros deberet, nunc verò eò magis, quòd tanta penuria est in omni vel honoris, vel ætatis gradu, ut tam orba civitas tales tutores complecti debeat: alterum, quòd Pompeii & Bruti fidem, benevolentiamque mirificè laudas. lætor virtute, & officio cùm tuorum ne-

INTERPRETATIO.

[c] *quia puto assentatione fortè nimiâ, easdem dotes, industriam, & ingenium in me esse.*

[4] *Dolabella.*

[e] *at, inquies, nihil-ne differunt majestatis & ambitûs crimen?* & an putas eundem utriusque judicii forum exitum?

[f] *nihil differunt ad causam tuam, quòd attinet*, æquè falsò de utroque crimine accusatus es, de utroque pariter absolvêris.

[g] *crimen enim* ambitûs *non admisisti, majestatem verò* populi Romani non modò non minuisti, *sed auxisti.*

[h] *at si voluit Syllæ eum esse majestatis reum, qui de alterius famâ detraheret* de Dolabella quid sentiendum, qui te innocentem majestatis accusavit?

[i] *crimen verò ambitûs ita apertum esse solet, ut accusari aut defendi non possit, nisi improbè:* si enim facta est largitio ad extorquenda suffragia, defenditur improbè: si non facta, improbè accusatur. *ignorari autem non potest utrum facta, aut non facta sit largitio.*

[k] *jam verò quis unquam suspicatus est te largitione honores esse assequutum.*

NOTÆ.

Principis, aut Imperii dignitatem offendunt.

3. *De ambitu*] Ambitûs accusatur qui largitionibus ad honores sibi viam aperuit.

4. *Sylla*] Is est qui Dictaturam per vim occupavit, eamque tertio pòst deposuit anno, oppressâ libertate, eâdemque pariter restitutâ illustri.

5. *Improbè*] Juvat hîc annotare, totum id contra Dolabellam ab Cicerone non dici ex animo, sed tantùm ut tempori serviat, & Appio blandiatur.

Digitized by Google

ceſſariorum, meorum amiciſſimorum, [l] tùm maximè alterius omnium ſæculorum, & gentium principis, [m] alterius jampridem juventutis, celeriter, ut ſpero, civitatis. [n] De mercenariis teſtibus à ſuis civitatibus [o] notandis, [p] niſi jam aliquid factum eſt per [6] Flaccum, fiet à me, cùm per Aſiam decedam. Nunc ad alteram epiſtolam venio. Quòd ad me quaſi formam communium temporum, & totius reipublicæ miſiſti expreſſam: prudentia literarum tuarum valdè eſt mihi grata, video enim & pericula leviora, [7] quàm timebam, & majora præſidia, ſi quidem, ut ſcribis, omnes vires civitatis ſe [8] ad Pompeii ductum applicaverunt: tuumque ſimul promptum animum, & alacrem perſpexi ad defendendam rempublicam, mirificamque cepi voluptatem ex hac tuâ diligentiâ, quòd in ſummis tuis occupationibus mihi tamen reipublicæ ſtatum per te notum eſſe voluiſti. nam augurales libros ad commune utriuſque noſtrûm otium ſerva. ego enim à te cùm tua [q] promiſſa per literas flagitabam, [9] ad urbem te otioſiſſimum eſſe arbitrabar. nunc tamen, ut ipſe polliceris, pro auguralibus libris orationes tuas confectas omnes expectabo. [10] Tullius, cui [r] mandata ad me dederas, non convenerat me: nec erat jam quiſquam mecum tuorum, præter omnes meos, qui ſunt omnes tui. Stomachoſiores tuas literas quas dicas eſſe, non intelligo. bis ad te ſcripſi, me purgans diligenter, te leviter accuſans in eo, quòd de me citò credidiſſes. quod genus querelæ mihi quidem videbatur eſſe amici: ſin tibi diſplicet, non utar eo poſthac. ſed ſi, ut ſcribis, eæ literæ non fuerunt diſertæ, ſcito meas non fuiſſe. ut enim [11] Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat: ſic tu, (libet enim mihi jocari) quod diſertum non erit, ne putaris meum. Vale, & in cenſurâ, ſi jam es Cenſor, ut ſpero, [12] de proavo multùm cogitato tuo.

INTERPRETATIO.

[l] *Pompeii.*
[m] *Bruti, qui jampridem juventutis, & brevi, ut ſpero, civitatis futurus eſt princeps.*
[n] *de teſtibus qui mercede conducti ſunt, ut* in te teſtimonium dicerent.
[o] *puniendis.*
[p] *ſi nondum factum eſt per Flaccum, ut* punirentur.
[q] libros augurales *à te mihi promiſſos.*
[r] *mandata* mihi deferenda.

NOTÆ.

6. *Per Flaccum*] Quis is eſſet Flaccus ignoratur: putat Manutius fuiſſe aliquem ex cohorte Ciceronis, à quo miſſus eſt, ut mercenarios teſtes à ſuis civitatibus ignominiâ notandos curaret.

7. *Quàm timebam*] Ob Cæſaris & Pompeii diſſenſionem.

8. *Ad Pompeii ductum*] Cujus cauſam à Reipublicæ causâ ſejungi non poſſe plerique credebant.

9. *Ad urbem te otioſiſſimum.*] Non licuit Appio diù prope urbem otiari; ambitûs enim & majeſtatis accuſatus, ſpem triumphi abjecit, ut urbem ingreſſus, objectum ſibi crimen dilueret.

10. *Tullius*] Aliquem ex familiaribus Appii fuiſſe credibile eſt.

11. *Ariſtarchus*] Grammaticus Alexandrinus, Ariſtophanis diſcipulus, quos Homeri verſus non probabat, Homeri negabat eſſe: hinc factum ut alienorum Scriptorum cenſores etiam nunc Ariſtarchi dicantur.

12. *De proavo*] Appio cæco, qui Cenſuram ſummâ cum dignitate geſſerat, quanquam Cicero non magnam hîc habet temporis rationem; Appius enim cæcus erat proavo antiquior.

EPISTOLA XII.

Gratulatur Appio de crimine ambitûs absoluto, seque illi purgat de Tullia Dolabellæ in matrimonium collocatâ. Eodem anno.

Cicero Imp. s. d. Appio Pulchro.

GRATULABOR tibi priùs, (ita enim rerum ordo postulat) deinde ad me convertar. Ego verò vehementer gratulor de judicio ambitûs, neque id, quod nemini dubium fuit, absolutum te esse: sed illud, quòd quò melior civis, quò vir clarior, quò fortior amicus es, quóque plura virtutis & industriæ ornamenta in te sunt, eò mirandum est magis, [a] nullam [1] ne in tabellæ quidem latebra fuisse absconditam malevolentiam, quæ te impugnare auderet. non horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium. nihil jam sum pridem admiratus magis. [b] De me autem [c] suscipe paulisper meas partes, & eum te esse finge, qui ego sum. si facilè inveneris, quod dicas, noli ignoscere [2] hæsitationi meæ. Ego verò velim mihi, Tulliæque meæ, (sicut tu amicissimè, & suavissimè optas) prosperè evenire ea quæ, me insciente, facta sunt [d] à meis: [f] sed ita cecidisse, ut agerentur eo tempore, spero omninò cum aliquâ felicitate, & opto: veruntamen plus me [3] in hac spe, tua sapientia, & humanitas consolatur, [h] quàm opportunitas temporis. Itaque quemadmodùm expediam exitum hujus institutæ orationis, non reperio: neque enim tristius dicere quidquam debeo [i] eâ de re, quam tu ipse omnibus optimis prosequeris: [k] neque non me tamen [3] mordet aliquid: [l] in quo unum non vereor, ne tu parum perspicias ea

INTERPRETATIO.

[a] *te à nullo Senatore vel in occultis etiam suffragiis impugnatum esse; quod rarum est his temporibus* ita corruptis.

[b] *de nuptiis autem* Tulliæ, quas mihi crimini veritis.

[c] *in eo, quo sum loco, te colloca, & eum te esse puta, qui ego sum*: tùm enim intelliges *mihi ignoscendum esse nunc hæsitanti, quia & tu pariter hæsitares.* [d] *nuptias.*

[e] à Terentiâ uxore, & à M. Cœlio.

[f] *sed quoniam ita cecidit, ut hæ nuptiæ fierent Dolabellâ te accusante, spero omninò has mihi fœlices fore,* Dolabellam tibi reconciliando. [g] vos ambo reconciliandi.

[h] *quàm quòd nunc sim & Dolabella socer, & tuus amicus.* [i] *de hoc conjugio, de quo tu ipse fœliciter ominaris.*

[k] *aliquid tamen me sollicitat.*

[l] *in quo, unum certò scio, te prorsus perspicere &c.*

NOTÆ.

1. *Ne in tabella*] Lege Cassiâ cautum fuisse scribit Asconius, ut in tabellâ sententiam suam Judices scriberent; qui verò oderant aliquem, neque id audebant palàm testari in tabellis, occultè & latenter impugnabant.

2. *Hæsitationi*] Quia non poterat explicare, utrùm mallet factas, an infectas cum Dolabellâ nuptias: si factas, offendi videbatur Appius, quem Dolabella accusaverat; si infectas, videbatur non optimè ominari de filiæ conjugio.

3. *Mordet aliquid*] Ideò mentis erat anxius, quia Tulliæ nupserat Dolabella

Digitized by Google

quæ gesta sunt, ab aliis esse gesta, quibus ego ita mandaram, ut, cùm tam longè [4] abfuturus essem, [m] ad me ne referrent, agerent quod probassent. [n] In hoc autem mihi illud occurrit. [o] Quid tu igitur, si affuisses? [p] Rem probassem: de tempore, nihil te invito, nihil sine consilio egissem tuo. Vides sudare me jamdudum laborantem, quomodò [q] ea tuear, quæ mihi tuenda sunt, & [r] te non offendam. leva me igitur hoc onere: nunquam enim mihi videor tractasse causam difficiliorem. sed tamen sic habeto: [s] nisi jam tunc omnia negotia cum summâ tuâ dignitate diligentissimè confeciſſem: tametsi nihil videbatur ad meum erga te pristinum studium addi posse; tamen, hac mihi affinitate renuntiatâ, [t] non majore equidem studio, sed acriùs, apertiùs, significantiùs dignitatem tuam defendissem. [u] decedenti mihi, & jam imperio annuo terminato, ante diem tertiam non. Sext. cùm ad Sidam navi accederem, & mecum Q [5] Servilius esset, literæ à meis sunt redditæ. dixi statim Servilio, (etenim videbatur esse [6] commotus) ut omnia à me majora [x] expectaret. quid multa? benevolentior tibi, quàm fui, nihilo sum factus, diligentior quidem ad declarandam benevolentiam multò. nam ut vetus nostra simultas anteà stimulabat me, ut caverem ne cui suspicionem fictè reconciliatæ gratiæ darem: sic [y] affinitas nova curam mihi affert cavendi, ne quid de summo meo erga te amore detractum esse videatur. Vale.

INTERPRETATIO.

[m] *ad me* de his nuptiis *ne scriberent.*
[n] *sed in eâ re mihi illud objicies.*
[o] *quid tu igitur feciſſes, ſi affuiſſes Romæ?*
[p] *affinitatem* cum Dolabella *probaſſem*; *tempus autem* hujus affinitatis jungendæ *conſilio reliquiſſem tuo.* [q] *eas nuptias.*
[r] *& te* Dolabellæ inimicum *non offendam.*
[s] *niſi jam* matrimonii hujus tempore, *feciſſem omnia, ut majeſtatis abſolutionem obtineres.*
[t] *non propenſiorem utique in te voluntatem* neque enim poteram, *ſed acriorem diligentiam in dignitate tuâ defendendâ exhibuiſſem,* ne ſuſpecta tibi esset fides mea.
[u] *decedenti mihi* ex provinciâ.
[x] ad defensionem tuæ dignitatis.
[y] *affinitas Dolabellæ.*

NOTÆ.

eodem tempore quo Appium accusabat, quanquam sperabat fore ut hæ nuptiæ utriusque reconciliationi viam facerent.

4. *Abfuturus eſſem*] In Ciliciâ tùm erat.

5. *Servilius*] Amicus erat Appii, ab eo fortè in Ciliciam missus, ut provinciarum, quas rapinis exhauserat, odia mitigaret, impediretque quominùs Romam legati mitterentur, qui testimonium in Appium dicerent.

6. *Commotus*] Ob litteras quas tùm Cicero de nuptiis Tulliæ cum Dolabellâ accepit: fingit autem, ut blandiatur Appio, hunc sibi nuntium displicuisse.

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

Gratias agit Appio, quòd in supplicatione sibi decernendâ strenuè elaboraverit. Pauca subjungit de Dolabellâ, & Appii dissidio, quod brevi tamen extinctum iri sperat. Eodem anno.

Cicero Imp. s. D. Appio Pulchro.

QUASI divinarem, [a] tali in officio fore mihi aliquando expetendum studium tuum, sic cùm [b] de tuis rebus gestis agebatur, [c] inserviebam honori tuo. dicam tamen verè: plus quàm acceperas reddidisti. Quis enim ad me non perscripsit, te non solùm auctoritate orationis, sententia tua, quibus ego à tali viro contentus eram, sed etiam operâ, consilio, [d] domum veniendo, conveniendis meis, [e] nullum onus officii cuiquam reliquum feciſſe? [f] hæc mihi ampliora multò sunt, quàm illa ipsa, propter quæ hæc laborantur. [g] INSIGNIA enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt: talium virorum tanta studia assequi [h] sola virtus potest. Itaque mihi propono fructum amicitiæ nostræ ipsam amicitiam, quâ nihil est [i] uberius, præsertim in iis studiis, quibus uterque nostrûm devinctus est. nam tibi me profiteor & in republicâ socium, de quâ idem sentimus, & in quotidianâ vitâ conjunctum cum iis artibus, studiisque quæ colimus. Velim ita fortuna tulisset, ut quanti ego omnes tuos facio, tanti tu [k] meos facere posses: quod tamen ipsum, nescio quâ permotus animi divinatione, non despero. [l] sed hoc nihil ad te: [m] nostrum est onus. [n] Illud velim sic habeas, quod intelliges, hac re novatâ, additum potiùs aliquid ad meum erga te studium, cui nihil videbatur addi posse, quàm quidquam esse detractum. Cùm hæc scribebam, Censorem jam te esse sperabam: eò brevior est hæc epistola, &, ut [o] adversus magistrum morum, modestior. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *in supplicatione obtinendâ.*
[b] *de tuis* in provinciâ *præclarè gestis.*
[c] *curabam ut supplicatio tibi decerneretur.*
[d] *magistratibus conveniendis*, ut mihi faverent.
[e] *nihil cuiquam faciendum reliquisse.*
[f] *hæc pluris facio*, nempe studium & benevolentiam tuam, *quàm supplicationem, & triumphum, pro quibus* obtinendis *illa adhibentur.*
[g] *honores.*
[h] *mea sola virtus Appii studium conciliare mihi potest.*
[i] *fructuosius.*
[k] *Dolabellam.*
[l] *sed nihil ad te attinet* de reconciliatione cum Dolabellâ laborare.
[m] *mea sunt partes* efficere ut Dolabella tibi reconciliari à te postulet.
[n] *sic habeto futurum ut re ipsâ perspicias, hac novâ affinitate, &c.*
[o] *coram Censore.*

Digitized by Google

LIBER IV.

AD SULPICIUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Respondet Sulpicio colloquium petenti. Scripta est, cùm Cæsar, pulso ex Italiâ Pompeio, bellum contra ejus legatos in Hispaniam pararet. L. Lentulo & C. Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quarto, qui primus belli civilis fuit.

M. Cicero s. d. [1] Ser. Sulpicio.

[1] CAIUS Trebatius, familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quæsisse quibus in locis essem: moleste que ferre, quòd me propter valetudinem tuam, cùm [3] ad urbem accessissem, non vidisses, & hoc tempore velle te mecum, si propiùs accessissem, [4] [a] de officio utriusque nostrûm communicare. Utinam, Servi, [b] salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profectò aliquid opis occidenti reipublicæ tulissemus. cognoram enim jam absens, te [c] hæc mala multò antè providentem, defensorem pacis, & [5] in consulatu tuo, & post consulatum fuisse. ego autem cùm consilium tuum probarem, & idem ipse sentirem, nihil proficiebam. serò enim [d] veneram: [e] [6] solus eram: [f] [7] rudis esse videbar in causâ: inci-

INTERPRETATIO.

[a] *quid jam nos deceat facere.* [b] *salvâ Republicâ.* [c] *bellum civile.* [d] ex provinciâ. [e] pacis studiosus. [f] *videbar ignorare veras* dissensionis civilis *causas.*

NOTÆ.

1. *Ser. Sulpicio*] Consule indicem hist.

2. *Trebatius*] Jurisconsultus in Galliâ fuit cum Cæsare ante civile bellum.

3. *Ad urbem*] Reversus è Ciliciâ, triumphum ex more expectabat; sed spe triumphi, ob civiles discordias depulsus, in Cumanum secessit.

4. *De officio*] Quid ageret, incertum ipsi erat: licebat per Cæsarem nullarum esse partium, at quietè domi, procul ab armorum tumultu vivere: Pompeius contrà, eum hostis habebat loco, qui suis in castris non fuisset: adhærere Cæsari tutius erat; Pompeium sequi, honestius, quoniam ille validiorem exercitum, hic omnes propè Consulares viros, ipsamque adeò Rempublicam secum habebat

5. *In Consulatu*] Quem gessit cùm M. Marcello, anno urbis conditæ septingentesimo secundo: tunc Sulpitius author fuerat, ut pacis conservandæ gratiâ, Cæsari prorogaretur Galliarum administratio, eidemque absenti Consulatus ex populi decreto deferretur: sed utrumque rejecit M. Marcellus Sulpicii Collega, quòd cùm denuntiatum esset Cæsari, admotâ ad ensis capulum dexterâ, *hic*, inquit, *impetrabit.* Sic Appianus.

6. *Solus eram*] Non quòd reverà solus Cicero, sed quòd pauci cum illo pacem sincerè vellent.

7. *Rudis*] Dùm Ciliciæ præfuit, multa

Digitized by Google

deram in hominum pugnandi [8] cupidorum insanias. nunc, [9] quoniam nihil jam videmur posse opitulari reipublicæ, si quid est, in quo nobismetipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed ut quàm honestissimè lugeamus, nemo est omnium, quicum potiùs mihi, quàm tecum, communicandum putem. Nec enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla: neque doctissimorum, quos semper coluisti, præcepta te fugiunt. Atque ipse anteà ad te scripsissem, te frustrà in senatum, sive potiùs [10] in conventum Senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne [g] ejus animum offenderem, qui à me, [h] ut [11] te imitarer, petebat. cui quidem ego, cùm me rogaret ut adessem in senatu, eadem omnia, quæ à te de pace, & de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. Rem vides, quo modo se habeat, orbem terrarum, [12] imperiis distributis, ardere bello: urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide, relictam direptioni, & incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil potest, non modò quod sperem, sed vix jam quod audeam optare. sin autem tibi, homini prudentissimo, videtur utile esse, nos colloqui: quanquam longiùs etiam cogitabam ab urbe discedere (cujus jam etiam nomen invitus audio) tamen propiùs accedam. Trebatio mandavi, ut, [i] si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret: idque ut facias, velim: aut, si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas: ne aut tibi exire ex urbe necesse sit, aut mihi accedere. ego tibi tantùm tribuo, quantùm mihi fortasse [13] arrogo: ut exploratum habeam, quidquid nos communi sententiâ statuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

INTERPRETATIO.

[g] *Cæsaris.* [h] *ut exemplo tuo irem in senatum.* [i] *si aliquam ob rem.*

NOTÆ.

Romæ peracta sunt, quorum ignarus erat.

8 *Cupidorum*] è Pompeianis nonnullos indicat, qui controversiam armis quàm fœdere dirimi maluerunt.

9. *Nunc*] Pulso ex Italiâ Pompeio, & Cæsare contra ejus legatos bellum in Hispaniam parante.

10. *In conventum*] Senatum non appellat, vel quòd liberè decernendi potestas omnis ablata esset, vel quòd plerique Senatores cum utroque Consule fugientem Pompeium sequuti essent.

11. *Ut te imitarer petebat*] Cæsar, pulso in Græciam Pompeio, cùm Romam Brundusio contenderet, in eo itinere Ciceronem vidit, & nonnulla adversus eum questus, rogavit demùm, ut in urbem, exemplo Sulpitii, & in senatum veniret: cui Cicero cum dignitate respondit, id esse supervacaneum, se nihil prorsùs de priori discessurum sententiâ; authorem fore semper, ut positis armis, de pace ageretur, nec in Hispaniam adversus Pompeii legatos properaret, quod iniquè tulit Cæsar.

12. *Imperiis distributis*] Divisus erat Cæsarem inter & Pompeium totus orbis, cùm ille Gallias & Italiam, hic verò Græciam, Hispanias, & reliquas populi Romani provincias obtineret.

13. *Arrogo*] *Arrogare dicimus nobis ea quæ nostra non sunt*, inquit Manutius.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

Quærenti Sulpicio quid sibi in tantâ rerum perturbatione agendum esset, explicat sententiam suam; ostenditque, Pompeii causam Cæsarianâ sibi honestiorem videri. Eodem anno.

Cicero s. d. Sulpicio.

AD III. Kal. Maias, cùm essem [1] in Cumano, accepi tuas literas: quibus lectis, cognovi non satis prudenter fecisse [2] Philotimum: qui, cùm abs te mandata haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non veniisset, literas tuas misisset: quas intellexi breviores fuisse, quòd eum perlaturum putasses. sed tamen, postquam literas tuas legi, [3] Postumia tua me convenit, & [4] Servius noster. his placuit, ut tu in Cumanum venires; [a] quod etiam, mecum, ut ad te scriberem, egerunt. Quòd meum consilium exquiris: id est tale, ut capere facilius ipse possim, quàm alteri dare. quid enim est, quod audeam suadere tibi homini summâ auctoritate, summâque prudentiâ? si, quid rectissimum sit, quærimus: [b] perspicuum est. si, quid maximè expediat: obscurum. sin ii sumus, qui profectò esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum, honestumque sit [5] non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quod existimas meam causam conjunctam esse cum tuâ: certè similis in utroque nostrûm, cùm optimè sentiremus, error fuit. nam omnia utriusque consilia ad concordiam spectaverunt. quâ cùm ipsi Cæsari nihil esset utilius, gratiam quoque nos inire ab eo, defendendâ pace, arbitrabamur. quantùm nos [6] fefellerit, & quem in locum res deducta sit, vides: neque solùm ea perspicis, quæ geruntur, [8] quæque jam gesta sunt, sed etiam qui cursus rerum, [9] qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea [c] quæ fiunt: [d] aut interesse, etiamsi

INTERPRETATIO.

[a] *neque rogarunt ut id ad te scriberem.* [b] eundum esse ad Pompeium. [c] *à Cæsare.* [d] *aut Romæ versari.*

NOTÆ.

1. *In Cumano*] Villâ Ciceronis juxta Cumas, in Campaniâ.

2. *Philotimum*] Terentiæ fuit libertus.

3. *Postumia*] Sulpitii uxor.

4. *Servius*] Sulpitii filius, qui Brundusium, ut ibi Pompeium improvisò occuparet, jam antè advolarat.

5. *Non potest esse dubium*] Quin navigandum sit ad Pompeium, etiamsi non expedire videatur. Vide sup. epist.

6. *Fefellerit*] Ambo falsi sunt opinione, cùm Cæsarem ad concordiam propensum esse crediderunt, qui imperium armis occupare statuerat, hæc Euripidis carmina sæpiùs usurpans:

Nam si violandum est jus, regnandi gratiâ
Violandum est, aliis rebus pietatem cole.

7. *Quæ geruntur*] In Hispaniâ, ubi Cæsar, quo tempore Tullius hæc Sulpitio scripsit, cum Petreio & Afranio bellabat.

8. *Quæque gesta sint*] Cùm ejecto Pompeio, & occupatâ Italiâ, Cæsar Ærarium per vim invasit.

9. *Qui exitus*] Quem ipse prævidit, legum scilicet & libertatis oppressio.

Digitized by Google

non probes. quorum [10] altera mihi turpis, altera etiam [11] periculosa ratio videtur. Restat, ut discedendum putem: in quo reliqua videtur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quæ loca sequamur. omninò cùm miserior res nunquam accidit, tùm ne deliberatio quidem difficilior. nihil enim constitui potest, quod non incurrat [12] in magnam aliquam difficultatem. Tu, si videbitur, ita censeo facias: ut, si habes jam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit conjunctum consilium tuum cum meo, [e] supersedeas hoc labore itineris. sin autem est, quod mecum communicare velis: ego te expectabo. tu, quod tuo commodo fiat, quamprimùm velim venias, sicut intellexi & Servio, & Postumiæ placere. Vale.

INTERPRETATIO.

[e] *nihil opus est ut me convenias, si jam statuisti Cæsari adhærere: sin verò Pompeium sequi velis, te expectabo.*

NOTÆ.

10. *Altera mihi turpis*] Quoniam quæ fiunt à Cæsare, Rempublicam funditùs evertunt.

11. *Periculosa*] Si autem improbentur acta Cæsaris, necesse est in ejus offensionem incurrere, quo nihil periculosius.

12. *In magnam difficultatem*] Quia mare Adriaticum occupabat Dolabella, Cretense Curio, Sardiniam Valerius, totam fermè Italiam M. Antonius.

EPISTOLA III.

Victo ad Pharsalum Pompeio, Cæsar Achaiæ Sulpicium præfecerat. Hunc de Reipublicæ interitu dolentem Cicero consolatur. Credibile est scriptam fuisse post bellum Africanum, anno urbis conditæ septingentesimo septimo, Cæsare tertium, & M. Lepido Coss.

Cicero s. d. Sulpicio.

VEHEMENTER te esse solicitum, & in communibus miseriis præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. quod quamquam minimè miror, & [a] meum quodammodò agnosco: doleo tamen te, sapientiâ præditum propè singulari, non tuis bonis delectari potiùs, quàm alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo, qui majorem ex pernicie, & peste reipublicæ molestiam traxerit: tamen multa jam consolantur, maximéque * conscientia consiliorum meorum. multò enim antè tanquam ex aliquâ speculâ prospexi [b] tempestatem futuram: neque id solùm meâ sponte, sed multò etiam magis monente, & denuntiante te. Etsi enim abfui magnam partem [1] consulatûs tui: tamen & absens cognoscebam, quæ

INTERPRETATIO.

[a] *& meum* dolorem in tuo *quodammodo agnosce.* [b] *civile bellum.* * *recordatio.*

NOTÆ.

1. *Consulatûs tui*] Servio Sulpitio, & M. Marcello Consulibus, in Ciliciam Proconsul abiit anno urbis conditæ septingentesimo secundo.

Digitized by Google

esset tua in hoc pestifero bello cavendo, & prædicendo sententia: & ipse affui primis temporibus tui consulatus, cùm accuratissimè monuisti senatum, collectis omnibus bellis civilibus, ut & illa timerent, quæ meminissent, & scirent, [2] cùm superiores, nullo tali exemplo anteà in republicâ cognito, tam crudeles fuissent, [3] quicunque posteà rempublicam oppressisset armis, multò intolerabiliorem futurum. NAM quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant, & aliquid, atque adeò multa addunt, & afferunt de suo. Quare meminisse debes, eos qui auctoritatem, & [4] consilium tuum non sunt secuti, suâ stultitiâ [5] occidisse, cùm tuâ prudentiâ salvi esse potuissent. Dices: Quid me ista res consolatur in tantis tenebris, & quasi [c 6] parietinis reipublicæ? Est omninò vix consolabilis dolor: tanta est omnium rerum amissio, & desperatio recuperandi: [d] sed tamen & Cæsar ipse ita de te judicat, & omnes cives sic existimant, quasi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere sanctitatem, & prudentiam, & dignitatem tuam. Hæc tibi ad levandas molestias magna esse debent. Quòd autem à tuis abes, id eò leviùs ferendum est, quòd eodem tempore à multis ac magnis molestiis abes: quas ad te omnes perscriberem, nisi vererer, ne ea cognosceres absens, quæ quia non vides, mihi videris meliore esse conditione quàm nos, [7] qui videmus. Hactenus existimo nostram consolationem rectè adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus levari possent molestiæ tuæ. [e] reliqua sunt in te ipso neque mihi ignota, nec minima solatia, &, ut quidem ego sentio, multò maxima: quæ ego ipse experiens quotidie sic probo, ut ea mihi salutem afferre videantur. Te autem ab initio ætatis, memoriâ teneo, summè omnium doctrinarum studiosum fuisse, omniaque, quæ à sapientissimis ad benè vivendum tradita essent, summo studio, curâque didicisse: quæ quidem, vel [f] optimis rebus, & usui, & delectationi esse possent: his verò temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. [g] nihil faciam insolenter: nec te, tali vel scientiâ, vel naturâ præditum, hor-

INTERPRETATIO.

[c] *in Reipublicæ exitio.*

[d] *sed tamen & Cæsar ipse, & omnes cives tanti te faciunt, ut existiment, te quasi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere ob sanctitatem, &c.*

[e] *est in te omnium doctrinarum cognitio ad consolandum aptissima.*

[f] *stante Republicâ.*

[g] *arroganter facerem, si te tali scientiâ præditum hortarer, ut ad eas, &c.*

NOTÆ.

2. *Superiores*] Sylla, Marius, &c. qui bella civilia Reipublicæ funestissima fecerunt.

3. *Quicumq; posteà*] Pompeius, aut Cæsar.

4. *Consilium tuum*] Ut Cæsari non succederetur in administratione Galliæ, eidemque absenti Consulatum liceret ante tempus petere, ne offensus ad arma rem deduceret.

5. *Occidisse*] Jam ceciderant in bello civili Pompeius Magnus, L. Lentulus, Bibulus, Domitius Ænobarbus, Scipio Pompeii socer, & M. Cato, qui odio in Cæsarem, bellum paci temerè prætulerant.

6. *Parietinis*] Sunt parietum ruinæ, seu muri vetustate propè consumpti.

7. *Qui videmus*] Cæsari reconciliatus Cicero, Romæ tùm vivebat.

1. *Subtilitati*

Digitized by Google

tabor, ut ad eas te referas artes, quibus à primis temporibus ætatis ſtudium tuum dediſti. tantùm dicam, quod te ſpero approbaturum, me, poſteaquàm [h] illi arti, cui ſtudueram, nihil eſſe loci neque in curiâ, neque in foro viderim, omnem meam curam, atque operam ad philoſophiam contuliſſe: [i] tuæ ſcientiæ excellenti, ac ſingulari non multo plus, quàm noſtræ, relictum eſt loci. Quare non equidem te moneo, ſed mihi ita perſuaſi, te quoque [k] in iiſdem verſari rebus, quæ etiam ſi minùs prodeſſent, animum tamen à ſolicitudine abducerent. Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primiſque [l] in hac, in quâ ego me ſcripſi acquieſcere, ita verſatur, ut excellat: à me verò ſic diligitur, ut tibi uni concedam, prætereà nemini: [m] mihique ab eo gratia refertur: [n] in quo ille exiſtimat, quod facilè appareat, cùm me colat, & obſervet, tibi quoque in eo ſe facere gratiſſimum. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *eloquentiæ.*
[i] *ſcientiæ* juris civilis, & Pontificii.
[k] *in iiſdem ſtudiis.*
[l] *in Philoſophiâ.*
[m] *meque amantem redamat.*
[n] *& facilè apparet, perſuaſum illi eſſe, rem tibi facere gratiſſimam, cùm me colit, & obſervat.*

EPISTOLA IV.

Laudat Sulpitii ſcripta, probat quòd Achaiæ adminiſtrationem non recuſarit: ſcribit de M. Marcelli reditu, de ſuo Philoſophiæ ſtudio, de Servii filii virtutibus, de Reipublicæ ſtatu, de Cæſare. Cæſare tertium Coſ. & M. Æmilio Lepido, Pompeianis in Africâ profligatis, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo ſeptimo.

Cicero S. D. Sulpicio.

ACCIPIO excuſationem tuam, quâ uſus es, cur ſæpiùs ad me literas [a] uno exemplo dediſſes: ſed accipio ex eâ parte, quatenùs aut negligentiâ, aut improbitate eorum qui epiſtolas accipiant, fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excuſationis, quâ te ſcribis, orationis paupertate, (ſic enim appellas) iiſdem verbis epiſtolas ſæpiùs mittere, nec agnoſco, nec probo: & ego ipſe, quem tu per jocum (ſic enim accipio) divitias orationis habere dicis, me non eſſe verborum admodum inopem agnoſco. [b] εἰρωνείας enim non neceſſe eſt. ſed tamen idem (nec hoc [c] εἰρωνεύομαι) facilè cedo tuorum ſcriptorum [1] ſubtilitati, & elegantiæ. Conſilium

INTERPRETATIO.

[a] *iiſdem verbis.* [b] *diſſimulare.* [c] *diſſimulans.*

NOTÆ.

1. *Subtilitati & elegantiæ*] Quâ ſibi nomen inſigne fecit Sulpitius, ut teſtatur ipſe Cicero in libro de claris Oratoribus, & Quintil. in libro Inſtitutionum XI.

eſſet tua in hoc peſtifero bello cavendo, & prædicendo ſententia: & ipſe affui primis temporibus tui conſulatûs, cùm accuratiſſimè monuiſti ſenatum, collectis omnibus bellis civilibus, ut & illa timerent, quæ meminiſſent, & ſcirent, [2] cùm ſuperiores, nullo tali exemplo anteà in republicâ cognito, tam crudeles fuiſſent, [3] quicunque poſteà rempublicam oppreſſiſſet armis, multò intolerabiliorem futurum. NAM quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant, & aliquid, atque adeò multa addunt, & afferunt de ſuo. Quare meminiſſe debes, eos qui auctoritatem, & [4] conſilium tuum non ſunt ſecuti, ſuâ ſtultitiâ [5] occidiſſe, cùm tuâ prudentiâ ſalvi eſſe potuiſſent. Dices: Quid me iſta res conſolatur in tantis tenebris, & quaſi [c 6] parietinis reipublicæ? Eſt omninò vix conſolabilis dolor: tanta eſt omnium rerum amiſſio, & deſperatio recuperandi: [d] ſed tamen & Cæſar ipſe ita de te judicat, & omnes cives ſic exiſtimant, quaſi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere ſanctitatem, & prudentiam, & dignitatem tuam. Hæc tibi ad levandas moleſtias magna eſſe debent. Quòd autem à tuis abes, id eò leviùs ferendum eſt, quòd eodem tempore à multis ac magnis moleſtiis abes: quas ad te omnes perſcriberem, niſi vererer, ne ea cognoſceres abſens, quæ quia non vides, mihi videris meliore eſſe conditione quàm nos, [7] qui videmus. Hactenus exiſtimo noſtram conſolationem rectè adhibitam eſſe, quoad certior ab homine amiciſſimo fieres iis de rebus, quibus levari poſſent moleſtiæ tuæ. [e] reliqua ſunt in te ipſo neque mihi ignota, nec minima ſolatia, &, ut quidem ego ſentio, multò maxima: quæ ego ipſe experiens quotidie ſic probo, ut ea mihi ſalutem afferre videantur. Te autem ab initio ætatis, memoriâ teneo, ſummè omnium doctrinarum ſtudioſum fuiſſe, omniaque, quæ à ſapientiſſimis ad benè vivendum tradita eſſent, ſummo ſtudio, curâque didiciſſe: quæ quidem, vel [f] optimis rebus, & uſui, & delectationi eſſe poſſent: his verò temporibus habemus aliud nihil, in quo acquieſcamus. [g] nihil faciam inſolenter: nec te, tali vel ſcientiâ, vel naturâ præditum, hor-

INTERPRETATIO.

[c] *in Reipublicæ exitio.*

[d] *ſed tamen & Cæſar ipſe, & omnes cives tanti te faciunt, ut exiſtiment, te quaſi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere ob ſanctitatem, &c.*

[e] *eſt in te omnium doctrinarum cognitio ad conſolandum aptiſſima.*

[f] *ſtante Republicâ.*

[g] *arroganter facerem, ſi te tali ſcientiâ præditum hortarer, ut ad eas, &c.*

NOTÆ.

2. *Superiores*] Sylla, Marius, &c. qui bella civilia Reipublicæ funeſtiſſima fecerunt.

3. *Quicumq; poſteà*] Pompeius, aut Cæſar.

4. *Conſilium tuum*] Ut Cæſari non ſuccederetur in adminiſtratione Galliæ, eidemque abſenti Conſulatum liceret ante tempus petere, ne offenſus ad arma rem deduceret.

5. *Occidiſſe*] Jam ceciderant in bello civili Pompeius Magnus, L. Lentulus, Bibulus, Domitius Ænobarbus, Scipio Pompeii ſocer, & M. Cato, qui odio in Cæſarem, bellum paci temerè prætuleranr.

6. *Parietinis*] Sunt parietum ruinæ, ſeu muri vetuſtate propè conſumpti.

7. *Qui videmus*] Cæſari reconciliatus Cicero, Romæ tùm vivebat.

1. *Subtilitati*

Digitized by Google

tabor, ut ad eas te referas artes, quibus à primis temporibus ætatis ſtudium tuum dediſti. tantùm dicam, quod te ſpero approbaturum, me, poſteaquàm [h] illi arti, cui ſtudueram, nihil eſſe loci neque in curiâ, neque in foro viderim, omnem meam curam, atque operam ad philoſophiam contuliſſe: [i] tuæ ſcientiæ excellenti, ac ſingulari non multo plus, quàm noſtræ, relictum eſt loci. Quare non equidem te moneo, ſed mihi ita perſuaſi, te quoque [k] in iiſdem verſari rebus, quæ etiam ſi minùs prodeſſent, animum tamen à ſolicitudine abducerent. Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primiſque [l] in hac, in quâ ego me ſcripſi acquieſcere, ita verſatur, ut excellat: à me verò ſic diligitur, ut tibi uni concedam, prætereà nemini: [m] mihique ab eo gratia refertur: [n] in quo ille exiſtimat, quod facilè appareat, cùm me colat, & obſervet, tibi quoque in eo ſe facere gratiſſimum. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *eloquentiæ.*
[i] *ſcientiæ* juris civilis, & Pontificii.
[k] *in iiſdem ſtudiis.*
[l] *in Philoſophiâ.*
[m] *meque amantem redamat.*
[n] *& facilè apparet, perſuaſum illi eſſe, rem tibi facere gratiſſimam, cùm me colis, & obſervat.*

EPISTOLA IV.

Laudat Sulpitii ſcripta, probat quòd Achaiæ adminiſtrationem non recuſarit: ſcribit de M. Marcelli reditu, de ſuo Philoſophiæ ſtudio, de Serviî filii virtutibus, de Reipublicæ ſtatu, de Cæſare. Cæſare tertium Coſ. & M. Æmilio Lepido, Pompeianis in Africâ profligatis, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo ſeptimo.

Cicero S. D. Sulpicio.

ACCIPIO excuſationem tuam, quâ uſus es, cur ſæpiùs ad me literas [a] uno exemplo dediſſes: ſed accipio ex eâ parte, quatenùs aut negligentiâ, aut improbitate eorum qui epiſtolas accipiant, fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excuſationis, quâ te ſcribis, orationis paupertate, (ſic enim appellas) iiſdem verbis epiſtolas ſæpiùs mittere, nec agnoſco, nec probo: & ego ipſe, quem tu per jocum (ſic enim accipio) divitias orationis habere dicis, me non eſſe verborum admodum inopem agnoſco. [b] εἰρωνεύεσθαι enim non neceſſe eſt. ſed tamen idem (nec hoc [c] εἰρωνεύομαι) facilè cedo tuorum ſcriptorum [1] ſubtilitati, & elegantiæ. Conſilium

INTERPRETATIO.

[a] *iiſdem verbis.* [b] *diſſimulare.* [c] *diſſimulans.*

NOTÆ.

1. *Subtilitati & elegantiæ*] Quâ ſibi nomen inſigne fecit Sulpitius, ut teſtatur ipſe Cicero in libro de claris Oratoribus, & Quintil. in libro Inſtitutionum IX.

Digitized by Google

tuum, quo te usum scribis, hoc [c] Achaïcum negotium non recusaviſſe, cùm ſemper probaviſſem, tùm multò magis probavi, lectis tuis proximis literis. omnes enim cauſæ, quas commemoras, juſtiſſimæ ſunt, tuâque & auctoritate, & prudentiâ digniſſimæ. [d] Quòd aliter cecidiſſe rem exiſtimas, atque opinatus ſis: id tibi nullo modo aſſentior. ſed quia tanta perturbatio & confuſio eſt rerum, ita perculſa & proſtrata fœdiſſimo bello jacent omnia, ut is cuique locus, ubi ipſe ſit, miſerrimus eſſe videatur: propterea & [e] tui te conſilii pœnitet, & nos, qui [f] domi ſumus, tibi beati videmur. at contrà nobis non tu quidem vacuus moleſtiis, ſed præ nobis beatus. atque hoc ipſo melior eſt tua, quàm noſtra conditio: quòd tu, quid doleas, ſcribere audes, nos ne id quidem tutò poſſumus: nec id [g] victoris vitio, quo nihil moderatius, ſed ipſius victoriæ, quæ civilibus bellis ſemper eſt inſolens. Uno te vicimus, quòd [h] de Marcelli, collegæ tui, [h] ſalute paulò antè quàm tu, cognovimus, etiam mehercule, quòd, quem admodùm ea res ageretur, vidimus. nam ſic fac exiſtimes, poſt has miſerias, id eſt, poſtquam armis diſceptari cœptum eſt de jure publico, nihil eſſe actum [i] aliud cum dignitate. nam & ipſe Cæſar, accuſatâ [4] acerbitate Marcelli (ſic enim appellabat) laudatâque honorificentiſſimè & [5] æquitate tuâ, & prudentiâ, repentè præter ſpem dixit, ſe Senatui roganti de Marcello, [k] ne hominis quidem causâ, negaturum. fecerat autem hoc Senatus, ut cùm [6] à L. Piſone mentio eſſet facta de Marcello, & cùm C. [7] Marcellus ſe ad Cæſaris pedes abjeciſſet, cunctus conſurgeret, & ad Cæſarem ſupplex accederet. noli quærere: ita mihi pulcher hic dies viſus eſt, ut ſpeciem aliquam viderer videre quaſi reviviſcentis reipublicæ. Itaque cùm em-

INTERPRETATIO.

[c] *Achaïæ adminiſtrationem.*
[d] *quòd dicis te abſentem majoribus moleſtiis affici, quàm nos qui Romæ ſumus.*
[e] *Achaïcæ procurationis.*
[f] *Romæ.*
[g] *Cæſaris.*
[h] *reditu i urbem.*
i præter M. Marcelli reſtitutionem.
[k] *ne Marcelli quidem causâ, à quo tamen graviter offenſus fuerat.*

NOTÆ.

2. *Achaïcum negotium*] Achaïa proprié dicta, pars eſt Peloponneſi, & ad ſinum uſque Corinthiacum pertinet; latè verò ſumpta, totum hunc tractum complectitur, qui *bellica* appellatus eſt, dividiturque: in Bœotiam, Phocidem, Locres, & Doridem. Toti Græciæ præfuiſſe Sulpicium ex multis locis colligitur.

3. *De Marcelli collega*] Cum Sulpicio conſulatum geſſit, devicto autem Pompeio, quem erat ſequutus, exulabat. Ejus reditum à Cæſare Senatus obtinuit; ſed cùm Romam contenderet, ab uno è ſuis occiſus eſt.

4. *Acerbitate Marcelli*] Qui cùm eſſet Conſul, de ſucceſſore Cæſari vel ante tempus mittendo fortiter egit; in eum juſſit delectum haberi, &c. quæ omnia fusè commemorat Suetonius.

5. *Æquitate*] Quâ Sulpitius collegæ ſuo, tam iniqua in Cæſarem molienti, acriter reſtiterat.

6. *A L. Piſone*] Cæſaris ſocero, in quem extat Ciceronis oratio.

7. *C. Marcellus*] M. Marcelli frater, qui biennio poſt Marcum Conſulem, & ipſe Conſul fuit cum L. Lentulo.

Digitized by Google

nes ante me rogati gratias Cæsari egissent, præter [8] Volcatium ([1] is enim, si eo loco esset, negavit se facturum fuisse) ego rogatus, mutavi meum consilium. nam statueram, non mehercule inertiâ, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere. fregit hoc meum consilium, & Cæsaris magnitudo animi, & Senatûs officium. Itaque pluribus verbis egi Cæsari gratias: [m] meque metuo ne etiam in cæteris rebus [n] honesto otio privarim: quod erat unicum solatium in malis. sed tamen, quando effugi [o] ejus offensionem, qui fortasse arbitraretur, me hanc rempublicam non putare, si perpetuò tacerem, modicè hoc faciam, aut etiam [p] intra modum, ut & illius voluntati, & meis studiis serviam. nam etsi à primâ ætate me omnis ars & doctrina liberalis, & maximè Philosophia delectavit: tamen hoc studium quotidie [q] ingravescit, credo & ætatis maturitate ad prudentiam, & his temporum vitiis, ut nulla res alia levare animum molestiis possit. à quo studio te abduci negotiis, intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid jam noctes te adjuvabunt. Servius tuus, vel potiùs noster, summâ me observantiâ colit: cujus ego cùm omni probitate, summâque virtute, tùm studiis, doctrinâque delector. is mecum sæpè de tuâ mansione, aut decessione communicat. adhuc in hac sum sententiâ, nihil ut faciamus, nisi quod maximè Cæsar velle videatur. Res sunt ejusmodi, ut, si Romæ sis, nihil te præter tuos delectare possit. de reliquis nihil melius [r] ipso est. cæteri & cætera [s] ejusmodi, ut, si alterutrum necesse sit, audire ea malis, quàm videre. Hoc nostrum consilium nobis minimè jucundum est, qui te videre cupimus: sed consulimus tibi. Vale.

INTERPRETATIO.

[1] *is enim negavit se in patriam redituru fuisse, si esset in eodem statu quo Marcellus.*
[m] *& metuo ne sapè deinceps* in senatu contrà quàm proposueram, cogar verba facere, *& Philosophiæ tandiù vacare non liceat.*
[n] *Philosophico.*
[o] *Cæsaris.*
[p] *minùs quàm modicè.*
[q] *augetur.*
[r] *Cæsare.*
[s] *ea sita sunt in loco.*

NOTÆ.

8. *Volcatium*] Triennio ante Ciceronem ad Consulatum pervenerat; & Catonem imitatus, Stoïcorum more vivebat.

EPISTOLA V.

Ciceronem ex obitu filiæ, dolore penè confectum, Sulpitius solatur. C. Iulio Cæsare quartùm Consule sine collegâ, anno urbis conditæ septingentesimo octavo, devictis jam in Hispaniâ Pompeii liberis.

Sulpicius S. D. Ciceroni.

POSTEAQUAM mihi renuntiatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ, [a] sanequam pro eo, ac debui, graviter, molestéque tuli, communemque

INTERPRETATIO.

[a] *profectò.*

eam calamitatem existimavi : qui si [b] istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum, atque acerbum est : propterea quia per quos id fieri debet, propinquos, ac familiares, ipsi pari molestiâ afficiuntur, neque sine lacrymis multis id conari queunt : ut magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quàm aliis posse suum officium præstare : tamen, quæ in præsentiâ mihi in mentem venerunt, decrevi brevi ad te perscribere : non quòd ea te fugere existimem : sed quod forsitan dolore impeditus, minùs ea perspicias. Quid est quòd tantoperè te commoveat tuus dolor intestinus ? cogita, [c] quemadmodùm adhuc fortuna nobiscum egerit : ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minus, quàm liberi, cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. [d] hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adjungi potuit ? aut qui non in illis rebus exercitatus animus [e] callere jam debet, atque omnia minoris æstimare ? An [f] illius vicem (credo) doles ? quoties in eam cogitationem necesse est & tu veneris, & nos sæpè incidimus, hisce temporibus [g] non pessimè cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum virâ commutare ? Quid autem fuit, quòd illam hoc tempore ad vivendum magnoperè invitare posset ? quæ res ? quæ spes ? quod animi solatium ? ut, cum aliquo adolescente primario conjuncta, ætatem ageret ? licitum est tibi, (credo) pro tuâ dignitate ex hac juventute generum diligere, cujus fidei liberos tuos te tutò committere putares. An ut ea liberos ex sese pareret, quos cùm florentes videret, lætaretur, [h] qui rem à parente traditam per se tenere possent, honores ordinatim petituri essent in republicâ, in amicorum negotiis liberalitate suâ uterentur ? quid horum fuit, quod non priùs, quàm datum, ademptum sit ? At verò malum est liberos amittere : malum, nisi hoc pejus sit, [i] hæc sufferre, & perpeti. Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asiâ rediens, cùm ab [2] Æginâ [3] Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, ante Megara, dextra [4] Piræeus, sinistra [5] Corinthus.

Interpretatio.

[b] *Romæ.* [c] *quàm acerbè.*
[d] *potuitne obitus filiæ ad dolorem tuum aliquid addere ?*
[e] *obduruisse, & adversa omnia habere pro nihilo ?*
[f] *filiæ tuæ morte.*
[g] *hos fuisse felices, qui morte naturali extincti sunt.*
[h] *qui relictas à patre divitias suâ industriâ conservarent.*

Notæ.

1. *Hæc*] Amissionem scilicet patriæ, dignitatum, &c.

2. *Æginâ*] Insula maris Ægæi, in sinu Saroniço, haud procul à Piræo portu sita; *Engia.*

3. *Megaram*] Urbs est juxta Isthmum Corinthiacum, media inter Peloponnesum, Atticam, & Bœotiam. Patria fuit Euclidis Geometræ.

4. *Piræus*] Athenarum portus quadringentarum navium capacitate, & latitudine muri celeberrimus, nunc *Port-Lion.*

5. *Corinthus*] Achaiæ urbs quondam ditissima, quam L. Mummius expugnavit,

Digitized by Google

quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cùm, uno loco, tot oppidorum cadavera projecta jaceant. [i] visne tu te Servi cohibere, & meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione eâ non mediocriter sum confirmatus. hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modò, uno tempore tot viri clarissimi [6] interierunt: de imperio prætereà [7] tanta diminutio facta est: omnes provinciæ conquassatæ sunt: in unius [k] mulierculæ animula si jactura facta sit, tantoperè commoveris? quæ si hoc tempore non suum diem obiisset, paucis pòst annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu [l] ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca: atque ea potiùs reminiscere, quæ digna tuâ personâ sunt: illam, quàm diù opus fuerat, vixisse: unà cum republicâ fuisse: te patrem suum, Prætorem, Consulem, Augurem vidisse: [8] adolescentibus primariis nuptam fuisse: omnibus bonis propè perfunctam esse: cùm respublica occideret, vitâ excessisse. quid est quod tu, aut illa cum fortunâ [m] hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, & eum, qui aliis consueveris præcipere, & dare consilium: neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potiùs quæ aliis tutè præcipere soles, ea tutè tibi subjice, atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientiâ tuâ te occurrere. [n] quòd si quis etiam [9] inferis sensus est: qui illius amor in te fuit, pietasque in omnes suos, hoc certè illa te facere non vult. da hoc illi mortuæ: da cæteris amicis, & familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, ut si quâ in re opus sit, operâ, & consilio tuo uti possit. Denique quoniam in eam fortunam devenimus, [o] ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, [p] ut quisquam te putet non tam filiam, quàm reipub. tempora,

INTERPRETATIO.

[i] *hæc tecum* accuratiùs *perpende Servi*, inquiebam, *& memineris te, &c.*
[k] *filiæ tuæ?*
[l] *ab hac cogitatione quæ te excruciat.*
[m] *quia morte extincta est.*
[n] *quòd si mortuis inest sensus, certè Tullia & pro suo in te amore, ac pietate in suos, agrè patitur extra modum te dolere.*
[o] *ut etiam hoc sit nobis considerandum.*
[p] ex Cæsaris amicis.

NOTÆ.

diruitque anno urbis conditæ sexcentesimo sexto, signis, tabulisque pretiosissimis Romam asportatis.

6. *Interierunt*] Pompeius, Bibulus, Cato, &c.

7. *Tanta diminutio*] Cæsis tot hominum millibus, ex quo civile bellum exarserat.

8. *Adolescentibus primariis*] C. Calpurnio Pisoni frugi, Furio Crassipedi, & P. Cornelio Dolabellæ, qui omnes Patriciæ gentis erant.

9. *Inferis sensus est*] Philosophos inter hac de re lis erat, cùm alii vellent unà cum corpore sensum omnem extingui; alii verò, quibus Cicero, Platonem sequu-

& aliorum [10] victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnamque ex eâ re te laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, adversam quoque te æquè ferre posse, neque id majus quàm debeat, tibi onus videri; ne ex omnibus virtutibus hæc una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cùm te tranquilliore esse animo cognovero, de his rebus quæ hîc geruntur, quemadmodúmque se provincia habeat, certiorem faciam. Vale.

NOTÆ.

eus, adhæsit, in morte residere sensum defenderent.

10. *Victoriam*] Quam Cæsar paulò antè de Pompeii liberis retulerat in Hispaniâ.

EPISTOLA VI.

Respondet Sulpitio, suum dolorem, lectis illius litteris, aliquâ ex parte lenitum: at majorem esse, quàm ut omninò pelli queat: solatii tamen plurimum ex ejus præsentiâ & colloquio sperare. Eodem anno.

Cicero S. D. Sulpicio.

EGO verò, Servi, vellem, ut scribis, [a] in meo gravissimo casu affuisses. quantùm enim præsens me adjuvare potueris & consolando, & propè æquè dolendo, facilè ex eo intelligo, quòd literis tuis lectis, aliquantulùm acquievi. nam & ea scripsisti, quæ levare luctum possent, & in me consolando, non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. [b] Servius tamen tuus, omnibus officiis, quæ [c] illi tempori tribui potuerunt, declaravit, & quanti ipse me faceret, & quàm suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cujus officia jucundiora scilicet sæpè mihi fuerunt, nunquam tamen [d] gratiora. Me autem non oratio tua solùm, & societas penè ægritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu, tali sapientiâ præditus, ferendum putas: sed opprimor interdùm, & vix resisto dolori, quòd ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortunâ non defuerunt. Nam & [1] Q. Maximus, qui filium Consularem, clarum virum, &

INTERPRETATIO.

[a] *in obitu filii.* [b] *filius tamen tuus.* [c] *huic meo calamitati.* [d] *utiliora.*

NOTÆ.

1. *Quintus Maximus*] *Cunctator* à belli gerendi ratione: *Verrucosus* à verrucâ quam gerebat in labiis; à morum suavitate *ovicula* dictus est, Annibale devicto clarus; sed amisso filio, viro Consulari, longè illustrior, illius mortem fortiter sic tulit, ut ipsi dixerit in foro laudationem, scriptamque in vulgus ediderit.

Digitized by Google

magnis rebus gestis, amisit: & [2] L. Paulus, qui duos septem diebus: & vester [3] Gallus: & [4] M. Cato, qui summo ingenio, summâ virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eos tùm ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republicâ consequebantur. Mihi autem, amissis [5] ornamentis iis, quæ ipse commemoras, quæque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud [c] solatium, quod ereptum est. non amicorum negotiis, non reipublicæ procuratione [f] impediebantur cogitationes meæ: nihil in foro agere libebat: adspicere [6] curiam non poteram. existimabam, id quod erat, omnes me & industriæ meæ fructus, & fortunæ perdidisse. sed, cùm cogitarem hæc mihi tecum, & cum quibusdam esse communia, & [g] cùm frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter: [h] habebam quò confugerem, ubi conquiescerem, cujus in sermone, & suavitate omnes curas, doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam gravi vulnere [7] etiam illa, quæ consenuisse videbantur, recrudescunt. non enim, ut tùm me à republicâ mœstum domus excipiebat, quæ levaret: sic nunc, domo morens, ad rempublicam confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam. Itaque & [8] domo absum, & [9] foro: quòd nec eum dolorem, quem à republicâ capio, domus jam consolari potest, nec domesticum respub. quo magis expecto, teque videre quamprimùm cupio. major mihi levatio afferri nulla potest, quàm conjunctio consuetudinis, sermonumque nostrorum. quanquàm sperabam tuum adventum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cùm multis de causis te exopto quamprimùm videre, tùm etiam, ut antè commentemur inter nos, quâ ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad [i] unius voluntatem accommodandum, & prudentis, & liberalis, &, ut perspexisse mihi videor, nec à me alienis

INTERPRETATIO.

[c] *filia.*
[f] *non impediebatur dolor meus.*
[g] *cùm mihi vim inferrem.*
[h] *habebam* filiam meam, *ad quam confugerem.*
[i] *Cæsaris.*

NOTÆ.

2. *L. Paulus*] Æmiliâ de gente vir in paucis inclytus, & L. Pauli, qui ad Cannas cecidit filius. Hic duos filios, quos ex secundâ uxore susceperat, septem dierum spatio amisit: alter paulò ante patris de Perseo triumphum; alter paucis diebus pòst obiit. Vide Valerium M. lib. v. c. x.

3. *Gallus Sulpitia gentis*] Fortè is est qui Consul Ligures devicit.

4. *M. Cato*] Major, & Censorius, Porciæ gentis caput, quem Tullius in libro de senectute, de morte filii sui præclarè loquentem facit.

5. *Ornamentis*] Dignitate, libertate, patriâ.

6. *Curiam*] Triplex potissimùm fuit hujus vocabuli acceptio: curia enim & pars populi, & ædes, ubi triginta curiæ sacra sua peragebant; & locus ille ubi Senatus haberi solebat, de quâ hîc agitur: nota forum pro judiciis, curiam sumi pro senatu, quòd judicia in foro fierent, Senatus in curiâ haberetur.

7. *Etiam illa*] Illa incommoda quæ civile bellum intulit.

8. *Domo*] Quia obiit filia.

9. *Foro*] Quia interiit Respublica.

Digitized by Google

& tibi amiciſſimi. quod cùm ita ſit, magnæ tamen eſt deliberationis, quæ ratio ſit ineunda nobis, non agendi aliquid, ſed illius conceſſu, & beneficio quieſcendi. Vale.

EPISTOLA VII.

M. Marcellum, incertum quid conſilii, victo Pompeio, caperet, hortatur, ut confugiat ad Cæſarem, Romamque redeat, id C. Marcellum ipſius fratrem, id Rempublicam, id rationem rei familiaris poſtulare. C. Iulio Cæſare tertiùm, & M. Æmilio Lepido Coſſ. poſt bellum Africanum, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo ſeptimo.

Cicero s. d. * M. Marcello.

ETsi eo te adhuc conſilio uſum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipſe diſſentiam, ſed quòd ea te ſapientia eſſe judicem, ut meum conſilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ noſtræ vetuſtas, & tua ſumma erga me benevolentia, quæ mihi jam à pueritiâ tuâ cognita eſt, me hortata eſt, ut ea ſcriberem ad te, quæ & ſaluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena eſſe ducerem à dignitate. Ego eum te eſſe, qui [a] horum malorum initia multò antè videris, conſulatum [1] magnificentiſſimè, atque optimè geſſeris, præclarè memini. ſed idem etiam illa vidi, neque te conſilium civilis belli [a] ita gerendi, neque [3] copias Cn. Pompeii, nec [4] genus exercitûs probare, ſemperque ſummè diffidere. quâ in ſententiâ me quoque fuiſſe memoriâ tenere te arbitror. itaque neque tu multùm interfuiſti rebus gerendis, & ego id ſemper egi, ne intereſſem. non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, conſilio, auctoritate, causâ, quæ erant in nobis ſuperiora, ſed lacertis, & viribus, quibus pares non eramus. Victi ſumus igitur, aut, ſi vinci [b] dignitas non poteſt, fracti certè & abjecti. In quo tuum conſilium nemo poteſt non maximè laudare, quòd cum ſpe vincendi ſimul abjeciſti, certandi etiam cupiditatem, oſtendiſtique, ſapientem, & bonum civem initia belli civilis invitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi. Qui non idem conſilium, quod tu, ſecuti

Interpretatio.

[a] *belli civilis.* [b] *virtus.*

Notæ.

* *M. Marcello*] Conſule indicem hiſtoricum.

1. *Magnificentiſſimè*] Opinor quòd minimam Cæſaris potentiam frangere conatus eſſet. Vide epiſt. 4.

2. *Ita gerendi*] Neque enim ſapienter fecit Pompeius, dum urbem Italiamque deſeruit.

3. *Neque copias*] Quas, adventu Cæſaris nunciato, exiguas habuit; cùm tamen antea promiſiſſet, futurum ut terram ſe percuſſiſſet pede, integri ſtatim exercitus adeſſent.

4. *Genus exercitûs*] qui collectitius erat & tyro, cùm Cæſar robuſtiſſimas ſecum legiones haberet.

Se

sunt, eos video in duo genera esse distractos. aut enim renovare bellum conati sunt, hique [5] se in Africam contulerunt: aut, quemadmodùm nos, victori sese crediderunt. [6] medium quoddam tuum consilium fuit, qui hoc fortasse humilis animi duceres, illud pertinacis. Fateor à plerisque, vel dicam ab omnibus, sapiens tuum consilium, à multis etiam magni ac fortis animi judicatum: sed habet ista ratio, ut mihi quidem videtur, quendam modum: præsertim cùm tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortunas omnes obtinendas, præter voluntatem. sic enim intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret [c] ei, penes quem est potestas, nisi quòd vereretur, ne tu illud beneficium omninò non putares. de quo quid sentiam, nihil attinet dicere, cùm appareat, ipse [7] quid fecerim. sed tamen, si jam ita constituisses, ut abesse perpetuò malles, quàm ea quæ nolles, videre: tamen id cogitare deberes, ubicunque esses, te fore in ejus ipsius, quem fugeres, potestate. qui si facilè passurus esset, te, carentem patriâ, & fortunis tuis, quietè, & liberè vivere: cogitandum tibi tamen esset, Romæ ne, & domi tuæ, cujusmodi res esset, an [8] Mytilenis, aut Rhodi malles vivere. Sed cùm ita latè pateat ejus potestas, quem veremur, ut terrarum orbem complexa sit: nonne mavis sine periculo tuæ domi esse, quàm cum periculo alienæ? equidem, etiamsi oppetenda mors esset, domi, atque in patriâ mallem; quàm in externis atque alienis locis. hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna pro tuis maximis, clarissimisque virtutibus multitudo. Habemus etiam rationem rei familiaris tuæ, quam dissipari nolumus. nam, etsi nullam potest accipere injuriam, quæ futura perpetua sit, propterea quòd neque [d] is, qui tenet rempub pateretur, neque ipsa respub. tamen impetum [e] prædonum in tuas fortunas fieri nolo. ii autem qui essent, auderem scribere, nisi te intelligere confiderem. Hîc te unius solicitudines, unius etiam multæ, & assiduæ lacrymæ C. [9] Marcelli, fratris optimi, deprecantur. nos curâ, & dolore proximi sumus, precibus tardiores, quòd jus adeundi, cùm ipsi [10] deprecatore eguerimus, non habemus. gratiâ tantùm possumus, quantùm victi. sed tamen consilio, stu-

a

INTERPRETATIO.

[c] *Cæsari.* [d] *Cæsar.* [e] *Cæsarianorum.*

NOTÆ.

5. *Se in Africam*] Ut Scipio Pompeii socer, Cato, Labienus.

6. *Medium quoddam, &c.*] Quòd nec bellum renovare post cladem Pharsalicam, nec ad Cæsaris clementiam confugere volueris.

7. *Quid fecerim*] Pompeianis ad Pharsalum cæsis, Tullius ad Cæsarem adiit, à quo benignè acceptus est.

8. *Mytylenis*] Urbs fuit Lesbiorum primaria, cujus nomine tota insula *Mytylene* dicta est, nunc *Metelin.*

9. *C. Marcelli*] Hæc verba indicant, Caium Marcellum, etsi antea Consul, Cæsaris oppugnaverat potentiam, civili tamen bello non interfuisse, alioquin deprecatore ipse quoque eguisset.

10. *Deprecatore*] Pro Cicerone in primis deprecatus est Dolabella ejus gener, & Cæsaris amicus.

Digitized by Google

dio, Marcello non defumus : à tuis reliquis non adhibemur : ad omnia parati ſumus. Vale.

EPISTOLA VIII.

Reditum in patriam Marcello iterùm ſuadet. Eodem anno.

Cicero S. D. Marcello.

NEQUE monere te audeo, præſtanti prudentiâ virum, nec confirmare, maximi animi hominem, virumque fortiſſimum, conſolari verò nullo modo. nam ſi ea, quæ acciderunt, ita fers, ut audio : gratulari magis virtuti debeo, quàm conſolari dolorem tuum. ſin te tanta mala reipub. frangunt : non ita abundo ingenio, ut te conſoler, cùm ipſe me non poſſim. Reliquum eſt igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præſtemque, ut ad omnia, quæ tui velint, ita adſim præſto, ut me non ſolùm omnia debere tua cauſa, quæ poſſum, ſed ea quoque, quæ non poſſum, putent. [a] Illud tamen vel tu me monuiſſe, vel cenſuiſſe puta, vel propter benevolentiam tacere non potuiſſe, ut, quod ego facio, tu quoque animum inducas, ſi ſit aliqua reſpublica, in eâ te eſſe oportere, judicio omnium, reque principem, neceſſitate cedentem tempori : ſin autem nulla ſit, hunc tamen aptiſſimum eſſe etiam ad exulandum locum. ſi enim libertatem [b] ſequimur, qui locus hoc dominatu vacat ? ſin qualemcumque locum, quis eſt domeſticâ ſede jucundior ? ſed, mihi crede, etiam [c] is, qui omnia tenet, favet ingeniis : nobilitatem verò, & dignitatem hominum, quantùm ei [d] res, & [e] ipſius cauſa concedit, amplectitur. Sed plura quàm ſtatueram. redeo ergo ad unum illud, me tuum fore cum tuis, ſi [1] modò [f] erunt tui : ſin minùs, me certè in omnibus rebus ſatis noſtræ conjunctioni, amorique facturum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *at illud quod ſequitur accipe, vel tanquam monitum, aut velut conſilium, quod tibi ſi non auſim dare, tacere tamen propter benevolentiam non poſſim, ut ſcilicet idem in animum inducas quod mihi jam perſuaſum eſt, ſi pars aliqua Reipublicæ ſuperſit, in eâ te debere principem obtinere locum, & uni Cæſari neceſſitate cedere, ſin periit omninò Reſpublica, cogita Romæ potius quàm ubivis exulandum.*

[b] *quærimus.*

[c] *Cæſar.*

[d] *natura* belli civilis.

[e] ſes intereſts.

[f] *ſi modo te adjuvant.*

NOTÆ.

1. *Erunt tui*] Hæc verba declarant Marcellum ſuis charum non fuiſſe, & de ejus reditu, ſi fratrem excipias, nihil admodùm laboraſſe. Conjecturam hanc adjuvant ſuperioris epiſtolæ verba, *à tuis reliquis non adhibemur.*

Digitized by Google

EPISTOLA IX.

Eidem eadem de re scribit. Eodem anno.

Cicero s. d. Marcello.

ETsi perpaucis antè diebus dederam Q. Mutio literas ad te pluribus verbis scriptas, quibus declaraveram, quo te animo censerem esse oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer : tamen cùm Theophilus, libertus tuus, proficiscereturr, cujus ego fidem erga te benevolentiamque perspexeram, sine meis literis eum ad te venire nolui. Iisdem igitur de rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum : [a] ut in eâ republicâ, quæcunque est, quamprimùm velis esse. Multa videbis fortasse, quæ nolis, non plura tamen quàm audis quotidie. [b] non est porrò tuum, uno sensu solùm oculorum moveri : cùm illud idem auribus percipias, quod etiam majus videri solet, minùs laborare. [1] At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias, aut faciendum, quod non probes. Primùm, TEMPORI cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum. deinde, non habet, [c] ut nunc quidem est, [2] id vitii res. dicere fortasse quæ sentias, non licet : tacere planè licet. omnia enim delata ad unum sunt. [d] is utitur consilio ne suorum quidem, sed suo. [e] quod non multò secus fieret, si is rempublicam teneret, quem secuti sumus. [f] An, qui in bello, cùm omnium nostrûm conjunctum esse periculum suo cerneret, certorum hominum [3] minimè prudentium consilio uteretur, [g] eum magis communem censemus in victoriâ futurum fuisse, quàm incertis in rebus fuisset? & qui nec te Consule, tuum sapientissimum [4] consilium secutus esset, nec [5] fratre tuo consu-

INTERPRETATIO.

[a] *ut Romam, quocunque est in statu, quamprimùm redeas.*

[b] *porrò non decet ea te dolere tantùm quæ vides, & de iis minùs laborare, quæ auribus percipis, licet* quæ audis, *majora videri solent, quàm revera sunt.*

[c] *prout nunc se res habent.*

[d] *Cæsar.*

[e] *quòd non multò aliter se haberet, si Pompeius Rempublicam teneret.*

[f] *Pompeius, belli tempore, certos homines carentes prudentiâ consulebat*; nobiscum nihil communicans, *etsi cerneret nostram causam cum suâ communem esse.*

[g] *an putas eundem, si victor extitisset, magis usurum fuisse nostris consiliis, quàm usus est, cùm de victoriâ dimicabat.*

NOTÆ.

1. *At tibi*] Objectio, quam statim diluit.

2. *Id vitii res*] *Dicere* scilicet *quod non sentias, & facere quod non probes.*

3. *Minimè prudentium*] Domitium indicat, Lentulum, Scipionemque Pompeii socerum, quos jam antèà duplici culpavit nomine, primùm quidem quòd bellum paci prætulerint, deinde verò quòd bellum sine consilio gesserint.

4. *Consilium*] De bello civili vitando.

5. *Fratre tuo*] Qui biennio post Marcum Marcellum, primo scilicet belli civilis anno, cum Lentulo Consul fuit.

Digitized by Google

latum ex auctoritate tuâ gerente, [h] vobis auctoribus uti voluerit, nunc omnia [i] tenentem, nostras sententias desideraturum censes fuisse? OMNIA sunt misera in bellis civilibus: quæ majores nostri ne semel quidem, nostra ætas sæpè jam sensit: sed MISERIUS nihil, quàm ipsa victoria: quæ etiam si ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresque reddit, ut etiamsi naturâ tales non sint, necessitate esse cogantur. MULTA enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda sunt. An tu non videbas mecum simul, quàm [k] illa crudelis esset futura victoria? igitur [l] tunc quoque patriâ careres, ne, quæ nolles, videres? Non, inquies: ego enim ipse tenerem opes, & dignitatem meam. at erat tuæ virtutis, in minimis res tuas ponere, [6] de republicâ vehementiùs laborare. Deinde, [m] qui finis istius consilii est? [n] nam adhuc & factum tuum probatur, & ut in tali re, etiam fortuna laudatur: factum, quòd & initium belli [o] necessariò secutus sis, & [p] extrema [7] sapienter persequi nolueris: fortuna, [q] quòd [8] honesto otio tenueris & [9] statum, & [10] famam dignitatis tuæ. nunc verò nec locus tibi ullus dulcior esse debet patriâ, nec eam diligere minùs debes, quòd deformior est, sed miserèri potiùs: nec eam, multis claris viris orbatam, privare etiam adspectu tuo. Denique, si fuit magni animi, non isse supplicem victori: vide, ne superbi sit, aspernari ejusdem liberalitatem: &, si sapientis est carere patriâ, duri non desiderare: & si republicâ non possis frui, [r] stultum est nolle privatâ. Caput illud est, ut, si [11] ista vita tibi commodior esse videatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. magna gladiorum est licentia: sed in externis locis minor etiam ad facinus verecundia. Mihi salus tua tantæ curæ est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certè proximus sim. Tuum est consulere temporibus, & incolumitati, & vitæ; & fortunis tuis. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *vestrum consilium sequi.*
[i] *si nunc rerum potiretur.*
[k] *Pompeianorum.*
[l] *victore Pompeio.*
[m] *quò spectat tuum illud consilium* de exulando?
[n] *nam & omnes tuam agendi rationem probant*, adduntque *tibi fortunam faviſſe, quantùm in tali re favere potest.*
[o] *invitus.*
[p] *ad finem usque diuturnare nolueris.*
[q] *quòd honestum otium sequutus, famam tuam incolumem servaveris,*
[r] *stultum est velle rem familiarem* perdere.

NOTÆ.

6. *De Repub.*] Quam Pompeiani victores oppressissent.

7. *Sapienter*] Quia profligato Pompeio stultum erat nolle arma deponere.

8. *Honesto otio*] *Otio*, quia procul ab armorum tumultu aberat; *honesto*, quia nihil abjecti fecerat, ut saluti consuleret.

9. *Statum*] Quem non tenuerunt ii qui bellum in Africâ renovarunt: vel enim in acie interfecti sunt, vel summas difficultates perpessi.

10. *Famam*] Quam videntur imminuisse qui supplices ad Cæsarem accesserunt: utrumque declinavit Marcellus, sed Cicero mediam illi rationem proponit, in eo positam, ut Cæsaris liberalitatem non aspernetur, quâ si frui velit, & vitam & famam incolumem conservet.

11. *Ista vita*] Quam Mitylenis exul agebat.

Digitized by Google

EPISTOLA X.

Marcellum hortatur, ut Romam ociùs revisat. Eodem anno.

Cicero s. d. Marcello.

ETSI nihil novi, quod ad te scriberem, habebam, magisque literas tuas jam expectare incipiebam, vel te potiùs ipsum: tamen, cùm Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quamprimùm venias: venies enim, mihi crede, expectatus, neque solùm nobis, id est tuis, sed prorsùs omnibus. venit enim mihi in mentem, subvereri interdum, ne te delectet [a] tarda decessio. quòd si nullum haberes sensum, nisi oculorum, prorsùs tibi ignoscerem, si [b] quosdam nolles videre. sed cùm leviora non multò essent, quæ audirentur, quàm quæ viderentur, suspicarer autem multùm interesse rei familiaris tuæ, te quamprimùm venire, idque in omnes partes valere: putavi eâ de re te esse admonendum. sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi, reliqua tu pro tuâ prudentiâ considerabis: me tamen velim, [c] quod ad tempus te expectemus, certiorem facias. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ne tardiùs ad nos redire velis.* [b] *Cæsarianos.* [c] *quo planè tempore.*

EPISTOLA XI.

Significat se rediturum in patriam, commotum consilio & authoritate Ciceronis. Eodem anno.

Marcellus s. d. Ciceroni.

PLURIMÙM valuisse apud me tuam semper auctoritatem, cùm in omni re, tùm in hoc maximè negotio potes existimare. cùm mihi C. Marcellus frater, amantissimus mei, non solùm consilium daret, sed precibus quoque me obsecraret, [a] non priùs mihi persuadere potuit, quàm tuis est effectum literis, ut uterer vestro potissimùm consilio. [b] Res quemadmodum sit acta, vestræ literæ mihi declarant. Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quòd ab optimo fit animo: tamen hoc mihi multò jucundius est, & gratius, quòd, in summâ paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui verè meæ saluti faverent, te cupidissimum mei, singularemque mihi benevolentiam præstitisse cognovi. Reliqua sunt ejusmodi,

INTERPRETATIO.

[a] *effecisti litteris tuis, quod frustrà tentaverat frater meus, ut exulandi consilium abjicerem.*

[b] *quemadmodùm sit impetrata redeundi facultas.*

quibus ego, quoniam hæc erant tempora, facilè, & æquo animo carebam. [c] hoc verò ejuſmodi eſſe ſtatuo, ut ſine talium virorum, & amicorum benevolentiâ, neque in adverſâ, neque in ſecundâ fortunâ quiſquam vivere poſſit. [d] Itaque hoc ego mihi gratulor: tu verò, ut intelligas, homini amiciſſimo te tibi tribuiſſe officium, re tibi præſtabo. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *Hoc verò mihi perſuaſum eſt neminem in qualibet fortunâ vivere poſſe ſine benevolentiâ amicorum, qui tui ſint ſimiles.*
[d] *itaque de tuâ amicitiâ mihi gratulor.*

EPISTOLA XII.

Scribit de interitu Marcelli, ejus funere, & monumento Athenis extructo. C. Iulio Cæſare quartum Conſule ſine collega, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo octavo.

Servius S. D. Ciceroni.

ETSI ſcio non jucundiſſimum me nuntium vobis allaturum: [a] tamen quoniam CASUS, & natura in bonis dominatur, viſum eſt faciendum, [b] quoquo modo res ſe haberet, vos certiores facere. Ad x. Kal. Jun. cùm ab [1] Epidauro Piræeum navi advectus eſſem, ibi Marcellum, [2] collegam noſtrum conveni, eumque diem ibi conſumpſi, ut cum eo eſſem. poſtero die, cùm ab eo digreſſus eſſem, eo conſilio, ut ab Athenis in [3] Bœotiam irem, [c] reliquamque jurisdictionem abſolverem: ille, uti aiebat, ſupra [4] Maleas Italiam verſus navigaturus erat. Poſtridie ejus diei, cùm ab Athenis proficiſci in animo haberem, [e] circiter horam decimam noctis, Poſthu-

INTERPRETATIO.

[a] *tamen quoniam caſu, & naturâ* non improbis modò, *ſed etiam bonis vita eripitur.*
[b] *quomodò* Marcellus *interfectus eſt.*
[c] *ut in reliquis urbibus jus dicerem.*
[d] *ſuperato Malearum Promontorio.*
[e] *duabus circiter horis ante Solis ortum.*

NOTÆ.

1. *Epidauro*] Tres in Europâ nominis hujuſce urbes Ortelius conſtituit; unam in Dalmatiâ, quæ nunc etiam Emporio, & Republicâ nobilis, *Raguſa*; alteram in Peloponneſo ad ſinum Argolicum, quam *Limeram* Strabo vocat, *Monebaſiam* Cedrinus, Itali verò *Malvaſiam*; tertiam quoque in Peloponneſo collocat, in Argiâ regione ad Saronicum ſinum, quæ Æſculapii templo celeberrima, nunc *Pigrada* Nigro, *Cheroneſi* Sophiano; de quâ hîc agitur. De Piræo diximus in epiſt. 5. hujuſce libri.

2. *Collegam noſtrum*] In Conſulatu.

3. *Bœotiam*] Quæ Græciæ regio eſt, ex unâ parte, Atticæ; ex alterâ, Theſſaliæ finitima. Hîc nota quòd anteà diximus, maximam Græciæ partem ad provinciam Sulpitii pertinuiſſe.

4. *Maleas*] Peloponneſi Promontorium, haud procul à ſinu Laconico navigantibus periculoſum: nunc *Capo Malio*.

5. *Circiter horam decimam*] Noctem in duodecim horas, quovis anni tempore Romani dividebant; adeò ut æſtivarum noctium contractiores horæ eſſent; dierum

Digitized by Google

mius, familiaris ejus, ad me venit : & mihi nuntiavit, M. Marcellum, collegam noſtrum, poſt cœnæ tempus à P. Magio Chilone, familiari ejus, pugione percuſſum eſſe, & duo vulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite [f] ſecundum aurem, ſperare tamen eum vivere poſſe : Magium ſe ipſum interfeciſſe : poſteà ſe à Marcello ad me miſſum eſſe, qui hæc nuntiaret, & rogaret, uti cogerem medicos. coëgi, & è veſtigio eò ſum profectus primâ luce. cùm non longè à Piræeo abeſſem, [g] puer Acidini mihi obviam venit cum [6] codicillis, in quibus erat ſcriptum, paulò ante lucem Marcellum diem ſuum obiiſſe. Ita vir clariſſimus ab homine teterrimo acerbiſſimâ morte eſt affectus : & cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus eſt amicus, qui ei mortem afferret. ego tamen ad tabernaculum ejus perrexi, inveni duos libertos, & pauculos ſervos : reliquos aiebant profugiſſe [7] metu perterritos, quòd dominus eorum ante tabernaculum interfectus eſſet. coactus ſum in eadem illâ lecticâ, quâ ipſe delatus eram, meiſque lecticariis in urbem eum referre : ibique [h] pro eâ copiâ, quæ Athenis erat, funus ei ſatis amplum faciendum curavi. Ab Athenienſibus, locum ſepulturæ [8] intra urbem ut darent, impetrare non potui, quòd religione ſe impediri dicerent : neque tamen id anteà cuiquam conceſſerant, quod proximum fuit, uti in quo vellemus [9] gymnaſio eum ſepeliremus, nobis permiſerunt. nos in nobiliſſimo orbis terrarum gymnaſio [10] Academiæ locum delegimus : ibique eum combuſſimus : poſteáque curavimus, ut iidem Athenienſes in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. ita quæ noſtra officia fuerunt, [11] pro collegio, & propinquitate, & vivo, & mortuo omnia ei præſtitimus. Vale. Datæ pridie Kal. Jun. Athenis.

INTERPRETATIO.

[f] *juxtà.* [g] *ſervus.* [h] *prout locus permiſit.*

NOTÆ.

verò longiores, hibernarum noctium longiores horæ, dierum breviores.

6. *Codicillis*] Tabellæ ceratæ erant, in quibus aliquid ſtylo aut breviter, aut feſtinanter ſcriptum fuerat, à *codice*, ſeu arboris libro ſic appellatæ ; & quoniam ſtylus in iis pungendo ſcriberet, *Pugillaria* quoque dicebantur.

7. *Metu perterritos*] Quia lege decretum erat, ut morte ſervi plecterentur, qui dominum non defendiſſent.

8. *Intra urbem*] Hoc Solon lege prohibuerat, quam deinde Romani in duodecim tabulas tranſtulerunt.

9. *Gymnaſio*] Eo nomine dicta ſunt loca, in quibus Palæſtritæ nudi luctabantur. γυμνὸς, *nudus*. Idem poſteà vocabulum iis locis conceſſum eſt, ubi Philoſophi de quolibet ſcientiæ genere diſputabant.

10. *Academiæ*] Locus arboribus conſitus, mille circiter paſſus Athenis diſtans, quem volunt ſic appellatum ab Academo quodam, qui Platoni illum, ac diſcipulis tradidit, ut de rebus hîc Philoſophicis diſſererent. Unde Academici Philoſophi, Cic. lib. 1. Acad. *Illi autem qui Platonis inſtituto in Academiâ, quod eſt alterum gymnaſium, cœtus erant & ſermones habere ſoluti, de loci vocabulo nomen habuerunt.*

11. *Pro Collegio*] Quia Marcelli collega in Conſulatu fuit.

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

Exulanti Nigidio ſpem reditûs facit, eamque in rem illi ſtudium, operamque pollicetur. C. Julio Cæſare tertium, & M. Lepido Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingenteſimo ſeptimo.

Cicero s. d. p. [1] Nigidio Figulo.

QUÆRENTI mihi jam diù, quid ad te potiſſimùm ſcriberem, non modò certa res ulla, ſed ne genus quidem literarum uſitatum veniebat in mentem. Unam enim partem, & conſuetudinem earum epiſtolarum, quibus ſecundis rebus uti ſolebamus, [a] tempus eripuerat: perfeceratque fortuna, ne quid tale ſcribere poſſem, aut omninò cogitare. relinquebatur triſte quoddam, & miſerum, & his temporibus conſentaneum genus literarum. id quoque deficiebat me: in quo debebat eſſe aut promiſſio auxilii alicujus, aut conſolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat. ipſe enim [2] pari fortunâ abjectus, aliorum opibus caſus meos ſuſtentabam: ſæpiúſque mihi veniebat in mentem, queri quòd ita viverem, quàm gaudere, quòd viverem. quanquàm enim nulla me ipſum privatim perculit inſignis injuria: nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultrò mihi Cæſar detulerit: tamen nihilo minùs eis conficior curis, ut hoc ipſum quòd maneam in vitâ, peccare me exiſtimem. careo enim cùm familiariſſimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut diſtraxit fuga, tùm omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam te ſocio defenſa reſpublica, verſorque in eorum naufragiis, & bonorum direptionibus: nec audio ſolùm, quod ipſum eſſet miſerum, ſed etiam id ipſum video, quo nihil eſt acerbius, eorum fortunas diſſipari, quibus nos olim adjutoribus [b] illud incendium extinximus: & in quâ urbe modò gratiâ, auctoritate, & gloriâ floruimus, in eâ nunc iis quidem omnibus caremus. Obtinemus ipſius Cæſaris ſummam erga nos humanitatem: [c] ſed ea plus non poteſt, quàm vis, & mutatio omnium rerum, atque temporum. itaque orbus iis rebus omnibus, quibus & natura me, & voluntas, & conſuetudo aſſuefecerat: cùm cæteris, ut quidem videor, tùm mihi ipſe diſpliceo. natus enim ad agendum ſemper aliquid dignum viro, nunc non modò agendi rationem nullam habeo, ſed ne cogitandi quidem: & qui anteà aut obſcuris hominibus, aut etiam ſontibus opitulari poteram, nunc P. Nigidio, uni

Interpretatio.

[a] *bellum civile.* [b] *Catilinæ conjurationem.* [c] *ſed humanitas Cæſaris reddere mihi non poteſt ea quæ temporum perturbatio eripuit.*

Notæ.

1. *P. Nigidio Figulo*] Vide indicem hiſtoricum.

2. *Pari fortunâ*] Uterque enim Pompeianas partes ſequutus erat.

[d] *ego*

omnium doctissimo, & sanctissimo, & maxima quondam gratia, & mihi certè amicissimo, ne benignè quidem polliceri possum. Ergo hoc ereptum est literarum genus. Reliquum est, ut consoler, & afferam rationes, quibus te à molestiis coner abducere. at ea quidem facultas, vel tui, vel alterius consolandi, in te summa est, si unquam in ullo fuit. itaque eam partem, quæ ab exquisitâ quadam ratione, & doctrinâ proficiscitur, non attingam, tibi totam relinquam. Quid sit forti, & sapienti homine dignum, quid gravitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid studia, quid artes, quibus à pueritiâ floruisti, à te flagitent, tu videbis, [d] ego, quod intelligere, & sentire, quia sum Romæ, & quia curo, attendoque, possum, id tibi affirmo, te [e] in istis molestiis, in quibus es, hoc tempore, non diutiùs futurum: [f] in iis autem, in quibus etiam nos sumus, fortasse semper fore. Videor mihi perspicere, primùm [g] ipsius animum, qui plurimùm potest, propensum ad salutem tuam. non scribo hoc temerè. quo minùs familiaris sum, [h] hoc sum ad investigandum curiosior. [i] Quò faciliùs, quibus est iratior, respondere tristiùs possit, hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum. familiares verò ejus, & ii quidem, qui illi jucundissimi sunt, mirabiliter de te & loquuntur, & sentiunt. Accedit eodem vulgi voluntas, vel potiùs consensus omnium. [k] etiam illa, quæ minimùm nunc quidem potest, sed possit necesse est, respublica quascunque vires habebit, ab iis ipsis, quibus tenetur, de te propediem, mihi crede, impetrabit. Redeo igitur ad id, ut jam tibi etiam pollicear aliquid, quod primò omiseram. nam & [l] complectar ejus familiarissimos, qui me admodùm diligunt, multúmque mecum sunt, & in [m] ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo: & certè omnes vias persequar, quibus putabo ad id quod volumus, pervenire posse. in hoc toto genere plura faciam, quàm scribere audeo. [n] Cætera, quæ tibi à multis prompta esse certò scio, à me sunt paratissima. nihil in re familiari meâ est, quod ego meum malim esse, quàm tuum. hac de re, & de hoc genere toto hoc scribo parciùs, quod te (id quod ipse confido) sperare malo, te esse usurum [o] tuis. Extremum illud est, ut te horter, & obsecrem, animo ut maximo sis, nec ea solùm memineris, quæ ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam, quæ ipse ingenio, studioque peperisti. quæ si colliges, & sperabis omnia optimè: & quæ ac-

INTERPRETATIO.

[d] *ego quantùm intelligere & sentire possum, quia sum, &c.*

[e] *in exilio.*

[f] *in communibus* autem molestiis.

[g] *Cæsaris.*

[h] *eò curiosiùs investigo* quid sentiat.

[i] *ideò Cæsar ab exilio tardiùs te revocat, ne iis, quibus* ob bellum in Africâ renovatum, *iratior est, & facilius possit, & asperiùs veniam denegare.*

[k] *etiam Respublica, quæ minimùm nunc potest, sed quæ necessariò autoritatem brevi suam recuperabit,* respublica, inquam, *qualiscumque est, à Cæsare ipso, cujus nutum sequitur, tuum propediem reditum impetrabit.*

[l] *conciliabo mihi Cæsaris amicos.*

[m] *Cæsaris.*

[n] *sum paratissimus ad cætera tibi officia præstanda, quæ certò scio à multis tibi offerri.*

[o] fortunis.

cident, qualiacunque erunt, sapienter feres. sed hæc tu meliùs, vel optimè omnium. Ego, quæ pertinere ad te intelligam, studiosissimè omnia, diligentissiméque curabo, tuorumque [p] tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo. Vale.

INTERPRETATIO.

[p] *exilii mei tempore.*

EPISTOLA XIV.

Respondet Plancio, qui pristinam dignitatem beneficio Cæsaris recuperaverat, novasque cum Publiâ nuptias, dimissâ Terentiâ, gratulatus erat. Eodem anno, cùm in Africâ bellum gereretur.

Cicero s. d. Plancio.

BINAS à te accepi literas, [1] Corcyræ datas: quarum alteris mihi gratulabare, quòd audisses meam me pristinam dignitatem [a] obtinere: alteris dicebas, te velle, [a] quæ egissem, benè, ac feliciter evenire. Ego autem, si dignitas est benè de republicâ sentire, & [b] bonis viris probare, quod sentias, obtineo dignitatem meam. sin autem in eo dignitas est, quod sentias, aut re efficere si possis, aut denique liberâ oratione defendere: ne vestigium quidem ullum est reliquum nobis dignitatis: agiturque præclarè, si nosmetipsos regere possumus, ut ea, quæ partim jam adsunt, partim impendent, moderatè feramus: quod est difficile [3] in ejusmodi bello, cujus exitus [c] ex alterâ parte cædem ostentat, [d] ex alterâ servitutem. Quo in periculo non nihil me consolatur, cùm recordor, hæc me tùm vidisse, cùm [e] secundas etiam res nostras, non modò adversas, pertimescebam; videbamque, quanto periculo [f] de jure publico disceptaretur armis: quibus si [g] ii vicissent, ad quos ego, pacis spe, non belli cupiditate adductus, accesseram, intelligebam tamen, & [h] iratorum hominum, & cupidorum, & insolentium quàm crudelis esset futura victoria: sin autem victi essent, quantus interi-

INTERPRETATIO.

[a] *novas nuptias.*
[b] *& efficere, ut, quod sentias, boni viri probent.*
[c] *Pompeianis victoribus.*
[d] *Cæsare superiore.*
[e] *cùm etiam Pompeii victoriam pertimescerem.*
[f] *uter rerum potiretur* Cæsar, an Pompeius. [g] *Pompeiani.*
[h] *Pompeianorum.*

NOTÆ.

1. *Corcyræ*] Epist. 5. lib. 3.
2. *Obtinere*] Profligato ad Pharsalum Pompeio, in Italiam Cicero revertit, ubi à Cæsare, & à Cæsaris amicis humanissimè tractatus est, at pristinam dignitatem non obtinuit.
3. *In ejusmodi bello*] Quod in Africâ Scipio Pompeii socer, & Cato renovarunt.

Digitized by Google

tus esset futurus civium partim [4] amplissimorum, partim etiam optimorum; qui me hæc prædicentem, atque optimè consulentem saluti suæ, malebant nimium timidum, quàm satis prudentem, existimari. [i] Quòd autem mihi de eo, [5] quod egerim, gratularis: te ita velle, certò scio: sed ego [k] tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in rediru meo nihilo meliores res domesticas, quàm rempublicam offendissem. [6] quibus enim pro meis immortalibus beneficiis carissima mea salus, & meæ fortunæ esse debebant: cùm propter eorum scelus, nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidiis vacuum viderem, novarum me necessitudinum fidelitate contra [7] veterum perfidiam muniendum putavi. Sed de nostris rebus satis, vel etiam nimiùm multa. De tuis, velim ut eo sis animo, quo debes esse, id est ut ne quid tibi præcipuè timendum putes. si enim status erit aliquis civitatis, quicunque erit, te omnium periculorum video expertem fore. nam [l] alteros tibi jam placatos esse intelligo, [m] alteros nunquam iratos fuisse. De meâ autem in te voluntate sic velim judices, me, quibuscunque rebus opus esse intelligam, quanquam videam quis sim hoc tempore, & quid possim, operâ tamen & consilio, studio quidem certè rei, famæ, saluti tuæ præsto futurum. Tu velim, & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quamdiligentissimè certiorem. Vale.

INTERPRETATIO.

i *quòd autem novum mihi matrimonium gratularis, certò scio te* sincerè *optare*, ut mihi feliciter eveniat.

k *victi ad Pharsalum Pompeio.*

l *Cæsarianos.*

m *Pompeianos.*

NOTÆ.

4. *Amplissimorum*] Quia Consulares viri, & Magistratus ferè omnes Pompeianis partibus adhæserant.

5. *Quod egerim*] Absente Tullio, ejus bona dissipaverat, minúsque pudicè, ut nonnullis placet, se gesserat Terentia; quapropter illam in reditu dimisit, & alienum æs ab illâ contractum ut solveret, Publiliæ, seu Publiæ virgini ditissimæ nupsit.

6. *Quibus enim*] Hæc de Quinto fratre, ejusque filiâ intelligenda sunt, à quibus apud Cæsarem vehementer accusatus est, quòd ejus consilio ad Pompeii partes transiissent.

7. *Veterum*] Significat uxorem, fratrem, & fratris filium.

EPISTOLA XV.

Hortatur Plancium, ut communes miserias fortiter ferat. Eodem anno.

Cicero s. d. Plancio.

Accepi perbreves tuas literas, quibus id quod scire cupiebam, cognoscere non potui: cognovi autem id, quod mihi dubium non fuit. nam, quàm fortiter ferres communes miserias, non intellexi: quàm me amares, facilè perspexi. sed hoc scieram: illud si sciissem, ad id meas literas accommodassem. Sed tamen etsi anteà scripsi, quæ existimavi scribi oportere:

tamen [a] hoc tempore breviter commonendum putavi, [b] ne quo periculo te proprio existimares esse. in magno omnes, sed tamen [1] in communi sumus. [c] quare non debes aut propriam fortunam, & præcipuam postulare, aut communem recusare. quapropter eo animo simus inter nos, quo semper fuimus: quod de te sperare, de me [d] præstare possum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *prostratâ Republicâ.*
[b] *ne existimares te privato in periculo versari.*
[c] *non debes de fortunâ queri, quasi tibi uni inimica esset.*
[d] *affirmare.*

NOTÆ.

1. *In communi*] Quia Pompeium ambo sequuti erant.

LIBER V.

AD METELLUM, ET ALIOS

EPISTOLA I.

Queritur Metellus Celer, fratrem suum Metellum Nepotem à Ciceronе oppugnatum. D. Iunio Silano, & L. Licinio Marcello Coss. anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo primo.

Q. [1] Metellus Q. F. Celer, [2] Procos. s. d. M. Tullio Ciceroni.

SI vales, bene est. [a] Existimaram pro mutuo inter nos animo, & [3] pro reconciliatâ gratiâ, neque me [4] absentem ludibrio læsum iri, nec [5] Metellum

INTERPRETATIO.

[a] *quia reconciliati sumus ambo, & jam mutuis nos animis amamus, speraveram, neque me absentem à te invidendum esse, neque futurum, ut Metellus frater per te in vitâ & in fortunis oppugnaretur, quia fortè dixis* aliquid quod tibi displicuit.

NOTÆ.

1. *Q. Metellus*] Consule indicem historicum.

2. *Proconsul*] Quamvis Consulatum nondùm gesserat. Vide epistolam primam libri primi.

3. *Pro reconciliatâ gratiâ*] Significat sibi anteà fuisse cum Cicerone simultates, quod tamen in responsione Cicero negat.

4. *Absentem*] Galliam citeriorem administrabat.

5. *Metellum fratrem*] Quintum Metellum Nepotem, eo tempore Tribunum plebis, cujus erat frater non germanus qui-

Digitized by Google

fratrem, [c] ob dictum, capite ac fortunis per te oppugnatum iri. quem [b] si parum pudor ipsius defendebat, vel [7] familiæ debebat nostræ dignitas, vel [8] meum studium erga vos, remque publicam satis sublevare. nunc video illum [c] circumventum, me desertum à quibus minimè conveniebat. Itaque in luctu, & squalore sum, qui provinciæ, qui exercitui præsum, qui bellum gero. quæ quoniam nec ratione, nec majorum nostrorum clementiâ administrastis, non erit mirandum si vos pœnitebit. Te tam mobili in me meosque esse animo, non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cujusquam injuria à republicâ abducet. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *si virtus fratris non potuit hunc præstare tutum ab oppugnatione tuâ, ratio saltem habenda fuit, & familiæ nostræ, quæ nobilissima est; & amoris nostri, qui in te semper, & in Rempublicam summus extitit.*

[c] *oppressum.*

[d] *& quia hac in re majorum meorum clementiam non es imitatus.*

NOTÆ.

dem, sed patruelis tantùm, ut habet Pighius. Vide indicem historicum.

6. *Ob dictum*] Dixit Metellus Nepos coram populo, non licuisse Ciceroni Lentulum, Cethegum, & reliquos cives, indictâ causâ, necare.

7. *Familiæ dignitas*] Magna sanè fuit, cùm longâ annorum serie, Metelli, vel Consulatu, vel dignitate Censoriâ, vel honore triumphali floruerint.

8. *Vel meum studium*] Tempore conjurationis Catilinariæ, cùm Prætor esset.

EPISTOLA II.

Refellit ea quæ Metellus in superiori epistolâ ipsi objecerat. Eodem anno.

M. Cicero s. d. Q. Metello Q. F. Celeri Procos.

SI tu, exercitusque valetis, bene est. Scribis ad me, te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliatâ gratiâ nunquam te à me ludibrio læsum iri. [a] quod cujusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatum, me, in senatu, [b] cùm disputarem, permultos esse, qui rempublicam à me [1] conservatam dolerent, [c] dixisse, à te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse ut ea, quæ statuisses tibi in senatu de meâ laude esse dicenda, reticeres. quod cùm dice-

INTERPRETATIO.

[a] *quid hæc verba sibi velint.*

[b] *cùm affirmarem.*

[c] *suspicor tibi renuntiatum esse, me dixisse in senatu, fratrem tuum, cui hoc denegare non potueras, à te impetrasse, ut taceres ea quæ statueras in senatu de meâ laude dicere.*

NOTÆ.

1. *Conservatam*] Extinctâ conjuratione Catilinariâ.

rem, illud adjunxi: mihi tecum ita [a] [d] dispertitum officium fuisse in reipublicæ salute retinendâ, ut ego urbem à domesticis insidiis & ab intestino scelere, tu Italiam & ab armatis hostibus, & ab occultâ conjuratione defenderes: atque hanc nostram tanti, & tam præclari muneris societatem à tuis propinquis labefactatam: qui, cùm tu à me rebus amplissimis, atque honorificentissimis ornatus esses, timuissent [c] ne qua mihi pars abs te voluntatis mutuæ tribueretur. Hoc in sermone, cùm à me exponeretur, quæ mea expectatio fuisset orationis tuæ, [3] quantoque in errore [f] versatus essem: visa est oratio non injucunda, [g] & mediocris quidam est risus conflatus, non in te, sed magis in errorem meum, & quòd me abs te cupisse laudari, apertè atque ingenuè confitebar. Jam hoc non potest, in te non honorificè esse dictum, me in clarissimis meis, atque amplissimis rebus [h] tamen aliquod testimonium tuæ vocis habere voluisse. Quod autem ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitiâ mutuum, nescio: equidem hoc arbitror, [i] cùm par voluntas accipitur, & redditur. Ego si hoc dicam, me tua causa [4] prætermisisse provinciam, [k] tibi ipse levior videar esse. meæ enim rationes ita tulerunt, atque ejus mei consilii majorem in dies singulos fructum, voluptatemque capio. illud dico, me, ut primùm in concione [l] provinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpisse. Nihil dico [5] de sortitione vestrâ: tantùm te suspicari volo, nihil in eâ re [6] per collegam meum [7] me insciente esse factum.

INTERPRETATIO.

[d] *divisum.*

[e] *ne partem aliquam gloriæ tuæ in me conferres.*

[f] quòd de me tacuisses.

[g] *& mediocriter omnes riserunt, non de te, sed de errore meo.*

[h] *tamen voluisse me tantisper abs te laudari.*

[i] *cùm paribus officiis amici certant*, quod tu non feciſti.

[k] *stultior tibi videbor esse*, dices enim non tuâ causâ id me feciſſe, *sed quia meæ rationes postulabant*, ut Romæ manerem.

[l] *Galliam recusaverim.*

NOTÆ.

2. *Ita dispertitum*] Ubi primùm exarsit Catilinæ conjuratio, Tullius in urbe, ut eam defenderet, remansit. Metellus autem Prætor in agrum Picenum præmissus est, ut Italiam ab armatis hostibus servaret incolumem.

3. *Quantoque in errore versatus essem*] Quæ fecerat in Consulatu Tullius, hæc volebat à primariis civibus ubique celebrari, idque à Metello, contrà quàm sperabat, prætermissum ægrè tulit.

4. *Prætermisisse provinciam*] Consulatu Cicero perfunctus, potuit in Galliam Proconsul discedere; illam tamen Metello volens reliquit.

5. *De sortitione*] Quæ facta est inter Metellum, & alios Prætores ejus collegas. Quid sit sortitio, vide epistolam nonam libri primi.

6. *Per collegam*] Is erat Caius Antonius, Triumviri patruus, cui Macedoniam sibi sorte datam Cicero concessit, quòd esset triumphorum feracior provincia; idque fecit ut collegam ab Catilinâ facilius abductum, ad suas, & Reipublicæ partes alliceret, sibi Galliâ, quæ Antonio obvenerat, reservatâ: sed illam quoque paulò pòst Metello, ut antè dictum est, regendam commisit.

7. *Me insciente*] Significat non suâ mi-

Digitized by Google

Recordare cætera, quàm citò senatum illo die, [8] factâ sortitione, coëgerim: quàm multa de te verba fecerim, cùm tu ipse mihi dixisti, orationem meam non solùm in te honorificam, sed etiam [m 9] in collegas tuos contumeliosam fuisse. Jam illud senatusconsultum quod eo die factum est, [n 10] eâ præscriptione est, ut, dum id extabit, officium meum in te obscurum esse non possit. Postea verò quàm [11] profectus es, velim recordere, quæ ego de te in senatu egerim, quæ in concionibus dixerim, quas ad te literas miserim. Quæ cùm omnia collegeris, tu ipse velim judices, satisne videatur, his omnibus rebus tuus adventus, cùm proximè [12] Romam venisti, mutuo respondisse. Quod scribis de reconciliatâ nostrâ gratiâ: non intelligo cur reconciliatam esse dicas, quæ nunquam immutata est. Quod scribis non oportuisse Metellum, fratrem tuum, [13] ob dictum à me oppugnari: primùm, hoc velim existimes, animum mihi istum tuum vehementer probari, & fraternam plenam humanitatis ac pietatis voluntatem: deinde, si quâ ego in re fratri tuo reipublicæ causâ restiterim, peto ut mihi ignoscas. tam enim sum amicus reipublicæ, quàm qui maximè. si verò meam salutem contra illius impetum in me crudelissimum defenderim: satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuriâ conqueri. quem ego cùm comperissem, omnem sui tribunatûs conatum in meam perniciem parare, atque meditari, egi [14] cum Claudiâ, uxore tuâ, & cum vestrâ sorore [15] Mutiâ (cujus erga me studium, pro Cn. Pompeii necessitudine, multis in rebus perspexeram) ut eum [o] ab illâ injuriâ deterrerent. Atque ille, quod te audisse credo, [p] pridie Kalend. Jan. quâ injuriâ nemo unquam in aliquo magistratu improbissimus civis affectus est, eâ me consulem affecit, cùm rempublicam conservassem, atque abeun-

Interpretatio.

[m] *in alios Prætores.* [n] *tam honorifico titulo.* [o] mihi inferenda. [p] *Ultimo Consulatûs mei die.*

Notæ.

nùs, quàm Antonii operâ factum, ut Galliam Metellus obtineret.

8. *Factâ sortitione*] Quâ Metello, rejectis ejus collegis, Galliæ citerioris administratio delata est.

9. *In collegas tuos*] Metelli, in administratione Galliæ petendâ, competitores.

10. *Eâ præscriptione*] Senatusconsulto, quo decernebatur Metello Gallia, plerique Senatores adnitente Cicerone, scribendo assenserant; quod ipsi Metello gloriosum in primis fuit.

11. *Profectus es*] In agrum nempè Picenum, ubi permansit, donec Catilina cum exercitu profligatus est; neque enim priùs Galliæ procurationem suscepit.

12. *Romam venisti*] Peracto Catilinæ bello, Romam Metellus venit, priùs in Galliam quàm proficisceretur.

13. *Ob dictum*] Consule superiorem epistolam.

14. *Cum Claudiâ*] Libidinibus suis famosa mulier, Clodii soror, & Metellorum consobrina, de quâ fusè Cicero in oratione pro Cœlio.

15. *Cum Mutiâ sorore*] Latè sumitur hîc vocabulum sororis, sicut & antea fratris nomen pro eo, quod est sanguine conjunctum esse; neque enim germana soror Metellorum, sed consobrina tantùm fuit. nupserat autem Pompeio, sed illam dimisit, quia pudicè parùm se gesserat, & ab ipso Cæsare stupratam fuisse non levis erat suspicio.

Digitized by Google

tem magistratu [16] concionis habendæ potestate [17] privavit. cujus injuria mihi tamen honori summo fuit. nam, cùm ille nihil mihi, [18] nisi ut jurarem, permitteret, magnâ voce juravi verissimum, [19] pulcherrimumque jusjurandum: quod populus item magnâ voce, me verè juravisse, juravit. Hac acceptâ tam insigni injuriâ, tamen illo ipso die misi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut ab illâ mente desisteret. quibus ille respondit, sibi non esse integrum. etenim paulò antè in concione dixerat, ei, [20] qui in alios animadvertisset indicta causa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. [21] Hominem gravem, & civem egregium, qui quâ pœnâ senatus, consensu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere, magistratus, ac senatum trucidare, bellum maximum conflare voluissent, eadem dignum judicaret [q] eum, qui curiam cæde, urbem incendiis, Italiam bello liberasset. Itaque ego Metello fratri tuo præsenti restiti. nam in senatu Kal. Jan. sic cum eo de repub. disputavi, ut sentiret sibi cum viro forti, & constanti esse pugnandum. Ad III. Non. Jan. cùm agere cœpisset, tertio quoque verbo orationis suæ me appellabat, mihi minabatur: neque illi quidquam deliberatius fuit, quàm me, quacunque ratione posset, non judicio, neque disceptatione, sed vi, atque [r] impressione evertere. Hujus ego temeritati si virtute, atque animo non restitissem, quis esset, qui me in consulatu non casu, potiùs existimaret, quàm consilio fortem fuisse? Hæc si Metellum cogitare de me nescisti: debes existimare, te maximis de rebus à fratre esse cælatum. sin aliquid impertivit tibi sui consilii: lenis à te, & facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. etsi intelligis, non me dicto Metelli, ut scribis, sed consilio ejus, animoque in me inimicissimo esse commotum. Cognosce nunc humanitatem meam: si humanitas appellanda est in acerbissimâ injuriâ remissio animi, ac dissolutio. Nulla est à me unquam sententia dicta in fratrem tuum. quotiescunque aliquid [22] est actum, [23] sedens iis assensi, [s] qui mihi leniss[i]mè sentire visi sunt. addam illud etiam, quod jam ego curare non debui, sed tamen

INTERPRETATIO.

[q] *Ciceronem.* [r] *impetu.* [s] *qui mitiorem* in fratrem tuum *sententiam tulerunt.*

NOTÆ.

16. *Concionis habendæ*] De rebus in Consulatu gestis.

17. *Privavit*] Pio Tribunitiâ potestate, quam tùm Metellus Nepos habebat.

18. *Nisi ut jurarem*] Consules abeuntes magistratu, jurare coram populo solebant, nihil à se factum in Consulatu, nisi quod Reipublicæ conduceret.

19. *Pulcherrimumque jusjurandum*] Meâ nimirùm unius operâ Rempublicam & urbem salvam permanere.

20. *Qui in alios animadvertisset*] Lentulum, & Cethegum intelligit, jussu Ciceronis, & Senatûs, propter conjurationem in carcere jugulatos.

21. *Hominem gravem*] Ironicè dictum.

22. *Est actum*] Contra Metellum Nepotem, qui ob rem in Tribunatu malè gestam, in judicium vocatus est.

23. *Sedens*] Sedebat ille, qui sententiam suam de re aliquâ paucis dicebat: stabat autem

fieri non moleſtè tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro meâ parte adjuvi, [r] ut s. c. meus inimicus, quia tuus frater erat, ſublevaretur. Quare non ego oppugnavi fratrem tuum, ſed fratri tuo repugnavi: nec in te, ut ſcribis, animo fui mobili, ſed ita ſtabili, ut in meâ erga te voluntate, etiam deſertus ab officiis tuis permanerem. Atque hoc ipſo tempore [24] tibi, penè minitanti nobis per literas, hoc reſcribo atque reſpondeo. Ego dolori tuo non ſolùm ignoſco, ſed ſummam etiam laudem tribuo. [u] meus enim me ſenſus, quanta vis fraterni ſit amoris, admonet. à te peto, ut tu quoque æquum te judicem dolori meo præbeas: ſi acerbè, ſi crudeliter, ſi ſine causâ ſum à tuis oppugnatus, ut ſtatuas mihi non modò non cedendum, ſed etiam tuo, atque exercitûs tui auxilio in ejuſmodi causâ utendum fuiſſe. Ego te mihi ſemper amicum eſſe volui, me ut tibi amiciſſimum eſſe intelligeres, laboravi. maneo in voluntate, & quoad voles tu, permanebo: citiúſque amore tui fratrem tuum odiſſe deſinam, quàm illius odio quidquam de noſtrâ benevolentiâ detrahatur. Vale.

INTERPRETATIO.

[r] *permiſi ut ſenatuſconſultum fieret in gratiam Metelli, quia frater tuus* patruelis *erat, licet inimicus meus.* [u] *ſentio enim per me ipſe.*

NOTÆ.

autem, qui pluribus verbis, quid ſentiret, aperiebat.

24. *Tibi penè minitanti*] Conſule ſuperiorem epiſtolam.

EPISTOLA III.

Scribit, contemni à ſe fratris ſui in Ciceronem obtrectationes, & convicia. Incertus annus.

Q. [1] Metellus Nepos s. D. Ciceroni.

[a] HOMINIS importuniſſimi contumeliæ, quibus me [b] [2] crebris concionibus [3] onerat, tuis erga me officiis leniuntur, &, ut ſunt leves hujuſmodi homines, à me deſpiciuntur: libenterque, commutatâ perſonâ, te [4] mihi fratris loco eſſe duco. de illo ne meminiſſe quidem volo:

INTERPRETATIO.

[a] *Clodii.* [b] *crebris, & contumelioſis in te litteris mihi moleſtus eſt.*

NOTÆ.

1. *Quintus Metellus Nepos*] Conſul fuit anno urbis conditæ 696. & Conſulatu geſto, in Hiſpaniam miſſus eſt, cui per triennium præfuit. Ciceroni fuerat infenſus, ut ſatis apertè declarant duæ ſuperiores epiſtolæ; ſed ipſi poſteà reconciliatus, operam dedit, Clodio licet repugnante, ut ab exilio revocaretur.

2. *Crebris concionibus*] Quæ Romæ quidem habebantur à Clodio; ſed in Hiſpaniam ad Metellum perferebantur.

3. *Me onerat*] Quòd adjutore me de exilio fueris reductus.

4. *Mihi fratris*] Fratrem eo ſenſu Clo-

Digitized by Google

tametsi bis eum [f] invitum servavi. De me, meisque rebus, ne vobis multitudine literarum molestior essem, ad Lollium perscripsi: de rationibus etiam [d] provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret; & commonefaceret. [e] Si poteris, velim pristinam tuam erga me voluntatem conserves. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *Hispania.* [e] *si permittant* fratris injuriæ.

NOTÆ.

dium appellat, quòd sanguine, vel affinitate saltem esset ipsi conjunctus.

f. *Invitum*] Quia pœnæ metu à flagitiis non abstinuit, sed palàm peccavit, & impunè: bis autem in judicium vocatus est. Nota, sequentem epistolam huic præponendam videri.

EPISTOLA IV.

Metelli Nepotis Consulatum gerentis auxilium exul implorat. P. Lentulo & Q. Metello Nepote Coss. anno urbis conditæ sexcentæsimo nonagesimo sexto.

Cicero s. d. Metello Nepoti Cos.

LITERÆ Quinti fratris, & T. [a] Pomponii, necessarii mei, tantùm mihi spei dederant, ut in te non minus auxilii, quàm [b] in tuo collegâ mihi constitutum fuerit. Itaque ad te literas statim misi, per quas, [c] ut fortuna postulabat, & gratias tibi egi, & [d] de reliquo tempore auxilium petii. posteà mihi non tam meorum literæ, quàm sermones eorum, [e] qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant. quæ res fecit, ut tibi literis obstrepere non auderem. Nunc mihi Quintus frater meus, mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsit: [f] quâ inductus, ad te scribere [f] sum coactus: & abs te, quantùm tua fert voluntas, peto, quæsoque, [g] ut tuos mecum serves potiùs, quàm propter arrogantem crudelitatem [h] tuorum me oppugnes. [i] Tu, tuas [k] inimicitias ut reipub. donares, te vicisti, alienas ut contra rempublicam confirmes, adduceris? Quòd si mihi tuâ clementiâ opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tuâ

INTERPRETATIO.

[a] Attici.
[b] *in P. Lentulo.*
[c] *prout conditio* exulis.
[d] *& in futurum tempus.*
[e] *Dyrrachio.*
[f] *quâ inductus sum ut ad te scriberem.*
[g] *ut tuos amicos.*
[h] *Clodiorum.*
[i] *tu te vicisti, ità ut tuas* proprias *inimicitias Reipublicæ gratiâ deponeres; potuisne fieri ut inimicitias Clodii contra Rempublicam defendas.*

NOTÆ.

f. *Sum coactus*] Ut ingrati animi vitium fugerem.

k. *inimicitias*] Quas aliquandiu cum ipso Cicerone acerbissimas gessit.

Digitized by Google

potestate tibi confirmo. [k] sin mihi neque magistratum, neque senatum, neque populum auxiliari propter eam vim, quæ me cum republicâ vicit, licuerit: [l] vide, ne cùm velis revocare tempus omnium conservandorum, cùm qui servetur, [3] non erit, non possis. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *Quòd si Consules, Senatus, populusque auxiliari mihi nequeunt, propter violentiam Clodii, qui me cum Republicâ oppressit.*

[l] *Voles aliquando conservare optimos cives, neque poteris, quia nullus supererit, quem conservare possis.*

NOTÆ.

3. *Non erit*] Indicat, fore ut Clodius, nisi reprimatur ejus furor, idem aggrediatur quod Catilina, & ultimum Reipublicæ, optimisque civibus exitium inferat.

EPISTOLA V.

Caio Antonio in Macedoniâ Proconsuli, ingrati animi vitium objicit, & Titum Pomponium Atticum enixè commendat. D. Iunio Silano, & L. Licinio Murenâ Coss. anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo primo.

Cicero s. d. [1] C. Antonio M. F. [2] Imp. 5

ET si statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendatitias ([a] non quòd eas intelligerem satis apud te valere, sed ne iis, qui me rogarent, aliquid de nostrâ conjunctione imminutum esse ostenderem) tamen cùm T. Pomponius, homo omnium meorum in te studiorum, & officiorum maximè conscius, tui cupidus, nostri amantissimus, ad te proficisceretur, 10 aliquid mihi scribendum putavi: præsertim cùm aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desiderem, mirum memini videri debeat. omnia enim à me [3] in te profecta sunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. pro his rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis. contrà etiam 15 esse [4] aliquid abs te profectum, ex multis audivi: (nam, [b] comperisse me

INTERPRETATIO.

[a] *fore ut apud te valerent.* [b] *certò cognovisse.*

NOTÆ.

1. *C. Antonio*] Marci Antonii Oratoris filius fuit, & Ciceronis in Consulatu collega.

2. *Imperatori*] C. Antonius, victo per Petreium legatum Catilinâ, laureatos fasces in Macedoniam provinciam detulit, & Imperator appellatus est. Dio. lib. 37.

3. *In te profecta sunt*] Primò quidem Macedoniam sorte sibi concessam, Antonio tradiderat. Vide epistolam secundam hujus libri. Eundem pòst in senatu defendit, cùm de eo revocando actum est.

4. *Aliquid abs te profectum*] Unde colligi poterat, Antonium ab Cicerone alie-

Digitized by Google

tametsi bis eum [f] invitum servavi. De me, meisque rebus, ne vobis multitudine literarum molestior essem, ad Lollium perscripsi: de rationibus etiam [d] provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret; & commonefaceret. [e] Si poteris, velim pristinam tuam erga me voluntatem conserves. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *Hispania.* [e] *si permittant* fratris injuriæ.

NOTÆ.

dium appellat, quòd sanguine, vel affinitate saltem esset ipsi conjunctus.

f. *Invitum*] Quia pœnæ metu à flagitiis non abstinuit, sed palàm peccavit, & impunè: bis autem in judicium vocatus est. Nota, sequentem epistolam huic præponendam videri.

EPISTOLA IV.

Metelli Nepotis Consulatum gerentis auxilium exul implorat. P. Lentulo, & Q. Metello Nepote Coss. anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo sexto.

Cicero s. d. Metello Nepoti Cos.

LITERÆ Quinti fratris, & T. [a] Pomponii, necessarii mei, tantùm mihi spei dederant, ut in te non minus auxilii, quàm [b] in tuo collegâ mihi constitutum fuerit. Itaque ad te literas statim misi, per quas, [c] ut fortuna postulabat, & gratias tibi egi, & [d] de reliquo tempore auxilium petii. posteà mihi non tam meorum literæ, quàm sermones eorum, [e] qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant. quæ res fecit, ut tibi literis obstrepere non auderem. Nunc mihi Quintus frater meus, mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsit: [f] quâ inductus, ad te scribere [1] sum coactus: & abs te, quantùm tua fert voluntas, peto, quæsoque, [g] ut tuos mecum serves potiùs, quàm propter arrogantem crudelitatem [h] tuorum me oppugnes. [i] Tu, tuas [2] inimicitias ut reipub. donares, te vicisti, alienas ut contra rempublicam confirmes, adduceris? Quòd si mihi tuâ clementiâ opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tuâ

INTERPRETATIO.

[a] Attici.
[b] *in P. Lentulo.*
[c] *prout conditio* exulis.
[d] *& in futurum tempus.*
[e] *Dyrrachio.*
[f] *quâ inductus sum ut ad te scriberem.*
[g] *ut tuos amicos.*
[h] *Clodiorum.*
[i] *tu te vicisti, ità ut tuas* proprias *inimicitias Reipublicæ gratiâ deponeres; potestne fieri ut inimicitias Clodii contra Rempublicam defendas.*

NOTÆ.

1. *Sum coactus*] Ut ingrati animi vitium fugerem.

2. *inimicitias*] Quas aliquandiu cum ipso Cicerone acerbissimas gessit.

Digitized by Google

potestate tibi confirmo. [k] sin mihi neque magistratum, neque senatum, neque populum auxiliari propter eam vim, quæ me cum republicâ vicit, licuerit: [l] vide, ne cùm velis revocare tempus omnium conservandorum, cùm qui servetur, [3] non erit, non possis. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *Quòd si Consules, Senatus, populusque auxiliari mihi nequeunt, propter violentiam Clodii, qui me cum Republicâ oppressit.*

[l] *Voles aliquando conservare optimos cives, neque poteris, quia nullus supererit, quem conservare possis.*

NOTÆ.

3. *Non erit*] Indicat, fore ut Clodius, nisi reprimatur ejus furor, idem aggrediatur quod Catilina, & ultimum Reipublicæ, optimisque civibus exitium inferat.

EPISTOLA V.

Caio Antonio in Macedoniâ Proconsuli, ingrati animi vitium objicit, & Titum Pomponium Atticum enixè commendat. D. Iunio Silano, & L. Licinio Murenâ Coss. anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo primo.

Cicero s. d. [1] C. Antonio M. F. [2] Imp.

ETSI statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendatitias ([a] non quòd eas intelligerem satis apud te valere, sed ne iis, qui me rogarent, aliquid de nostrâ conjunctione imminutum esse ostenderem) tamen cùm T. Pomponius, homo omnium meorum in te studiorum, & officiorum maximè conscius, tui cupidus, nostri amantissimus, ad te proficisceretur, aliquid mihi scribendum putavi: præsertim cùm aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desiderem, mirum memini videri debeat. omnia enim à me [3] in te profecta sunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. pro his rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis. contrà etiam esse [4] aliquid abs te profectum, ex multis audivi: (nam, [b] comperisse me

INTERPRETATIO.

[a] *fore ut apud te valerent.* [b] *certò cognovisse.*

NOTÆ.

1. *C. Antonio*] Marci Antonii Oratoris filius fuit, & Ciceronis in Consulatu collega.

2. *Imperatori*] C. Antonius, victo per Petreium legatum Catilinâ, laureatos fasces in Macedoniam provinciam detulit, & Imperator appellatus est. Dio, lib. 37.

3. *In te profecta sunt*] Primò quidem Macedoniam sorte sibi concessam, Antonio tradiderat. Vide epistolam secundam hujus libri. Eundem pòst in senatu defendit, cùm de eo revocando actum est.

4. *Aliquid abs te profectum*] Unde colligi poterat, Antonium ab Cicerone alie-

Digitized by Google

non audeo dicere : [c] ne fortè [5] id ipsum verbum ponam, quod abs te aiunt falsò in me solere conferri) sed ea, [d] quæ ad me delata sunt, malo te ex Pomponio, cui non minùs molesta fuerunt, quàm ex meis literis, cognoscere. Meus in te animus quàm singulari officio fuerit, & senatus, & populus Romanus testis est : tu, quàm gratus erga me fueris, ipse existimare potes : quantùm mihi debeas, cæteri existiment. ego, quæ tuâ causâ anteà feci, voluntate sum adductus, posteáque constantiâ : [e] [6] sed reliqua (mihi crede) multò majus meum studium, majoremque gravitatem, & laborem desiderant : [f] quæ ego si non profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustinebo : [g] sin ingrata esse sentiam, non committam, ut tibi ipse [7] insanire videar. ea quæ sint, & cujusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere. Atque ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut quanquam ipsius causâ confido te facturum esse omnia, tamen abs te hoc petam, ut, si quid refidet in te amoris erga me, id omne in Pomponii negotio ostendas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *ne fortè idem tibi objiciam, quod abs, &c.*
[d] de querelis tuis.
[e] *sed reliqua* pericula quæ tibi imminent.
[f] *laborem meum tuâ causâ lubens insumam, modò ut videam beneficii te memorem esse.*
[g] *quòd si intelligo te de meis officiis nihil admodùm laborare.*

NOTÆ.

natum esse.

5. *Id ipsum verbum*] Dictitabat Antonius, certò cognovisse Ciceronis se nullatenùs charum esse.

6. *Sed reliqua*] Prævidebat Cicero fore ut Antonius malè administratâ Macedoniâ, in judicium vocaretur ; & reipsâ triennio pòst, Consulibus Cæsare & Bibulo, accusatus est à M. Cœlio, deinde damnatus, apud Cephalonios quindecim annis exulavit, donec occiso Cæsare, à M. Antonio revocatus, paulò pòst obiit.

7. *Insanire videar*] Quippe dementis est suam ingrato homini operam navare.

EPISTOLA VI.

Significat, suum omne studium adhibuisse, ne Sestio succederetur. De domo à se emptâ nonnihil jocosè subjungit. Eodem anno.

Cicero S. D. P. [1] Sest. L. F. Proc.

CUM ad me Decius [a] librarius venisset, egissetque mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore succederetur : quanquam illum hominem

INTERPRETATIO.

[a] *scriba.*

NOTÆ.

1. *Sestio*] Sic scribendum, non *Sextio*: neque enim ullus ex *Sextiorum* familiâ legitur, qui Quæsturam Macedoniæ gesserit. Pighius. Sestius Antonio in Macedo-

Digitized by Google

frugi, & tibi amicum existimabam, tamen, quòd memoriâ tenebam, cujusmodi ad me literas antè misisses, non satis credidi [b] homini prudenti, tam valdè esse mutatam voluntatem tuam. sed postea quàm & Cornelia tua Terentiam convenit, & ego cum Q. Cornelio locutus sum, adhibui diligentiam, quotiescunque senatus fuit, ut adessem: plurimúmque in eo negotii habui, ut Q. Fusium Tribunum plebis, & cæteros, ad quos tu [a] scripseras, cogerem mihi potiùs credere, quàm tuis literis. omninò res tota in mensem Januarium rejecta erat, sed facilè [3] obtinebatur. Ego, tuâ gratulatione commotus, quòd ad me pridem scripseras, velle te benè evenire, quòd [c] de Crasso domum emissem, emi eam ipsam domum [4] xxxv, aliquantò post tuam gratulationem. Itaque nunc me scito tantum habere æris alieni, [5] ut cupiam conjurare; [6] si quis me recipiat. sed partim [7] odio inducti me excludunt, & apertè vindicem conjurationis oderunt: [8] partim non credunt, & à me insidias metuunt, nec putant ei nummos deesse posse, qui [d] ex obsidione [9] fœneratores exemerit. [10] omninò semissibus magna copia est: ego autem meis rebus gestis hoc sum assecutus, [e] ut [11] bonum nomen existimer. Domum tuam, atque ædificationem omnem perspexi, & vehementer probavi. [12] Antonium, etsi ejus in me officia omnes desiderant, tamen in senatu gravissimè, ac diligentissimè defendi: senatumque vehementer oratione meâ, atque auctoritate commovi. Tu ad me velim literas crebriùs mittas. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *Sestio.* [c] *à Crasso.* [d] *ex gravi periculo.* [e] *ut bona fidei debitor existimer.*

NOTÆ.

nià Proconsuli Quæstor fuit. Proconsul autem hîc appellatur, quemadmodùm Sallustius in epist. 17. lib. 2. quam consule. Fuit acerrimus defensor Tullii, à quo vicissim defensus est, cùm de vi accusaretur.

2. *Scripseras*] Te velle successorem tibi decerni.

3. *Obtinebatur*] Et omnes in hanc faciliè sententiam ibant, ut tibi non succederetur.

4. *xxxv.*] Tricies quinquies, subintellige centena millia sestertiûm, monetæ Gallicæ, *trois cens cinquante mille Francs.*

5. *Ut cupiam conjurare*] Jocus est; ad Catilinam, ejusque socios respicit, qui conjuraverant in patriam, ut æs alienum, quod contraxerant, faciliùs excuterent.

6. *Si quis me recipiat*] In societatem conjurationis.

7. *Odio inducti*] Quia conjuratos oppressi.

8. *Partim non credunt*] Adduci non possunt ut credant deesse mihi pecuniam.

9. *Fœneratores*] Quorum thesauros expilassent Catilinarii, nisi Cicero obstitisset.

10. *Omninò semissibus*] Sensus est: non deest illi nummorum copia, qui usuras semisses velit pendere, id est senos annuos pro centenis, dicimus Gallicè *six pour cent.* Hæc autem civilis & moderata fuit usura.

11. *Bonum nomen*] Nomen significat debitam pecuniam; sed hîc pro debitore ipso sumitur; indicatque Tullius, id se assecutum suis rebus gestis ut existimaretur bonæ fidei debitor, & cui tutò pecuniæ credi possent.

12. *Antonium*] Ciceronis in Consulatu collegam. Vide superiorem epist.

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

Leviter queritur quòd Pompeius, sibi de oppresso Catilinâ, non esset pro rei magnitudine litteris gratulatus. Hanc putat Manutius scriptam esse antè ceteras omnes quæ hoc volumine continentur. Eodem anno.

Cicero s. d. Cn. Pompeio, Cn. F. Magno Imp.

SI tu exercitusque valetis, bene est. Ex literis tuis, quas [a] publicè misisti, cepi unà cum omnibus incredibilem voluptatem. tantam enim [1] spem otii ostendisti, quantam ego semper omnibus te uno fretus pollicebar. sed hoc scito, [2] tuos veteres hostes, novos amicos, vehementer [3] literis perculsos, atque [4] ex magnâ spe deturbatos jacere. Ad me autem literas quas misisti, [b] quanquam exiguam significationem tuæ erga me voluntatis habebant, tamen mihi scito jucundas fuisse. nullâ enim re tam lætari soleo, quàm meorum officiorum [c] conscientiâ, [d] quibus si quando [5] non mutuò respondetur, apud me plus officii residere, facillimè patior. [e] Illud non dubito, quin, si te mea summa erga te studia parum mihi adjunxerunt, respublica nos inter nos conciliatura, conjunctaque sit. ac, ne ignores quid ego in tuis literis desideratim, scribam apertè, sicut & mea natura, & nostra amicitia postulat. [6] Res eas gessi, quarum aliquam in tuis literis, & nostræ necessitudinis, & reipublicæ causâ, gratulationem expectavi: quam ego abs te prætermissam esse arbitror, quòd verebare, [7] ne cujus animum offenderes. sed scito, ea quæ nos pro salute patriæ gessimus, orbis terræ

INTERPRETATIO.

[a] *ad senatum.* [b] *quanquam parùm significabant tuam erga me voluntatem.*

[c] *recordatione.*

[d] *meis officiis si quando amici non respondent*, haud multùm laboro; *nam facillimè patior me officiosiorem illis esse.*

[e] *si mea erga te studia te mihi parùm conciliarunt, non dubito quin Respublica, &c.*

NOTÆ.

1. *Spem otii*] Ab externis scilicet bellis, Mithridate devicto, quo diuturniorem hostem Respublica Romana neque potentiorem habuit; quapropter Romani ejus auditâ morte, quasi uti in uno, innumeri fuissent extincti hostes, summo cum plausu dies festos egerunt.

2. *Tuos veteres hostes*] Crassum fortè, & Lucullum, qui licet apertas cum Pompeio simultates non agerent, ejus tamen laude multùm dolebant, Lucullus in primis, cui Mithridatici belli gloriam Pompeius præripuerat.

3. *Litteris*] Quas Pompeius ad Senatum populumque Romanum de rebus à se præclarè gestis miserat.

4. *Ex magnâ spe*] Quam habebant, si Pompeius cladem accepisset.

5. *Non mutuò respondetur*] Obiter, & tacitè Pompeio ingrati animi vitium exprobrat, & certè non pauca fuerunt Ciceronis in illum officia, in primis operam dederat ut Mithridaticum ei bellum, revocato Lucullo, deferretur. Plutarchus in utriusque vitâ.

6. *Res eas gessi*] Quo tempore Mithridatico bello finem imposuit Pompeius, eodem Tullius Romæ Consul Catilinæ conjurationem extinxit.

7. *Ne cujus*] Cæsarem fortè & Crassum

Digitized by Google

judicio, ac testimonio comprobari. quæ, cùm veneris, tanto consilio, tantâque animi magnitudine à me gesta esse cognosces, [f] ut tibi, multò majori, [g] quàm Africanus fuit, me, non multò minorem [9] quàm Lælium, facilè & in republicâ, & in amicitiâ adjunctum esse patiare. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *tu, qui* rerum bellicarum *gloriâ Africanum superas, me in* administratione reipublicæ, *non minorem Lælio, libenter amicum accipies, & in republicâ administrandâ socium.*

NOTÆ.

significat, quos multi, nec levi conjecturâ suspicati sunt Catilinariæ conjurationis fuisse participes.

8. *Quàm Africanus*] P. Cornelius Africanus Scipio, P. Cornelii in Hispaniâ cæsi filius, qui, sæpè devictis in Hispaniâ Carthaginensibus, bellum tandem in Africam transtulit, ubi Pœnis iterùm cum Annibale profligatis, Africani nomen est adeptus, quod suis deinde posteris hæreditarium reliquit.

9. *Quàm Lælium*] Nemo quisquam, opinor, dici non audivit, quanta esset Lælii cum Scipione amicitiæ necessitudo. Cum Lælio Tullius se comparat, quia negotium suum in opprimendâ conjuratione, urbanum magis & domesticum fuit, quàm bellicum & militare; Lælii autem gloria domi magis quàm militiæ claruit.

EPISTOLA VIII.

Scribit Crasso, in Syriâ tunc agenti, quàm strenuè causam ejus, & dignitatem in senatu defenderit, omniaque pollicetur, quæ ad illius commodum & amplitudinem pertinere intelliget. L. Domitio Ænobarbo, & Appio Pulchro Coss. anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo nono.

Cicero S. D. M. [1] Licinio P. F. Crasso.

QUANTUM meum studium extiterit dignitatis tuæ vel tuendæ, vel etiam augendæ, non dubito, quin ad te omnes tui perscripserint. non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut ejusmodi, quod silentio posset præteriri. Nam & [2] cum consulibus, & cum multis consularibus tantâ contentione decertavi, quantâ nunquàm antèa ullâ in causâ: [a] suscepique mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis: [b] veterique nostræ

INTERPRETATIO.

[a] *& apud me statui tuam perpetuò dignitatem propugnare.*

[b] *& abundè reddidi officium, jamdiù quidem debitum veteri nostræ necessitudini; sed temporum varietate interruptum.*

NOTÆ.

1. *M. Licinio Crasso*] Mirum quamobrem in inscriptione omissa sit vox illa, *Proconsuli* siquidem Crassus ex Consulatu in Syriam Proconsul abiit.

2. *Cum Consulibus*] Qui fortasse contendebant, ut Crassus revocaretur, quòd

necessitudini jam diù debitum, sed multâ [3] varietate temporum interruptum officium cumulatè reddidi. Neque mehercule unquam mihi tui aut colendi, aut ornandi voluntas defuit: sed quædam pestes hominum, laude alienâ dolentium, & te nonnunquam à me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. sed extitit tempus optatum mihi magis, quàm speratum, ut, florentissimis tuis rebus, mea perspici posset & memoria nostræ voluntatis, & amicitiæ fides. Sum enim consecutus, non modò ut domus tua tota, sed ut cuncta civitas me tibi amicissimum esse cognosceret, itaque & præstantissima omnium fœminarum uxor tua, & eximiâ pietate, virtute, gratia tui [c] Crassi meis consiliis, monitis, studiis, actionibusque nituntur: & senatus, populusque Romanus intelligit, tibi absenti nihil esse tam promptum, aut tam paratum, quàm in omnibus rebus, quæ ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam. Quæ sint acta, quæque agantur, domesticorum tibi literis declarari puto. De me sic existimes, aç tibi persuadeas vehementer velim, non me repentinâ aliquâ voluntate, aut fortuitò ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam, incidisse, [d] sed, ut primùm forum attigerim, spectasse semper ut tibi possem quàm maximè esse conjunctus. quo quidem ex tempore, memoriâ teneo, neque meam tibi observantiam, neque mihi tuam summam benevolentiam, ac liberalitatem defuisse. [e] si qua interciderunt, non tam re, quàm suspicione violatâ, ea cùm fuerint & falsa, & inania, sint evulsa ex omni memoriâ, vitâque nostrâ. is enim tu vir es, & eum me esse cupio, ut, quoniam in eadem reipublicæ tempora incidimus, conjunctionem, amicitiamque nostram utrique nostrûm laudi semper fore. Quamobrem [f] tu quantùm tuo judicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse, &, ut spero, statues ex nostrâ dignitate; ego verò tibi profiteor, atque polliceor eximium, & singulare meum studium in omni genere officii, quod ad honestatem, & gloriam tuam spectet. in quo, etiam si multi mecum contendent, tamen, cum reliquis omnibus, tùm [g] Crassis tuis judicibus, omnes facilè superabo: quos quidem ego ambos unicè diligo, [h] sed in Marco benevolentiâ impari: hoc magis sum [4] Publio deditus, quòd me quanquam à pueritiâ suâ semper,

INTERPRETATIO.

[c] *liberi tui.* [d] *sed ex quo forenses causas agere cœpi.*

[e] *si nonnulla intervenerunt discordiæ semina, quæ non tàm re* amicitiam *violarunt, quàm violare visa sunt.*

[f] *ipse per te judicabis quantùm mihi tribuere debeas.* [g] *liberis tuis.*

[h] *Marcum tamen minùs diligo.*

NOTÆ.

in provinciam inauspicatò, & contra Tribuni plebis diras & execrationes discessisset.

3. *Varietate temporum*] Venerat Crassus, ut scriptum anteà, in suspicionem Catilinariæ conjurationis, quâ potissimùm de causâ simultates cum illo Tullius gesserat, sic tamen posteà reconciliati sunt ambo, ut propè Ciceronis è foribus & mensâ in Syriam provinciam Crassus abierit. Vide epistolam nonam libri primi.

4. *Publio*] Cujus in primis operâ, facta fuerat Crassum inter & Ciceronem reconciliatio, in bello Parthico periit, adolescens omni laudum genere cumulatus.

I. P.

Digitized by Google

tamen hoc tempore maximè, sicut alterum parentem, & observat, & diligit. Has literas velim existimes fœderis habituras esse vim, non epistolæ, meque ea quæ tibi promitto, ac recipio, sanctissimè esse observaturum, diligentissiméque facturum. Quæ à me suscepta defensio est, te absente, dignitatis tuæ, in eâ jam ego non solùm amicitiæ nostræ, sed etiam constantiæ meæ causâ permanebo. Quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum, hoc ad te scribere, me, si quid ipse intelligerem aut ad voluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, meâ sponte id esse facturum: sin quippiam aut à te essem admonitus, aut à tuis, effecturum ut intelligeres, nihil neque te scripsisse, neque quenquam tuorum frustrà ad me detulisse. Quamobrem velim ita & ipse ad me scribas de omnibus minimis, maximis, mediocribusque rebus, ut ad hominem amicissimum: & tuis præcipias, ut operâ, consilio, auctoritate, gratiâ meâ sic utantur in omnibus publicis, privatis, forensibus, domesticis tuis, amicorum, hospitum, clientum tuorum negotiis, ut, quoad ejus fieri possit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur. Vale.

EPISTOLA IX.

Vatinius ex Consulatu, à Cæsare Dictatore in Illyricum missus, sua negotia Ciceroni commendat. Cæsare quartùm Consule sine collega, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

P. [1] Vatinius [2] Imp. s. D. Ciceroni suo.

SI vales, bene est: ego valeo. Si tuam consuetudinem [a] in patrociniis tuendis servas, P. Vatinius cliens ad te venit, qui pro se causam dicier vult. non, puto, repudiabis [b] in honore, quem [3] in periculo recepisti. ego autem [c] quem potiùs adoptem, aut invocem, quàm illum, quo defendente vincere didici? an verear, ne, qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit pro meâ salute, is pro honore meo, pusillorum, ac malevolorum obtrectationes, & invidias non prosternat, atque obterat? Quare, si me, sicut soles, amas, suscipe me totum, atque hoc quidquid est oneris, ac muneris, pro meâ dignitate tibi tuendum, ac sustinendum puta. Scis

INTERPRETATIO.

[a] *in amicis defendendis.* [b] *in supplicatione* à Senatu impetrandâ. [c] *quem potiùs eligam patronum?*

NOTÆ.

1. *P. Vatinius*] Homo profligatissimus, in quem sic invectus est Cicero, ut patefactis ejus flagitiis, in summum populi Romani odium adduxerit: hinc factum est ut in proverbii loco, *odium Vatinianum*, pro capitali odio acciperetur. Deinde tamen, rogatu Cæsaris, eundem Vatinium de ambitu accusatum Tullius defendit. Vide ep. 9. lib. 1.

2. *Imperator*] Ab exercitu appellatus, ob res benè in Illyrico gestas.

3. *In periculo*] Quando accusatus, &

Digitized by Google

meam fortunam nescio [d] quo modo facilè obtrectatores invenire, [e] non meo quidem mehercule merito: [f] sed quanti id refert, si tamen [4] fato nescio quo accidit? si quis fortè fuerit, qui nostræ dignitati obesse velit, peto à te, ut tuam consuetudinem, & [g] liberalitatem in me absente defendendo mihi præstes. [h] Literas ad senatum nostris de rebus gestis quo exemplo miseram, infrà tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus [i] servus [k] anagnostes fugitivus cum [5] Vardæis esse: de quo tu mihi nihil mandasti: ego tamen, terrâ marique ut conquireretur, præmandavi: & profectò tibi illum reperiam, nisi si [6] in Dalmatiam aufugerit: & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. Ad v. Id. Quint. ex castris, [7] Narona.

INTERPRETATIO.

[d] *quo fato.* [e] *non meâ culpâ.* [f] *sed nihil refert.* [g] *benignitatem.* [h] *litteras tibi scripsi* | *iisdem verbis, quibus ad senatum miseram.* [i] *Dyonisius.* [k] *Lector.*

NOTÆ.

defendente Cicerone absolutus est.

4. *Fato nescio quo accidit*] Ut malevoli quidam homines laudi meæ invideant.

5. *Cum Vardæis esse*] Dalmatiæ sunt populi, quos Plinius Italiæ populatores vocat.

6. *In Dalmatiam*] Pars est Illyrici; quam Augustus Romano Imperio subjecit.

7. *Narona*] Urbs Dalmatiæ in ora sinus cognominis, qui pars est sinus Adriatici *Golpho di Narenza.*

EPISTOLA X.

Scribit de Dionysio Ciceronis servo, de Catilio Piratâ, de rebus à se in Dalmatia gestis, pro quibus supplicationes sibi decerni postulat. Eodem anno, Iulio Cæsare quartùm Consule sine collega.

Vatinius Imperator s. d. Ciceroni.

SI vales, bene est: ego quidem valeo. [1] De Dionysio tuo adhuc nihil [a] extricò, & eo minùs, quòd me frigus Dalmaticum, quod [b] illinc ejecit, [c] etiam hîc refrigeravit. sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam. Sed tamen omnia mihi [d] dura imperas. [2] [e] de Catilio nescio quid ad

INTERPRETATIO.

[a] *Nihil certi comperio.* [b] *ex Dalmatiâ.* [c] *etiam hîc*, ubi nunc sum, *negligentiorem me fecit.* | [d] *factu difficilia.* [e] *nescio quid à me vehementer flagitas ingratum Catilio.*

NOTÆ.

1. *Dionysio*] Vide superiorem epistolam.

2. *De Catilio*] Dalmatiæ Piratâ; quem bello ceperat Vatinius.

Digitized by Google

me ſcripſiſti deprecationis diligentiſſimæ. [3] apage te cum noſtro Sext. Servilio : nam mehercule ego [f] illum quoque amo. [g] ſed hujuſcemodi vos clientes, hujuſmodi cauſas recipitis? hominem unum omnium crudeliſſimum, [h] qui tot ingenuos, matresfamilias, cives Rom. occidit, arripuit, diſperdidit, regiones vaſtavit? [i] ſimius, [k] non ſemiſſis homo contra me arma tulit, & eum bello cepi. Sed tamen, mi Cicero, quid facere poſſum? omnia mehercule cupio, quæ tu mihi imperas. meam animadverſionem, & ſupplicium, quo uſurus eram in eum, quem cepiſſem, remitto tibi, & condono. quid illis reſpondere poſſum, qui ſua bona direpta, naves expugnatas, fratres, liberos, parentes occiſos, [l] actione expoſtulant? ſi mehercule Appii [m] os haberem, [4] in cujus [5] locum ſuffectus ſum, tamen hoc ſuſtinere non poſſem. Quid ergo eſt? faciam omnia ſedulò, quæ te ſciam velle. [n] defenditur à Q. Voluſio, tuo diſcipulo. ſi fortè ea res poterit [o] adverſarios fugare, [p] in eo maxima ſpes eſt. Nos, ſi quid erit [q] iſtic opus, defendes. [6] Cæſar adhuc mihi injuriam facit : de meis ſupplicationibus, & rebus geſtis Dalmaticis adhuc non refert : quaſi verò non [7] juſtiſſimi triumphi in Dalmatiâ res geſſerim. nam ſi hoc expectandum ſit, dum totum bellum conficiam : viginti oppida ſunt Dalmatiæ, antiqua : quæ [r] ipſi ſibi adſciverunt, ampliùs ſexaginta. hæc niſi omnia expugno, ſi mihi ſupplicationes non decernuntur, longè aliâ conditione ego ſum, ac cæteri Imperatores.

EGO, [8] poſt ſupplicationes mihi decretas, in Dalmatiam profectus ſum, ſex oppida vi oppugnando cepi : [9] unum hoc, quod erat maximum, quater à me jam captum : quatuor enim turres, & quatuor muros cepi, & arcem eorum totam : ex quâ me nives, frigora, imbres detruſerunt : indignéque, mi Cicero, oppidum captum, & bellum jam confectum relinquere ſum

INTERPRETATIO.

[f] *Servilium.*
[g] *qui fieri poteſt, ut tam ſceleratos clientes*, qualis eſt Catilius, *& hujuſmodi cauſas defendatis?*
[h] *qui tot nobiles viros, tot honoratas fœminas.*
[i] *homo ſordidus.*
[k] *minimi pretii.* [l] *lege.*
[m] *impudentiam.*
[n] *defenditur Catilius.*
[o] *accuſatores.*
[p] *ſpero fore ut abſolvatur.*
[q] *Romæ.*
[r] *ad ſuas partes attraxerunt.*

NOTÆ.

3. *Apage*] Vox abigentis & faſtidientis aliquid : fingit autem ſe procul rejicere Ciceronis & Servilii pro Catilio deprecationem.

4. *In cujus*] Jampridem apud Euboïcum ſinum Appius obierat.

5. *Locum*] In Auguratu, ut multi conjiciunt.

6. *Cæſar*] Qui Romam ex Hiſpaniâ redierat, devictis Pompeii liberis.

7. *Juſtiſſimi*] Ob numerum cæſorum hoſtium.

8. *Poſt ſupplicationes*] Scriptâ, nec dùm miſsâ epiſtolâ, certior factus eſt de ſupplicationibus ſibi decretis.

9. *Unum hoc quod*] Unum oppidum quod frigore coactus reliquit.

Digitized by Google

coactus. Quare te rogo, si opus erit, ad Cæsarem [10] meam causam agas; meque tibi in omnes partes defendendum putes: hoc existimans, neminem te tui amantiorem habere. Vale. Nonis Dec. Narona.

NOTÆ.

10. *Meam causam*] De triumpho impetrando.

EPISTOLA XI.

Vatinio grati animi laudem tribuit, suumque studium pollicetur; sub finem de Dionysio servo fugitivo rogat, & Dalmatis malè precatur. Eodem anno, aut proximè sequenti.

Cicero s. d. Vatinio Imperatori.

GRATA tibi esse officia mea, non miror. cognovi enim te gratissimum omnium, idque nunquam desiti prædicare. nec enim tu mihi [1] gratiam modò habuisti, verum etiam cumulatissimè retulisti. quamobrem reliquis tuis rebus omnibus pari me studio erga te, & eadem voluntate cognosces. Quòd mihi fœminam primariam Pompeiam, uxorem tuam, commendas: [2] cum Sura nostro statim, tuis literis lectis, locutus sum, ut ei meis verbis diceret, [a] ut quidquid opus esset, mihi denuntiaret, me omnia quæ ea vellet, summo studio, curâque facturum: itaque faciam, eamque si opus esse videbitur, ipse conveniam. Tu tamen ei velim scribas, ut nullam rem neque tam magnam, neque tam parvam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parùm me digna videatur. omnia quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi, & honesta videbuntur. De Dionysio, si me amas, [b] confice: [c] quamcunque ei fidem dederis, præstabo: [d] si verò improbus fuerit, ut est, duces eum captivum [3] in triumpho. Dalmatis dii malè faciant, [e] qui tibi molesti sunt. sed, ut scribis, brevi capientur, & illustrabunt res tuas gestas. semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ut significaret mihi quæcumque in re operâ meâ indigeret.*

[b] *perfice* quod mihi de Dionysio promisisti.

[c] *quidquid ei* meo nomine de impunitate *promiseris, servabo.*

[d] *quòd si noluerit ad te ultrò reverti, ut nolle intelligo.* [e] *qui tibi nimis acriter resistunt.*

NOTÆ.

1. *Gratiam habuisti*] Quòd te & defenderim, & laudarim. Vide epist. 9.

2. *Cum Sura*] Cognomen aut libertí, aut civis etiam ingenui.

3. *In triumpho*] Triumphavit Vatinius post necem Cæsaris, oppressâ rursùs ab Octaviano Republicâ.

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

Lucceium historiarum scriptorem rogat, ut res à se in Consulatu gestas & statim, & separato volumine describat. Hanc epistolam valdè bellam vocat ipse Cicero. Lentulo Marcellino, & L. Marcio Philippo Coss. anno urbis condita sexcentesimo nonagesimo septimo.

Cicero s. d. L.* Lucceio Q. F.

CORAM me tecum eadem hæc agere sæpè conantem deterruit pudor quidam penè [a] subrusticus: quæ nunc expromam absens audaciùs. epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis. quod etsi mihi sæpè ostendis te esse facturum: tamen ignoscas velim huic festinationi meæ. genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper à me vehementer expectatum, tamen vicit opinionem meam, meque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quàm celerrimè res nostras monumentis commendari tuis. [b] Non enim me solùm commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate testimonii tui, vel indicio benevolentiæ, vel suavitate ingenii vivi perfruamur. Neque tamen, hæc cùm scribebam, eram nescius, [c] quantis oneribus premerere susceptarum rerum, & jam institutarum. sed quia videbam [1] Italici belli, & [2] civilis historiam jam penè à te esse perfectam, dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri, deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, conjuncténe malles cum cæteris rebus [d] nostra contexere, an ut multi Græci fecerunt, [3] Callisthenes Troicum bellum, [4] Timæus

INTERPRETATIO.

[a] *ineptus.* [b] *neque enim solùm rapior ardore nominis mei posteris commendandi; sed cupio vivus perfrui authoritate testimonii tui.*

[c] *quantas res & susceperas, & jam inceperas.*

[d] *historiam conjurationis Catilinariæ.*

NOTÆ.

* *Lucceio*] Consule indicem historicum.

1. *Italici belli*] Seu socialis, quod Romanis intulerunt quidam Italiæ populi, ægrè ferentes, civitatis jure se esse privatos, ancipiti diù fortunâ pugnatum; Romani tandem vicerunt.

2. *Civilis*] Quod à Mario simul & Syllâ excitatum, Rempublicam tantùm non oppressit.

3. *Callisthenes*] Patriâ Olynthius, Aristotelis discipulus, & affinis, Alexandrum Magnum bello Persico comitatus est, ejusque præclarè gesta litteris mandavit: ab eo tamen interfectus, vel quia more Persico, divino cultu venerandum non censuerit; vel quòd in eum conjurasse putaretur: vir summâ dicendi & facultate, & libertate præditus.

4. *Timæus*] Historicus, genere Siculus. Ejus doctrinam laudat Cicero lib. 1. de Oratore; sed eundem arrogantiæ Plutarchus insimulat, quòd historiam scripturum se gloriaretur, quâ facilè Thucydidem superaret. Fuit & alter Timæus Locrensis, cujus nomine Plato librum inscripsit.

Digitized by Google

5 Pyrrhi, 6 Polybius 7 Numantinum, qui omnes à perpetuis suis historiis ea, quæ dixi, bella separaverunt, tu quoque item civilem conjurationem ab hostilibus, externisque bellis sejungeres. Equidem ad nostram laudem non multùm video interesse, sed ad properationem meam quiddam interest, non te expectare, dum ad locum venias, [e] at statim causam illam totam, & tempus arripere. Et simul, si uno in argumento, unâque in personâ mens tua tota versabitur, cerno jam animo, quantò omnia uberiora, atque ornatiora futura sint. Neque tamen ignoro, quàm impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneris imponam, (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, postulem. quid, si illa tibi non tantoperè videntur ornanda? sed tamen, QUI SEMEL verecundiæ fines transierit, eum [f] benè, & naviter oportet esse impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea vehementiùs etiam, quàm fortasse sentis, & in eo leges historiæ negligas, [g] gratiamque illam, de quâ suavissimè quodam in procemio scripsisti, à quâ te affici non magis potuisse demonstras, quàm [h] Herculem [h] ? Xenophonteum illum à voluptate, ea si me tibi vehementiùs commendabit, ne aspernere, amorique nostro pluscul[um] etiam, quàm concedit veritas, largiare. Quòd si te adducemus, ut hoc suscipias, erit (ut mihi persuadeo) materies digna facultate, & copiâ tuâ. A principio enim conjurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam [i] corpus confici posse. In quo & illa poteris uti civilium commutationum scientia, vel in explicandis causis rerum novarum, vel in remediis incommodorum, cùm & reprehendes ea quæ vituperanda duces, &, quæ placebunt, exponendis rationibus comprobabis: &, si liberiùs,

INTERPRETATIO.

[e] *at statim narrationem hujus conjurationis aggredi.* [f] *valdè, & audacter.*

[g] *& noli in gratiam veritatis spernere tuam illam in me benevolentiam, si me tibi commendatiorem illa facit, quanquam demonstras*, hac benevolentiâ *te non magis commoveri, quàm, &c.*

[h] *de quo Xenophon scribit.* [i] *volumen.*

NOTÆ.

5. *Pyrrhi*] Epirotarum Regis, qui genere materno, ab Achille; paterno autem, ab Hercule oriundum se jactitabat: eventu diverso contra Romanos bellum gessit. Vide Plutarchum in ejus vitâ.

6. *Polybius*] Megalopoli in Peloponneso natus, Africani minoris comes, & præceptor, Romanam historiam libris quadraginta complexus est. eum tanti faciebat Brutus, ut in rebus adversis, ab ejus lectione, doloris medicinam peteret.

7. *Numantinum*] Numantia Hispaniæ Tarraconensis civitas, à Romanis, post obsidionem viginti annorum, prorsùs excisa. Nunc *Puente Garay*.

8. *Herculem Xenophonteum*] Xenophon narrat, Herculem, cùm adhuc pubesceret, necdùm statuisset apud se quodnam vitæ sequeretur genus, in solitudinem exiisse, ibique sedentem hæsisse incertum, cùm duas cerneret vias; voluptatis unam, alteram virtutis, utram ingredi melius esset.

9. *Xenophonteum*] Xenophon, non historiarum duntaxat scriptor egregius, sed actor rerum, maximéque bellicarum fuit: navavit enim duobus Regibus, primùm Cyro minori, deinde Agesilao præclaram in aciis

Digitized by Google

ut consuesti, agendum putabis, [10] multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. multam etiam casus nostri tibi varietatem in scribendo supppeditabunt, plenam cujusdam voluptatis, quæ vehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. NIHIL est enim aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum varietates, fortunæque vicissitudines: quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ. HABET enim præteriti doloris secura recordatio delectationem: cæteris verò, nulla perfunctis propria molestia, casus alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda. Quem enim nostrûm ille moriens [11] apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tùm denique sibi avelli jubet spiculum, posteaquàm ei percunctanti dictum est, clypeum esse [k] salvum: ut etiam in vulneris dolore, æquo animo cum laude moreretur. Cujus studium in legendo non erectum [12] Themistoclis fugâ, [13] redituque retineretur? [l] etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enumeratione fastorum: at viri sæpè excellentis ancipites, variique casus habent admirationem, expectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem: si verò exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissimæ lectionis voluptate. [m] quod mihi acciderit optatius, si in hac sententiâ fueris, ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas [14] hanc quasi fabu-

INTERPRETATIO.

[k] *in hostium manus non devenisse.*

[l] *nam simplex narratio rerum non multò plus nos movet, quàm nuda fastorum enumeratio.*

[m] *quod mihi jucundius erit, si volueris ab serie tuorum scriptorum hanc nostram peculiarem de Catilinæ conjuratione historiam secernere*, ut separatim hanc describas.

NOTÆ.

operam; & ipse quoque Imperator administravit bellum ductu suo. ob suavitatem sermonis, dictus est *Apis Attica.*

10. *Multorum perfidiam*] Pompeii potissimùm, qui Clodio ut faveret, Ciceronem prodidit, & in exilium ejici passus est.

11. *Apud Mantineam*] Arcadiæ in Peloponneso urbem, Epaminondæ Thebani & victoriâ & morte nobilitatam. Hic vicit Lacedæmonios; sed lethali accepto vulnere, paulò pòst interiit. Vir non militari tantùm gloriâ, sed integritate vitæ, & doctrinæ laude inclitus, & eò usque veritatis amans, ut ne joco quidem mentiretur.

12. *Themistoclis*] Ducis Athenienſium clarissimi, cujus in primis operâ, ad Salaminam navali prælio Persæ devicti sunt, Xerxesque turpi fugâ saluti consulere coactus: sed ob nimiam & gloriam & severitatem, aut potiùs ob suspicionem proditionis, urbe pulsus, ad Artaxercem Persarum Regem confugit; à quo exceptus honorificè, Græcis, quos Rex secum habebat, præpositus est Imperator; sed aliquantò pòst, epoto sanguine Taurino, ut nonnullis placet, mortem occubuit, ne bellum patriæ inferre cogeretur.

13. *Redituque*] Quoniam planè constat omnium fermè historiarum testimonio, Athenas nunquam rediisse Themistoclem, nonnulli putant pro *redi·u*, legendum esse *interitu*; vel certè Tullium iis annalibus habuisse fidem, qui Plutarchi, & aliorum in cognitionem non venerunt, aut quibus credendum non censuerunt.

14. *Hanc quasi fabulam*] Fabulam vo-

Digitized by Google

lam rerum, eventorumque noſtrorum. habet enim varios actus, [15] multaſ-
que actiones & conſiliorum, & temporum. Ac non vereor, ne aſſentatiun-
culâ quâdam aucupari tuam gratiam videar, cùm hoc demonſtrem, me à te
potiſſimùm ornari, celebrarique velle. neque enim tu is es, qui, quid ſis,
neſcias, & qui non eos magis, qui te non admirentur, invidos, quàm eos,
qui laudent, aſſentatores arbitrêre. Neque autem ego ſum ita demens, ut me
ſempiternæ gloriæ per eum commendari velim, qui non ipſe quoque in me
commendando propriam ingenii gloriam conſequatur. [n] Neque enim Ale-
xander ille gratiæ causâ [16] ab Apelle potiſſimùm pingi, & à Lyſippo fingi
volebat, ſed quòd illorum artem cùm ipſis, tùm etiam ſibi gloriæ fore
putabat. [o] atque illi artifices, corporis ſimulacra ignotis nota faciebant: quæ
vel ſi nulla ſint, nihilo ſunt tamen obſcuriores clari viri. Nec minus enim
eſt [17] Spartiates [18] Ageſilaus ille [p] perhibendus, qui neque pictam, neque
fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quàm qui in eo genere laborarunt.
unus enim Xenophontis libellus in eo Rege laudando facilè omnes imagi-
nes omnium, ſtatuaſque ſuperavit. Atque hoc præſtantius mihi fuerit & ad
lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, [q] ſi in tua ſcripta pervenero,
quàm ſi in cæterorum, [r] quòd non ingenium mihi ſolùm ſuppeditatum
fuerit tuum, ſicut [19] Timoleonti à Timæo, aut [20] ab Herodoto Themiſto-
cli, ſed etiam auctoritas clariſſimi & ſpectatiſſimi viri, & in reipublicæ ma-

INTERPRETATIO.

[n] *neque enim volebat Alexander ab Apelle pingi, & fingi à Lyſippo, tantùm ut illis gratificaretur.*

[o] *Apelles & Lyſippus externam ſolàm corporis imaginem exprimebant, quæ etſi nulla eſſet, eandem tamen gloriam adepti eſſent clari viri.* [p] *laudandus.*

[q] *ſi tua potiùs quàm cæterorum ſcripta me celebraverint.*

[r] *quia non ſolùm illuſtrabis me ingenio tuo,* cùm ſis ſcriptor optimus, *ſicut Timæus Timoleontem, & Themiſtoclem Herodotus illuſtravit, ſed etiam authoritate tuâ, cùm ſis vir clariſſimus, &c.*

NOTÆ.

cat, non eo ſenſu, quòd res fictas, ſed quòd varios, inſtar fabulæ, eventus contineret.

15. *Multaſque actiones*] Quarum aliæ conſiliis hominum, aliæ tempori potiùs quàm conſilio tribui debent.

16. *Ab Apelle*] Apelles Coüs fuit, Lyſippus Sicyonius; ille pingendi, hic fingendi arte clariſſimus. De utroque Horatius, epiſt. 2. l. 2.

17. *Spartiates*] Sparta, quæ & Lacedæmon, clariſſima Peloponneſi civitas, optimis à Lycurgo inſtituta legibus, & laboris uſque ad prodigium patiens.

18. *Ageſilaus*] Lacedæmoniorum Rex, ſtaturâ quidem parvâ, altero claudus pede; ſed ob egregias animi dotes, & re, & cognomento magnus. Conſule Plutarchum in ejus vitâ.

19. *Timoleonti*] Corinthius fuit, bellicâ vir laude, & admirabili abſtinentiâ inclytus; qui miſſus Syracuſas contra Dionyſium Tyrannum, hunc ad deditionem compulit, & Syracuſanis libertatem reſtituit.

20. *Ab Herodoto*] Halicarnaſſi natus eſt; informem antè hiſtoriam primus ornavit; ejus idcircò parens dictus, temporum omnium memoriam uſque ad navalem apud Mycalem pugnam, libris novem complexus eſt, & ſingulos ſingularum Muſarum nomine inſcripſit.

21. *In*

Digitized by Google

ximis, graviſſimiſque cauſis cogniti, atque in primis probati, [s] ut mihi non ſolùm præconium, quod cùm [21] in Sigæum veniſſet, Alexander [22] ab Homero [23] Achilli tributum eſſe dixit, ſed etiam grave teſtimonium impertitum clari hominis magnique videatur. placet enim Hector ille mihi [t 24] Nævianus, qui non tantùm laudari ſe lætatur, ſed addit etiam, à laudato viro. Quòd ſi à te non impetro, hoc eſt, ſi qua te res impedierit, (neque enim fas eſſe arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortaſſe facere, quod nonnulli ſæpè reprehendunt: ſcribam ipſe de me, multorum tamen exemplo, & [25] clarorum virorum. ſed, quod te non fugit, hæc ſunt in hoc genere vitia: & verecundius ipſi de ſeſe ſcribant neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum, & prætereant, ſi quid fortè reprehendendum eſt. accedit etiam, ut minor ſit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, & dicant verecundiores eſſe præcones [26] ludorum gymnicorum, qui, cùm cæteris coronas impoſuerint victoribus, eorumque nomina magnâ voce pronuntiarint, cùm ipſi ante ludorum [u] miſſionem coronâ donentur, alium præconem adhibeant, ne ſuâ voce ipſi ſe victores eſſe prædicent. Hæc nos vitare cupimus, &, ſi recipis cauſam noſtram, vitabimus: idque ut facias, rogamus. Ac, ne fortè mirere, cur, cùm mihi ſæpè oſtenderis te accuratiſſimè noſtrorum temporum conſilia, atque eventus literis mandaturum, à te id nunc tantoperè, & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de quâ initio ſcripſi, feſtinationis [x] quòd alacres animo ſumus, ut & cæteri, viventibus nobis, ex libris tuis nos cognoſcant, & noſmetipſi vivi gloriolâ noſtrâ perfruamur. His de rebus quid acturus ſis, ſi tibi non eſt moleſtum, reſcribas mihi velim. ſi enim ſuſcipis cauſam, conficiam commentarios rerum omnium: ſin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar. tu interea non ceſſabis & ea, [y] quæ habes inſtituta, perpolies, noſque diliges. Vale.

INTERPRETATIO.

[s] *quare non ſolùm conſequar hanc gloriam, quam Alexander, cùm in Sigæum veniſſet, dixit conſecutum Achillem, ex eo quòd Homerum* habuit ſuæ vitæ ſcriptorem, *ſed inſuper accedet approbatio tua, id eſt clari hominis, magnique.*

[t] *apud Nævium Pœtam.*

[u] *finem.*

[x] *quia moræ ſum impatiens.*

[y] *& quæ incœpiſti.*

NOTÆ.

21. *In Sigæum*] Promontorium Troadis in Phrygiâ.

22. *Ab Homero*] Homerus, Poëtarum princeps, Iliade & Odiſſeâ clariſſimus: ubi natus: cœcus fuerit, nec-ne, obſcurum eſt.

23. *Achilli*] Pelidis & Thetidis filius à Poëtis fingitur, & Græcorum, ut Trojanorum Hector, fortiſſimus; cui Alexander dicitur invidiſſe, quòd rerum à ſe geſtarum præconem Homerum habuiſſet.

24. *Nævianus*] Nævius Poëta Comicus, natione Campanus, bellum primum Punicum, in quo meruit ipſe ſtipendia, carmine celebravit.

25. *Et clarorum virorum*] L. Sullæ, M. Scauri, P. Rutilii.

26. *Ludorum Gymnicorum*] Quia nudi decertabant: γυμνὸς, *nudus.*

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

Significat Lucceio quantam ex ejus litteris consolationem ceperit: additque Reipublicæ statum nunquam futurum meliorem quàm nunc sit. Cæsare quartùm Consule sine collegâ, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

Cicero s. d. Lucceio.

QUANQUAM ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissima est, declarat enim summam benevolentiam conjunctam pari prudentiâ: tamen illum fructum ex iis literis vel maximum cepi, quòd te præclarè res humanas contemnentem, & optimè contra fortunam paratum, armatumque cognovi. Quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, NON aliunde pendere, [a] nec extrinsecus aut benè, aut malè vivendi suspensas habere rationes. quæ cogitatio cùm mihi non omninò excidisset (etenim penitus insederat) vi tamen [b] tempestatum, & concursu calamitatum erat aliquantùm labefactata, atque convulsa: cui te opitulari & video, & id fecisse etiam proximis literis, multúmque profecisse sentio. Itaque hoc sæpiùs dicendum, tibique non significandum solùm, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis literis gratius. Ad consolandum autem cùm illa valent, quæ eleganter, copioséque collegisti, tùm nihil plus quàm quod firmitudinem, gravitatemque animi tui perspexi, quam non imitari, turpissimum existimo. Itaque hoc etiam fortiorem me puto, quàm te ipsum [c] præceptorem fortitudinis, quòd tu mihi videris spem nonnullam habere, [d] hæc aliquando futura meliora. [1] casus enim gladiatorii, similitudinesque eæ, tùm rationes [e] in eâ disputatione à te collectæ, vetabant [f] me reipublicæ penitùs diffidere. Itaque alterum minùs mirum, fortiorem te esse, cùm aliquid speres: alterum mirum, spe ullâ teneri. Quid est enim non [g] ita affectum, ut id non deletum, extinctumque omne esse fateare? circumspice omnia membra reipublicæ, quæ notissima sunt tibi: nullum reperies profectò, quod non fractum, debilitatumve sit. quæ persequerer, si aut meliùs ea viderem, quàm tu vides, aut commemorare possem sine dolore. quanquam tuis monitis, præceptisque omnis est abjiciendus dolor. Ergo & [h] domestica feremus, ut censes, & [i] publica paulò etiam fortiùs fortasse,

INTERPRETATIO.

[a] *nec ab externis rebus, quæ incerta sunt, pendere, ut feliciter aut miserè vivas.*
[b] *dissensionum civilium.*
[c] *qui mihi fortitudinis præcepta tradis.*
[d] *statum futurum aliquando meliorem.*
[e] *in tuis litteris.*
[f] *me de Republicâ penitùs desperare.*
[g] *eò calamitatis redactum.*
[h] *mortem filiæ.*
[i] *Reipublicæ interitum.*

NOTÆ.

1. *Casus enim gladiatorii*] Lucceius in suâ ad Tullium epistolâ, quæ non extat, Gladiatoris adhibuerat similitudinem, qui victus non cadit animis, at renovatâ pu-

Digitized by Google

quàm tu ipse, qui præcipis. te enim spes aliqua consolatur, ut scribis: nos autem erimus etiam in omni desperatione fortes, ut tu tamen idem & hortaris, & præcipis. Das enim mihi jucundas [z] recordationes conscientiæ nostræ, rerumque earum, quas, te in primis auctore, gessimus. præstitimus enim patriæ non minùs certè quàm debuimus, plus profectò quàm est ab animo cujusquam, aut consilio hominis postulatum. Ignoscès mihi de me ipso aliquid prædicanti. quarum enim tu rerum cogitatione nos levare ægritudine voluisti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque, ut mones, quantùm potero, me ab omnibus molestiis, & angoribus abducam: transferamque animum [k] ad ea, quibus secundæ res ornantur, adversæ adjuvantur: tecumque & ero tantùm, quantùm patietur utriusque ætas, & valetudo: &, si esse unâ minùs poterimus, quàm volumus, [l] animorum tamen conjunctione, iisdem studiis ita fruemur, ut nunquàm non unâ esse videamur. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *ad studia litterarum.* [l] *conjunctis tamen animis.*

NOTÆ.

gnâ, victorem adversarium aliquando prosternit; quo quidem exemplo, ad spem libertatis recuperandæ Ciceronem erigebat.

2. *Recordationes conscia*] Id est, rerum quas in Consulatu contra Catilinam gesserat.

EPISTOLA XIV.

Quærit causam cur Cicero tam diù ab urbe absit; hortaturque ut lugendi modum faciat. Eodem anno.

Lucceius S. D. Ciceroni.

SI vales, bene est: ego valeo, sicut soleo, paululò tamen etiam deteriùs, quàm soleo. Te [a] requisivi sæpiùs, ut viderem. Romæ quia postea non fuisti, quàm à me discesseras, miratus sum: quod item nunc miror. non habeo certum, quæ te res [b] hinc maximè retrahat. si solitudine delectare, cùm scribas, & aliquid agas, [c] eorum, quorum consuesti, gaudeo, neque reprehendo tuum consilium: nam nihil isto potest esse jucundius, non modò miseris his temporibus, & luctuosis, sed etiam tranquillis, & optatis: præsertim vel animo defatigato tuo, qui nunc requietem quærat ex magnis occupationibus: vel erudito, qui semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, te ipsum laudibus illustret. sin autem, sicut [d] hîc dum eras, & lacrymis, & tristitiæ te tradidisti: doleo, quia doles, & angere: nec possum

INTERPRETATIO.

[a] *quæsivi sæpiùs* occasiones *tui videndi.* [b] *ab urbe.* [c] *quæ* agere *consueviſti.* [d] *Romæ.*

te, si concedis, quod sentimus, ut liberiùs dicamus; non accusare. quid enim? tu solus [1] aperta non videbis, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges te querelis quotidianis nihil proficere? non intelliges duplicari solicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat? Quòd si non possumus aliquid proficere suadendo, gratiâ contendimus, & rogando: [e] si quid nostra causa vis, ut istis te molestiis laxes, & ad convictum nostrum redeas, & [f] ad consuetudinem vel nostram communem, vel tuam solius, ac propriam. [g] cupio non obtundere te, si non delectare nostro [2] studio: cupio detetrere, ne permaneas [3] in incepto: [4] cùm duæ res istæ contrariæ me conturbent: ex quibus aut [5] in alterâ mihi velim, si potes, obtemperes, [h] aut [6] in alterâ non offendas. Vale.

INTERPRETATIO.

[e] *modò velis aliquid meâ causâ facere.*
[f] *vel ita vive, ut nos vivimus omnes, aut vive saltem, ut solebas ipse.*
[g] *nolo tibi esse importunus.*
[h] *aut certè de alterâ non offendaris.*

NOTÆ.

1. *Aperta*] Id est, querelas scilicet nihil omninò prodesse.
2. *Studio*] Id est cupiditate quâ teneor levandi doloris tui.
3. *In incepto*] Semper dolendi.
4. *Contraria*] Quia neque plura scribere audeo, ne tibi sim importunus; plura tamen cupio scribere, ut à mœrore te abducam.
5. *In alterâ*] In hoc meo desiderio minuendi doloris tui.
6. *In alterâ*] Quòd insto acriùs & urgeo, ut molestiam hanc, quam tùm de Reipublicæ, tùm de filiæ interitu capis, à te procul amandes.

EPISTOLA XV.

Causas exponit Lucceio, cur doleat, & ab urbe procul absit. Eodem anno.

Cicero S. D. Lucceio.

OMNIS amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in iis literis, quas à te proximè accepi, non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus, & optatus: dicerem, jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem, neque [a] ob unam eam causam, quam tu suspicaris, & in quâ me leniſſimis, & amantissimis verbis utens, re graviter accusas, sed quòd [b] illius tanti vulneris quæ remedia esse debebant, ea nulla sunt. Quid enim? ad amicosne confugiam? [c] quam multi sunt? habuimus enim ferè communes: quorum alii occiderunt, alii nescio quo pacto [1] obduruerunt. Tecum

INTERPRETATIO.

[a] *ob intemitum filia.* [b] *doloris ex obitu filia.* [c] *jam sunt paucissimi.*

NOTÆ.

1. *Obduruerunt*] Id nempè, qui in exilium ultrò proficisci, quàm in patriam servitute oppressam redire maluerunt, ut Marcellus, &c.

vivere posſem equidem, & maximè vellem. [d] vetuſtas eſt, amor, conſuetudo, ſtudia paria. quod vinculum, quæ res deeſt noſtræ conjunctioni? poſſumuſne igitur eſſe unà? nec mehercule intelligo, quid impediat: ſed certè adhuc non fuimus, cùm eſſemus vicini [2] in Tuſculano, [3] in Puteolano: nam, quid dicam, in urbe? in quâ, [4] cùm forum commune ſit, vicinitas non requiritur. ſed, caſu neſcio quo, in ea tempora noſtra ætas incidit, ut, cùm maximè florere nos oporteret, tùm vivere etiam [5] puderet. Quod enim mihi poterat eſſe perfugium ſpoliato & domeſticis, & forenſibus ornamentis, atque ſolatiis? literæ, credo, quibus utor aſſiduè: quid enim aliud facere poſſum? ſed neſcio quo modo ipſæ illæ excludere me à portu, & perfugio videntur, & quaſi exprobrare, quòd in eâ vitâ maneam, in quâ nihil inſit, niſi propagatio miſerrimi temporis. Hîc tu ea me abeſſe urbe miraris, in quâ domus nihil delectare poſſit, [e] ſummum ſit odium temporum, hominum, [6] fori, curiæ? Itaque ſic literis utor, in quibus conſumo [7] omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, ſed ut exiguam doloris oblivionem petam. quòd ſi id egiſſemus ego atque tu (quod ne in mentem quidem nobis veniebat propter quotidianos metus) omne tempus unà fuiſſemus, neque me valetudo tua offenderet, neque te mœror meus. quod, quantùm fieri, poterit, conſequamur. quid enim utrique noſtrûm aptius? propediem te igitur videbo. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *dudùm nos novimus.* [e] *ubi* omnia *ſunt odioſa mihi, tempus, homines, forum, curia.*

NOTÆ.

2. *In Tuſculano*] Villâ Ciceronis apud Tuſculum.

3. *In Puteolano*] Alterâ Ciceronis villâ juxta Puteolos in Campaniâ.

4. *Cùm forum commune ſit*] Quò cives quotidie conveniunt.

5. *Puderet*] Amiſsâ libertate.

6. *Fori*] In foro judicia, in curiâ ſenatus habebatur. Vide epiſt. 6. libri 4.

7. *Omne tempus*] Quod cladem Pharſalicam ſubſecutum eſt.

EPISTOLA XVI.

Titium interitu liberorum vehementiùs dolentem conſolatur. Incertum quo puncisè anno: poſt prælium Pharſalicum ſcriptam eſſe Manutius exiſtimat.

Cicero s. d. Titio.

ETSI unus ex omnibus minimè ſum ad te conſolandum accommodatus, quòd tantùm ex tuis moleſtiis cepi doloris, ut conſolatione ipſe egerem: tamen, cùm longiùs à ſummi luctus acerbitate meus abeſſet dolor, quàm tuus, ſtatui noſtræ neceſſitudinis eſſe, meæque in te benevolentiæ, non tacere tanto in tuo mœrore tam diù, ſed adhibere aliquam modicam conſolationem, quæ levare dolorem tuum poſſet, ſi minùs ſanare potuiſſet. Eſt autem conſolatio pervulgata quidem illa maximè, quam ſemper

Digitized by Google

in ore, atque in animo habere debemus, HOMINES nos ut esse meminerimus, eâ lege natos, ut omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quo minùs ea, quâ nati sumus, conditione vivamus: néve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus: eventisque aliorum memoriâ repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus. Neque hæ, neque cæteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis viris usurpatæ, memoriæque & literis proditæ, tantùm videntur proficere debere, quantùm status ipse nostræ civitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum: cùm beatissimi sint, qui liberos non susceperunt, minùs autem miseri, qui his temporibus amiserunt, [a] quàm si eosdem bona, aut denique aliqua repub. perdidissent. [b] Quòd si tuum te desiderium movet, [c] aut si tuarum rerum cogitatione mœres: non facilè exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. Sin illa te res cruciat [1] quæ magis amoris est, ut [d] eorum, qui occiderunt, miserias lugeas: ut ea non dicam, quæ sæpissimè & legi, & audivi, nihil mali esse in morte, in quâ si resideat sensus, immortalitas illa potiùs, quàm mors, ducenda sit: sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quæ non sentiatur: hoc tamen non dubitans, confirmare possum, ea [2] misceri, parari, impendere reipub. quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim jam non modò pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omninò libertati, ac saluti, loci? non mehercule quenquam audivi hoc gravissimo, & pestilentissimo anno adolescentulum, aut puerum mortuum, qui mihi non à diis immortalibus ereptus ex his miseriis, atque ex iniquissimâ conditione vitæ videretur. [e] Quare si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse: permultum erit ex mœrore tuo diminutum. relinquetur enim [f] simplex illa jam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum propriè referetur. in quâ non est jam gravitatis, ac sapientiæ tuæ, quam tu à puero præstitisti, ferre immoderatiùs casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miserià, maloque sejunctus. Etenim eum semper te & privatis in rebus, & publicis præstitisti, tuenda tibi ut sit gravitas, & constantiæ serviendum. nam, quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præripere consilio, prudentiâque debe-

INTERPRETATIO.

[a] *quàm si eosdem, florente, aut aliquo modo superstite Republicâ, perdidissent.*
[b] *quòd si tuâ unicè causâ doles.*
[c] *aut si teipsum duntaxat in filiorum obitu consideras.*
[d] *liberorum.*
[e] *quare si tibi hoc unum persuadere posses, nihil liberis tuis fato functis mali contigisse.*
[f] *id est, supererit dolor ille solus, quem tuâ unicè causâ capis.*

NOTÆ.

1. *Qua magis amoris est*] Aliorum scilicet potiùs quàm propria incommoda dolere.

2. *Ea misceri*] Ex quo tempore civilis exarsit dissensio.

Digitized by Google

mus. etenim si nulla unquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit : certè nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus : neque expectare temporis medicinam, quam [g] repræsentare ratione possimus. His ego literis [h] si quid profecissem : existimabam [i] optandum quiddam me esse assecutum : sin minùs fortè valuissent, officio tamen esse functum benevolentissimi, atque amicissimi: quem me tibi & fuisse semper existimes velim, & futurum esse confidas. Vale.

INTERPRETATIO.

[g] accelerare. [h] si te consolatus essem. [i] crederem me obtinuisse quod in primis optandum est mihi.

EPISTOLA XVII.

Excusat tarditatem litterarum suarum, & hortatur ut exilii casum constanter ferat. Cæsare tertiùm, & Lepido Coss. anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

Cicero S. D. P. [1] Sestio P. F.

NON oblivione amicitiæ nostræ, [a] neque intermissione consuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas literas misi, [b] sed quòd priora tempora in ruinis reipub. nostrisque jacuerunt : [c] posteriora autem me à scribendo tuis injustissimis, atque acerbissimis incommodis retardarunt. cùm verò & intervallum jam satis longum fuisset, & tuam virtutem, animique magnitudinem diligentiùs essem mecum recordatus : non putavi esse alienum institutis meis, hæc ad te scribere. Ego te, P. Sesti, & primis temporibus illis, quibus [d] in invidiam absens, & in crimen vocabare, defendi : & cùm in [2] tui familiarissimi judicio, ac periculo tuum nomen conjungeretur, quam potui accuratissimè te, tuamque causam tutatus sum : & proximè [3] recenti adventu meo [e] cùm rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si affuissem, tamen nullâ re saluti tuæ defui : [f] cúmque eo tempore [4] invidiâ annonæ, inimici non solùm tui, verumetiam amicorum tuorum, iniquitas

INTERPRETATIO.

[a] aut quod velim intermittere consuetudinem ad te scribendi.

[b] sed quia iis temporibus, qua statim bellum civile subsecuta sunt, in mœrore jacui.

[c] deinde verò tuum injustissimum exilium retardavit me à scribendo.

[d] in odium.

[e] causam tuam aliter dispositam invenissem.

[f] & quia non solùm inimicus tuus, verùm etiam amici tui, ob annonam tibi invidebant.

NOTÆ.

1. *P. Sestio*] Diversus est ab eo quem Cicero defendit. Vide indicem historicum.

2. *Tui familiarissimi*] Forte Milonem significat.

3. *Recenti adventu meo*] Post impetratam à Cæsare veniam.

4. *Invidiâ annonæ*] Videtur Sestius

totius judicii, multaque alia reipublicæ vitia plus [g] quàm causa ipsa, veritasque [f] valuissent, [h] Publio tuo neque operâ, neque consilio, neque labore, neque gratiâ, neque testimonio defui. Quamobrem, omnibus officiis amicitiæ diligenter à me, sanctéque servatis, ne hoc quidem prætermittendum esse duxi, te ut hortarer, rogaremque, ut & hominem te, & virum esse meminisses: id est ut & communem, incertumque casum, quem neque vitare quisque nostrûm, [i] neque præstare ullo pacto potest, sapienter ferres, & dolori fortiter, ac fortunæ resisteres, cogitaresque & in nostrâ civitate, & in cæteris, quæ rerum potitæ sunt, multis fortissimis, atque optimis viris, injustis judiciis, tales casus incidisse. Illud utinam ne verè scriberem, ea te repub. carere, in quâ neminem prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio, vereor, ne, si nihil ad te scripserim, debitum ejus virtuti videar testimonium [k] non cepisse: sin autem omnia, quæ sentio, perscripserim, ne refricem meis literis desiderium, ac dolorem tuum. sed tamen prudentissimè facies, si illius pietatem, virtutem, industriam, ubicunque erit, tuam esse, tecum esse [l] duces. nec enim minùs nostra sunt, quæ animo complectimur, quàm quæ oculis intuemur. Quamobrem & illius eximia virtus, summusque in te amor magnæ tibi consolationi debet esse, & nos, cæterique, qui te non ex fortunâ, sed ex virtute tuâ pendimus, semperque pendemus: & maximè animi tui conscientiâ, cùm tibi nihil meritò accidisse reputabis, & illud adjunges, HOMINES sapientes turpitudine, non casu, & delicto suo, non aliorum injuriâ, commoveri. Ego, & memoriâ nostræ veteris amicitiæ, & virtute, atque observantiâ filii tui monitus, nullò loco deero neque ad consolandum, neque ad levandum fortunam tuam. tu si quid ad me fortè scripseris, perficiam ne te frustrà scripsisse arbitrere. Vale.

INTERPRETATIO.

g quàm causa tua æquitas. *h filio tuo.* i ni en répondre. *k non audivisse.* *l existimabis.*

NOTÆ.

frumentum plebi vili pretio vendidisse, ut ejus aucuparetur gratiam; quam largitionem ejus inimici, in primis Clodius, in malam partem interpretati, exilio damnandum curarunt.

5. *Maluissent*] Cúmque inimicorum tuorum invidia, & multa Reipublicæ vitia plus valuissent ad te condemnandum, quàm causæ tuæ æquitas ad absolvendum.

EPISTOLA XVIII.

Fabium exulem consolatur. Cæsare in Galliâ bellum gerente, & Pompeio tertium Consule sine collegâ, anno urbis conditæ septingentesimo primo.

Cicero S. D. [1] T. Fabio.

ETSI egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea quòd nullam rem gravius jam diù tuli, quàm incommodum

NOTÆ.

1. *Tito Fabio*] Vide indicem historicum.

2. *Dedit*

Digitized by Google

tuum : tamen te magnoperè non hortor solùm, sed etiam pro amore nostro rogo, atque oro, te colligas, virumque præbeas, &, quâ conditione omnes homines, & quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi virtus tua [2] dedit, quàm fortuna [3] abstulit : propterea quòd adeptus es, quod non multi homines [4] novi : amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea denique videtur [5] conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo videatur esse, qui quàm levissima pœna ab hac republicâ discesserit. Tu verò, qui & fortunas, & liberos habeas, & nos, cæterosque necessitudine, & benevolentiâ tecum conjunctissimos : [6] quique magnam facultatem sis habiturus nobiscum, & cum omnibus tuis vivendi: [7] [a] & cùm unum sit judicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut [b] quod una sententia, [c] eaque dubia, [d] potentiæ alicujus condonatum existimetur : omnibus his de causis debes istam molestiam quàm levissimè ferre. Meus animus erit in te, liberosque tuos semper, quem tu esse vis, & qui esse debet. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *& quia judicium quod in te pronunciatum est, ab omnibus reprehenditur.*
[b] *& quia uno tantùm suffragio* vicerunt inimici tui.
[c] *cujus nescitur author.*
[d] *quia denique illud suffragium datum videtur authoritati Pompeii, omnibus his de causis, &c.*

NOTÆ.

2. *Dedit*] Hominum studia, honores, existimationem.

3. *Abstulit*] Abstulerat patriam, & amicorum consortium.

4. *Novi*] *Novus*, & *nobilis* opponuntur. Vide epist. 7. libri primi.

5. *Impendère conditio legum*] Ob immensam Pompeii authoritatem.

6. *Quique magnam facultatem*] Significat futurum brevi, ut in patriam ab exilio revocetur.

7. *Et cùm unum sit judicium*] Verborum quemdam circuitum adhibet Tullius, ne sententiæ hujus iniquitatem in Pompeium, penes quem erat judiciorum potestas, conferre videatur.

EPISTOLA XIX.

Rufum hortatur, ut Pompeii partibus adhæreat. Claudio Marcello, & Cornelio Lentulo Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quarto & belli civilis primo.

Cicero S. D. [1] Rufo.

ETSI mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem carissimus : tamen quotidie magis id perspicio : [a] extatque id, quod mihi ostenderas qui-

INTERPRETATIO.

[a] *faciſque quod promiseras litteris tuis, fore scilicet, ut eò studiosiùs mihi nunc inservires, quàm in Cilicià, quò liberiùs,* quàm in Ciliciâ, *tuum posses judicium*, & studium *sequi.*

NOTÆ.

1. *Rufo*] Fuit Ciceronis in Ciliciâ Quæstor.

busdam literis, hoc te studiosiorem in me colendo fore, quàm in provinciâ fuisses, ([b] etsi meo judicio, nihil ad tuum provinciale officium addi potest) [1] quo liberius judicium esse posset tuum. Itaque me & superiores literæ tuæ admodùm delectaverunt, quibus & [c] expectatum meum adventum abs te amanter videbam, & [d] cùm aliter res cecidisset, ac putasses, te meo consilio magnoperè esse lætatum: & his proximis literis [e] magnum cepi fructum & judicii, & officii tui: judicii, quòd intelligo te, id quod omnes fortes, ac boni viri facere debent, nihil putare utile esse, nisi quod rectum, honestumque sit: officii, quòd te mecum, quodcunque cepissem consilii, polliceris fore: quo neque mihi gratius, neque, ut ego arbitror, tibi honestius esse quidquam potest. [f] Mihi consilium [2] captum jam diù est: de quo ad te, non quo celandus esses, nihil scripsi antè, [g] sed quia communicatio consilii tali tempore, quasi quædam admonitio videtur esse officii, vel potiùs efflagitatio ad coëundam societatem vel periculi, vel laboris. Cùm verò ea tua sit voluntas, humanitas, benevolentia erga me, [h] libenter amplector talem animum, sed ita (non enim dimittam pudorem in rogando meum) [i] si feceris id quod ostendis, magnam habebo gratiam: si non feceris, ignoscam: & alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. [k] Est enim res profectò maxima. [4] quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est: ita tamen, ut si nos simus, qui esse debemus, id est studio digni, & literis nostris, dubitare non possimus, quin ea maximè conducant, quæ sunt rectissima. Quare tu, [l] si simul placebit, statim ad me venies: [m] sin idem placebit, atque eodem, nec continuò poteris, [n] omnia tibi ut nota sint, faciam. quidquid statueris, te mihi amicum: sin [o] id quod opto, etiam amicissimum judicabo. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *quamquàm studiosiùs me colere non potes, quàm coluisti in Quæsturâ Ciliciæ.*

[c] *quibus videbam meum in urbem adventum à te vehementiùs expectari.*

[d] *& cùm Romam non venissem, meum tibi consilium placuisse.*

[e] *agnovi summo cum fructu & sapientiam, & amicitiam tuam.*

[f] *statui jam diù sequi Pompeium.*

[g] *sed quia meum hoc tibi consilium communicando, visus essem admonere te officii erga me tui, vel potiùs efflagitare, ut idem mecum periculum imires.*

[h] *libenter admitto tuum hoc in me studium.*

[i] *si mecum ubique esse voles.*

[k] *est enim maxima res deliberationis.*

[l] *si vis mecum ire ad Pompeium.*

[m] *quòd si vis stare mecum à Pompeio, & ire in eumdem locum, nec tamen potes statim huc mecum navigare.*

[n] *scribam tibi omnia quæ statuero* de discessûs mei tempore.

[o] *quòd si venis ad me, ut opto.*

NOTÆ.

2. *Quò liberiùs*] Quia Rufus in Quæstorio munere, poterat coactus videri, ut Tullium Proconsulem studiosiùs coleret; Quæstoris enim erat, suam Rectori provinciæ fidem, diligentiamque in omnibus præstare.

3. *Captum est jam diù*] Exant nihilominùs multæ ad Atticum epistolæ, quibus ab eo petit quid agendum sibi censeret.

4. *Quid rectum sit, apparet*] Sequi scilicet Pompeium, qui Rempublicam habere secum videbatur.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

Excusat se Rufo querenti per litteras, quòd rationes provinciæ ad ærarium, eo non expectato, Cicero properasset deferre, cùm in iis aliquid immutatum priùs esse vellet. Eodem anno.

Cicero s. d. Rufo.

[a] QUo modo potuissem, te convenissem, si eò, quò constitueras, venire voluisses. quare, etsi mei commodi causâ [b] commovere me noluisti: tamen ita existimes velim, me antelaturum fuisse, [c] si ad me misisses, voluntatem tuam commodo meo. Ad ea, quæ scripsisti, commodiùs equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. [1] Tullius, scriba meus, adesset: à quo mihi exploratum est, in [d] rationibus duntaxat referendis, (de cæteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam: deinde, si rationum referendarum [2] jus vetus, & mos antiquus maneret, [e] me relaturum rationes, nisi tecum pro conjunctione nostræ necessitudinis contulissem, confecissemque, non fuisse. Quod igitur feciſsem [f] [3] ad urbem, si consuetudo pristina maneret, id (quando [4] lege Juliâ relinquere rationes in provinciâ necesse erat, [g] easdemque totidem verbis referre ad ærarium), feci in provinciâ, [h] neque id feci, ut te ad meum arbitrium adducerem: [i] sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam pœnitebit. totum enim scribam meum, quem tibi video nunc esse suspectum, tibi tradidi. tu ei M. Mindium, fratrem tuum, adjunxisti. rationes confectæ me absente sunt tecum, [k] ad quas ego nihil adhibui præter lectionem. ita accepi librum à

INTERPRETATIO.

[a] *quoquo modo potuissem.*
[b] *eò me venire noluisti.*
[c] *si mihi significasses*, eò te venisse, quò anteà constitueras.
[d] dans la reddition des comptes de la Province.
[e] *me relaturum non fuisse in ærarium rationes meas, priùs quàm cum tuis contulissem*; avant que de les avoir collationné aux vostres.
[f] *Romam.*
[g] *& earum exemplar ad ærarium afferre.*
[h] *neque eâ mente feci, ut te cogerem ea facere quæ vellem.*
[i] *sed ea tibi concessi, quæ tibi me concessisse nunquam pœnitebit.*
[k] *quas rationes tantummodò legi* nullâ re immutatâ.

NOTÆ.

1. *M. Tullius*] Ciceronis libertus, qui patroni prænomen & nomen assumpserat.
2. *Jus vetus*] In eo positum erat, ut rationes in provinciâ non relinquerentur; nunc enim Proconsules, cùm accesserant ad urbem, rationes suas cum suis Quæstoribus conferebant.
3. *Ad urbem*] Prope urbem: Proconsuli enim triumphum petenti, urbem ingredi non licebat.
4. *Lege Juliâ*] Julius Cæsar in primo Consulatu legem tulerat, ut rationes ea

Digitized by Google

busdam literis, hoc te studiosiorem in me colendo fore, quàm in provinciâ fuisses, ([b] etsi meo judicio, nihil ad tuum provinciale officium addi potest) [1] quo liberius judicium esse posset tuum. Itaque me & superiores literæ tuæ admodùm delectaverunt, quibus & [c] expectatum meum adventum abs te amanter videbam, & [d] cùm aliter res cecidisset, ac putasses, te meo consilio magnoperè esse lætatum: & his proximis literis [e] magnum cepi fructum & judicii, & officii tui: judicii, quòd intelligo te, id quod omnes fortes, ac boni viri facere debent, nihil putare utile esse, nisi quod rectum, honestumque sit: officii, quòd te mecum, quodcunque cepissem consilii, polliceris fore: quo neque mihi gratius, neque, ut ego arbitror, tibi honestius esse quidquam potest. [f] Mihi consilium [3] captum jam diù est: de quo ad te, non quo celandus esses, nihil scripsi anteà, [g] sed quia communicatio consilii tali tempore, quasi quædam admonitio videtur esse officii, vel potiùs efflagitatio ad coëundam societatem vel periculi, vel laboris. Cùm verò ea tua sit voluntas, humanitas, benevolentia erga me, [h] libenter amplector talem animum, sed ita (non enim dimittam pudorem in rogando meum) [i] si feceris id quod ostendis, magnam habebo gratiam: si non feceris, ignoscam: & alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. [k] Est enim res profectò maxima. [4] quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est: ita tamen, ut si nos simus, qui esse debemus, id est studio digni, & literis nostris, dubitare non possimus, quin ea maximè conducant, quæ sunt rectissima. Quare tu, [l] si simul placebit, statim ad me venies: [m] sin idem placebit, atque eodem, nec continuò poteris, [n] omnia tibi ut nota sint, faciam. quidquid statueris, te mihi amicum: sin [o] id quod opto, etiam amicissimum judicabo. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *quamquàm studiosiùs me colere non potes, quàm coluisti in Quæsturâ Ciliciæ.*

[c] *quibus videbam meum in urbem adventum à te vehementiùs expectari.*

[d] *& cùm Romam non veniissem, meum tibi consilium placuisse.*

[e] *agnovi summo cum fructu & sapientiam, & amicitiam tuam.*

[f] *statui jam diù sequi Pompeium.*

[g] *sed quia meum hoc tibi consilium communicando, visus essem admonere te officii erga me tui, vel potiùs efflagitare, ut idem mecum periculum imires.*

[h] *libenter admitto tuum hoc in me studium.*

[i] *si mecum ubique esse voles.*

[k] *est enim maxima res deliberationis.*

[l] *si vis mecum ire ad Pompeium.*

[m] *quòd si vis stare mecum à Pompeio, & ire in eumdem locum, nec tamen potes statim huc mecum navigare.*

[n] *scribam tibi omnia quæ statuero* de discessûs mei tempore.

[o] *quòd si venis ad me, ut opto.*

NOTÆ.

1. *Quò liberius*] Quia Rufus in Quæstorio munere, poterat coactus videri, ut Tullium Proconsulem studiosiùs coleret; Quæstoris enim erat, suam Rectori provinciæ fidem, diligentiamque in omnibus præstare.

3. *Captum est jam diù*] Exant nihilominùs multæ ad Atticum epistolæ, quibus ab eo petit quid agendum sibi censeret.

4. *Quid rectum sit, apparet*] Sequi scilicet Pompeium, qui Rempublicam habere secum videbatur.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

Excuſat ſe Rufo querenti per litteras, quòd rationes provinciæ ad ærarium, eo non expectato, Cicero properaſſet deferre, cùm in iis aliquid immutatum priùs eſſe vellet. Eodem anno.

Cicero s. d. Rufo.

[a] QUO modo potuiſſem, te conveniſſem, ſi eò, quò conſtitueras, venire voluiſſes quare, etſi mei commodi causâ [b] commovere me noluiſti: tamen ita exiſtimes velim, me antelaturum fuiſſe, [c] ſi ad me miſiſſes, voluntatem tuam commodo meo. Ad ea, quæ ſcripſiſti, commodiùs equidem poſſem de ſingulis ad te rebus ſcribere, ſi M. [1] Tullius, ſcriba meus, adeſſet: à quo mihi exploratum eſt, in [d] rationibus duntaxat referendis, (de cæteris rebus affirmare non poſſum) nihil eum feciſſe ſcientem, quod eſſet contra aut rem, aut exiſtimationem tuam: deinde, ſi rationum referendarum [2] jus vetus, & mos antiquus maneret, [e] me relaturum rationes, niſi tecum pro conjunctione noſtræ neceſſitudinis contuliſſem, confeciſſemque, non fuiſſe. Quod igitur feciſſem [f] ad urbem, ſi conſuetudo priſtina maneret, id (quando [4] lege Juliâ relinquere rationes in provinciâ neceſſe erat, [g] eaſdemque totidem verbis referre ad ærarium), feci in provinciâ, [h] neque id feci, ut te ad meum arbitrium adducerem: [i] ſed tribui tibi tantum, quantum me tribuiſſe nunquam pœnitebit. totum enim ſcribam meum, quem tibi video nunc eſſe ſuſpectum, tibi tradidi. tu ei M. Mindium, fratrem tuum, adjunxiſti. rationes confectæ me abſente ſunt tecum, [k] ad quas ego nihil adhibui præter lectionem. ita accepi librum à

INTERPRETATIO.

[a] *quoquo modo potuiſſem.*

[b] *eò me venire noluiſti.*

[c] *ſi mihi ſignificaſſes*, eò te veniſſe, quò anteà conſtitueras.

[d] dans la reddition des comptes de la Province.

[e] *me relaturum non fuiſſe in ærarium rationes meas, priùs quàm cum tuis conſuliſſem*; avant que de les avoir collationné aux voſtres.

[f] *Romam.*

[g] *& earum exemplar ad ærarium afferre.*

[h] *neque eâ mente feci, ut te cogerem ea facere quæ vellem.*

[i] *ſed ea tibi conceſſi, quæ tibi me conceſſiſſe nunquam pœnitebit.*

[k] *quas rationes tantummodò legi* nullâ re immutatâ.

NOTÆ.

1. *M. Tullius*] Ciceronis libertus, qui patroni prænomen & nomen aſſumpſerat.

2. *Jus vetus*] In eo poſitum erat, ut rationes in provinciâ non relinquerentur; nunc enim Proconſules, cùm acceſſerant ad urbem, rationes ſuas cum ſuis Quæſtoribus conferebant.

3. *Ad urbem*] Prope urbem: Proconſuli enim triumphum petenti, urbem ingredi non licebat.

4. *Lege Juliâ*] Julius Cæſar in primo Conſulatu legem tulerat, ut rationes ea

Digitized by Google

busdam literis, hoc te studiosiorem in me colendo fore, quàm in provinciâ fuisses, ([b] etsi meo judicio, nihil ad tuum provinciale officium addi potest) [a] quo liberius judicium esse posset tuum. Itaque me & superiores literæ tuæ admodùm delectaverunt, quibus & [c] expectatum meum adventum abs te amanter videbam, & [d] cùm aliter res cecidisset, ac putasses, te meo consilio magnoperè esse lætatum: & his proximis literis [e] magnum cepi fructum & judicii, & officii tui: judicii, quòd intelligo te, id quod omnes fortes, ac boni viri facere debent, nihil putare utile esse, nisi quod rectum, honestumque sit: officii, quòd te mecum, quodcunque cepissem consilii, polliceris fore: quo neque mihi gratius, neque, ut ego arbitror, tibi honestius esse quidquam potest. [f] Mihi consilium [g] captum jam diù est: de quo ad te, non quo celandus esses, nihil scripsi antèa, [g] sed quia communicatio consilii tali tempore, quasi quædam admonitio videtur esse officii, vel potiùs efflagitatio ad coëundam societatem vel periculi, vel laboris. Cùm verò ea tua sit voluntas, humanitas, benevolentia erga me, [h] libenter amplector talem animum, sed ita (non enim dimittam pudorem in rogando meum) [i] si feceris id quod ostendis, magnam habebo gratiam: si non feceris, ignoscam: & alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. [k] Est enim res profectò maxima. [4] quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est: ita tamen, ut si nos simus, qui esse debemus, id est studio digni, & literis nostris, dubitare non possimus, quin ea maximè conducant, quæ sunt rectissima. Quare tu, [l] si simul placebit, statim ad me venies: [m] sin idem placebit, atque eodem, nec continuò poteris, [n] omnia tibi ut nota sint, faciam. quidquid statueris, te mihi amicum: sin [o] id quod opto, etiam amicissimum judicabo. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *quamquàm studiosiùs me colere non potes, quàm coluisti in Quæsturâ Ciliciæ.*

[c] *quibus videbam meum in urbem adventum à te vehementiùs expectari.*

[d] *& cùm Romam non venissem, meum tibi consilium placuisse.*

[e] *agnovi summo cum fructu & sapientiam, & amicitiam tuam.*

[f] *statui jam diù sequi Pompeium.*

[g] *sed quia meum hoc tibi consilium communicando, visus essem admonere te officii erga me tui, vel potiùs efflagitare, ut idem mecum periculum inires.*

[h] *libenter admitto tuum hoc in me studium.*

[i] *si mecum ubique esse voles.*

[k] *est enim maxima res deliberationis.*

[l] *si vis mecum ire ad Pompeium.*

[m] *quòd si vis stare mecum à Pompeio, & ire in eumdem locum, nec tamen potes statim huc mecum* navigare.

[n] *scribam tibi omnia quæ statuero* de discessûs mei tempore.

[o] *quòd si* venis ad me, *ut opto.*

NOTÆ.

2. *Quò liberiùs*] Quia Rufus in Quæstorio munere, poterat coactus videri, ut Tullium Proconsulem studiosiùs coleret; Quæstoris enim erat, suam Rectori provinciæ fidem, diligentiamque in omnibus præstare.

3. *Captum est jam diù*] Exant nihilominùs multæ ad Atticum epistolæ, quibus ab eo petit quid agendum sibi censeret.

4. *Quid rectum sit, apparet*] Sequi scilicet Pompeium, qui Rempublicam habere secum videbatur.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

Excusat se Rufo querenti per litteras, quòd rationes provinciæ ad ærarium, eo non expectato, Cicero properasset deferre, cùm in iis aliquid immutatum priùs esse vellet. Eodem anno.

Cicero s. d. Rufo.

[a] QUO modo potuissem, te convenissem, si eò, quò constitueras, venire voluisses quare, etsi mei commodi causâ [b] commovere me noluisti: tamen ita existimes velim, me antelaturum fuisse, [c] si ad me misisses, voluntatem tuam commodo meo. Ad ea, quæ scripsisti, commodiùs equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. [1] Tullius, scriba meus, adesset: à quo mihi exploratum est, in [d] rationibus duntaxat referendis, (de cæteris rebus affirmare non possum) nihil eum feciſse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam: deinde, si rationum referendarum [2] jus vetus, & mos antiquus maneret, [e] me relaturum rationes, nisi tecum pro conjunctione nostræ necessitudinis contulissem, confeciſſemque, non fuisse. Quod igitur feciſſem [f] [g] ad urbem, si consuetudo pristina maneret, id (quando [4] lege Juliâ relinquere rationes in provinciâ necesse erat, [g] easdemque totidem verbis referre ad ærarium), feci in provinciâ, [h] neque id feci, ut te ad meum arbitrium adducerem: [i] sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam pœnitebit. totum enim scribam meum, quem tibi video nunc esse suspectum, tibi tradidi. tu ei M. Mindium, fratrem tuum, adjunxisti. rationes confectæ me absente sunt tecum, [k] ad quas ego nihil adhibui præter lectionem. ita accepi librum à

INTERPRETATIO.

[a] *quoquo modo potuissem.*
[b] *eò me venire noluisti.*
[c] *si mihi significasses*, eò te veniſſe, quò anteà constitueras.
[d] dans la reddition des comptes de la Province.
[e] *me relaturum non fuisse in ærarium rationes meas, priùs quàm cum tuis contulissem*; avant que de les avoir collationné aux vostres.
[f] *Romam.*
[g] *& earum exemplar ad ærarium afferre.*
[h] *neque eâ mente feci, ut te cogerem ea facere quæ vellem.*
[i] *sed ea tibi concessi, quæ tibi me concessisse nunquam pœnitebit.*
[k] *quas rationes tantummodò legi* nullâ re immutatâ.

NOTÆ.

1. *M. Tullius*] Ciceronis libertus, qui patroni prænomen & nomen assumpserat.

2. *Jus vetus*] In eo positum erat, ut rationes in provinciâ non relinquerentur; nunc enim Proconsules, cùm accesserant ad urbem, rationes suas cum suis Quæstoribus conferebant.

3. *Ad urbem*] Prope urbem: Proconsuli enim triumphum petenti, urbem ingredi non licebat.

4. *Lege Juliâ*] Julius Cæsar in primo Consulatu legem tulerat, ut rationes ea

Digitized by Google

meo servo scribâ, [s] ut eundem acceperim à fratre tuo. si honos is fuit, majorem tibi habere non potui : si fides, majorem tibi habui, quàm penè ipsi mihi. si providendum fuit, ne quid aliter, ac tibi & honestum, & utile esset, referretur : non habui, cui potiùs id negotii darem. Illud quidem certè factum est, quod lex jubebat, ut apud duas civitates, Laodicensem, & Apamensem, quæ nobis maximæ videbantur, quoniam ita necesse erat, rationes [l] confectas, & [a] consolutas deponeremus. Itaque huic loco primùm respondeo, me, quanquam justis de causis rationes deferre properarim, tamen te expectaturum fuisse, [m] nisi in provinciâ relictas rationes pro latis haberem. Quamobrem, de Volusio quod scribis, [n] non est id rationum. docuerunt enim me periti homines, in his cùm omnium peritissimus, tùm mihi amicissimus C. Camillus, ad Volusium transferri [o] nomen à Valerio non potuisse, [p] sed prædes Valerianos teneri. neque id erat [q] H-s xxx, ut scribis, sed [r] xix. [t] erat enim curata nobis pecunia Valerii [6] mancipis nomine : [u] ex quâ, reliquum quod erat in rationibus, retuli. Sed sic me & liberalitatis fructu privas, & diligentiæ, & (quod minimè tamen laboro) mediocris etiam prudentiæ : liberalitatis, quòd mavis scribæ mei beneficio, quàm meo, [7] legatum meum, præfectumque [u] maximâ calamitate levatos, [x] cùm præsertim [8] non deberent esse obligati : diligentiæ, quòd existimas, de tanto [9] officio meo, tanto etiam [10] periculo nec scisse me quidquam, [y] nec cogitasse, scribam, quidquid voluisset, cùm id mihi ne recitasset quidem, retulisse : prudentiæ : [z] cùm rem à me ne insipienter quidem co-

INTERPRETATIO.

[l] *perfectas, & consignatas*; arrestez & signez.

[m] *nisi existimassem idem esse relinquere rationes in provinciâ, ac in ærarium ferre.*

[n] *in rationibus id fieri non potuit.* cela n'a pû entrer dans les comptes. [o] *debitum.*

[p] *sed Valerii sponsores* ad solutionem debiti *esse obligatos.*

[q] trois cens mille livres.

[r] cent nonante mille livres.

[t] *Valerius enim, qui collegerat hanc pecuniam, eamdem jam nobis numeraverat* pro Volusio debitore.

[u] *cujus* pecuniæ *reliquias in rationibus meis perscripsi, & in ærarium retuli.*

[u] *grandi ære alieno.*

[x] *quo certè eos liberare debui.*

[y] *nec me cogitasse scribam meum in* rationibus *scribere potuisse id quod voluisset, cùm id mecum ne communicasset quidem.*

[z] *cùm putas me de hac re quovis modo non cogitasse.*

NOTÆ.

provinciâ relinquerentur. Vide epist. 17. libri secundi.

5. *Ut eumdem*] Quia scriba Tullii, & Rufi frater rationes provinciæ pro nutu suo confecerant.

6. *Mancipis*] Qui aliquid emit, conducitve ; aut suo periculo faciendum, exigendumque redimit. *Fermier.*

7. *Legatum, Præfectumque*] Valerii sponsores.

8. *Non deberent esse obligati*] Ad clementiam potiùs, quàm ad jus referendum: nam qui sunt sponsores, prorsùs tenentur solvere, nisi is solvit, pro quo sponsores facti sunt.

9. *Officio meo*] Quia P. R. res agebatur, quam Proconsul in primis curare debet.

10. *Periculo*] Quia si quid peccatum esset in rationibus à scribâ, totum id conferebatur in Proconsulem.

Digitized by Google

gitatam putas. Nam & Voluſii liberandi meum fuit conſilium : [a] &, ut multa tam gravis Valerianis prædibus, ipſique T. Mario depelleretur, à me inita ratio eſt : quam quidem omnes non ſolùm probant, ſed etiam laudant. &, ſi verum ſcire vis, hoc uni ſcribæ meo intellexi non nimium placere. ſed ego putavi eſſe viri boni, [b] cùm populis ſuum ſervaret, conſulere fortunis tot vel amicorum, vel civium. [c] Nam [11] de Lucceio eſt ita actum, ut auctore Cn. Pompeio, iſta pecunia in fano poneretur. id ego agnovi meo juſſu eſſe factum. quâ pecuniâ Pompeius eſt uſus, ut tuâ, quam tu depoſueras, [12] Seſtius. ſed hoc ad te nihil intelligo pertinere. [d] Illud me non animadverſiſſe moleſtè ferrem, ut adſcriberem, [13] te in fano pecuniam juſſu meo depoſuiſſe, [e] niſi iſta pecunia graviſſimis eſſet, certiſſimiſque monumentis teſtata, cui data, quo s. c. quibus tuis, quibus meis literis P. Sextio tradita eſſet. Quæ cùm viderem tot veſtigiis impreſſa, ut in his errari non poſſet : [f] non adſcripſi id quod tuâ nihil referebat : ego tamen adſcripſiſſe mallem, quando id [14] te video deſiderare. Sicut ſcribis [15] tibi id eſſe referendum, [16] idem ipſe ſentio : neque in eo quidquam à meis rationibus [17] diſcrepabunt tuæ. addes enim tu, meo juſſu : quod ego nunquam addidi : nec cauſa eſt, cur negem : [g] nec, ſi eſſet, & tu nolles, negarem. Nam [h] de H-S. nongentis millibus, certè ita relatum eſt, ut tu, ſive frater tuus referri voluit. ſed, ſi quid eſt, [i] quando de Lucceio [18] parùm proviſum eſt,

INTERPRETATIO.

[a] *inveni quoque rationem liberandi hoc debito Valerii ſponſores, & ipſum Marium.*

[b] *nullâ re populo ademptâ.*

[c] *quod enim ad Lucceium pertinet, res ita peracta eſt.*

[d] *illud moleſtè ferrem, ſi per imprudentiam aſcripſiſſem, te, &c.*

[e] *cùm conſtet certiſſimis argumentis, id eſt ſenatuſconſulto, & meis tuiſque litteris iſtam pecuniam traditam eſſe P. Seſtio.*

[f] in rationibus meis *non ſcripſi*, depoſitam à te pecuniam meo juſſu.

[g] *& quamvis eſſet cauſa cur negarem*, non negarem tamen, *modò tu nolles* hoc à me negari.

[h] quatre-vingts dix mille livres.

[i] *quandoquidem res quæ ad fanum pertinet, non ſatis cautè tractata eſt ſi quid eſt quod corrigere poſſim, &c.*

NOTÆ.

11. *De Lucceio*] Legunt alii, *De Logeo*; putantque fuiſſe fanum, in quo pecuniæ deponerentur.

12. *Seſtius*] Initio belli civilis fuit inter Pompeianos cum imperio : hanc autem pecuniam, jubente Pompeio, fortè acceperat, ut eâ contra Cæſarem uteretur.

13. *Te in fano pecuniam*] Quam Seſtius abſtulerat.

14. *Te deſiderare*] Voluiſſet Rufus aſcribi id quod verum erat, hanc pecuniam à ſe depoſitam Ciceronis juſſu, ut, in quem eumque uſum impenderetur, totius ipſe periculi eſſet expers.

15. *Tibi eſſe referendum*] Hic locus indicat, provinciæ rationes, & à Proconſule, & à Quæſtore ſeparatim referri ſolitas.

16. *Idem ipſe ſentio*] Ut in ejus pecuniæ mentione addatur, quod ego non addidi, depoſitam à te eſſe meo juſſu.

17. *Non diſcrepabunt*] Quanquam omiſerim aliquid in meis rationibus, quod in tuis repones.

18. *Parùm proviſum eſt*] Quia cùm ibi pecunia deponeretur, non erat additum, deponi Ciceronis juſſu.

Digitized by Google

quod ego in rationibus referendis etiamnum corrigere possim : [k] de eo mihi cùm s. c. non sim usus, quid per leges liceat, considerandum est. [l] te certè in pecuniâ exactâ ita efferre ex meis rationibus relatis non oportuit : nisi quid me fallit : sunt enim alii peritiores. Illud cave dubites, quin ego omnia faciam, quæ interesse tuâ, aut etiam velle te existimem, si ullo modo facere possim. Quòd scribis [19] de beneficiis, scito à me & tribunos militum, & præfectos, & [20] contubernales duntaxat meos delatos esse. in quo quidem ratio me fefellit. [m] liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari : postea certior sum factus, [n] triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissem. sanè molestè tuli, non illa beneficia tuæ potiùs ambitioni reservata esse, quàm meæ, qui ambitione nihil uterer. de centurionibus tamen, & de tribunorum militum contubernalibus [o] res est in integro : [p] genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. [q] Reliquum est de H-S. centum millibus, de quibus memini mihi à te [21] Myrinæ literas esse allatas, [r] non mei errati, sed tui : in quo peccatum videbatur esse, si modò erat, fratris tui, & Tullii. sed cùm id corrigi non posset, quòd jam depositis rationibus ex provinciâ decessissemus : credo me quidem tibi pro animi mei voluntate, [22] proque eâ spe [s] facultatum, quam tùm habebamus, quàm humanissimè potuerim, scripsisse. [t] sed neque tùm me humanitate mearum literarum [23] obligatum puto, neque tuam hodie epistolam

INTERPRETATIO.

[k] *considerandum quid per leges liceat, cùm eâ de re senatusconsultum nondum extet*, quòd impediat quominùs corrigere possim rationes meas.

[l] *certè non oportuit de pecuniâ collectâ sic te esse sollicitum, & ita iratsci quòd rationes meas in ærarium retulerim.*

[m] *existimabam enim liberum esse mihi quovis tempore eorum deferre nomina.*

[n] *triginta diebus, postquàm rationes retulissem.*

[o] *potes eorum nomina deferre.*

[p] *pro his enim beneficiis lex nullam certam diem definivit.*

[q] *restat ut loquar de* H S *centum millibus*, des dix mille livres, *de quibus memini à te mihi scriptum esse ex civitate Myrinensi.*

[r] *in quo nihil à me peccatum est, sed à te vel potiùs à fratre tuo, & à Tullio scribâ.*

[s] *commodorum.*

[t] *at spero futurum, ut littera quas humanissimè ad te scripsi, non sint mihi detrimento.*

NOTÆ.

19. *De beneficiis*] Proconsules, Quæstoresque Romam reversi, relatisque ad ærarium suis rationibus, eorum nomina deferebant, qui strenuam & fidelem in provinciâ operam navassent. Illi autem *deferri in beneficiis* dicebantur, quòd eorum fides, & labor Reipublicæ profuisset : in quo erat & Proconsulum, Quæstorumque, qui deferebant, ambitio quædam, ostendendis non suis solùm, verùm etiam aliorum in Rempublicam meritis, & beneficiis.

20. *Contubernales*] Nobiles erant adolescentes, qui cum Proconsulibus in provincias discedebant, ut ad publica negotia maturiùs animum applicarent.

21. *Myrinæ*] Quæ & Sebastopolis Plinio, urbs Æolidis maritima.

22. *Proque eâ spe facultatum*] His verbis videtur significare bello civili factum esse initium, & amissam spem commodorum, quam antè habuerat.

23. *Obligatum*] In suis ad Rufum litteris fassus erat Cicero, se mutuam ab eo accepisse pecuniam,

Digitized by Google

[a] de H-S centum sic accepisse, ut ii accipiunt, quibus epistolæ per hæc tempora [24] molestæ sunt. Simul illud cogitare debes, me [x] omnem pecuniam, quæ ad me salvis legibus perveniisset, Ephesi apud publicanos depositam fuisse: id fuisse [y] H-S XXII: eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse. quod ego sive æquo animo fero, sive iniquo, [z 25] de H-S centum millibus æquo animo ferre debes, & existimare, [a] eo minùs ad te vel de tuis cibariis, vel de meâ liberalitate perveniisse. [b] quòd si mihi expensa [c] ista H-S centum tulisses: tamen, quæ tua est suavitas, quique in me amor, nolles à me hoc tempore [d] æstimationem accipere. [e] nam numeratum si cuperem, non erat. Sed hæc jocatum me putato, ut ego te existimo. ego tamen, cùm Tullius rure redierit, mittam eum ad te, si quid ad rem putabis pertinere. [f] Hanc epistolam cur non scindi velim, causa nulla est. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] dix mille livres.
[x] *maximam partem,*
[y] deux cens vingt mille livres.
[z] dix mille livres.
[a] *vel minorem tibi commeatum à Senatu attributum fuisse, vel me minùs in te extitisse liberalem.*
[b] *quòd si mihi commodasses.*
[c] ces dix mille livres.
[d] *possessionem æstimatam accipere pro pecuniâ mihi commodatâ.*
[e] *nam si cuperem numerare tibi præsentem pecuniam, non possem, quia* deficit.
[f] *epistolam hanc, ubi lecta erit, lacerare potevis.*

NOTÆ.

24. *Molestæ sunt*] Quia pecuniam à debitoribus exigebant, quæ propter civiles motus parata non erat.

25. *Te de* H-S *centum millibus*] Quam summam Rufus fortè amissurus erat.

EPISTOLA XXI.

Cupidum se esse significat Messinii videndi, eumque hortatur, ut acerbitatem temporum litterarum studio mitiget. Cæsare tertium, & Lepido Consulibus, cùm Cæsar in Africâ bellum gereret, anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

Cicero S. D. L. Messinio.

GRATÆ mihi tuæ literæ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam sine literis arbitrabar, videndi mei te summâ cupiditate affectum esse. quod ego ita libenter accipio, [a] ut tamen tibi non concedam. [b] Nam tecum esse, ita mihi omnia, quæ opto, contingant, ut vehementer velim. [c] etenim, cùm esset major & virorum, & civium bonorum, & jucundorum hominum, & amantium mei copia, tamen erat nemo, quicum essem libentius, quàm

INTERPRETATIO.

[a] *ut tamen super hac re tibi non cedam.*
[b] *nam tecum esse, tam vehementer velim, quàm velim, ut mihi contingant omnia quæ opto.*
[c] *etenim si tùm, cùm erat major multitudo, &c.*

tecum, & pauci quibuscum æquè libenter : [d] hoc verò tempore, cùm alii interierint, alii absint, [e] alii mutati voluntate sint, unum mediusfidius tecum diem libentius posuerim, quàm hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuscum vivo necessariò. noli enim existimare, mihi non solitudinem jucundiorem esse, quâ tamen ipsâ uti non licet, quàm sermones eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno, aut ad summum altero. Itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, literulis nostris, præterea etiam conscientia consiliorum meorum. ego enim is sum, quemadmodùm tu facillimè potes existimare, [f] qui nihil unquam mea potiùs, quàm meorum civium causâ fecerim : [i] cui nisi invidisset [g] is, quem tu nunquam amasti, (me enim amabas) & ipse beatus esset, & omnes boni. ego sum [h] qui nullius vim plus valere volui, quàm honestum otium. idemque, cùm [i] illa ipsa arma, quæ semper timueram, plus posse sensi, quàm illum consensum bonorum, [z] quem ego idem effeceram, quavis tutâ conditione pacem accipere malui, quàm viribus cum [k] valentiore pugnare. Sed & hæc, & multa alia coram brevi tempore licebit. neque me tamen ulla res alia Romæ tenet, nisi expectatio [l] rerum Africanarum. videtur enim mihi res [3] in propinquum adducta discrimen. Puto autem [4] meâ nonnihil interesse, quanquam id ipsum quid interfit, non sanè intelligo : veruntamen, quidquid illinc nuntiatum sit, [m] non longè abesse à consiliis amicorum. est enim res ipsa jam in eum locum adducta, ut, quanquam [5] multùm interfit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter victorias [6] non multùm interfuturum putem. Sed planè animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multùm : quem etiam superiores tuæ literæ con-

INTERPRETATIO.

[d] *sed cùm in Pharsalicâ pugnâ.*
[e] *non eodem in me animo.*
[f] *qui civium meorum commoda, meis semper commodis antè tulerim.*
[g] *Pompeius.*
[h] *ego sum qui honestam pacem bello quovis potiorem esse duxi.*
[i] *Cæsaris.*
[k] *Cum Cæsare.*
[l] *Africani belli.*
[m] *non longè absum ab amicis, ut ab iis consilium capiam.*

NOTÆ.

1. *Cui nisi invidisset is*] Respicit, opinor, ad illud tempus, quo proditus à Pompeio, & Clodiano furori, contra datam fidem, expositus, in exilium abiit.

2. *Quem ego effeceram*] Effecerat in Consulatu Cicero, ut boni cives societatem dirimendâ Republicâ simul coïrent; sed ubi Cæsar Italiam armatus subiit, privati quisque commodis, publico neglecto, consuluit.

3. *In propinquum adducta discrimen.*] Quia jam in Africâ dimicandum erat de summâ rerum, Cæsarianos inter & Pompeianos.

4. *Meâ non nihil interesse*] Quoniam Pompeianis adhuc partibus faverat, quamvis reconciliatus erat Cæsari.

5. *Multùm interfit*] Pompeianam utique meliorem judicabat.

6. *Non multùm interfuturum*] Victoria enim ex parte Pompeii eadem, ex parte Cæsaris servitutem ostentabat, utrobique libertatis,

firmarunt : quibus intellexi, quàm fortiter [7] injuriam ferres : [n] juvitque me, tibi cùm ſummam humanitatem, tùm etiam tuas literas profuiſſe. [o] Verum enim ſcribam : teneriore mihi animo videbare, ſicut omnes ferè, qui, vita ingenua, in beatâ, & liberâ civitate viximus. ſed ut illa ſecunda moderatè tulimus : ſic hanc non ſolùm adverſam, ſed etiam funditùs everſam fortunam fortiter ferre debemus : ut hoc ſaltem in maximis malis boni conſequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quòd nullum ſenſum eſſet habitura, nunc, ſic affecti, non modò contemnere debeamus, ſed etiam optare. Tu, ſi me diligis, fruere iſto otio, tibique perſuade, PRÆTER culpam, ac peccatum, quo ſemper caruiſti, & carebis, homini accidere nihil poſſe, quod ſit horribile, aut pertimeſcendum. Ego, ſi videbitur rectè fieri poſſe, ad te veniam brevi : ſi quid acciderit, ut mutandum conſilium ſit, te certiorem faciam ſtatim. Tu ita fac cupidus mei videndi ſis, ut iſtinc te ne moveas tam infirmâ valetudine, niſi ex me priùs quæſieris per literas, quid te velim facere. Me velim, ut facis, diligas, valetudinique tuæ, & tranquillitati animi ſervias. Vale.

INTERPRETATIO.

[n] *& ſum lætatus, quòd & tua ſumma humanitas, & ſcientia tibi* hoc tempore *profuerit.*

[o] *nam ut verum fatear.*

NOTÆ.

libertatis, & Reipublicæ interitum.

7. *Injuriam ferres*] Meſſinius juſſu Cæſaris aberat ab urbe, quòd initio belli civilis Pompeio adhæſiſſet.

LIBER VI.

AD TORQUATUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Torquatum, quòd Pompeio faviſſet, exulantem Cicero conſolatur. Cæſare quartùm Conſule ſine collega, & in Hiſpaniâ cum Pompeii filiis bellante, ut Manutius ſuſpicatur, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo octavo.

Cicero S. D. A. Torquato.

ETSI ea perturbatio eſt omnium rerum, ut ſuæ quemque fortunæ maximè pœniteat, nemoque ſit, quin ubivis, quàm ibi, ubi eſt, eſſe malit, tamen mihi dubium non eſt, quin [1] hoc tempore bono viro Romæ eſſe,

NOTÆ.

1. *Hoc tempore*] Quo pugnatur in Hiſpaniâ cum Pompeii liberis.

Digitized by Google

miserrimum sit. nam, etsi quocunque in loco quisque est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum, & suarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec avertere à miseriis cogitationem sinunt. Quare, etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est: tamen illo dolore, quo maximè te confici audio, quòd Romæ non sis, animum tuum libera. etsi enim cum magnâ molestiâ tuos, tuaque desideras: tamen [2] illa quidem, quæ requiris, suum statum tenent, nec melius, si tu adesses, tenerent, nec sunt ullo in proprio periculo. nec debes tu, cùm de tuis cogitas, aut [a] præcipuam aliquam fortunam postulare, [b] aut communem recusare. De te autem ipso, Torquate, est tuum [c] sic agitare animo, ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem, aut timorem. [d] Nec enim is, qui in te adhuc injustior, quàm tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati. [e] nec tamen is ipse, à quo salus petitur, habet explicatam, aut exploratam rationem salutis suæ. CUMQUE omnium bellorum exitus incerti sint, [f] ab alterâ victoriâ tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem sejunctum sit ab omnium interitu: [g] ab alterâ te ipsum nunquam timuisse, certò scio. Reliquum est, ut te id ipsum, quod ego quasi [3] consolationis loco pono, maximè excruciet, commune periculum reipublicæ, cujus [4] tanti mali, quamvis docti viri [5] multa dicant, tamen vereor ne consolatio ulla possit [6] vera reperiri, [h] præter illam quæ tanta est, quantùm in cujusque animo roboris est, atque nervorum. Si enim, BENE sentire, rectèque facere, satis est ad benè beatèque vivendum: [i] vereor, ne, cum, qui se optimorum consiliorum [k] conscientia sustentare possit, miserum esse, nefas sit dicere. [l] nec enim nos arbitror, victoriæ præmiis ductos, patriam [m] olim, & liberos, & fortunas reliquisse: [n] sed quoddam nobis officium justum, &

INTERPRETATIO.

[a] *aut queri quasi privatam calamitatem patiaris.*

[b] *aut eam calamitatem recusare, quæ omnibus communis est.*

[c] *sic debes de tuâ fortunâ sentire, ut nihil desperationi, aut timori tribuas.*

[d] *nam Cæsar magna signa dedit, &c.*

[e] *& idem Cæsar, qui servat alios, sua vix potest saluti consulere.*

[f] *Cæsariana.* [g] *Pompeiana.*

[h] *præter illam, quam quisque capere potest ex animi sui robore, & constantiâ.*

[i] *non debet, ut opinor, miser ille dici, qui cogitat se semper benè sensisse.*

[k] *recordatione.*

[l] *nec enim interfuimus bello civili, ut victoriæ præmium reciperemus.*

[m] *initio* belli civilis.

[n] *sed quia credidimus id nos debere & Reipublicæ, & nostræ dignitati.*

NOTÆ.

2. *Illa quæ requiris*] Liberi scilicet, amici, bona.

3. *Consolationis loco pono*] Hoc fuit jam antea, cùm dixit, non esse recusandam hanc fortunam, quæ nobis cum omnibus communis esset.

4. *Tanti mali*] Interitûs scilicet Reipublicæ.

5. *Multa dicant*] Quæ ad consolandum valent.

6. *Vera*] Id est, quæ dolorem prorsùs omnem tollat.

Digitized by Google

pium, & debitum reipublicæ, noſtræque dignitati videbatur : [o] qui neque, cùm id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis eſſet victoria. [p] Quare ſi id evenit, quod ingredientibus nobis in cauſam propoſitum fuit accidere poſſe : non debemus ita cadere animis, quaſi aliquid evenerit, quod fieri poſſe nunquam putarimus. Simus igitur eâ mente, quam ratio, & veritas præſcribit, ut nihil in vitâ nobis [q] præſtandum præter culpam putemus : eâque cùm careamus, omnia humana placatè & moderatè feramus. Atque hæc eò pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipſa virtus ſe ſuſtentare poſſe videatur. ſed ſi eſt ſpes aliqua rebus communibus, ea tù, quicunque ſtatus eſt futurus, carere non debes. Atque hoc mihi ſcribenti veniebat in mentem, me eum eſſe, [7] cujus tu deſperationem accuſare ſolitus eſſes, quemque auctoritate tuâ cunctantem, & diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego [r] cauſam noſtram, [8] ſed conſilium improbabam. ſerò enim nos [s] iis armis adverſari videbam, quæ multò antè [9] confirmata per noſmetipſos erant, dolebamque, [10] pilis, & gladiis, non conſiliis, neque auctoritatibus noſtris, [t] de jure publico diſceptari. [u] Neque ego ea quæ facta ſunt, fore cùm dicebam, divinabam futura : [x] ſed quod & fieri poſſe, & exitioſum fore, ſi eveniſſet, videbam, id ne accideret, timebam : [y] præſertim cùm, [11] ſi mihi alterutrum de eventu, atque exitu rerum promittendum eſſet, id futurum, quod evenit, exploratiùs poſſem promittere. iis enim rebus præſtabamus, quæ non prodeunt in aciem : uſu autem armorum, & militum robore inferiores eramus. Sed tu [z] illum animum nunc adhibe quæſo, quo me [a] tùm eſſe oportere cenſebas. Hæc eò

INTERPRETATIO.

[o] *& cùm ad bellum proficiſcebamur, non eramus tam amentes, ut certam nobis eſſe victoriam putaremus.*

[p] *quarè ſi victi ſumus, quod initio belli judicavimus accidere poſſe.*

[q] *vitandum.*

[x] *Pompeianam.*

[s] *Cæſarianis.*

[t] *de Republicâ.*

[u] *& cùm dicebam, fore ut* Pompeius *vinceretur, non hoc certò divinabam.*

[x] *ſed videbam fieri poſſe, ut cladem acciperet* Pompeius, *idque ſi eveniret,* prævidebam *exitioſum fore, quare timebam ne id contingeret.*

[y] *& verò ſi interrogatus eſſem, uter vincere deberet, victoriam* Cæſari *certiùs, quàm* Pompeio *promiſiſſem.*

[z] *illud robur.*

[a] *initio belli civilis.*

NOTÆ.

7. *Cujus tu deſperationem*] Quia ſæpè dicebat Cicero, actum eſſe de Republicâ, ſi res ad arma deduceretur, adeóque pacem vel iniquis conditionibus eſſe faciendam.

8. *Sed conſilium*] Pompeianorum, qui controverſiam armis dirimi volebant.

9. *Confirmata per noſmetipſos*] Cæſaris potentiam confirmaverunt Pompeius & Cicero, cùm ei Galliarum adminiſtrationem in alterum quinquennium prorogari curaverunt, & in omnibus abſentem juverunt.

10. *Pilis*] Quibus erant inferiores Pompeiani, non conſilio, & authoritate quibus erant ſuperiores.

11. *Si mihi alterutrum*] Longè anteà prævideratvictorem fore Cæſarem, quòd legiones haberet robuſtiſſimas, tironem verò & collectitium exercitum Pompeius.

Digitized by Google

scripsi, quòd mihi nunc [12] Philargyrus tuus, omnia de te requirenti, fidelissimo animo, ut mihi quidem visus est, narravit, te interdùm solicitum solere esse vehementiùs. quod facere non debes, nec dubitare, quin aut [b] aliquâ repub. sis futurus, qui esse debes: aut perdita, non afflictiore conditione, quàm cæteri. Hoc verò tempus, quo exanimati omnes, & [13] suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quòd & [c] in eâ urbe es, ubi nata, & alta est ratio, ac moderatio vitæ: & habes [14] Ser. Sulpicium, quem semper unicè dilexisti, qui te profectò & benevolentia, & sapientia consolatur. cujus si essemus auctoritatem & consilium secuti, [d] [15] togati potiùs potentiam, quàm armati victoriam subissemus. Sed hæc longiora fortasse fuerunt, quàm necesse fuit. illa, quæ majora sunt, breviùs exponam. Ego habeo, cui plus quàm tibi debeam, neminem. quibus tantùm debebam, quantùm tu intelligis, eos mihi hujus belli [e] casus eripuit. [e] qui sim autem hoc tempore, intelligo. sed quia NEMO est tam afflictus, qui si nihil aliud studeat, nisi id quod agit, non possit navare aliquid, & efficere: omne meum consilium, operam, studium, certè velim existimes tibi, tuisque liberis esse debitum. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *si superfit pars aliqua Reipublicæ, statum tuum in urbe obtinebis.*
[c] *Athenis.*
[d] *paruissemus quidem* Cæsari, *sed* Consuli *togato, non armato* duci.
[e] *quàm sim miser.*

NOTÆ.

12. *Philargyrus*] Torquati libertus.
13. *Suspensi*] Ob Hispaniense bellum, cujus in dies exitus expectabatur.
14. *Ser. Sulpicium*] Quem eodem tempore Græciæ Cæsar præfecerat.
15. *Togati*] Si Cæsar, ut ipse petierat, depositis armis, Consul esset factus.
15. *Casus eripuit*] Pompeium in primis, & Lentulum, quorum operâ fuerat ab exilio revocatus.

EPISTOLA II.

Torquato spem facit de reconciliato Cæsaris animo; subjungitque, nihil ei præcipuè timendum esse. Scripta videtur eodem anno.

M. Cicero s. d. A. Torquato.

PETO à te, ne me putes oblivione tui rariùs ad te scribere, quàm solebam, sed aut gravitate valetudinis, quâ tamen jam paululùm videor levari, aut quòd absim ab urbe, ut qui ad te proficiscantur, scire non possim: quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam summâ cum benevolentiâ tenere, tuasque omnes res non minori mihi curæ, quàm meas esse. [1] Quòd majore in varietate versata est adhuc tua causa, quàm homines aut

NOTÆ.

1. *Quòd majore in varietate*] In eo fuit hæc varietas, quòd cùm Torquato concessus fuisset à Cæsare in Italiam reditus, & fore sperarent ejus amici, ut in urbem quo-

volebant, aut opinabantur: mihi crede, non est [a] pro malis temporum, quod molestè feras. necesse est enim, [b] aut armis urgeri rempublicam sempiternis: aut, his positis, recreari aliquando, aut funditùs interire. [c] si arma valebunt, nec [d] eos, à [e] quibus reciperis, vereri debes, nec [f] eos, quos adjuvisti. sin armis aut conditione positis, aut defatigatione abjectis, aut victoriâ detractis, civitas respiraverit: & dignitate tuâ frui tibi, & fortunis licebit. sin omninò interierint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentissimus [2] M. Antonius [3] jam tùm timebat, cùm tantùm instare malorum suspicabatur: misera est illa quidem consolatio, tali præsertim civi, & viro, sed tamen necessaria, NIHIL esse præcipuè cuiquam dolendum in eo, quod accidat universis. [g] quæ vis insit [4] in his paucis verbis (plura enim committenda epistolæ non erant) si attendes, quod facis, profectò etiam sine meis literis intelliges, te aliquid habere, quod speres: nihil, [h] quod aut hoc, aut aliquo reipublicæ statu timeas. omnia si interierint, [i] cùm superstitem te esse reipublicæ ne si liceat quidem velis, ferendam esse fortunam, præsertim quæ absit à culpâ. Sed hæc hactenùs. Tu velim scribas ad me, quid agas, & ubi futurus sis, ut aut quò scribam, aut [5] quò veniam, scire possim. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *si* tempora consideres, *quæ pessima sunt.*
[b] *aut perpetuò armis disceptari de Republicâ.* [c] *si semper armis disceptatur.*
[d] *Cæsarianos.*
[e] *per quos tibi licet in Italiam redire.*
[f] *Pompeianos.*
[g] *si attendes uti facis, quanta vis insit, &c.*
[h] *aut præsenti, aut aliquo* alio *statu Reipublicæ.*
[i] *quandoquidem, etsi posses, nolles tamen te esse superstitem Reipublicæ* eversæ.

NOTÆ.

que redeundi potestas ei fieret, in hoc se difficilem Cæsar præbuerit.

2. *M. Antonius*] Summus ille Orator à Cicerone tantoperè laudatus, & cujus ingenium, eloquentiam, & mores in Bruto expressit.

3. *Jam tùm timebat*] Priùs quàm civile bellum ortum esset Syllam inter & Marium, quo in bello cæsus est.

4. *In his paucis verbis*] Quæ suprà attulit, *necesse est enim, aut armis urgeri rempublicam*, &c. quæ verba Torquato consolationis nonnihil afferre debent, ut patet ex ipso contextu.

5. *Aut quò veniam*] Unde apparet jam tùm Athenis, in Italiam Torquatum advenisse.

EPISTOLA III.

Torquatum de præsenti rerum statu plus nimio sollicitum consolari pergit. Scripta est hæc epistola paucis diebus post primam, eodem anno.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

SUPERIORIBUS literis benevolentiâ magis adductus, quàm quòd res ita postularet, [1] fui longior. neque enim confirmatione nostrâ egebat

NOTÆ.

1. *Fui longior*] Verba hæc indicant, scriptam hanc fuisse epistolam paucis post primam diebus.

virtus tua: [a] neque erat ea mea causa, atque fortuna, ut, cui omnia de esſent, alterum confirmarem. hoc item tempore brevior esſe debeo. [b] sive enim tùm nihil opus fuit tam multis verbis, nihilo magis nunc opus est: [c] sive tùm opus fuit, illud satis est, præsertim cùm accesſerit nihil novi. nam etsi quotidie aliquid audimus [d] earum rerum, quas ad te perferri existimo: [e] summa tamen eadem est, & idem exitus, quem ego tam video animo, quàm ea quæ oculis cernimus. Nec verò quidquam video, quod non idem te videre certò sciam. nam etsi, quem exitum [f] acies habitura sit, divinare nemo potest: [g] tamen & belli exitum video, [h] &, si id minus, [i] hoc quidem certè, cùm sit necesſe alterutrum vincere, qualis futura sit vel hæc, vel illa victoria: [k] idque cùm optimè perspexi, tale video, nihil ut mali videatur esſe futurum, si id vel antè acciderit, quod vel maximum ad timorem proponitur. ITA enim vivere, ut non sit vivendum, miserrimum est: mori autem nemo sapiens miserum duxit, ne beato quidem. Sed in [l] eâ es urbe, in quâ hæc vel plura, & ornatiora [s] parietes ipsi loqui posse videantur. Ego tibi hoc confirmo, ETSI levis est consolatio ex miseriis aliorum, [m] nihilo te nunc majore in discrimine esſe, quàm quemvis aut eorum, [4] qui discesſerint, aut eorum, qui remanserint. [5] alteri dimicant: [6] alteri victorem timent. [7] Sed hæc consolatio levis: [8] illa gravior, quâ te uti spero: ego certè utor. nec enim [n] dùm ero, angar ullâ re, cùm omni vacem culpâ: &, [o] si non ero, sensu omninò carebo. Sed rursùs [p] γλαῦκ᾽ εἰς Ἀθήνας, qui ad

INTERPRETATIO.

[a] *neque is erat meorum rerum status, ut ego cui omnia, &c.*

[b] *quod si in primâ epistolâ non opus fuit* multis verbis, *nec multa* certè *hæc exigit.*

[c] *quod si* in primâ epistolâ *opus fuit multis verbis, hæc saltem sufficiunt*, nec plura nunc debent addi.

[d] *belli Hispanici* contra Pompeii liberos.

[e] *idem tamen periculum.*

[f] *pugna Hispanica.*

[g] *tamen video bellum non fore diuturnum.*

[h] *quod si hoc minùs* quoque video.

[i] *tamen, cùm sit necesſe, ut vel Pompeiani, vel Cæsariani vincant, video qualis futura sit vel Pompeianorum, vel Cæsarianorum victoria.*

[k] *iisque attentè consideratis, video nihil mali nobis futurum, si* mors; *quæ maximum ad timorem* malum *proponitur, nobis acciderit, etiam priùs quàm* bellum civile terminetur. [l] *Athenis.*

[m] *non majore te nunc in discrimine.*

[n] *dùm vivam.*

[o] *& post mortem.*

[p] *sed nocturnam Athenas deportat, qui ad te hæc scribit.*

NOTÆ.

2. *Hoc quidem certè*] Significat sæpè Cicero futuram fuisse crudelem victoriam, in quamlibet partem inclinaret.

3. *Parietes ipsi*] Quoniam Athenis Philosophi benè multi de contemptu mortis haud semel disſeruerant.

4. *Qui discesſerint*] Post cladem Pharsalicam nonnulli, relicto Pompeiano exercitu, desperatisque rebus, secesſerant, ut Marcellus, Torquatus, &c. Alii in Pompeianâ causâ tuendâ pertinaces remanserant, ut Scipio, Petreius, Cato, Labienus, Pompeii liberi, &c.

5. *Alii*] Qui remanserant.

6. *Alii*] Qui secesſerant.

7. *Sed hæc consolatio levis*] Considerare scilicet fortunam aliorum nostrâ meliorem non esſe.

8. *Illa gravior*] Illa melior, quæ consistit in rectâ conscientiâ.

9. *Nocturnam Athenas*] Adagium est, inde petitum, quod ingens fuerit noctua-

Digitized by Google

te hæc. Mihi tu, tui, tua omnia maximæ curæ sunt, &, dùm vivam, erunt. Vale.

NOTÆ.

rum Athenis multitudo, vel ex monetâ, quam Athenienses Noctuæ imagine signabant: simili utimur proverbio, ut ostendamus aliquid supervacaneum esse, cùm vernaculè dicimus, *c'est porter de l'eau à la mer.*

EPISTOLA IV.

Torquatum ita consolatur, ut tamen de Republicâ vix quidquam sperandum esse significet. Scripta est paucis diebus post superiorem proximam, eodem anno.

M. Cicero s. d. A. Torquato.

NOVI, quod ad te scriberem, nihil erat: & tamen, si quid esset, sciebam te à tuis certiorem fieri solere. de futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum conjectura possis propiùs accedere, cùm res est ejusmodi, [a] cujus exitus provideri possit. Nunc tantùm videmur intelligere, [b] non diuturnum bellum. [c] etsi id ipsum non nullis videatur secus. equidem cùm hæc scribebam, aliquid jam actum putabam, non quòd ego certò scirem, sed quòd non difficilis erat conjectura. Nam cùm omnis belli Mars communis, & cùm semper incerti exitus præliorum sunt: tùm hoc tempore ita magnæ utrinque copiæ, ita paratæ ad depugnandum esse dicuntur, ut, utercunque vicerit, non sit mirum futurum. Illa in dies singulos magis magisque [e] opinio hominum confirmatur: etiam si inter causas armorum aliquantum interfit, [1] tamen inter victorias non multùm interfuturum: [f] [2] alteros propemodum jam sumus experti: [g] de altero, nemo est quin cogitet quàm sit metuendus [3] iratus victor armatus. Hoc loco si videor augere dolorem tuum, quem consolando levare debebam, fateor me communium malorum consolationem nullam invenire, præter illam, quæ tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quâque ego quotidie magis

INTERPRETATIO.

[a] *ut ejus exitus, &c.*
[b] *non diuturnum fore bellum* Hispaniense.
[c] *quanquam alii aliter judicent.*
[d] *putabam* bellum Hispaniense *jam ex parte terminatum.*
[e] *hoc sibi persuasum homines habent, non multùm fore discriminis inter victorias, etiamsi inter causas, &c.*
[f] *Pompeianos.*
[g] *de Cæsare.*

NOTÆ.

1. *Tamen inter victorias*] Vide superiorem epist.

2. *Alteros*] Pompeiani jam ab initio belli declaraverant, hunc hostis habituros loco, qui castris Pompeii relictis, ad otium se conferret: & certè post expeditionem Pharsalicam, ut Plutarchus scribit, Cicero ipse à Pompeio juniori pænè interfectus est, quia dixerat sibi esse deliberatum in otio deinceps, & omni bello procul vivere.

3. *Iratus*] Iis qui Pompeio faviſſent.

Digitized by Google

utor; CONSCIENTIAM rectæ voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum; nec esse ullum magnum malum præter culpam. à quâ quando tantùm absumus, ut etiam optimè sentiamus, [4] eventusque magis nostri consilii, [5] quàm consilium reprehendatur, & quando præstitimus, quod debuimus: moderatè, [6] quod evenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miseriis, quæ & ad consolandum majoris ingenii, & ad ferendum singularis virtutis indigent. Illud cuivis facile est docere, cur præcipuè tu dolere nihil debeas. [h] ejus enim, qui tardior in te levando fuit, quàm fore putaramus, non est mihi dubia de tuâ salute sententia: [i] de aliis autem non arbitror te expectare quid sentiam: [k] Reliquum est ut te angat, quòd absis à tuis tam diù: res molesta, præsertim ab iis pueris, quibus nihil potest esse festivius. sed, ut antè ad te scripsi, tempus est hujusmodi, ut suam quisque conditionem miserrimam putet: & ubi quisque sit, ibi esse minimè velit. Equidem nos quòd Romæ sumus, miserrimum esse duco, non solùm quòd in omnibus malis acerbius est videre, quàm audire; sed etiam [l] quòd ad omnes casus subitorum periculorum magis objecti sumus, quàm si abessemus. etsi me ipsum consolatorem tuum non tantùm literæ, quibus semper studui, quantùm [m] longinquitas temporis mitigavit. quanto fuerim dolore meministi. in quo prima illa consolatio est, vidisse me plus, quàm cæteros, cùm cupiebam quamvis iniquâ conditione pacem. quod etsi casu, non divinatione meâ factum est: tamen hac inani prudentiæ laude delector. Deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si [n] jam vocer ad exitum vitæ, non ab eâ republicâ avellar, quâ carendum esse doleam, [o] præsertim cùm id sine ullo sensu futurum sit. Adjuvat etiam ætas, & acta jam vita, quæ cùm cursu suo benè confecto delectatur, tùm vetat [p] in eo vim timere, quò nos jam natura ipsa penè perduxerit. Postremò [q] is vir, vel etiam [r] ii viri hoc bello occiderunt, ut impudentia videatur, eandem fortunam, si res cogat, recusare. equidem mihi omnia propono: nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere: sed CUM PLUS in metuendo mali sit, quàm

INTERPRETATIO.

[h] *non enim dubito quin Cæsar salutem tuam velit, quanquam in te servande tardior fuit, quàm fore putabamus.*
[i] *de Pompeianis autem*, si vicerint.
[k] *unus igitur tibi superesse dolor potest, quod scilicet absis à tuis; id esse molestum fateor, abesse præsertim à pueris.*
[l] *quod subitis periculis magis objecti sumus in urbe.*
[m] *diuturnitas.*
[n] *si vita mihi eripiatur.*
[o] *præsertim cùm mors sensum omnem auferat.*
[p] *in morte, à quâ propè jam absumus.*
[q] *Pompeius.*
[r] *Bibulus, Lentulus, &c.*

NOTÆ.

4. *Eventusque*] Quia victus est Pompeius, quem Cicero sequutus erat.
5. *Quàm consilium*] Quia Pompeianas ad partes accesserat, eâ tantùm mente, ut publicam libertatem tueretur.
6. *Quod evenit*] Pharsalicam cladem.

7. *Servium*

Digitized by Google

[f] in illo ipso, quod timetur, desino: præsertim [t] cùm id impendeat, in quo non modò dolor nullus, verùm finis etiam doloris futurus sit. Sed hæc satis multa, vel plura potiùs, quàm necesse fuit. facit autem non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistolas. 7 Servium discessisse Athenis, molestè tuli. non enim dubito, quin magnæ tibi levationi sit solitus esse quotidianus congressus, & sermo cùm familiarissimi hominis, tùm optimi & prudentissimi viri. Tu velim te, ut debes, & soles, tuâ virtute sustentes. ego, quæ te velle, quæque ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiosè, diligenterque curabo. quæ cùm faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] in malo ipso. [t] cùm mors impendeat, in quâ, &c.

NOTÆ.

7. Servium] Sulpicium, quem Græciæ Cæsar præfecerat.

EPISTOLA V.

Cæcinam, jussu Cæsaris, in quem scripserat, exulantem consolatur, & fortunæ melioris in spem adducit. hac epistolâ septimæ respondet à Cæcina scriptæ. Cæsare tertium, & Lepido Coss. paulò antequam Cæsar in Hispaniam contra Pompeii liberos abiret, anno u. c. septingentesimo septimo.

Cicero S. D. A. Cæcinæ.

QUOTIESCUNQUE filium tuum video, (video autem ferè quotidie) polliceor ei studium quidem meum, & operam sine ullâ exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem, atque auctoritatem cum hac exceptione, quantùm valeam, quantúmque possim. [1] Liber tuus, & lectus est, & legitur à me diligenter, & [2] custoditur diligentissimè. Res, & fortunæ tuæ mihi maximæ curæ sunt, quæ quidem quotidie faciliores mihi, & meliores videntur: multisque video magnæ esse curæ: quorum de studio, & de suâ spe filium ad te perscripsisse certò scio. Iis autem de rebus, quas conjectura consequi possumus, non mihi sumo, ut plus ipse prospiciam quàm te videre, atque intelligere mihi persuaserim. sed tamen, quia fieri potest, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto

NOTÆ.

1. Liber tuus] In quo non leviter Cæsarem Cæcina perstrinxerat, quanquam Manutius existimat hîc agi de libro quem in laudem Cæsaris scripserat Cæcina; putarque librum, quo eundem laceravit, scriptum esse antè; quod probabilius: quare hæc epistola post septimam est collocanda.

2. Et custoditur] Ne fortè, si prodiret in publicum, priùs Cæsari quàm probaretur, implacabilem Cæsar se præberet.

esse meum, quid sentiam, exponere. [a] Ea natura rerum est, & [1] is temporum cursus, ut non possit ista aut tibi, aut cæteris fortuna esse diuturna, neque hærere [4] in tam bonâ causâ, & in tam bonis civibus tam acerba injuria. [b] Quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, [c] non solùm propter dignitatem, & virtutem tuam, (hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præcipua, propter eximium ingenium, summamque virtutem: cui mehercule [d] hic, cujus in potestate fumus, multùm tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in istâ fortunâ fuisses, [e] nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, [5] se violatum putaret. quod ipsum lenitur quotidie: significaturque nobis [f] ab iis, qui simul cum eo vivunt, tibi hanc ipsam opinionem ingenii apud ipsum plurimùm profuturam. Quapropter primùm fac animo forti, atque magno sis. Ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id faciendum sit. deinde spem quoque habeas firmissimam propter eas causas, quas scripsi. A me verò tibi omnia, liberisque tuis paratissima esse confidas velim. id enim & vetustas nostri amoris, & [g] mea consuetudo in meos, & tua multa erga me officia postulant. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ejusmodi sunt res humanæ.*
[b] *quare tuum eximium ingenium, summaque doctrina faciunt, ut spem de tuâ salute habeamus extraordinariam.*
[c] *prater dignitatem, & indolis tuæ præstantiam, quæ ornamenta sunt tibi, &c.*
[d] *Cæsar enim plurimùm tribuit & ingenio, & doctrinæ.*
[e] *nisi tuo ingenio se læsum putaret.*
[f] *Balbo & Appio.*
[g] *& mea communis agendi ratio erga meos* amicos.

NOTÆ.

3. *Is temporum*] Quæ mutationi semper sunt obnoxia.
4. *In tam bonâ causâ*] Ad libertatem propugnandam susceptâ.
5. *Se violatum*] Libro, quem Cæcina in Cæsarem ediderat; de quo Suetonius in ejus vitâ.

EPISTOLA VI.

Ut Cæcinam exulem consoletur, divinationem quamdam inducit, sumptam ex Cæsaris ingenio, & ex belli civilis naturâ: spemque facit, fore quamprimùm, ut patriæ restituatur. Hanc putat Manutius scriptam esse ante proximam superiorem, *eodem anno.*

Cicero S. D. Cæcinæ.

VEREOR ne desideres officium meum: quod tibi pro nostrâ & [a] meritorum multorum, & studiorum, & [1] partium conjunctione deesse

INTERPRETATIO.

[a] *officiorum.*

NOTÆ.

1. *Partium conjunctione*] Uterque pro Reipublicæ causâ à Pompeio steterat.

Digitized by Google

non debet : sed tamen vereor ne literarum à me officium requiras : quas tibi & jam pridem, & sæpè misissem, [b] nisi quotidie meliùs expectans, [a] gratulationem, quàm confirmationem animi tui, complecti literis maluissem. nunc autem, ut spero, brevi gratulabimur : itaque in aliud tempus id argumentum epistolæ differo. [c] His autem literis animum tuum, quem minimè imbecillum esse & audio, & spero, & si non sapientissimi, at amicissimi hominis auctoritate confirmandum etiam atque etiam puto : [d] nec iis quidem verbis, quibus te consoler ut afflictum, & jam omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cujus incolumitate non plus dubitem, quàm te memini dubitare de meâ. nam cùm ex republicâ [3] expulissent ii, qui illam cadere posse, stante me, non putarunt : memini me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asiâ, in quâ tu eras, venerant, audire, [e] te de glorioso, & [4] celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quædam [5] Etruscæ disciplinæ, quam à patre, nobilissimo atque optimo viro, acceperas, non fefellit : nec nos quidem nostra divinatio fallet, quam tùm sapientissimorum virorum [f] monumentis, atque præceptis, plurimoque, ut tu scis, doctrinæ studio, tùm magno etiam usu tractandæ reipublicæ, magnâque nostrorum temporum varietate consecuti sumus. cui quidem divinationi hoc plus confidimus, [g] quòd ea nos nihil in his tam obscuris rebus, tamque perturbatis unquam omninò fefellit. dicerem quæ anteà futura [h] dixissem, ni vererer, [i] ne ex eventis fingere viderer. sed tamen [6] plurimi sunt testes, me & initio, ne conjungeret se cum Cæsare, monuisse Pompeium, [k] & posteà, ne sejungeret. conjunctione frangi senatus [l] opes, disjunctione civile bellum excitari videbam. Atqui utebar familiarissimè Cæsare, Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum consilium cùm fidele Pompeio, tùm salutare utrique. Quæ prætereà providerim, prætereo. nolo enim [m] hunc, de me optimè meritum,

INTERPRETATIO.

[b] *nisi maluissem tibi gratulari* de reditu, *quàm* exulem *consolari.*

[c] *his autem litteris*, aliud intendo nihil *quàm ut animum tuum, quem minimè imbecillum esse audio, confirmem* adhuc *authoritate meâ*, & per meipsum, *qui si non sum homo sapientissimus, certè sum tibi amicissimus.*

[d] *nec iis quidem verbis* utar.

[e] *te solitum asseverare, me gloriosè & celeriter rediturum.*

[f] *monitis, atque documentis.*

[g] *quòd illa divinatio nunquam me fefellit in his, &c.* [h] *dixeram.*

[i] *ne res, postquam evenerunt, divinare viderer.*

[k] *& posteà, ne se à Cæsare sejungeret.*

[l] *authoritatem.* [m] *Cæsarem.*

NOTÆ.

2. *Gratulationem*] Pro reditu brevi impetrando.

3. *Expulissent ii*] Clodius, Gabinius, Piso, à quibus in exilium pulsus est; indicat quoque Cæsarem, Pompeium, & Crassum, qui pulso Cicerone, faciliorem sibi ad Tyrannidem aditum aperiebant.

4. *Celeri*] Contigit post menses XVII.

5. *Etruscæ disciplinæ*] Gente fuit Etruscus Cæcina; unde optimi Augures Romam venêre. Etruria autem, seu Tuscia, notissima est Italiæ provincia, hodie *la Toscane.*

6. *Plurimi sunt testes*] Vox illa Cicero.

Digitized by Google

esse meum, quid sentiam, exponere. [a] Ea natura rerum est, & [3] is temporum cursus, ut non possit ista aut tibi, aut cæteris fortuna esse diuturna, neque hærere [4] in tam bonâ causâ, & in tam bonis civibus tam acerba injuria. [b] Quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, [c] non solùm propter dignitatem, & virtutem tuam, (hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præcipua, propter eximium ingenium, summamque virtutem: cui mehercule [d] hic, cujus in potestate fumus, multùm tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in istâ fortunâ fuisses, [e] nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, [5] se violatum putaret. quod ipsum lenitur quotidie: significaturque nobis [f] ab iis, qui simul cum eo vivunt, tibi hanc ipsam opinionem ingenii apud ipsum plurimùm profuturam. Quapropter primùm fac animo forti, atque magno sis. Ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id faciendum sit. deinde spem quoque habeas firmissimam propter eas causas, quas scripsi. A me verò tibi omnia, liberisque tuis paratissima esse confidas velim. id enim & vetustas nostri amoris, & [g] mea consuetudo in meos, & tua multa erga me officia postulant. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ejusmodi sunt res humanæ.*
[b] *quare tuum eximium ingenium, summaque doctrina faciunt, ut spem de tuâ salute habeamus extraordinariam.*
[c] *præter dignitatem, & indolis tuæ præstantiam, quæ ornamenta sunt tibi, &c.*
[d] *Cæsar enim plurimùm tribuit & ingenio & doctrinæ.*
[e] *nisi tuo ingenio se læsum putaret.*
[f] *Balbo & Appio.*
[g] *& mea communis agendi ratio erga meos amicos.*

NOTÆ.

3. *Is temporum*] Quæ mutationi semper sunt obnoxia.
4. *In tam bonâ causâ*] Ad libertatem propugnandam susceptâ.
5. *Se violatum*] Libro, quem Cæcinâ in Cæsarem ediderat; de quo Suetonius in ejus vitâ.

EPISTOLA VI.

Ut Cæcinam exulem consoletur, divinationem quamdam inducit, sumptam ex Cæsaris ingenio, & ex belli civilis naturâ: spemque facit, fore quamprimùm, ut patriæ restituatur. Hanc putat Manutius scriptam esse ante proximam superiorem, *eodem anno.*

Cicero s. d. Cæcinæ.

VEREOR ne desideres officium meum: quod tibi pro nostrâ & [a] meritorum multorum, & studiorum, & [1] partium conjunctione deesse

INTERPRETATIO.

[a] *officiorum.*

NOTÆ.

1. *Partium conjunctione*] Uterque pro Reipublicæ causâ à Pompeio steterat.

Digitized by Google

non debet : sed tamen vereor ne literarum à me officium requiras : quas tibi & jam pridem, & sæpè misissem, [b] nisi quotidie meliùs expectans, [a] gratulationem, quàm confirmationem animi tui, complecti literis maluissem. nunc autem, ut spero, brevi gratulabimur : itaque in aliud tempus id argumentum epistolæ differo. [c] His autem literis animum tuum, quem minimè imbecillum esse & audio, & spero, & si non sapientissimi, at amicissimi hominis auctoritate confirmandum etiam atque etiam puto : [d] nec iis quidem verbis, quibus te consoler ut afflictum, & jam omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cujus incolumitate non plus dubitem, quàm te memini dubitare de meâ. nam cùm ex republicâ [3] expulissent ii, qui illam cadere posse, stante me, non putarunt : memini me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asiâ, in quâ tu eras, venerant, audire, [e] te de glorioso, & [4] celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quædam [5] Etruscæ disciplinæ, quam à patre, nobilissimo atque optimo viro, acceperas, non fefellit : nec nos quidem nostra divinatio fallet, quam tùm sapientissimorum virorum [f] monumentis, atque præceptis, plurimoque, ut tu scis, doctrinæ studio, tùm magno etiam usu tractandæ reipublicæ, magnâque nostrorum temporum varietate consecuti sumus. cui quidem divinationi hoc plus confidimus, [g] quòd ea nos nihil in his tam obscuris rebus, tamque perturbatis unquam omninò fefellit. dicerem quæ anteà futura [h] dixissem, ni vererer, [i] ne ex eventis fingere viderer. sed tamen [6] plurimi sunt testes, me & initio, ne conjungeret se cum Cæsare, monuisse Pompeium, [k] & posteà, ne sejungeret. conjunctione frangi senatus [l] opes, disjunctione civile bellum excitari videbam. Atqui utebar familiarissimè Cæsare, Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum consilium cùm fidele Pompeio, tùm salutare utrique. Quæ prætereà providerim, prætereo. nolo enim [m] hunc, de me optimè meritum,

INTERPRETATIO.

[b] *nisi maluissem tibi gratulari* de reditu, *quàm* exulem *consolari.*

[c] *his autem litteris*, aliud intendo nihil *quàm ut animum tuum, quem minimè imbecillum esse audio, confirmem* adhuc *authoritate meâ*, & per meipsum, *qui si non sum homo sapientissimus, certè sum tibi amicissimus.*

[d] *nec iis quidem verbis* utar.

[e] *te solitum asseverare, me gloriosè & celeriter rediturum.*

[f] *monitis, atque documentis.*

[g] *quòd illa divinatio nunquam me fefellit in his, &c.* [h] *dixeram.*

[i] *ne res, postquam evenerunt, divinare viderer.*

[k] *& posteà, ne se à Cæsare sejungeret.*

[l] *authoritatem.* [m] *Cæsarem.*

NOTÆ.

2. *Gratulationem*] Pro reditu brevi impetrando.

3. *Expulissent ii*] Clodius, Gabinius, Piso, à quibus in exilium pulsus est; indicat quoque Cæsarem, Pompeium, & Crassum, qui pulso Cicerone, faciliorem sibi ad Tyrannidem aditum aperiebant.

4. *Celeri*] Contigit post menses XVII.

5. *Etruscæ disciplinæ*] Gente fuit Etruscus Cæcina; unde optimi Augures Romam venêre. Etruria autem, seu Tuscia, notissima est Italiæ provincia, hodie *la Toscane.*

6. *Plurimi sunt testes*] Vox illa Cicero.

Digitized by Google

existimate, [7] ea me suasisse Pompeio, [n] quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in togâ, & princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. [o] Eundem [8] in Hispaniam censui. quod si feciſſet, [9] civile bellum nullum omninò fuisset. [p] [10] Rationem haberi absentis non tam pugnavi ut liceret, quàm ut, quando ipso [11] Consule pugnante, [12] populus jusserat, haberetur. [13] Causa belli orta est: quid ego prætermisi aut monitorum, aut querelarum? cùm vel iniquissimam pacem justissimo bello anteferrem? [q] Victa est auctoritas mea non tam à Pompeio, ([14] nam is movebatur) quàm ab iis, qui duce Pompeio freti, peropportunam & [15] rebus domesticis, [16] & cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. Sus-

INTERPRETATIO.

[n] *quibus si paruisset Pompeius, esset quidem clarus in togâ, quamvis tantam potentiam non habuisset, quantam habuit.*

[o] *censui debere* Pompeium *in Hispaniam ire.*

[p] *contendi permittendum esse, ut Cæsar absens Consulatum peteret, quandoquidem hoc jam licebat, idque comprobaverat populus, ipso Pompeio tertiùm Consule petente.*

[q] *neglecta est opinio & authoritas mea.*

NOTÆ.

nis nota est omnibus: *Utinam Cneii Pompeii cum Caio Cæsare societatem, aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses.*

7. *Ea me suasisse*] Quænam suaserit, explicat in Philip. 2. his verbis: *Duo tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim; unum, ne quinquennii imperium Cæsari prorogaret; alterum, ne pateretur fieri, ut absentis ejus ratio haberetur.* Sed in eo peccavit Pompeius, quòd utrumque Cæsari concesserit eo tempore, quo denegandum ipsi erat, & denegaverit, tùm cùm maximè concedere debuisset.

8. *In Hispaniam*] Quæ data fuerat Pompeio, sicut & Syria Crasso, & Cæsari Gallia.

9. *Nullum omninò civile bellum, &c.*] Quia promiserat Cæsar Romam se venturum sine exercitu, ut Consulatum præsens peteret, modò ut Pompeius in Hispaniam iret.

10. *Rationem haberi absentis*] Ubi Cicero vidit eò rem esse deductam, ut necesse esset, vel absenti Cæsari Consulatum deferre, vel bellum civile excitari, author fuit ut Cæsar vel absens Consul fieret. Distingue igitur duo tempora; alterum, quo putavit Cicero, Cæsaris absentis, in petitione Consulatûs non habendam esse rationem; alterum, quo habendam esse censuit, prima sententia Cæsaris frangebat potentiam; altera bellum civile tollebat, sed neglectum est Ciceronis in utroque tempore consilium; inde civilis orta dissensio.

11. *Consule pugnante*] Is fuit Pompeius, qui tertiùm Consul contendit, & effecit ut absens Consulatum petere posset, ep. 9 ad Atticum, lib. 8.

12. *Populus jusserat*] Dicitur jubere populus, cùm legem à Magistratu latam comprobat; legem autem tulerant Tribuni plebis, ut absenti Consulatus deferri posset.

13. *Causa belli orta est*] Ex iis nempe fontibus, quòd Pompeius in Hispaniam provinciam suam abire recusaverit, quòd Cæsari successorem in Galliarum administratione designaverit, quòd ejusdem absentis in petitione Consulatûs, rationem haberi noluerit.

14. *Nam is movebatur*] Honorificè enim ad Cæsaris conditiones respondit, nec alienus à pace visus est.

15. *Rebus domesticis*] Quidam ex amicis Pompeii, ut Lentulus, Faustus, Libo, &c. æris alieni oppressi magnitudine, armis decertari volebant.

16. *Et cupiditatibus*] Quòd & exercitibus, & provinciis præficiendos se sperarent.

Digitized by Google

cœptum bellum est, [17] quiescente me : [r] depulsum ex Italiâ, manente me quoad potui. sed valuit apud me plus [18] pudor meus, [19] quàm timor. veritus sum deesse Pompeii saluti, [20] cùm ille aliquando non defuisset meæ. Itaque vel officio, [s] vel famâ bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis [21] Amphiaraus, sic ego prudens, & sciens [t] ad pestem [22] ante oculos positam sum profectus. quo in bello nihil adversi accidit non prædicente me. Quare quando, ut Augures, & Astrologi solent, ego quoque Augur publicus [u] ex meis superioribus prædictis constitui apud te auctoritatem auguriі, & divinationis meæ, debet habere fidem nostra prædictio. non igitur [23] ex alitis volatu, nec [24] è cantu sinistro oscinis, [x] ut in nostrâ disciplinâ est, nec [25] è tripudiis [26] solistimis, aut somniis tibi auguror : sed habeo alia signa, quæ observem : quæ etsi non sunt certiora illis, minùs tamen habent vel obscuritatis, [27] vel erroris. Notantur autem mihi ad divinandum

INTERPRETATIO.

[r] *transportatum ex Italiâ* in Græciam, *manente me* in Italiâ.

[s] *vel ne à bonis vituperarer.*

[t] *ad cladem certissimam.*

[u] *siquidem ex iis quæ suprà prædixi, feci, ut divinationes meæ auctoritatem semper apud te haberent, hæc nostra* præsens de te *prædictio debet quoque apud te fidem invenire. non igitur in hac divinatione, quam de tuo reditu facio, Augurum nostrorum consuetudinem aut præcepta sequor, sed habeo alia, &c.*

[x] *ut tradunt Augures nostri.*

NOTÆ.

17. *Quiescente me*] Quia, ut scribit ad Atticum, sumptis armis, belli nullam partem attigit.

18. *Pudor*] Quia ferre non potuit sermones eorum, qui cunctationem hanc ægrè ferentes, in eum multa contumeliosè dicebant; in Græciam itaque ad Pompeium transivit.

19. *Quàm timor*] Manifestæ cladis, quam & sibi, & Pompeio imminere prævidebat.

20. *Cùm ille aliquando*] A Pompeio proditus, in exilium pulsus fuerat : ejusdem aliquanto pòst operâ restitutus est.

21. *Amphiaraus*] Græcus Vates, qui cùm certò sciret se interiturum, si ad bellum Thebanum proficisceretur, latitavit; sed ab uxore proditus, & ab Adrasto Rege Argivorum cum cæteris ire compulsus, hiatu terræ absorptus est.

22. *Ante oculos positam*] Quia Cæsar, rebus iis, quibus victoria quæritur, instructus, adversus Pompeium imparatum pugnabat.

23. *Ex alitis volatu*] Sic aves à veteribus distinguebantur, quæ ore canentes facerent auspicium, dicebantur *Oscines*; quæ volatu, *Alites*. Ita Festus.

24. *Cantu sinistro*] Sinistrum ad Auspicia quod attinet, idem est ac prosperum, *sinistrumque & sinistimum* auspicium dicitur, quia finit aliquid fieri. Ita Festus. Cicero autem lib. 2. de divinatione : *Haud ignoro quæ bona sint, sinistra nos dicere, etiamsi dextra sint, id est prospera.*

25. *è Tripudiis*] Cicero lib. 2. de divinatione : *Cùm pascuntur aves, necesse est aliquid ore cadere, & terram pavire*; unde *terripavium primò, pòst terripudium dictum est; hoc quidem jam tripudium dicitur.*

26. *Solistimis*] Solistimum ab offâ dictum est, quæ cadens ex ore pulli, solum feriebat. Fœlix autem tùm credebant auspicium, si pulli, per quos auspicabantur, sic avidè comedissent, ut iis comedentibus, aliquid ab ore decidisset.

27. *Vel erroris*] Hæc omnia signa, quorum facta est jam mentio, veteres certissima esse putabant; sed quia erant obscura, in iis interpretandis sæpiùs errabant.

signa duplici quadam viâ : quarum alteram duco è Cæsare ipso, alteram è temporum civilium naturâ, atque ratione. In Cæsare hæc sunt, mitis [28] clemensque natura, qualis exprimitur præclarè [29] illo libro querelarum tuarum. accedit, quòd mirificè ingeniis excellentibus, quale est tuum, delectatur. [y] præterea cedit multorum justis, & officio incensis, non inanibus, aut ambitiosis voluntatibus. in quo vehementer eum [z] consentiens Etruria movebit. [30] Cur hæc igitur adhuc parùm profecerunt? Quia non putat [a] se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui [31] justius videtur irasci posse, concesserit. Quæ est igitur, inquies, spes ab irato? [b] Eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, è quo sit [32] leviter aspersus. postremò, homo est valdè acutus, & multùm providens : [c] intelligit, [d] te, hominem in parte Italiæ minimè contemnenda facilè omnium nobilissimum, & [e] in communi repub. cuivis summorum tuæ ætatis vel ingenio, vel [f] gratia, vel [g] fama populi Romani parem, non posse prohibere à repub. diutiùs. [h] nolet hoc temporis potius esse aliquando beneficium, quam jam suum. Dixi de Cæsare : nunc dicam de temporum, rerumque naturâ. Nemo est tam inimicus ei causæ, quam Pompeius animatus melius, [33] quàm paratus susceperat, qui nos malos cives dicere, aut homines improbos audeat. In quo admirari soleo gravitatem, & justitiam, & sapientiam Cæsaris : nunquam nisi honorificentissimè Pompeium appellat. At in ejus personam multa fecit asperiùs. armorum ista, & victoriæ sunt facta, non Cæsaris, at nos

INTERPRETATIO.

[y] *præterea facilem se præbet multis pro tuo reditu supplicantibus, quoniam id faciunt affectu sincero, non vanâ ostentatione.*

[z] *pro te quoque supplicans.*

[a] *se resistere posse multorum precibus, si faciliorem se tibi præbuerit, cui justiùs, &c.*

[b] *sperat, fore ut eum laudes, quem anteà accusaveris.*

[c] *videt te non posse diutiùs excludi à Republicâ.*

[d] *quoniam homo est totius Hetruriæ nobilissimus.*

[e] *& quia in ditione Romanâ summum quemvis aquas.*

[f] *auctoritate.*

[g] & cùm sit nemo *quem populus Romanus pluris faciat.*

[h] quare non dubium, *quin malit tuum reditum jam sibi, quàm aliquando tempori attribui.*

NOTÆ.

28. *Clemensque natura*] De quâ Plinius lib. 7. cap. 25. *Cæsari proprium & peculiare clementiæ insigne, quâ usque ad pœnitentiam omnes superavit.*

29. *Libro querelarum tuarum*] Quem Cæcina, post victorias Cæsaris, in ejus laudem scripserat, & in quo de suâ calamitate querebatur.

30. *Cur hæc igitur*] Objectio cui statim respondet, *quia non putat, &c.*

31. *Justiùs*] Quoniam ante Pharsalicam pugnam Cæsarem offendit libio qui dicitur à Suetonio criminosissimus.

32. *Leviter aspersus*] Immò etiam duriter acceptus, ut dicitur infrà; sed ita loquitur Cicero, ne Cæcinæ, spem reditûs impetrandi minuat.

33. *Quàm paratus*] Existimaverat Pompeius, copias Cæsaris ad se transvolaturas; nullum idcò delectum fecit, satis esse sibi dictitans, si pede terram percuteret, unde legiones armatæ erumperent; sed opinione falsus est.

Digitized by Google

quemadmodùm est complexus? [i] [34] Cassium sibi legavit: [35] Brutum Galliæ præfecit, [36] Sulpicium Græciæ: [37] Marcellum, cui maximè succensebat, eum summâ illius dignitate restituit. Quò igitur hæc spectant? rerum hoc natura, & civilium temporum non patietur: [k] nec manens, nec mutata ratio feret, primùm ut non, [38] in causâ pari, eadem sit & conditio, & fortuna omnium: deinde ut in eam civitatem boni viri, & boni cives, nullâ ignominiâ notati, non revertantur, in quam tot, nefariorum scelerum [39] condemnati, reverterunt. Habes augurium meum: [l] quo, si quid addubitarem, non potiùs uterer, quàm illâ consolatione, quâ facilè fortem virum sustentarem, [m] te, si exploratâ victoriâ arma sumpsisses pro repub. (ita enim tùm putabas) non nimis esse laudandum: [n] sin propter incertos exitus, eventusque bellorum posse accidere, ut vinceremur, putasses: [o] non debere ad secundam fortunam benè paratum fuisse, adversam ferre nullo modo posse. Disputarem etiam, quanto solatio tibi [p] conscientia tui facti, quantæ delectationi in rebus adversis literæ esse deberent. Commemorarem non solùm veterum, sed horum etiam recentium, vel [40] ducum, vel comitum tuorum gravissimos casus. etiam externos multos claros viros nominarem. LEVAT enim dolorem communis quasi legis, & humanæ conditionis recordatio. Exponerem etiam, quemadmodùm [q] hîc, & quantâ in turbâ, quantâque in confusione rerum omnium viveremus. necesse est enim [r] minore desiderio perditâ republicâ carere, [s] quàm bonâ. [t] sed hoc genere nihil opus est. Incolumem te citò, ut spero, vel potius ut perspicio, videbimus. Interea tibi absenti, & huic, qui adest, imagini animi, & corporis tui constantissimo, atque optimo filio tuo studium, officium, operam, laborem meum jampridem & pollicitus sum, & detuli: [u] nunc hoc ampliùs,

INTERPRETATIO.

[i] *legatum suum esse voluit.*

[k] *sive præsens rerum status maneat, sive mutetur, cùm in eadem fueris causâ, eadem tua conditio erit quæ nostra.*

[l] *cui si tantisper diffiderem, non illo uterer, quemadmodùm non utor illâ consolatione, &c.*

[m] *diceremque te non magnoperè esse laudandum, si arma sumpsisti pro Republicâ, cum certâ spe vincendi.*

[n] *quòd si propter incertos bellorum exitus, existimasti fieri posse, ut vinceremur.*

[o] *tàm debuisti ad fortunam adversam, quàm ad prosperam paratus esse.*

[p] *recordatio.*

[q] *Romæ.*

[r] *minori dolore.* [s] *quàm florente.*

[t] *sed hanc tibi consolationem afferre.*

[u] *sed eò nunc ampliùs tuo filio operam meam defero, &c.*

NOTÆ.

34. *Cassium*] Qui cum Bruto in Cæsarem postea conjuravit.

35. *Gallie præfecit*] Beneficium eò majus, quòd nondùm Præturam gessisset.

36. *Sulpitium*] Vide epistolam 12. libri 4.

37. *Marcellum*] Epist. 4. lib. 4.

38. *In causâ pari*] Quia quos suprà nominavit, contra Cæsarem pugnaverant; quibus tamen à Cæsare ignorum est.

39. *Condemnati*] Quos restituerat Cæsar.

40. *Ducum*] Pompeii, Lentuli, &c.

Digitized by Google

quòd me amiciſſimè quotidie magis Cæſar amplectitur, [x] familiares quidem ejus ſicuti neminem. apud quem quidquid valebo vel auctoritate, vel gratiâ, valebo tibi. Tu cura, ut cùm firmitudine te animi, tùm etiam ſpe optimâ ſuſtentes. Vale.

INTERPRETATIO.

[x] *amici autem* Cæſaris, *neminem alium magis, quàm me, colunt.*

EPISTOLA VII.

Cæcina loquitur de libris à ſe in Cæſarem, & pro Cæſare ſcriptis: deindè Tullium rogat, ut ſibi poteſtatem redeundi impetret. Huic epiſtolæ reſpondet Cicero epiſtolâ quintâ, quæ propterea poſt hanc fuit collocanda, quemadmodùm & hæc ſeptima poſt octavam, quæ ſequitur. *Eodem anno.*

Cæcina s. d. Ciceroni.

QUOD tibi non tam celeriter [1] liber eſt redditus, ignoſce [2] timori noſtro, & miſerere [3] temporis. filius, ut audio, pertimuit (neque injuria) ſi liber [a] exiſſet, quando non tam intereſt quo [4] animo ſcribatur, quàm quo accipiatur, [b] ne ea res ineptè mihi noceret: cùm præſertim adhuc [c] ſtyli pœnas dem. Quâ quidem in re, [d] ſingulari ſum fato. nam cùm [5] mendum ſcripturæ liturâ tollatur, [6] ſtultitia fama multetur: meus [e] error exilio corrigitur: cujus ſumma criminis eſt, quòd [7] armatus adverſario maledixi, Nemo [f] noſtrûm eſt, ut opinor, quin vota victoriæ ſuæ fecerit: nemo, quin etiam cùm [g] de aliâ re immolaret, tamen eo quidem ipſo tempore, ut quamprimùm Cæſar ſuperaretur, optarit. [h] Hoc ſi non cogitat, [i] omnibus rebus felix eſt. ſi ſcit, [8] & perſuaſus eſt, quid iraſcitur ei, qui

INTERPRETATIO.

[a] *prodiiſſet* in lucem.
[b] *ne liber ille alieno fortè editus tempore mihi noceret.*
[c] *libri à me* in Cæſarem ſcripti.
[d] *multo miſerior ſum cæteris.*
[e] *levis culpæ.*
[f] *Pompeianorum.*
[g] *pro aliâ re.*
[h] *ſi neſcit contrà ſe* vota facta eſſe.
[i] *omni ex parte.*

NOTÆ.

1. *Liber*] Ad placandum Cæſarem, à Cæcinâ ſcriptus.
2. *Timori*] Ne Cæſaris in offenſionem, vel Cæſarem laudans, incurreret.
3. *Temporis*] Quo nemini licet, id liberè dicere quid ſentiat.
4. *Quo animo*] Hunc librum compoſuerat eo animo, ut Cæſarem leniret; at timuit ne Cæſar in malam partem id interpretaretur.
5. *Mendum*] Comparat culpæ levitatem, cum pœnâ quam exul patitur.
6. *Stultitia famâ*] Quia, qui ſtultè aliquid agit, ſtultitiæ famam colligit.
7. *Armatus*] Pro Pompeio.
8. *Et perſuaſus eſt*] Contra ſe vota eſſe facta.

9. *Sed*

Digitized by Google

aliquid ſcripſit contra ſuam voluntatem, cùm ignorit omnibus, [k] qui multa deos venerati ſint contra ejus ſalutem? [9] Sed, ut eodem revertar, cauſa hæc fuit timoris: [l] [10] ſcripſi de te parcè medius fidius, & timidè, [m] non revocans me ipſe, [n] ſed penè refugiens [o] Genus autem hoc ſcripturæ non modò liberum, ſed incitatum, atque elatum eſſe debere, quis ignorat? [p] ſolutum exiſtimatur eſſe, alteri maledicere: tamen cavendum eſt, [q] ne in petulantiam incidas. [r] impeditum, ſeipſum laudare, ne vitium arrogantiæ ſubſequatur. ſolùm verò liberum, alterum laudare. [s] de quo quidquid detrahas, neceſſe eſt aut [t] infirmitati, aut invidiæ aſſignetur. [u] Ac neſcio an tibi gratiùs, opportuniúſque acciderit. nam quod præſtare non poteram, primum erat [x] non attingere: ſecundum beneficium, quamparciſſimè facere. ſed tamen ego me quidem [y] ſuſtinui: [11] multa minui, multa ſuſtuli: complura ne poſui quidem. QUEMADMODUM igitur ſcalarum gradus ſi alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas, [z] ruinæ periculum ſtruas, non adſcenſum pares: [a] ſic tot malis tùm victum, tùm fractum ſtudium ſcribendi, quid dignum auribus, aut probabile poteſt afferre? Cùm verò ad ipſius Cæſaris nomen veni, toto corpore contremiſco, [12] non pœnæ metu, [13] ſed ipſius judicii: totum enim Cæſarem non novi. [b] Quem putas animum eſſe, ubi ſecum loquitur? hoc probabit: hoc verbum [c] ſuſpicioſum eſt. quid ſi muto? at vereor, ne pejus ſit. [14] Age verò, laudo aliquem,

INTERPRETATIO.

[k] *qui ſæpè deos precati ſunt, ut ipſum perderent.*

[l] *te modicè laudavi in libro meo.*

[m] *non quòd priſtinam meam de te ſententiam mutarim.*

[n] *ſed* à te fuſiùs laudando, *metu abſtinui.*

[o] *cùm autem alterum laudamus, quis ignorat, non modò libero, ſed etiam elato ſtylo laudandum eſſe?*

[p] *multi exiſtimant licere in aliquem liberè invehi.*

[q] *ne plus nimiò maledicas.*

[r] *difficile eſt.*

[s] ſed & unum hîc metuendum eſt, *ſi enim de ejus laudibus aliquid minuas.*

[t] *imbecillitati* ingenii.

[u] *hoc tibi, opinor, gratius erit, ſi cogites, te à me* modicè laudatum, quia verebar ne minùs benè te laudarem.

[x] *nullo modò te laudare, vel ſaltem quàm parciſſimè.*

[y] *quamobrem me ipſe retinui.*

[z] *caſum potiùs quàm aſcenſum parabis.*

[a] *ſic ego tot malis fractus quid poſſum ſcribere approbatione dignum?*

[b] *quantùm putas me cruciari, quoties mecum hæc cogito.*

[c] *afferet ipſi ſuſpicionem aliquam.*

NOTÆ.

9. *Sed ut eodem revertar*] Sed ut revertar ad cauſam, propter quam liber meus non tam celeriter eſt tibi redditus, id timori meo, ut jam dixi, tribuendum eſt.

10. *Scripſi de te*] In eo libro quem in laudem Cæſaris edidit Cæcina.

11. *Multa*] Quæ ad Ciceronis gloriam pertinebant. Hæc autem à Cæcina puto prætermiſſa eſſe, non tantùm quia deſperabat poſſe Ciceronis laudes aſſequi; ſed ne Cæſarem, contra quem Tullius à Pompeio ſteterat, offenderet.

12. *Non pœna metu*] Cæſarem enim laudabat.

13. *Sed ipſius judicio*] Sed ne laudes à Cæcina ſcriptas, in malam partem interpretaretur.

14. *Age verò*] Loquendi modus, quo

num offendo? [d] cùm porrò non offendam, quid si non vult? [e] armati stylum persequitur, victi, & nondùm restituti quid faciet? Auges etiam tu mihi timorem, qui [15] in Oratore tuo [f] caves tibi per Brutum, & ad excusationem socium quæris. [g] ubi hoc omnium patronus facis, quid me, veterem tuum, nunc omnium clientem, sentire oportet? [h] In hac igitur calumniâ timoris, [i 16] & cæcæ suspicionis tormento [k] cùm plurima ad alieni sensûs conjecturam, non ad suum judicium scribantur, quàm difficile sit [l] evadere, si minùs expertus es, quòd te ad omnia summum, atque excellens armavit ingenium, nos sentimus. Sed tamen ego filio dixeram, librum tibi legeret, & [m] auferret: aut eâ conditione daret, si [n] reciperes te correcturum, hoc est, si totum alium faceres. [17] De Asiatico itinere, quanquam summa necessitas, premebat, ut imperasti, feci. Te pro me quid horter? vides tempus venisse, quo necesse sit [o] de nobis constitui. nihil est, mi Cicero, [p] quòd filium meum expectes. adolescens est: omnia excogitare vel studio, vel ætate, vel metu non potest. totum negotium tu sustineas oportet. in te mihi omnis spes est. tu pro tuâ prudentiâ, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæsar, tenes. à te omnia proficiscantur, & per te ad exitum perducantur necesse est. [q] apud ipsum multùm, apud [r] ejus omnes plurimùm potes. [f] unum si tibi persuaseris, non hoc esse tui muneris, si quid rogatus fueris, ut facias, (quanquam id magnum & amplum est)

INTERPRETATIO.

[d] *sed finge* Cæsarem *à me non offendi, fortè à me laudari non vult.*

[e] *me persequitur, quia armatus contra ipsum scripsi, quantò magis persequetur, si jam victus & exul scribam* aliquid quod ipsi displiceat?

[f] *adhibes tibi Brutum in cautionem, & eum vocas in societatem tuæ culpæ, ut facilius excuseris.*

[g] *quòd si hoc facis, tu qui omnium patronus es.*

[h] *in hoc falso timore.*

[i] *& in hac incertâ suspicione quæ me cruciat.*

[k] *quoniam qui scribit, attendere debet, non quòd ipse probet, sed quod alii probaturi sint.*

[l] *sic scribere, ut* nihil timeas.

[m] *& auferret* à te postquam legisses.

[n] *promitteres.*

[o] *de meo in patriam reditu.*

[p] *quod speres, ut pro me filius meus agat.*

[q] *Cæsarem.*

[r] amicos.

[f] *negotium hoc meum perficies, si tibi persuadeas, non modo id tibi faciendum esse, quod te rogo, quamquam & hoc laudabile.*

NOTÆ.

se ipse corrigit, quasi dicat, sed cur timeam offendere Cæsarem, quem laudare intendo.

15. *In Oratore tuo*] Liber est, ubi Tullius perfectum Oratorem expressit, in quo sic Brutum alloquitur: *Testificor me à te rogatum, & recusantem hoc scribere esse ausum: volo enim mihi tecum commune esse crimen, ut si sustinere tantam quæstionem non potuero, injusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti.* Orat. 35.

16. *Cæcæ suspicionis*] Ne fortè Cæsarem, cùm laudare velit, offendat.

17. *De Asiatico itinere*] Cæcinæ Asiam cogitanti author fuit Tullius, ut in Siciliâ remaneret, ut indicat sequens epistola, quæ tamen ante hanc scripta est.

18. *Vel studio*] Quia studium vehemens est animi affectio, quæ rationi sæpè, & ingenio officit.

Digitized by Google

[x] ſed totum tuum eſſe onus, perficies. [u] niſi fortè aut in miſeriâ nimis ſtultè, aut in amicitiâ nimis impudenter tibi onus impono. [x] ſed utrique rei excuſationem tuæ vitæ conſuetudo dat. nam quòd ita conſueſti pro amicis laborare, non jam ſic ſperant abs te, ſed etiam ſic imperant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit, peto à te ne exeat: aut ita corrigas, ne mihi noceat. Vale.

INTERPRETATIO.

[x] *ſed totius* negotii *onus tibi eſſe traditum, ut illud ſolus ſuſtineas.*
[u] *ſed fortè dices, me, quia ſum miſer, non ſatis conſideratè, & quia ſum tibi amicus, nimiùm audacter hec tibi onus imponere.*
[x] *ſed inconſiderantiam, & impudentiam meam pro ſolitâ humanitate tuâ excuſabis.*

EPISTOLA VIII.

Scribit ſibi conceſſum à Cæſaris amicis, ut Cæcina poſſit in Siciliâ commorari; ibique ut ſubſidat, ſuadet. Jam monui hanc epiſtolam ante proximam ſuperiorem collocandam eſſe. *Eodem anno.*

Cicero S. D. Cæcinæ.

CUM eſſet mecum [t] Largus, homo tui ſtudioſus, locutus [a] Kal. Jan. tibi præfinitas eſſe: quòd omnibus in rebus perſpexeram, quæ [2] Balbus & [3] Oppius, abſente Cæſare, egiſſent, [b] ea ſolere illi rata eſſe: egi vehementer cum his, ut hoc mihi darent [c] tibi in Siciliâ, quoad vellemus, uti eſſe liceret. qui mihi [d] cùm ſueſcent, aut libenter polliceri, [e] ſi quid eſſet ejuſmodi, quod eorum animos non offenderet: aut etiam negare, & afferre rationem, cur negarent: [f] huic meæ rogationi potiùs non continuò reſponderunt: eodem die tamen ad me reverterunt, mihi hoc dederunt, ut eſſes in Siciliâ, quoad velles: [g] ſe præſtaturos, nihil ex eo te offenſionis habiturum. Quando, quid tibi permittatur, cognoviſti: quid mihi placeat, puto te ſcire oportere. Actis his rebus, literæ à te mihi ſunt redditæ: quibus à me conſilium petis, quid ſim tibi auctor, in Siciliâ-ne ſubſidas, an ut ad

INTERPRETATIO.

[a] *ultrà Kalendas Jan. te non* poſſe in Siciliâ commorari.
[b] *ea ſolere à Cæſare confirmari.*
[c] *ut poſſes, quoad vellemus, in Siciliâ remanere.*
[d] *cùm conſuevisſent.*
[e] *modo id quod petebam, eos non offenderet.*
[f] nihil promiſerunt, aut negaverunt; *ſed potiùs huic meæ rogationi non ſtatim reſponderunt.* [g] *ſe effecturos.*

NOTÆ.

1. *Largus*] Romanæ gentis cognomen.
2. *Balbus*] Qui Cæſaris abſentis procurabat negotia, & apud eundem cum Oppio in primis gratioſus erat.
3. *Oppius*] Cæſaris in bello Africano contra Pompeianos legatus.

Digitized by Google

reliquias Asiaticæ negotiationis proficiscare. hæc tua deliberatio non mihi convenire visa est cum oratione Largi. Ille enim mecum, quasi tibi non liceret in Siciliâ diutiùs commorari, ita locutus erat: tu autem, quasi concessum sit, ita deliberas. Sed ego, sive hoc, sive illud est, in Siciliâ censeo commorandum: [h] propinquitas locorum vel ad impetrandum adjuvat crebris literis, & nuntiis, [i] vel ad reditûs celeritatem, re aut impetratâ, quod spero, [4] aut aliquâ ratione confectâ. Quamobrem censeo magnoperè commorandum. [5] T. Furfanio Postumio familiari meo, legatisque ejus, item meis familiaribus, diligentissimè te commendabo, cùm venerint: erant enim omnes [6] Mutinæ. viri sunt optimi, & tui similium studiosi, & mei necessarii. Quæ mihi venient in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabor, ea meâ sponte faciam. si quid ignorabo, de eo admonitus, omnium studia vincam. Ego, etsi coram de te cum Furfanio ita loquar, ut tibi literis ad eum nihil opus sit, tamen, quoniam tuis placuit te habere meas literas, quas ei redderes, morem eis gessi. earum literarum exemplum infrà scriptum est. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *propinquitas locorum facit, ut per crebras literas & nuncios facilius obtineas* reditum tuum.

[i] *quod si facultatem impetras in urbem, aut in Italiam certè redeundi, celeriùs ad nos redibis.*

NOTÆ.

4. *Aut aliquâ ratione confectâ*] Indicat futurum, ut si minùs Romam, saltem in Italiam redeundi copiam obtineat.

5. *T. Furfanio*] Qui Siciliam Proconsul administrabat: quare autem sit legendum, non *Furfano*, vide proœmium.

6. *Mutinæ*] Colonia, & urbs Galliæ Cisalpinæ, in viâ Æmiliâ. *Modena.*

EPISTOLA IX.

Cæcinam Furfanio Siciliæ Proconsuli commendat. Eodem anno.

Cicero S. D. T. Furfanio Proconsuli.

CUM A. Cæcina tanta mihi familiaritas, consuetudoque semper fuit, ut nulla major esse possit. nam & patre ejus, claro homine, & forti viro, plurimùm usi sumus: & hunc à puero, quòd & spem mihi magnam afferebat summæ probitatis, summæque eloquentiæ, & vivebat mecum conjunctissimè non solùm officiis amicitiæ, sed etiam studiis communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine conjunctiùs viverem. Nihil attinet me plura scribere. quàm mihi necesse sit ejus salutem, & fortunas, quibuscunque rebus possim, tueri, vides. [a] Reliquum est, ut, cùm cognorim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortunâ, & de reipublicæ calamita-

INTERPRETATIO.

[a] *restat ut quandoquidem pluribus indiciis cognovi quid sentires.*

Digitized by Google

tibus sentires, nihil à te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tuâ sponte erga Cæcinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione meâ, quanti me à te fieri intelligo. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

EPISTOLA X.

Trebiano, quòd Pompeio pertinaciùs adhæsisset, exulanti, suum universum studium pollicetur, spemque aliquam fortunæ melioris ostendit. Cæsare tertium, & Lepido Consulibus, post bellum Africanum, anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

Cicero S. D. Trebiano.

EGO, quanti te faciam, semperque fecerim, quanti me à te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis: nam & consilium tuum, [1] vel casus potiùs, [2] diutiùs in armis civilibus commorandi, semper mihi magno dolori fuit: [a] & hic eventus, quod tardiùs quàm est æquum, & quàm ego vellem, recuperes fortunam, & dignitatem tuam, mihi non minori curæ est, quàm tibi semper fuerint casus mei. Itaque & Postumuleno, & Sextio, & sæpissimè Attico nostro, proximéque Theudæ, liberto tuo, totum me patefeci: & his singulis sæpè dixi, quacunque re possem, me tibi, & liberis tuis satisfacere cupere: idque tu ad tuos velim scribas, hæc quidem certè, quæ in potestate meâ sunt, ut operam, studium, consilium, rem, fidem meam sibi ad omnes res paratam putent. Si auctoritate, & gratiâ tantùm possem, quantùm in eâ repub. de quâ ita meritus sum, posse deberem: tu quoque is esses, qui fuisti, cum omni gradu amplissimo dignissimus, tùm certè [b] ordinis tui facilè princeps. Sed quando eodem tempore, [3] eademque de causâ nostrûm uterque [c] cecidit: tibi & illa polliceor, [4] quæ suprà scripsi, quæ sunt adhuc mea, & ea, quæ præterea videor mihi ex aliquâ parte retinere, [5] tanquam ex reliquiis pristinæ dignitatis. neque enim ipse Cæsar, ut multis rebus intelligere potui, est alienus à nobis: & omnes ferè familiaris-

INTERPRETATIO.

[a] *& hac* altera *calamitas tua*, quæ consistit in eo, *quod tardiùs*, &c.

[b] *equestris.*

[c] *dignitatem amisit.*

NOTÆ.

1. *Vel casus*] Ut Trebiani culpam minuat, hanc à voluntate in casum fortunamque transfert.

2. *Diutiùs*] Quia post pugnam Pharsalicam, Trebianus ab armis non discessit; sed in Africâ rursùs dimicavit pro Pompeianis, duriorem sibi Cæsarem expertus est.

3. *Eademque de causâ*] Quoniam uterque pro Pompeio arma sumpserat.

4. *Quæ suprà scripsi*] Consilium, scilicet, operam, fidem, &c.

5. *Tanquam ex reliquiis*] Neque enim Cicero primam receperat authoritatem, sed authoritatis velut reliquias, annuente Cæsare conservabat.

Digitized by Google

simi ejus, [6] casu devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter observant, & colunt. Itaque [d] si quis mihi erit aditus de tuis fortunis, id est de tuâ incolumitate, in quâ sunt omnia, agendi: quod quidem quotidie magis ex eorum sermonibus adducor ut sperem: agam per me ipse, & moliar. Singula persequi non est necesse: universum studium meum, & benevolentiam ad te defero. sed magni meâ interest, hoc tuos omnes scire, quod tuis literis fieri potest, ut intelligant omnia Ciceronis [e] patere Trebiano. hoc eò pertinet, ut nihil existiment esse tam difficile, [f] quod non, pro te mihi susceptum, jucundum sit futurum. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *si qua mihi via aperiatur de tuis fortunis agendi, &c.* [e] *esse in potestate Trebiani.* [f] *quod non pro te* libenter *& jucundè egrediar.*

NOTÆ.

6. *Casu devincti*] Quia non præviderat aliquando fore ut eorum auxilio indigeret.

EPISTOLA XI.

Excusat se, quòd non scripserit: consolatur: meliorem fortunam promittit. Eodem anno.

Cicero s. d. Trebiano.

[1] ANTEA misissem ad te literas, si genus scribendi invenirem. [a] tali enim tempore aut consolari amicorum est, aut polliceri. consolatione non utebar, quòd ex multis audiebam, quàm fortiter, sapienterque ferres injuriam temporum, quámque te vehementer consolaretur [b] conscientia factorum, & consiliorum tuorum. Quod quidem si facis, magnum fructum studiorum optimorum capis: in quibus te scio semper esse versatum: idque ut facias, etiam atque etiam te hortor. [c] Simul & illud tibi, homini peritissimo rerum, & exemplorum, & omnis vetustatis, ne [d] ipse quidem rudis, [e] sed in studio minùs fortasse, quàm vellem, at in rebus, atque usu plus etiam, quàm vellem, versatus, spondeo tibi acerbitatem istam, & injuriam

INTERPRETATIO.

[a] *nam in adversâ fortunâ, amici debent* amicos *consolari, vel* opem illis *promittere.*
[b] *recordatio.*
[c] *& simul, quamquam sis homo rerum peritissimus, &c.*
[d] *ego, qui non sum harum-ce scientiarum omninò ignarus.*
[e] *sed in doctrinæ studio minùs versatus quàm vellem, at in rerum experientiâ plus quàm vellem, tibi, inquam, spondeo, &c.*

NOTÆ.

1. *Antea misissem*] Manutius putat hanc epistolam scriptam esse ante superiorem; quia prima hæc verba, *antea misissem ad te litteras*, nullas anteà Ciceronem litteras ad eum misisse declarant.

Digitized by Google

non diuturnam fore. Nam [f] & ipse, qui plurimùm potest, quotidie [g] mihi delabi ad æquitatem, & [2] ad rerum naturam videtur: & [h] ipsa causa est, ut jam simul cum repub. quæ in perpetuum jacere non potest, necessariò reviviscat, atque recreetur: quotidiéque [3] fit aliquid lenius, & liberalius, quàm timebamus. [i] Quæ quoniam in temporum inclinationibus sæpè parvis posita sunt: omnia momenta observabimus, neque ullum prætermittemus tui juvandi, & levandi locum. Itaque illud alterum, quod dixi, [4] litterarum genus [k] quotidie mihi, ut spero, fiet proclivius, ut etiam polliceri possim. id re, quàm verbis, faciam libentiùs. Tu velim existimes, & plures te amicos habere, [l] quàm qui in isto casu sint, ac fuerint, quantùm quidem ego intelligere potuerim, & me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas, & magnum: quod est in uno te. quæ sunt in fortunâ, [5] temporibus regentur, & consiliis nostris providebuntur. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *Cæsar.*
[g] *mihi justior & mitior videtur.*
[h] *& Pompeii causa ejusmodi est.*
[i] *& quoniam omnia ut plurimùm pendent ex minimis temporum mutationibus.*
[k] *spero fore ut quotidie tibi facilius aliquam opem polliceri queam, quod est alterum, ut dixi, litterarum genus.*
[l] *quàm alii omnes, qui in eadem tecum calamitate fuerunt.*

NOTÆ.

2. *Ad rerum naturam*] Quâ movetur homo, ut alteri homini benefaciat.
3. *Fit aliquid lenius*] A Cæsare.
4. *Litterarum genus*] Quod in eo positum est ut amicis afflictis opem polliceamur.
5. *Temporibus*] Quæ asperrima quæque mitigant.

EPISTOLA XII.

Gratulatur de reditu in patriam impetrato; hortaturque ut præteritis calamitatibus ex animo deletis, dignitatis recuperationem rei familiaris jactura anteponat. Eodem anno.

Cicero S. D. Trebiano.

[1] DOLABELLAM anteà tantummodò diligebam: obligatus ei nihil eram. nec enim acciderat mihi opus esse: & ille mihi debebat, [2] quòd non defueram ejus periculis. nunc, tantò sum devinctus ejus beneficio, quòd & anteà [a] in re, & hoc tempore [b] in salute tuâ cumulatissi-

INTERPRETATIO.

[a] *in fortunis tuis tibi* conservandis. [b] *in reditu tuo* impetrando.

NOTÆ.

1. *Dolabellam*] Generum anteà Ciceronis, quicum, etiam repudiatâ Tulliâ, sanctissimè nihilominùs amicitiam coluit.
2. *Quod non defueram*] Bis enim in ca-

mè mihi satisfecit, ut nemini plus debeam. quâ in re tibi gratulor ita vehementer, ut te quoque mihi gratulari, quàm gratias agere malim. alterum omninò non desidero: alterum verè facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi virtus, & dignitas tua reditum ad tuos aperuit: est tuæ sapientiæ, magnitudinisque animi, quid amiseris, obliviscì: quid recuperaveris, cogitare. vives cum tuis, vives nobiscum. plus acquisivisti [c] dignitatis, quàm amisisti rei familiaris: quæ ipsa tùm esset jucundior, si ulla res esset publica. Vestorius, noster familiaris, ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere. hæc prædicatio tua mihi valdè grata est: eâque te uti facilè patior cùm apud alios, tùm mehercule apud 3 Sironem nostrum amicum. quæ enim facimus, ea prudentissimo cuique maximè probata esse volumus. Te cupio videre quamprimùm. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *gloria.*

NOTÆ.

pitis periculo, vel ante contractam affinitatem defenderat.

3. *Sironem*] Hunc Philosophum fuisse ferunt, eoque præceptore usum fuisse Virgilium.

EPISTOLA XIII.

Reditum ejus à Cæsare impetratum esse nuntiat; additque, perditâ funditùs Republicâ, ad litterarum studia confugiendum. Eodem anno.

Cicero s. d. Ampio Balbo.

GRATULOR tibi, mi Balbe, [1] veréque gratulor: nec sum tam stultus, ut te [a] usurâ falsi gaudii frui velim, [2] deinde frangi repentè, atque ita cadere, ut nulla res te ad æquitatem animi posteà possit extollere. Egi [b] tuam causam apertiùs, quàm tempora nostra ferebant. [c] vincebatur enim fortuna ipsa debilitatæ gratiæ nostræ tui caritate, & meo perpetuo erga te amore, culto à te diligentissimè. omnia promissa, confirmata, certa & rata sunt, quæ ad reditum, & salutem tuam pertinent. vidi, cognovi,

INTERPRETATIO.

[a] *vanâ gaudii imagine.*

[b] *egi de tuo reditu liberiùs, quàm ferebat miserrima mea conditio.*

[c] *nam amor in te meus, quem tu coluisti diligentissimè, coëgit me plura aggredi, quàm pati videbatur & fortuna, & authoritas mea, quæ multùm imminuta est.*

NOTÆ.

1. *Verèque*] Quia confectum erat negotium de Balbi reditu.

2. *Frangi repentè*] Quod contingit, ubi rem aliter, quàm spes erat, cecidisse cognovimus.

3. *Pansa*

Digitized by Google

interfui. etenim omnes Cæsaris familiares satis opportunè habeo implicatos consuetudine, & benevolentiâ, sic, ut, [d] cùm ab illo discesserint, me proximum habeant. hoc [3] Pansa, Hirtius, [4] Balbus, Oppius, [5] Matius, [6] Postumius planè ita faciunt, ut me unicè diligant. [e] quod si mihi pro me efficiendum fuisset, non me pœniteret pro ratione temporum ita esse molitum. [f] sed nihil est à me inservitum temporis causâ. veteres mihi necessitudines cum his omnibus intercedunt: quibuscum ego agere de te non destiti: principem tamen habuimus Pansam, tui studiosissimum, mei cupidum, qui valet [g] apud illum non minùs auctoritate, quàm gratiâ. [7] Cimber autem Tullius mihi planè satisfecit. valent tamen apud Cæsarem non tam [8] ambitiosæ rogationes, quàm necessariæ: [9] quas quia Cimber habebat, plus valuit quàm pro ullo alio valere potuisset. [10] diploma statim non est datum, quòd mirifica est improbitas in quibusdam, qui tulissent acerbiùs veniam tibi dari, [h] quem illi appellant tubam belli civilis: multaque ita dicunt, [11] quasi non gaudeant [i] id bellum incidisse. Quare visum est occultiùs agendum, neque ullo modo divulgandum, [k] de te jam esse perfectum: [l] sed id erit perbrevi: nec dubito quin legente te has literas, confecta jam res futura sit. Pansa quidem mihi, gravis homo & certus, non solùm confirmavit, [m] verumetiam recepit, perceleriter se ablaturum diploma. mihi tamen placuit, hæc ad te perscribi. minùs enim te firmum sermo [n] Apuleiæ tuæ, lacrymæque [o] Ampiæ declarabant, quàm significant literæ tuæ. atque illæ arbitrabantur, cùm à te abessent ipsæ, multò in graviore te curâ futurum. Quare magnoperè putavi, angoris, & doloris tui levandi causâ, pro certis ad te ea, quæ essent certa, perscribi oportere. Scis me anteà sic solitum esse

INTERPRETATIO.

[d] *ita ut, Cæsare excepto, neminem pluris quàm me faciant*
[e] *quòd si mihi pro meo reditu elaborandum fuisset, haud aliter, si consideretur præsens temporum status, elaborare voluissem.*
[f] *quamquam nullam habui rationem* præsentis meæ *conditionis.*
[g] *apud Cæsarem.*
[h] *quia te appellant, &c.*
[i] *bellum civile excitatum esse.*
[k] *tuum reditum jam esse impetratum.*
[l] *sed brevi divulgabitur.*
[m] *verùm etiam promisit, se diploma celeriter impetraturum.* [n] *uxoris.* [o] *filiæ.*

NOTÆ.

3. *Pansa*] Consul posteà cum Hirtio, uterque adversùs Antonium in Mutinensi prælio dimicans, ex vulneribus obiit.

4. *Balbus, Oppius*] Vide epist. 8.

5. *Matius*] Qui doctissimus à Cicerone dicitur in epist. 15. lib. 7.

6. *Postumius*] Et hic Cæsari amicus.

7. *Cimber*] Cæsaris familiaris; in eum posteà conjuravit.

8. *Ambitiosæ*] Quæ vanâ ostentatione fiunt, ut nostra apud principem authoritas palàm fiat.

9. *Quas quia*] Et quia Cimber visus est non ostentatione, sed necessitate, & officio adductus pro te deprecari, ideò plus valuit, &c.

10. *Diploma*] Litteræ erant Cæsaris obsignatæ sigillo, reditum Ampio concedentes, sic appellatæ, quòd duplicarentur. διπλόω, duplico.

11. *Quasi non gaudeant*] Quia fortè direpta & parvo empta fuerant proscriptorum bona, quorum omnimodam possessionem sibi arrogabant Cæsariani.

Digitized by Google

scribere ad te, magis ut consolarer fortem virum, atque sapientem, quàm ut [p] exploratam spem salutis ostenderem, [q] nisi eam, quam ab ipsâ repub. cùm hic ardor extinctus esset, sperari oportere censerem. recordare tuas literas, quibus & magnum animum mihi semper ostendisti, & ad omnes casus ferendos constantem, atque paratum. quod ego non mirabar, cùm recordarer te & à primis temporibus ætatis in republicâ esse versatum, & [12] tuos magistratus [r] in ipsa discrimina incidisse salutis, fortunarumque communium: [s] & in hoc ipsum bellum esse ingressum, non solùm ut victor beatus, sed etiam, si ita accidisset, victus ut sapiens esses. Deinde, cùm studium tuum consumas in virorum fortium factis memoriæ prodendis, considerare debes, [t] nihil tibi esse committendum: quamobrem eorum, quos laudas, non te similem præbeas. Sed hæc oratio magis esset apta [13] ad illa tempora, quæ jam effugisti. nunc verò tantùm te para [14] ad hæc nobiscum ferenda, quibus ego si quam medicinam invenirem, tibi quoque eandem traderem. sed est unum perfugium, doctrina, ac literæ, quibus semper usi sumus: quæ secundis rebus delectationem modò habere videbantur, nunc verò etiam salutem Sed, ut ad initium revertar, [u] cave dubites, quin omnia de salute ac reditu tuo perfecta sint. Vale.

INTERPRETATIO.

[p] *certam.*

[q] *nisi hanc spem, quam paratam expecturi oportere ab ipsâ republicâ, quando bellum civile extinctum erit.*

[r] *in perturbata republica tempora.*

[s] & Pompeium *in bello ita secutus es, ut non modò beatus in victoriâ, si vincere contigisset, sed* constans *in clade, & sapiens esse debueris:*

[t] *non esse permittendum, ut eos, quos laudas, non imiter.*

[u] *pro certo habeas, omnia de salute, & de reditu tuo confecta esse.*

NOTÆ.

12. *Et tuos magistratus.*] Ampius enim Tribunus plebis fuit Cicerone Consule, cùm jam erumperet Catilinæ conjuratio: Prætor verò Pisone & Gabinio Consulibus, & Clodio Rempublicam suis legibus turbante. Hæc Pighius.

13. *Ad ista tempora.*] Quando privatæ pericula impendebant.

14. *Ad hæc.*] Ad has calamitates ferendas, quæ bonis omnibus sunt communes.

EPISTOLA XIV.

Hortatur Ligarium, ut de suâ salute benè speret, & interim adversam fortunam patienter ferat. Eodem anno.

Cicero S. D. Q. Ligario.

ETSI [a] tali tuo tempore me aut consolandi, aut juvandi tui causâ scribere ad te aliquid pro nostrâ amicitiâ oportebat: tamen adhuc id non feci, quia neque lenire videbar oratione, neque levare posse dolorem tuum.

INTERPRETATIO.

[a] *exilii tui tempore.*

Digitized by Google

posteà verò quàm magnam spem habere cœpi, fore ut te brevi tempore incolumem haberemus: facere non potui, quin tibi & sententiam & voluntatem declararem meam. Primùm igitur scribam, quod intelligo, & perspicio, non fore in te Cæsarem duriorem. nam & [b] res eum quotidie, & dies, [c] & opinio hominum, &, ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit. idque cùm de reliquis sentio, tùm de te etiam audio ex familiarissimis ejus: quibus ego ex eo tempore, quo primum [1] ex Africâ nuntius venit, supplicare unà cum fratribus tuis non destiti: quorum quidem & virtus, & pietas, & amor in te singularis, & assidua, & perpetua salutis tuæ cura tantùm proficit, ut nihil sit, quod non ipsum Cæsarem tributurum existimem: & si tardiùs fit, quàm volumus, magnis occupationibus [d] ejus, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt: & simul Africanæ causæ [2] iratior, diutiùs velle videtur eos habere solicitos, à quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum. sed [3] hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissiùs & placatiùs ferre. Quare mihi crede, & memoriæ manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestiis diutiùs non futurum. Quando, quid sentirem, exposui, quid vellem tuâ causâ, re potiùs declarabo, quàm oratione. & si tantùm possem, quantùm in eâ repub. de quâ ita meritus sum, ut tu existimas, posse debebam, ne tu quidem in istis incommodis esses. [4] eadem enim causa opes meas fregit, quæ tuam salutem in discrimen adduxit. sed tamen quidquid imago veteris meæ dignitatis, quidquid reliquiæ gratiæ valebunt, studium, consilium, opera, gratia, fides mea nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti, primùm ob eas causas, quas scripsi: [e] deinde, quòd eâ de repub. semper voluisti, atque sensisti, ut non modò nunc secunda sperare debeas, sed etiam, si omnia adversa essent, tamen [f] conscientiâ & factorum, & consiliorum tuorum, quæcunque acciderent, fortissimo & maximo animo ferre deberes. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] nam & ipsa causa. [c] Cæsaris. [d] deinde tam benè erga Rempublicam affectus fuisti, ut non, &c. [e] & quia videt homines de te benè sentire. [f] recordatione.

NOTÆ.

1. *Ex Africâ nuncius*] De clade hîc à Pompeianis acceptâ.

2. *Iratior*] Iis qui ad Pharsalum devicti, non modò non confugerant ad Cæsarem, sed bellum in Africâ renovarant.

3. *Hoc ipsum*] Quòd in Africâ adversus eum pugnaveris.

4. *Eadem enim causa* Pompeii, quem Ligarius & Cicero secuti erant.

Digitized by Google

EPISTOLA XV.

Quid pro Ligario fecerit, tùm de ejus reditu quid ſit ſperandum, commemorat. Eodem anno.

Cicero s. d. Ligario.

ME ſcito omnem meum laborem, omnem operam, curam, ſtudium in tuâ ſalute conſumere. nam cùm te ſemper maximè dilexi, tùm fratrum tuorum, quos æquè, atque te, ſummâ benevolentiâ ſum complexus, ſingularis pietas, [a] amorque fraternus nullum me patitur officii erga te, ſtudiique munus, aut tempus prætermittere. Sed quæ faciam, fecerimque pro te, ex illorum te literis, quàm ex meis, malo cognoſcere. quid autem ſperem, aut confidam, & exploratum habeam de ſalute tuâ, id tibi à me declarari volo. Nam ſi quiſquam eſt timidus in magnis, periculoſiſque rebus, ſemperque magis adverſos rerum exitus metuens, quàm ſperans ſecundos, is ego ſum: &, ſi hoc vitium eſt, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen cùm [b] 1 ad 11. Kal. intercalares priores rogatu fratrum tuorum veniſſem mane ad Cæſarem: [c] atque omnem adeundi, & conveniendi illius indignitatem, & moleſtiam pertuliſſem, cùm fratres, & propinqui tui jacerent ad pedes, & ego eſſem locutus, quæ cauſa, quæ tuum tempus poſtulabat: non ſolùm ex oratione Cæſaris, quæ ſanè mollis, & liberalis fuit, ſed etiam ex oculis, & vultu, & multis præterea ſignis, quæ faciliùs perſpicere potui, quàm ſcribere, [d] hanc in opinionem diſceſſi, ut mihi tua ſalus dubia non eſſet. Quamobrem fac animo magno, fortique ſis: &, ſi turbidiſſima ſapienter ferebas, tranquilliora lætè feras. ego tamen tuis rebus ſic adero, [e] ut difficillimis: neque Cæſari ſolùm, ſed etiam amicis ejus omni-

Interpretatio.

[a] *& amor quo te complectuntur.*
[b] *vigeſimo primo Novembris.*
[c] *poſtquam diutiùs, & cum moleſtia opportunum expectavi tempus illum allequendi.*
[d] *adductus ſum ut crederem cer.am eſſe tuam ſalutem.*
[e] *quaſi adhuc eſſent difficillima.*

Nota.

1. *Ad* 11. *Kalendas intercalares*] Vel ut Fabricius habet in vitâ Ciceronis, *pridie Kalendas intercalares priores*. Id ut intelligatur, obſervandum eſt, Romanum annum à Julio Cæſare tertiùm Conſule fuiſſe correctum: eò enim jam labes proceſſerat, ut menſis Januarius Octobris XIII die, aliquando etiam ante hoc tempus inciperet: Cæſar ex Ægyptiorum conſuetudine certior factus de anni Solaris modo, hunc ipſum in uſum civilem tranſtulit, quod quâ ratione præſtiterit, omnium accuratiſſimè Cenſorinus declarat: *adeoque aberratum eſt ut C. Cæſar Pontifex maximus ſuo tertio, & M. Æmilii Lepidi Conſulatu, quo retrò ad-lectum corrigeret, duos menſes intercalarios dierum ſexaginta ſeptem in menſes Novembrem & Decembrem interponeret, cùm jam menſe Februario dies tres & viginti intercalaſſet, faceretque eum annum dierum quadringentorum quadraginta quinque.* Eadem Suetonius prodit in vitâ Cæſaris, capite quadrageſimo: *quò autem magis in poſterum à Kalendis Januarii nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem menſem, interjecit duos alios, fuit-*

Digitized by Google

bus, quos mihi amiciſſimos eſſe cognovi, pro te, ſicut adhuc feci, libentiſſimè ſupplicabo. Vale.

NOTA.

quo is annus, quo hæc conſtituebantur quindecim menſium cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat: quare Tullius per illud, *pridie Kalendas, &c.* ſignificat diem ultimum menſis Novembris, qui dies antecedebat primum diem primi menſis intercalaris.

EPISTOLA XVI.

Continet hæc epiſtola gratulationem, benevolentiam, officium.

Cicero S. D. Baſilio.

TIBI gratulor: mihi gaudeo: te amo: tua tueor. à te amari, & quid agas, quidque iſtic agatur, certior fieri volo. Vale.

EPISTOLA XVII.

Petit ut abſentem ſe tueatur, ſeque beneficii memorem fore ſignificat. Probabile eſt ſcriptam fuiſſe, Antonio & Dolabella Coſſ. anno quo interfectus eſt Cæſar, urbis conditæ ſeptingenteſimo nono.

[1] Bithynicus S. D. Ciceroni.

SI mihi tecum non & multæ, & juſtæ cauſæ amicitiæ privatim eſſent, epeterem initia amicitiæ ex parentibus noſtris: quod faciendum iis exiſtimo, qui paternam amicitiam nullis ipſi officiis proſecuti ſunt. Itaque contentus ero noſtrâ ipſorum amicitiâ: cujus fiducia peto à te, ut abſentem me, quibuſcunque in rebus opus fuerit, tueare, ſi [a] nullum officium tuum apud me intermoriturum exiſtimas. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ſi modo exiſtimas tuorum beneficiorum me fore memorem.*

NOTA.

1. *Bithynicus*] Vide indicem hiſtoricum.

EPISTOLA XVIII.

Significat ſibi nihil eſſe optatius, quàm ut cum Bithynico vivat; tùm deinde illi ſe conjunctiſſimum eſſe teſtatur. Incertus annus.

Cicero S. D. Bithynico.

CUM cæterarum rerum causâ cupio eſſe aliquando rempublicam [a] conſtitutam: [b] tùm velim, mihi credas, accidere id etiam, quò magis

INTERPRETATIO.

[a] *in priſtinum ſtatum reſtitutam.* [b] *quod in primis cupio, ut facilius à te exigam id quod in litteris promittis.*

Digitized by Google

expetam promissum tuum, quo in literis uteris. scribis enim, [c] si ita sit, te mecum esse victurum. gratissima mihi tua voluntas est: faciesque nihil alienum necessitudine nostrâ, judiciisque patris tui de me, summi viri. nam sic habeto, [1] beneficiorum magnitudine eos, [2] qui temporibus valuerunt, aut valeant, conjunctiores tecum esse, quàm me; necessitudine neminem. Quamobrem grata mihi est & memoria tua nostræ conjunctionis, & ejus etiam augendæ voluntas. Vale.

5

INTERPRETATIO.

[c] *si respublica rursùm vigeat.*

NOTÆ.

1. *Beneficiorum magnitudine*] Quòd ei à Cæsare Siciliæ administratio tradita sit, si modò is est Bithynicus, qui Siciliam administravit.

2. *Qui temporibus*] Qui tempore belli civilis summam authoritatem aut habuerunt, aut etiam nunc habent. Manutius putat indicari Cæsarem, & Antonium, qui, quo anno interfectus est Cæsar, Consulatum gerebat. Consule judicem historicum.

EPISTOLA XIX.

Rescribit Leptæ quærenti quid per legem liceat iis qui præconium aut fecerent, aut fecissent. Pauca deinde subjungit de bello Hispaniensi, de Lepta negotio, de Oratore suo, de mansione urbanâ. Cæsare quartùm Consule sine collega, anno urbis conditæ septingentesimo octavo, quo bellum in Hispaniâ contra Pompeii liberos gerebat.

Cicero S. D. [1] Leptæ.

10 [a] SIMUL accepi à Seleuco tuo literas, statim quæsivi è Balbo[b] per [2] codicillos, quid esset [3] in lege. rescripsit, eos [c] [4] qui facerent præconium, vetari esse [5] in decurionibus: qui fecissent, non vetari. Quare bono animo

INTERPRETATIO.

[a] *ubi primùm tuæ mihi litteræ redditæ sint.* [b] *per breves litteras.* [c] *qui præconis artem tum exercerent, non posse fieri decuriones.*

NOTÆ.

1. *Leptæ*] Is fuerat Ciceronis in Siliciâ Proconsulis fabrûm Præfectus.

2. *Per codicillos*] Consule ep. 12. libri 4.

3. *In lege*] A Cæsare scriptâ, & post ejus ex Hispaniâ reditum, Romæ promulgandâ.

4. *Qui facerent præconium*] Præcones; Vile hominum genus, quorum erat audientiam in concionibus facere, proscripta bona auctioni proponere; in judiciis reos, testes, judices appellare, &c.

5. *In Decurionibus*] Sic vocabantur coloniarum & municipiorum Senatores, quòd initio decem tantùm essent, idemque retinuêre nomen, quamquam ad centum usque numerus creverit.

Digitized by Google

sint & tui, & mei familiares. [d] neque enim erat ferendum, cùm, qui hodie, [e] haruspicinam facerent, in senatu Romæ legerentur: eos, qui aliquando præconium fecissent, [7] in municipiis decuriones esse non licere. [8] De Hispaniis [e] novi nihil: magnum tamen exercitum [9] Pompeium habere constat. nam Cæsar ipse ad nos misit exemplum [10] Paciæci literarum, in quo erat, illi XI. esse legiones. scripserat etiam Messalla Q. Sallasso, Q. Curtium, fratrem ejus, jussu Pompeii, inspectante exercitu, interfectum: quòd consensisset cum Hispanis quibusdam, si in oppidum nescio quod Pompeius rei frumentariæ causâ venisset, eum comprehendere, ad Cæsaremque deducere. [f] De negotio tuo, quòd sponsor es pro Pompeio: si [11] Balbus consponsor tuus redierit, homo in re familiari non parùm diligens, non desinam cum illo communicare, [g] si quid expediri possit: quod videbatur mihi ille confidere. [12] Oratorem meum tantoperè à te probari, vehementer gaudeo. mihi quidem sic persuadeo, me, quidquid habuerim judicii [h] de dicendo, in illum librum contulisse. qui si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque aliquid sum: sin aliter, non recuso, quin, quantùm de illo libro, tantundem de mei judicii famâ detrahatur. [i] Leptam nostrum cupio delectari jam talibus scriptis: etsi abest maturitas ætatis, jam tamen personare aures ejus hujusmodi vocibus, non est inutile. Me Romæ tenuit omninò Tulliæ meæ [13] partus: sed, cùm ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dùm à [14] Dolabellæ procuratoribus exigam [15] primam pensio-

INTERPRETATIO.

[d] *neque enim æquum erat, ut qui præconium fecissent, non essent Decuriones in municipiis, siquidem ii qui hodie haruspicinam faciunt, in Senatorum numerum Romæ aggregantur.*

[e] *novi nihil* accepi

[f] *quòd pertinet ad negotium tuum, in quo te sponsorem pro Pompeio feci.*

[g] *si quo modo terminari possit* illud negotium.

[h] *de arte dicendi.*

[i] *filium tuum.*

NOTÆ.

6. *Haruspicinam*] Artem divinandi ex cæsis hostiarum intestinis: fortè jocatur in Cæsarem, qui haruspices, alioque ejusmodi abjectissimos homines in Senatorium ordinem aggregabat.

7. *In municipiis*] Municipiorum duplex genus; nonnullis civitas Romana cum jure suffragii concessa fuit, aliis non item, illi Romanas, hi suas leges sequebantur, illis petendi magistratus jus datum est, negatum aliis.

8. *De Hispaniis*] Ubi tùm Cæsar cum Pompeii liberis præliabatur.

9. *Pompeium*] Cneium Magni filium, qui ad Mundam victus, paulò pòst fortiter dimicans occisus est.

10. *Paciæci*] Hispani hominis, ut nomen indicat, sed Romanâ civitate donati.

11. *Balbus*] Alii pro Balbo *Galbam* reponunt.

12. *Oratorem*] Librum de Oratore scriptum.

13. *Partus*] Ex quo decessisse author est Plutarchus.

14. *Dolabellæ*] Qui tùm legatus Cæsaris erat in Hispaniâ, Tulliamque paulò antè repudiarat.

15. *Primam pensionem*] Mos erat, ut post divortium, tribus pensionibus per triennium, uxori rejectæ dos redderetur.

Digitized by Google

nem. & mehercule [16] non tam sum peregrinator jam, quàm solebam [k] ædificia mea me delectabant, & otium. [l] domus est, quæ nulli villarum mearum cedat: [m] otium omni desertissimâ regione majus. Itaque ne literæ quidem meæ impediuntur: in quibus sine ullâ interpellatione versor. Quare, ut arbitror, priùs hîc te nos, quàm istic tu nos videbis. Lepta suavissimus ediscat [17] Hesiodum, & habeat in ore, [n] [18] Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα, &c.

INTERPRETATIO.

[k] *villæ.* [l] *jam* Romæ *domum* habeo. [m] *tàmque* Romæ *sum otiosus, quàm si in desertissimâ regione versarer.* [n] *virtutis verò sudorem.*

NOTÆ.

16. *Non tam sum peregrinator*] Reddit rationem cur solito rariùs suas villas invisat, quoniam Romæ jam & domi habebat quod antèà quærebat in villis suis, otium scilicet, & splendida ædificia.

17. *Hesiodum*] Poëtam Græcum, qui factus à patre ovium custos, inter dormiendum somniavit se repentè Poëtam esse factum.

18. Τῆς δ' ἀρετῆς] Hesiodi locus est, ubi docet, non nisi summo cum labore virtutem acquiri; unde vulgò Poëtæ finxerunt, montem super difficillimo sitam esse.

EPISTOLA XX.

Cæsar, victis in Hispaniâ Pompeii liberis, ludos per singulas Romæ regiones exhibere decreverat; eorum sibi curam demandari cupiebat Lepta: id Cicero improbat. Scripta est cùm ex Hispaniâ, victis Pompeii liberis, Cæsar rediret, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

Cicero s. p. Leptæ.

[1] MACULAM officio functum esse gaudeo. ejus [2] Falernum mihi semper idoneum visum est [2] diversorio: si modò tecti satis est [3] ad comitatum nostrum recipiendum. [4] cæteroqui is mihi locus non displicet: [b] nec eâ re [5] Petrinum tuum deseram. [c] nam & villa, & amœnitas illa commo-

INTERPRETATIO.

[a] *gaudeo Pompeium Maculam nobis hospitium parasse.* [b] *nec propterea.* [c] *nam tua villa ad commorandum apta est, altera verò ad divertendum.*

NOTÆ.

1. *Falernum*] Villa in Falerno, regione Campaniæ, cujus vina laudantur.

2. *Diversorio*] Locus, quò mentis recreandæ causâ divertimus, haud diù mansuri, sive noster sit, sive alienus.

3. *Ad comitatum*] Quia Cæsari ex Hispaniâ redeunti, obviam ire cogitabat.

4. *Cæteroqui*] Id est, modò sit ampla satis hæc villa ad recipiendos domesticos meos.

5. *Petrinum*] Villæ nomen à vico Petrino, haud procul Sinuessâ, maritimâ Campaniæ

Digitized by Google

rationis est, non diversorii. [d] De curatione aliquâ munerum [e] regionum, cum Oppio locutus sum. nam Balbum, posteà quàm tu es profectus, non vidi. tantis pedum doloribus afficitur, ut se conveniri nolit. omninò de totâ re, ut mihi videris, sapientiùs faceres, si non curares. quod enim [c] eo labore assequi vis, [7] nullo modo assequere. tanta est enim [f] intimorum multitudo, ut ex his potiùs aliquis effluat, quàm novo sit aditus, præsertim [g] qui nihil afferat præter operam, [h] in quâ ille se dedisse beneficium putabit, [8] si modò ipsum sciet, non accepisse. [i] Sed tamen aliquid videbimus, in quo sit spes. [k] aliter quidem non modò non appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me [9] Asturæ diutiùs arbitror commoraturum, quoad [l] ille quandoque veniat. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *quod attinet ad hanc ludorum curam, quam petis, & quos Cæsar per singulas Romæ regiones daturus est.*
[e] *ludis curandis.* [f] *amicorum.*
[g] *si nihil afferat præter laborem.*
[h] *quod si Cæsar sciat te hos ludos curasse, putabit se beneficium tibi dedisse, non à te accepisse.*
[i] *videbimus tamen quid nobis tuâ causâ sit sperandum.*
[k] *si nulla sit spes, non modo non appetendam* hanc ludorum *curam, &c.* [l] *Cæsar.*

NOTÆ.

paniæ urbe; unde Horat. *Sinuessanumque Petrinum.*

6. *Regionum*] Per regiones hîc intelliguntur quædam urbis Romæ partes, quarum certi fines ab Augusto posteà statuti sunt.

7. *Nullo modo assequêre*] Ut sis inter Cæsaris domesticos, & familiares.

8. *Si modo ipsum sciet*] Adeò minima illa negligit, gravioribus negotiis implicatus.

9. *Asturæ*] Oppidum olim; nunc exiguum castrum, & fluvius Latii, haud longè à Terracinâ, ubi Cæsarem ex Hispaniâ redeuntem Tullius expectavit.

EPISTOLA XXI.

Monet Toranium, ut ibi, ubi est, commoretur, donec intelligat quid sibi agendum sit. Tempore belli Hispaniensis, eodem anno.

Cicero S. D. [1] Toranio.

DEDERAM triduo antè pueris [2] Cn. Plancii literas ad te: eò nunc ero brevior, teque, ut antè consolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse utiliùs, quàm [3] ibidem opperiri, quoad scire possis quid tibi agendum sit. [a] nam præter navigationis longæ, & hiemalis, & [b] minimè portuosæ

INTERPRETATIO.

[a] *nam præter quàm quòd evitabis periculum navigationis, &c.* [b] *ex quâ vix poteris portum attingere.*

NOTÆ.

1. *Toranio*] Vide indicem historicum.

2. *Cneii Plancii*] Pro quo extat Ciceronis oratio.

3. *Ibidem*] Nonnulli hîc Siciliam, alii Coreyram interpretantur.

periculum, quod vitaveris, [c] ne illud quidem non; quamvis subitò, cùm certi aliquid audieris, te istinc posse proficiscì: [d] nihil est præterea, cur [d] advenientibus te [4] offerre gestias. multa præterea metuo, quæ cum [5] Chilone nostro communicavi. quid multa? loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te, quocunque opus erit, facillimè, & expeditissimè conferas. [e] Quòd si recipiet ille se, ad tempus aderis. sin (quoniam multa accidere possunt) aliqua res eum vel impediet, vel morabitur: tu ibi eris, ubi omnia scire possis. hoc mihi prorsùs valdè placet. De reliquo, ut te sæpè per literas hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac causâ nihil habere, quod timendum sit, præter communem casum civitatis. qui etsi est gravissimus, tamen ita viximus, & id ætatis jam sumus, ut omnia, quæ non nostrâ culpâ nobis accident, fortiter ferre debeamus. [f] Hic tui omnes valent, [6] summâque pietate te desiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura, ut valeas, & te [7] istinc ne temerè commoveas.

INTERPRETATIO.

[c] *at verò, ubi primùm certi aliquid audieris de tuo reditu impetrato, poteris ex hoc loco, ubi es, quàm citissimè volueris, Romam proficiscì.*

[d] *nihil est necesse, ut Cæsarianis* ex Hispaniâ *redeuntibus obviam procedas.*

[e] *quòd si Cæsar ex* Hispaniâ Romam *redierit.* [f] *Roma.*

NOTÆ.

4. *Offerre te gestias*] Ut eorum operâ tibi Cæsarem concilies.

5. *Chilone*] Clientis, vel liberti nomen est.

6. *Summâque pietate*] Vide epistolam primam libri primi.

7. *Istinc*] è Siciliâ, vel è Corcyrâ.

EPISTOLA XXII.

Toranium exulem consolatur, seque illi ad imitandum proponit. Eodem anno.

Cicero S. D. Toranio.

ETSI cùm hæc ad te scriberem, aut appropinquare exitus hujus [a] calamitosissimi belli, aut jam aliquid actum & confectum videbatur: tamen quotidie [b] commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi: solosque nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo, spe pacis exclusâ, ipsa victoria futura esset acerbissima, [1] quæ aut interitum allatura esset, si victus esses, aut, si vicisses, servitutem. Itaque

INTERPRETATIO.

[a] *civilis, & Hispaniensis.* [b] *memoriâ repetebam, nos duntaxat ambos in Pompeiano exercitu id sensisse.*

NOTÆ.

1. *Quæ aut interitum*] Alibi tamen dicit, ex Pompeii victoriâ mortem, ex victoriâ Cæsaris servitutem expectandam.

Digitized by Google

ego, quem tùm [a] fortes illi viri, & ſapientes, [3] Domitii, & Lentuli, timidum eſſe dicebant, (& eram planè: timebam enim ne evenirent ea quæ acciderunt) idem nunc nihil timeo, & ad omnem eventum paratus ſum. cùm aliquid videbatur [c] caveri poſſe, tùm id negligi dolebam. nunc verò everſis omnibus rebus, cùm conſilio proſici nihil poſſit, una ratio videtur, quidquid evenerit, ferre moderatè: præſertim cùm omnium rerum mors ſit extremum: & mihi ſim conſcius, me, quoad licuerit, dignitati reipublicæ conſuluiſſe, &, hac amiſsâ, ſalutem retinere voluiſſe. Hæc ſcripſi, non ut de me ipſe dicerem, ſed ut tu, qui conjunctiſſimâ fuiſti mecum & ſententiâ, & voluntate, eadem cogitares. MAGNA enim conſolatio eſt, cùm recordere, etiam ſi [d] ſecus acciderit, te tamen rectè, veréque ſenſiſſe. Atque utinam liceat aliquando aliquo reipublicæ ſtatu nos frui, interque nos conferre ſolicitudines noſtras, quas pertulimus tùm, cùm timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quæ facta ſunt. De tuis rebus nihil eſſe, quod timeas, præter univerſæ reipublicæ interitum, tibi confirmo. De me autem ſic velim judices, quantùm ego poſſim, me tibi, ſaluti tuæ, liberiſque tuis ſummo cum ſtudio præſto ſemper futurum. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *declinari.* [d] *aliter.*

NOTÆ.

2. *Fortes illi viri, & ſapientes*] Ironicè hoc dictum.

3. *Domitii, & Lentuli*] L. Domitius pater, & Cneius Domitius filius, Lucius Lentulus, & P. Lentulus, qui bello controverſiam dirimi, excluſâ pace, voluerunt.

EPISTOLA XXIII.

Domitium conſolatur amicorum caſum plus æquo dolentem; eumque rogat, ut cùm Reipublicæ ſatisfecerit; ſaluti jam ſuæ conſulat. Cæſare tertiùm, & Lepido Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingenteſimo ſeptimo.

Cicero S. D. Domitio.

[a] NON ea res me deterruit, quo minùs, [1] poſteaquam in Italiam veniſti, literas ad te mitterem, quòd tu ad me nullas miſeras: ſed quia nec quid tibi pollicerer, ipſe egens rebus omnibus, nec quid ſuaderem,

INTERPRETATIO.

[a] *ſi nondùm ad te ſcripſi, ex quo veniſti in Italiam, non ideo certè, quia nondùm ad me ſcripſeras; ſed quia, &c.*

NOTÆ.

1. *Poſteà quàm in Italiam*] Profligato in Theſſaliâ Pompeii exercitu, in quo dimicaverat contra Cæſarem hic Domitius, Domitii Ænobarbi, ut multi exiſtimant, filius.

Digitized by Google

cùm mihimetipsi consilium deesset, nec quid consolationis afferrem, in tantis malis reperiebam. [h] Hæc quanquam nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam multò desperatiora: tamen inanes esse meas literas, quàm nullas, malui. [c] Ego si te intelligerem plus conatum esse suscipere reipublicæ causâ muneris, quàm quantùm præstare potuisses, [d] tamen, quibuscunque rebus possem, ad eam conditionem te vivendi, quæ daretur, quæque esset, hortarer. [e] sed cùm consilii tui benè, fortiterque suscepti eum tibi finem statueris, [z] quem ipsa fortuna terminum nostrarum contentionum esse voluisset: oro, obtestorque te pro nostrâ vetere conjunctione, ac necessitudine, proque summâ meâ in te benevolentiâ, & tuâ in me pari, te ut nobis, parenti, conjugi, tuisque omnibus, quibus es, fuistique semper carissimus, salvum conserves, incolumitati tuæ, tuorumque, [f] qui ex te pendent, consulas. quæ didicisti, quæque ab adolescentiâ, pulcherrimè à sapientissimis viris tradita, memoriâ, & scientiâ comprehendisti, iis hoc tempore utare: quos conjunctos summâ benevolentiâ, plurimisque officiis amisisti, eorum desiderium si non æquo animo, at forti feras. Ego quid possim, nescio, vel potiùs me parùm posse sentio: illud tamen tibi polliceor, me, quæcunque saluti, dignitatique tuæ conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum, quanto semper, tu & studio, & officio in meis rebus fuisti. Hanc meam voluntatem ad matrem tuam, optimam feminam, tuique amantissimam, detuli. si quid ad me scripseris, ita faciam, ut te velle intellexero: [g] sin tu minùs scripseris, ego tamen omnia, quæ tibi utilia esse arbitrabor, summo studio, diligenterque curabo. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *quamquam Reipublicæ conditio non jam melior, immo etiam desperatior sit, tamen malui frustrà tibi, quàm nullo modo scribere.*

[c] *si ego viderem te voluisse, etiam post Pharsalicam cladem, conservare armis Rempublicam, quæ conservari non potuit.*

[d] *te nihilominùs quantùm possem, hortarer, eam ut vitæ conditionem acciperes, quæ tibi offerretur, quamquàm non esset optima.*

[e] *sed quoniam victo ad Pharsalum Pompeio, bellandi finem fecisti, quemadmodum & fortuna voluit, nunc bellandi finem faciendum.*

[f] *quorum incolumitas in tuâ incolumitate sita est.*

[g] *& quamvis contingeret ut ad me non scribares.*

NOTÆ.

2. *Quem ipsa fortuna*] Benè multi Pompeiani, post Pharsalicam cladem, ab armis discesserunt; inter quos Domitius.

LIBER VII.

AD MARIUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Ludos, quos in consecratione theatri à se extructi Pompeius iterum Consul dedit, describit Cicero, & extenuat; ne Marium iis non interfuisse pœniteret. Pompeio & Crasso iterum Consulibus, anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo octavo.

M. Cicero s. d. M. Mario.

SI te dolor aliquis corporis, aut infirmitas valetudinis tuæ tenuit, quò minùs ad ludos venires: [a] fortunæ magis tribuo, quàm sapientiæ tuæ. [b] sin hæc, quæ cæteri mirantur, contemnenda duxisti, &, cùm per valetudinem posses, venire tamen noluisti: utrumque lætor, & sine dolore corporis te fuisse, [c] & animo valuisse, cùm ea, quæ sine causâ mirantur alii, neglexeris: [d] modò ut tibi constiterit fructus otii tui: quo quidem tibi perfrui mirificè licuit, cùm esses [e] in istâ amœnitate penè solus relictus. Neque tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, [f] ex quo tibi [1] Stabianum perforasti, & patefeceris [2] Sejanum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris. cùm illi intereà, qui te [g] istic reliquerunt, spectarent, [h] communes mimos semisomni. reliquas verò partes diei tu consumebas aliis delectationibus, quas tibi ipsi ad arbitrium tuum compararas. nobis autem erant ea perpetienda, quæ scilicet [3] P. Mæcius probavisset. Omninò, si quæris, ludi apparatissimi, [i] sed non tui stomachi. conjecturam enim facio de

INTERPRETATIO.

[a] *te fœliciorem quàm sapientem judico.*
[b] *quod si hæc spectacula, quæ vulgus miratur.*
[c] *tibique mentem sic sanam fuisse, ut ea quæ sine, &c.*
[d] *modo fructum aliquem ex otio tuo percoperis.* [e] *in hac villâ amœnâ.*
[f] *unde tibi prospectus est in agros Stabianum, & Sejanum.*
[g] *ruri.* [h] *vulgares ludos.*
[i] *sed qui tibi non placerunt. neque enim placuerunt mihi.*

NOTÆ.

1. *Stabianum*] Stabiæ urbs maritima Campaniæ, à Sylla bello sociali excisa, pro quâ nova Stabiæ non procul conditæ, *Castell' à mare di Stabia.*
2. *Sejanum*] Villa, cujus vix ullum hodie vestigium apparet.
3. *P. Macius*] Cujus erat examinare poëmata, priùs quàm in scenâ recitarentur, de quo fortè Horatius in arte poëticâ.

meo. nam primùm [k] honoris causâ in scenam redierant ii, [l] quos ego honoris causâ de scenâ decessisse arbitrabar. deliciæ verò tuæ noster [r] Æsopus [m] ejusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret. is jurare cùm cœpisset, vox eum defecit in illo loco, [6] SI sciens fallo. Quid tibi ego alia narrem? nosti enim reliquos ludos. quid? ne id quidem leporis habuerunt? quod solent mediocres ludi. [n] apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem. quo quidem apparatu non dubito quin animo æquissimo careueris. [o] quid enim delectationis habent [7] sexcenti muli [8] in Clytemnestrâ? [p] [9] aut in Equo Trojano craterarum tria millia? aut [q] armatura varia peditatus, & equitatus in aliquâ pugnâ? quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent. Quòd si tu per eos dies [r] operam dedisti [10] Protogeni tuo: dummodò is tibi quidvis potiùs, quàm orationes meas, legerit, næ tu haud paulò plus, quàm quisquam nostrûm delectationis habuisti. Non enim te puto [11] Græcos, aut [12] Oscos ludos desideraſſe, præsertim cùm Oscos ludos vel [13] in senatu [t] nostro spectare possis, [t] Græcos verò ita non ames, ut ne ad villam quidem tuam viâ Græcâ ire soleas,

INTERPRETATIO.

[k] *nam primùm Mimi veteres, ut Pompeium honorarent, in scenam redierant.*

[l] *quos Mimos arbitrabar scenam* in omne tempus *reliquisse, quod essent ætate provectiores.*

[m] *tam malè personam suam egit, ut spectatores eum cessare ultrò passi essent.*

[n] *nam apparatûs magnificentia.*

[o] *quæ enim delectatio! videre scilicet sexcentos mulos exhibitos in tragœdiâ quæ inscribitur* Clytemnestra.

[p] *aut videre in tragœdiâ, quæ dicitur* Equus Trojanus, *craterarum tria millia.*

[q] *multiplex armorum genus.*

[r] *legentem Protogenem audiisti.*

[s] *Arpinati.*

[t] *à ludis autem Græcis ita sis alienus, ut, &c.*

NOTÆ.

4. *Quos honoris causâ*] Quia natu grandiores Mimos, non decebat in scenam deinceps prodire.

5. *Æsopus*] Tragœdus, qui artem Mimicam exercendo, immensas opes comparavit.

6. *Si sciens fallo*] Verba jusjurandi per Jovem Lapidem, cujus hic erat ritus, *Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: Si sciens fallo, tùm me Diespiter salvâ urbe, arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem* Ita Festus. Jusjurandum hoc sanctissimum vocat Gellius lib. 1. c. 21.

7. *Sexcenti muli*] Numerus finitus pro infinito

8. *In Clytemnestrâ*] Attii Poëtæ tragœdiâ, quæ Agamemnonis è Trojâ reditum exprimebat cum mulis hostili prædâ onustis. Clytemnestra autem fuit Agamemnonis uxor, quæ Trojani belli tempore, Ægisti amore capta, redeuntem in patriam maritum, adulteri ope, per insidias occidit; at eadem pòst ab Oreste filio, unà cum Ægisto interfecta est.

9. *Equo Trojano*] Livii Andronici tragœdiâ, in quâ craterarum ex prædâ Trojanâ ingens ostendebatur multitudo.

10. *Protogeni*] Anagnostes erat Marii.

11. *Græcos*] Triplex ludorum genus Pompeius exhibuit; Latinos, Græcos, Oscos, linguâ & habitu discrepantes.

12. *Oscos ludos*] Rusticos, & turpes, ab Oscis Campaniæ populis, qui, quòd impura verba sæpiùs usurparent, nomen hoc sortiti sunt; unde obscæna verba pro impudicis vulgò dicimus.

13. *In senatu nostro*] Non quòd re ve-

Digitized by Google

Nam quid ego te [14] athletas putem desiderare, qui gladiatores contempseris? in quibus ipse Pompeius confitetur se & [u] operam, & oleum [15] perdidisse. Reliquæ sunt [16] venationes, binæ per dies quinque, magnificæ, nemo negat: sed quæ potest esse homini [x] politico delectatio, [y] cùm aut homo imbecillus [z] à valentissimâ bestiâ laniatur, aut præclara bestia [a] venabulo transverberatur? quæ tamen si videnda sint, sæpè vidisti: neque nos, qui hæc spectavimus, quidquam novi vidimus. Elephantorum extremus dies fuit: [b] in quo admiratio magna vulgi, atque turbæ; delectatio nulla extitit: quin etiam [17] misericordia quædam consecuta est, atque opinio ejusmodi, esse quandam illi belluæ cum genere humano societatem. His ego tamen diebus, [18] ludis [19] scenicis, [c] ne fortè videar tibi non modò beatus, sed liber omninò fuisse, dirupi penè me [d] [20] in judicio Galli Caninii, familiaris tui. [e] quòd si tàm facilem populum haberem, quàm [21] Æsopus habuit, libenter mehercule [f] artem desinerem, tecumque, & cum similibus nostri viverem. [g] Nam me cùm

INTERPRETATIO.

[u] *& laborem, & sumptus perdidisse*, quia paucis placuerunt.
[x] *viro gravi.* [y] *quando.* [z] *à leone.*
[a] *venantium telo transfigitur.*
[b] *in quo*, elephantorum *aspectus admirationem multitudini, delectationem nullam attulit.*
[c] *ut intelligas, me his diebus, dùm ludi scenici habebantur, non modò non beatum, sed ne liberum quidem fuisse.*
[d] *in defendendo Caninio.*
[e] *quod si mihi per populum liceret discedere à causis, sicut Æsopo licuit per populum, scenam relinquere.*
[f] *patronum agere cessarem.*
[g] *nam si me vel anteà tædebat causas agere; quamvis tunc & ætas, & ambitio ad id me hortarentur.*

NOTÆ.

tâ hi ludi in senatu Arpinati exhiberentur; sed jocatur Cicero in Arpinatum Senatorum linguam, Oscâ linguâ mistam propter vicinitatem.

14. *Athletas*] De quibus sic breviter Aristoteles: *Qui celeritate valet, is cursor est: qui potest tùm premere, tùm continere, Luctator: qui percutiendo pellere, Pugil: qui horum utroque modo, Pancratio idoneus: qui ad hæc cuncta aptus, Quinquertio.*

15. *Perdidisse*] Quia pauci ex his ludis delectationem perceperunt.

16. *Venationes binæ*] Quia, ut ait Manutius, manè datæ, post meridiem instauratæ sunt.

17. *Misericordia quædam consecuta*] Cujus causam Plinius exponit his verbis lib. 8. c. 7. Elephanti, *amissâ fugæ spe, misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicavêre, quadam sese lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus Imperatoris, ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens universus consurgeret, diraque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur.* Habet eadem Dio, lib. 39. ubi horum ludorum magnificentiam copiosè describit.

18. *Ludis scenicis*] Per ludos scenicos, tragœdias indicat, de quibus suprà, Clytemnestram, Equum Trojanum, Græcos præterea, & Oscos ludos.

19. *Scenicis*] à verbo Græco σκηνὴ, umbra: antequam enim theatrorum esset usus, sub frondibus & umbraculis carmina à Pastoribus decantabantur.

20. *In judicio*] Nè locus hic scrupulum injiciat, notandum est, non licuisse, quandiù ludi anniversarii habebantur, exercere judicia, quia festi erant dies, iidemque nefasti; secus autem, si extra ordinem darentur, quales erant Pompeiani, de quibus hîc agitur: quare nihil impedimento fuit, quominùs eo tempore causas ageret Cicero.

21. *Æsopus habuit*] Qui cùm suam in theatro personam malè sustinuisset, eam

anteà tædebat, cùm & ætas, & ambitio hortabantur, [h] & licebat. denique, quem nolebam, non defendere: [i] tùm verò hoc tempore vita nulla est. neque enim fructum ullum laboris expecto: & cogor nonnunquam homines [22] non optimè de me meritos, rogatu eorum, qui benè meriti sunt, defendere. Itaque quæro [k] causas omnes aliquando vivendi arbitratu meo: teque & istam rationem otii tui, & laudo vehementer, & probo: quódque nos minùs intervisis, hoc fero animo æquiore, quòd si Romæ esses, tamen [l] neque nos lepore tuo, neque te, si quis est in me, meo frui liceret, propter molestissimas occupationes meas: [m] quibus si me relaxaro, (nam, ut planè exolvam, non postulo) [n] te ipsum quidem, qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profecto, quid sit humaniter vivere. Tu modò istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta, & tuere, ut facis: ut nostras villas obire, & [o] mecum nostrâ simul lecticulâ concursare possis. Hæc ad te pluribus verbis scripsi, quàm soleo, non otii abundantiâ, sed amoris erga te: quòd me quâdam epistolâ subinvitaras, si memoriâ tenes, ut ad te aliquid ejusmodi scriberem, [p] quominùs te prætermisisse ludos pœniteret. quod si assecutus sum, gaudeo: sin minùs, hoc me tamen consolor, quòd posthac ad ludos venies, nosque vises, [q] neque in epistolis relinques meis spem aliquam delectationis tuæ. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *& quamquam tunc licebat eos non defendere, quos nolebam.*

[i] *quanto nunc magis*, hæc forensis exercitatio *injucunda mihi esse debet; neque enim, &c.*

[k] *occasiones omnes.*

[l] *neque ego suavi convictu tuo frui possem, neque tu meo; si tamen is ego sum, cujus convictus sit suavis.*

[m] *de quibus si aliquid detraxero; neque enim postulo, ut ab iis me prorsùs liberem.*

[n] *docebo te, quid sit jucundè & honestè vivere, quamquam à pluribus annis aliud nihil cogitas.*

[o] *& in eadem mecum lecticulâ.*

[p] *ut minùs.*

[q] *neque delectationem tuam unicè repones in epistolis meis.*

NOTÆ.

deponere, repugnante nemine, potuit.

22. *Non optimè de me meritos*] Gabinium, quem, authore Pompeio, defendit, quamvis ab eo Cónsule in exilium pulsus erat, & Vatinium turpissimum hominem, suæque dignitati semper infestum, quem rogatu Cæsaris tutatus est. Consule Valerium Maximum, libro 4. de reconciliatione; & epistolam nonam libri primi.

EPISTOLA II.

Promittit Mario, ejus negotium sibi curæ fore; addit deinde quanti sit facienda T. Munatii Planci Bursæ condemnatio. Sulpitio & Marcello Coss. an. u. c. 702.

Cicero s. d. Mario.

1 MANDATUM tuum curabo diligenter: [a] sed homo acutus ei mandasti potissimùm, cui expediret illud venire quamplurimo:

INTERPRETATIO.

[a] *at certè imprudens es, qui mihi mandas, ut curem tibi vendi prædium, quod mea interest ut vendatur quàm maximo pretio.*

NOTÆ.

1. *Mandatum*] Cicero relictus fuerat hæres cujusdam prædii, cum aliis quibusdam

a sed eò vidisti multùm, quòd præfinisti, quo ne pluris emerem. quòd si mihi permisisses, qui meus amor in te est, c confeciſſem cum cohæredibus. d nunc, quando tuum pretium novi, e 2 licitatorem potiùs apponam, quàm illud minoris veneat. sed de joco satis est. Tuum negotium agam, sicuti debeo, diligenter. f 3 De Bursâ te gaudere certò scio: sed nimis verecundè mihi gratularis. putas enim, ut scribis propter hominis g sordes minùs me magnam illam lætitiam putare. credas mihi velim, magis me judicio hoc, h quàm morte inimici lætatum. Primùm enim h judicio malo, quàm gladio: i deinde, gloriâ potiùs amici, 5 quàm calamitate. in primisque me delectavit, tantum studium k bonorum in me extitisse contra incredibilem contentionem clarissimi ac l potentissimi viri. postremò, quod vix verisimile fortasse videatur, oderam multò pejus m hunc, quàm illum ipsum Clodium. n illum enim oppugnaram, hunc defenderam. o Et ille, cùm omnis respublica in meo capite discrimen esset habitura, p magnum quiddam spectavit, q nec suâ quidem sponte, sed eorum auxilio, qui, me stante, stare non poterant: r hic 6 simiolus animi causâ me, in quem inveheretur, delegerat: persua-

INTERPRETATIO.

a *sapienter tamen feciſti, qui* certam pecuniæ summam *præfinieris, quam in emptione non transgrederer.*

c *negotium absolviſſem.*

d *nunc quoniam intelligo quid pecunia velis* insumere in hac emptione.

e *subornabo potiùs aliquem, qui majus pretium offerat, quàm ut patiar infra summam à te præfinitam* prædium *vendi.*

f *quòd Bursa* damnatus fuerit.

g *vitia.*

h *malo* perdere inimicum *judicio quàm gladio.*

i deinde volo ut inimici mei clades conjuncta sit *cum amici mei gloriâ, non cum ejus calamitate.*

k *judicum.* l *Pompeii.*

m *Bursam.*

n *Clodium enim oppugnaram, Bursam verò defenderam.*

o *& Clodius, cùm videret Rempublicam periclitaturam, si ego periissem.*

p *magnum quid facturum se putavit,* si me perderet.

q *quamquam non per se ipsum* me oppugnavit, *sed improborum auxilio, qui me incolumi, incolumes esse non poterant.*

r *sed Bursa homo contemptissimus me elegit, quem injuriâ afficeret.*

NOTÆ.

busdam cohæredibus; hoc prædium cùm Marius emere cuperet, hujus emptionis curam Tullio commisit, summamque pecuniæ præfinivit, quam vellet in id insumere. quare Cicero jocandi causâ eum arguit imprudentiæ, quòd negotium hoc sibi demandaret, cujus intererat, ut prædium illud quàm maximo pretio venderetur.

2. *Licitatorem*] Is est qui subornatus à venditore, pretium alio majus pro re emendâ polliceatur. *Encherisseur.*

3. *De Bursâ*] Is est Titus Munatius Plancus Bursa, qui Tribunus plebis, Pompeio tertium Consule, Ciceronem in Milonis causâ insectatus est, & populum excitavit, ut P. Clodii à Milone occisi corpus in foro simul cum curiâ combureret; quare statim post depositam Tribunitiam potestatem, de vi damnatus est: at Cæsar rerum potitus eum cum aliis exulibus restituit. Dio lib. 40.

4. *Morte inimici*] Clodii, quem Milo interfecit.

5. *Quàm calamitate*] Milonem indicat, qui Clodium cùm occidisset, exilio multatus est.

6. *Simiolus*] Per contemptum sic ap-

anteà tædebat, cùm & ætas, & ambitio hortabantur, [h] & licebat. denique, quem nolebam, non defendere: [i] tùm verò hoc tempore vita nulla est. neque enim fructum ullum laboris expecto: & cogor nonnunquam homines [22] non optimè de me meritos, rogatu eorum, qui benè meriti sunt, defendere. Itaque quæro [k] causas omnes aliquando vivendi arbitratu meo: teque & istam rationem otii tui, & laudo vehementer, & probo: quódque nos minùs interviſis, hoc fero animo æquiore, quòd si Romæ esses, tamen [l] neque nos lepore tuo, neque te, si quis est in me, meo frui liceret, propter molestissimas occupationes meas: [m] quibus si me relaxaro, (nam, ut planè exolvam, non postulo) [n] te ipsum quidem, qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profecto, quid sit humaniter vivere. Tu modò istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta, & tuere, ut facis: ut nostras villas obire, & [o] mecum nostrâ simul lecticulâ concursare possis. Hæc ad te pluribus verbis scripsi, quàm soleo, non otii abundantiâ, sed amoris erga te: quòd me quâdam epistolâ subinvitaras, si memoriâ tenes, ut ad te aliquid ejusmodi scriberem, [p] quominùs te prætermisisse ludos pœniteret. quod si assecutus sum, gaudeo: sin minùs, hoc me tamen consolor, quòd posthac ad ludos venies, nosque vises, [q] neque in epistolis relinques meis spem aliquam delectationis tuæ. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *& quamquam tunc licebat eos non defendere, quos nolebam.*

[i] *quanto nunc magis*, hæc forensis exercitatio *injucunda mihi esse debet; neque enim, &c.*

[k] *occasiones omnes.*

[l] *neque ego suavi convictu tuo frui possem, neque tu meo; si tamen is ego sum, cujus convictus sit suavis.*

[m] *de quibus si aliquid detraxero; neque enim postulo, ut ab iis me prorsùs liberem.*

[n] *docebo te. quid sit jucundè & honestè vivere, quamquam è pluribus annis aliud nihil cogitas.*

[o] *& in eadem mecum lecticâ.*

[p] *ut minùs.*

[q] *neque delectationem tuam unicè reponet in epistolis meis.*

NOTÆ.

deponere, repugnante nemine, potuit.

22. *Non optimè de me meritos*] Gabinium, quem, authore Pompeio, defendit, quamvis ab eo Cónsule in exilium pulsus erat, & Vatinium turpissimum hominem, suæque dignitati semper infestum, quem rogatu Cæsaris tutatus est. Consule Valerium Maximum, libro 4. de reconciliatione; & epistolam nonam libri primi.

EPISTOLA II.

Promittit Mario, ejus negotium sibi curæ fore; addit deinde quanti sit facienda T. Munatii Planci Bursa condemnatio. Sulpitio & Marcello Coss. an. u. c. 702.

Cicero s. d. Mario.

1 MANDATUM tuum curabo diligenter: [a] sed homo acutus es mandasti potissimùm, cui expediret illud venire quamplurimo:

INTERPRETATIO.

[a] *at certè imprudens es, qui mihi mandas, ut curem tibi vendi prædium, quod meâ interest ut vendatur quàm maximo pretio.*

NOTÆ.

1. *Mandatum*] Cicero relictus fuerat hæres cujusdam prædii, cum aliis quibusdam

[a] sed eò vidisti multùm, quòd præfinisti, quo ne pluris emerem. quòd si mihi permisisses, qui meus amor in te est, [c] confeciſſem cum cohæredibus. [d] nunc, quando tuum pretium novi, [e] [2] licitatorem potiùs apponam, quàm illud minoris veneat. sed de joco satis est. Tuum negotium agam, sicuti debeo, diligenter. [f] [3] De Bursâ te gaudere certò scio: sed nimis verecundè mihi gratularis. putas enim, ut scribis propter hominis [g] sordes minùs me magnam illam lætitiam putare. credas mihi velim, magis me judicio hoc, [4] quàm morte inimici lætatum. Primùm enim [h] judicio malo, quàm gladio: [i] deinde, gloriâ potiùs amici, [5] quàm calamitate. in primisque me delectavit, tantum studium [k] bonorum in me extitisse contra incredibilem contentionem clarissimi ac [l] potentissimi viri. postremò, quod vix verisimile fortasse videatur, oderam multò pejus [m] hunc, quàm illum ipsum Clodium. [n] illum enim oppugnaram, hunc defenderam. [o] Et ille, cùm omnis respublica in meo capite discrimen esset habitura, [p] magnum quiddam spectavit, [q] nec suâ quidem sponte, sed eorum auxilio, qui, me stante, stare non poterant: [r] hic [6] simiolus animi causâ me, in quem inveheretur, delegerat: persua-

INTERPRETATIO.

[a] *Sapienter tamen feciſti, qui* certam pecuniæ summam *præfinieris, quam in emptione non transgrederer.*

[c] *negotium absolviſſem.*

[d] *nunc quoniam intelligo quid pretii velis* insumere in hac emptione.

[e] *ſubornabo potiùs aliquem, qui majus pretium offerat, quàm ut patiar infra ſummam à te præfinitam* prædium *vendi.*

[f] *quòd Burſa* damnatus fuerit. [g] *vitia.*

[h] *malo* perdere inimicum *judicio quàm gladio.*

[i] deinde volo ut inimici mei clades conjuncta sit *cum amici mei gloriâ, non cum ejus calamitate.*

[k] *judicum.* [l] *Pompeii.*

[m] *Burſam.*

[n] *Clodium enim oppugnaram, Burſam verò defenderam.*

[o] *& Clodius, cùm videret Rempublicam periclitaturam, ſi ego periiſſem.*

[p] *magnum quid facturum ſe putavit,* ſi me perderet.

[q] *quamquam non per ſe ipſum* me oppugnavit, *ſed improborum auxilio, qui me incolumi, incolumes eſſe non poterant.*

[r] *ſed Burſa homo contemptiſſimus me elegit, quem injuriâ afficeret.*

NOTÆ.

busdam cohæredibus; hoc prædium cùm Marius emere cuperet, hujus emptionis curam Tullio commisit, summamque pecuniæ præfinivit, quam vellet in id insumere. quare Cicero jocandi causâ eum arguit imprudentiæ, quòd negotium hoc sibi demandaret, cujus interesset, ut prædium illud quàm maximo pretio venderetur.

2. *Licitatorem*] Is est qui subornatus à venditore, pretium alio majus pro re emendâ pollicetur. *Encheriſſeur.*

3. *De Bursâ*] Is est Titus Munatius Plancus Bursa, qui Tribunus plebis, Pompeio tertium Consule, Ciceronem in Milonis causâ insectatus est, & populum excitavit, ut P. Clodii à Milone occisi corpus in foro simul cum curiâ cremaret; quare statim post depositam Tribunitiam potestatem, de vi damnatus est: at Cæsar rerum potitus eum cum aliis exulibus restituit. Dio lib. 40.

4. *Morte inimici*] Clodii, quem Milo interfecit.

5. *Quàm calamitate*] Milonem indicat, qui Clodium cùm occidisset, exilio multatus est.

6. *Simiolus*] Per contemptum sic ap-

seratque nonnullis invidis meis, [f] se in me [7] emissarium semper fore. Quam obrem valdè jubeo [8] gaudere te. magna res gesta est. nunquam ulli fortiores cives fuerunt, quàm qui ausi sunt eum [g] contra tantas opes ejus, à quo ipsi lecti judices erant, condemnare. quod fecissent nunquam, [u] nisi iis dolori meus fuisset dolor. Nos hîc multitudine, & [9] celebritate judiciorum, & [10] novis legibus ita distinemur, [x] ut quotidie vota faciamus, [11] ne intercaletur, ut quamprimùm te videre possimus. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *se paratum semper fore ad mihi nocendum.*
[g] *contra tantam auctoritatem Pompeii.*
[u] *nisi doluissent me à Bursa læsum fuisse.*
[x] *ut quotidie deos precer, ne dierum interpositione tempus prorogetur.*

NOTÆ.

pellat, eò quòd Bursa in Cicerone exagitando, Clodium turpiter imitaretur.

7. *Emissarium*] Emissarii dicuntur, qui subitas ad excursiones, occasione datâ, parati sunt.

8. *Gaudere te*] Quòd Bursa sit damnatus.

9. *Celebritate judiciorum*] Ob rerum magnitudinem, quæ tùm in curiâ agitabantur.

10. *Novis legibus*] Quas anno proximè superiori, Pompeius tertium Consul tulerat.

11. *Ne intercaletur*] Patet ex hoc loco, licitum fuisse Pontificibus, dies extra ordinem inferere arbitratu suo, quando res prorogationem temporis exigebat.

EPISTOLA III.

Causas explicat, cur fuso ad Pharsalum Pompeiano exercitu, ab armis ipse discesserit. Cæsare tertium, & Lepido Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

Cicero S. D. Mario.

PERSÆPE mihi cogitanti [1] de communibus miseriis, in quibus tot annos versamur, & (ut video) versabimur, solet in mentem venire illius temporis, [2] quo [2] proximè fuimus unà: quin etiam ipsum diem memoriâ teneo. Nam ad III. Idus Maias, [3] Lentulo & Marcello Coss. cùm in [4] Pompeianum vesperi venissem, tu mihi solicito animo præstò fuisti. solicitum autem te habebat cogitatio tùm officii, tùm etiam periculi mei: si manerem [5] in Italiâ.

INTERPRETATIO.

[a] *quo postremum unà sermonem habuimus.*

NOTÆ.

1. *De communibus miseriis*] Quas Pompeii, Cæsarisque discordia in Rempublicam inverit.

2. *Proximè*] Anno belli civilis primo.

3. *Lentulo & Marcello*] Anno urbis conditæ septingentesimo quarto, quo civile bellum exarsit.

4. *Pompeianum*] Villam Ciceronis, prope Nolam in Campaniâ.

5. *In Italiâ*] Unde jam Pompeius in Græciam navigarat.

Digitized by Google

verebare, [6] ne officio deesſem : ſi proficiſcerer ad bellum, [7] periculum te meum commovebat. Quo tempore vidiſti profectò me quoque ita conturbatum, ut non explicarem, quid eſſet optimum factu : pudori tamen malui, famæque cedere, quàm ſalutis meæ rationem ducere. Cujus me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quàm propter vitia multa, quæ [b] ibi offendi, quò veneram. primùm, neque magnas copias, neque bellicoſas : deinde, [c] extra ducem, paucoſque prætereà (de principibus loquor) [8] reliqui primùm in ipſo bello [9] rapaces, deinde in oratione [10] ita crudeles, [d] ut ipſam victoriam horrerem : maximum autem [11] æs alienum ampliſſimorum virorum. quid quæris? [12] nihil boni, [13] præter cauſam. Quæ cùm vidiſſem, deſperans victoriam, primùm cœpi ſuadere pacem, cujus fueram ſemper auctor : deinde, cùm ab eâ ſententiâ Pompeius valdè abhorreret, ſuadere inſtitui, ut bellum [e] duceret. hoc interdùm probabat, & in eâ ſententiâ videbatur fore, & fuiſſet fortaſſe, [14] niſi quadam ex pugnâ cœpiſſet ſuis militibus confidere. Ex eo tempore [f] vir ille ſummus, nullus imperator fuit. [g] ſigna tirone, & collectitio exercitu cum legionibus robuſtiſſimis contulit : [15] victus, turpiſſimè, amiſſis etiam caſtris, ſolus fugit. hunc ego belli mihi finem feci : [h] nec putavi, cùm integri pares non fuiſſemus, fractos ſuperiores fore. diſceſſi ab eo bello, in quo aut in acie [16] cadendum fuit, aut in aliquas inſidias [17] incidendum, aut deveniendum [18] in victoris manus, [19] aut ad Jubam confugiendum, aut capiendus tanquam [20] exilio locus, aut conſciſcenda [21] mors voluntaria. certè nihil fuit prætereà, ſi te victori nolles, aut

INTERPRETATIO.

[b] *in exercitu Pompeiano.*

[c] *excepto Pompeio.*

[d] *ut ipſam Pompeianorum victoriam extimeſcerem.* [e] *protraheret.*

[f] *Pompeius nihil dignum Imperatore egit.*

[g] *etſi tirones haberet, & collectitios milites, prælium nihilominùs commiſit cum robuſtiſſimis* Cæſaris *legionibus.*

[h] *nec putavi fieri poſſe, ut vinceremus poſt acceptam Pharſalicam cladem, qui nondum adverſâ pugnâ fracti, reſiſtere* Cæſari *non potueramus.*

NOTÆ.

6. *Ne officio deeſſem*] Erga Rempublicam, & Pompeium.

7. *Periculum te meum*] Quia Pompeius par robore Cæſari non erat.

8. *Reliqui*] Qui Pompeium ſequebantur.

9. *Rapaces*] Scipio in primis Pompeii ſocer, de cujus avaritiâ Cæſar lib. 3. belli civilis.

10. *Ita crudeles*] Crudelem ſcilicet Cæſarianis interitum minabantur.

11. *Æs alienum*] Quo multi ex Pompeianis oppreſſi, peropportunos rebus domeſticis, civiles tumultus exiſtimabant.

12. *Nihil boni*] In Pompeianis copiis.

13. *Præter cauſam*] Quia Reipublicæ cauſam tueri videbantur.

14. *Niſi quadam ex pugnâ*] Ad Dyrrachium Macedoniæ oppidum commiſſâ, unde Cæſar inferior diſceſſit; eratque confectum bellum, ſi victoriâ ſuâ Pompeius uti noviſſet.

15. *Victus*] Ad Pharſalum.

16. *Cadendum fuit*] Ut L. Domitio.

17. *Incidendum*] Ut Pompeio.

18. *In victoris manus*] Ut Caſſio.

19. *Aut ad Jubam confugiendum*] Ut Scipioni.

20. *Exilio locus*] Ut Marcello.

21. *Mors voluntaria*] Ut Catoni.

Digitized by Google

non auderes committere. Ex omnibus autem iis, quæ dixi incommodis, nihil tolerabilius exilio, præsertim innocenti, ubi nulla adjuncta est turpitudo: addo etiam, cum eâ urbe careas, in quâ nihil sit, quod videre possis sine dolore. [i] Ego cum meis, ([k] si quidquam nunc cujuspiam est) [l] etiam in meis esse malui. quæ acciderunt, omnia dixi futura. veni domum, non quòd optima vivendi conditio esset, [m] sed tamen, si esset aliqua forma reipublicæ, tanquam in patriâ ut essem: si nulla, tanquam in exilio. Mortem mihi cur consciscerem, causa nulla visa est: cur optarem, multa. [n] vetus est enim, [o] UBI non sis, qui fueris, non esse cur velis vivere. sed tamen VACARE culpâ, magnum est solatium. præsertim cùm habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum artium scientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi vivo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem. Hæc ad te scripsi verbosiùs, & tibi molestus fui, quod te cùm mei, tùm reipublicæ cognovi amantissimum. notum tibi omne consilium meum esse volui, ut primùm scires, [p] me nunquam voluisse plus quenquam posse, quàm universam rempub. posteà autem quàm [q] alicujus culpa tantùm valeret [q] unus, ut obsisti non posset, me voluisse pacem: amisso exercitu, & [r] eo duce, in quo spes fuerat uno, [s] me voluisse etiam reliquis omnibus, postquam non potuerim, mihi ipsi finem fecisse belli: nunc autem, [t] si hæc civitas est, civem esse me: si non, exulem esse non incommodiore loco, quàm si me [u] Rhodum, aut Mitylenas contulissem. Hæc tecum coram [u] malueram: [x] sed quia longiùs fiebat, volui per literas eadem, ut haberes quid diceres, si quando in [25] vituperatores meos incidisses. Sunt enim, qui cùm meus interitus nihil fuerit reipublicæ profuturus, criminis loco putent esse, quòd vivam. [y] quibus ego certò scio non videri satis multos periisse: [z] qui si me audissent,

INTERPRETATIO.

[i] *Ego malui esse cum meis amicis & propinquis.*

[k] *si tamen est aliquid, quod suum quispiam possit appellare.*

[l] *& in meâ quoque patriâ.*

[m] *sed tamen ut* Romæ *essem tanquam in patriâ, si esset; &c.*

[n] *hanc enim sententiam veteres usurparunt.*

[o] *postquam desisti esse, qui antè fueras.*

[p] *me nunquam passum esse, ut civium aliquis major esset, quàm Respublica, aut hortatem haberet.* [q] *Cæsar.* [r] *Pompeio.*

[s] *me reliquis etiam omnibus pacem suasisse, quam persuadere cùm non potuerim, mihi saltem belli finem feci.*

[t] *si* Roma *civitatis adhuc formam retinet.*

[u] dicere.

[x] *sed quia non potueram, nisi tardiùs tecum colloqui.*

[y] *qui vellent, ut certò scio, plures adhuc cives interiisse.*

[z] *qui si mihi* pacem *suadenti morem gessissent.*

NOTÆ.

22. *Si quidquam*] Cùm omnium Cæsar potiatur.

23. *Alicujus culpâ*] Pompeii, cujus operâ ad summam potentiam Cæsar pervenerat.

24. *Quàm si me Rhodum, &c.*] Quò nonnulli fecesserant, nè victoris in potestatem venirent.

25. *Vituperatores*] Crimini datum est Tullio, quòd citiùs ad Cæsarem, relictis Pompeianis, confugerit.

quamvis [a] iniquâ pace, honestè tamen viverent: armis enim inferiores, non causâ, fuissent. Habes epistolam verbosiorem fortasse quàm velles. quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Ego, si quæ volo, expediero, brevi tempore te, ut spero, videbo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *iniquis conditionibus.*

EPISTOLA IV.

Præmonet Marium de adventu suo in Pompeianum. Eodem anno.

Cicero s. d. Mario.

AD VII. Kalend. in [1] Cumanum veni cum Libone tuo, vel nostro potiùs: in Pompeianum statim cogito; sed faciam te antè certiorem. te cùm semper valere cupio, tùm certè dùm [2] hîc sumus: vides enim [a] quanto pòst unà futuri sumus. quare, [3] [b] si quid constitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas. cura igitur ut valeas: & me [c] hoc biduo, aut triduo expecta. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quamprimùm nos unà futuros.*
[b] *Quare si constituisti podagrâ eo tempore laborare.*
[c] *intra duos aut tres dies.*

NOTÆ.

1. *Cumanum*] Villa prope Cumas in Campaniâ.
2. *Hîc*] In vicinis prædiis: uterque enim villas habebat in Pompeiano.
3. *Si quid constitutum*] Jocus est.

EPISTOLA V.

Commendat studiosissimè Trebatium Iurisconsultum Cæsari Galliarum Proconsuli. Domitio Ænobarbo, & Appio Clodio Consulibus, anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo nono.

M. Cicero s. d. C. Cæsari Imp.

VIDE quàm mihi persuaserim, te me esse alterum, non modò in iis rebus, quæ ad me ipsum, sed etiam in iis quæ ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocunque [1] exirem, mecum ducere, ut eum [a] meis omnibus studiis, & beneficiis quamornatissimum domum reducerem. [b] sed postea-

INTERPRETATIO.

[a] *benevolentiæ meæ indiciis.* [b] *sed postea quàm vidi Pompeium commorari Romæ diutiùs, &c.*

NOTÆ.

1. *Exirem*] In Hispaniam Pompeii legatus.

quam & [2] Pompeii commoratio diuturnior erat, quàm putaram, & mea quædam tibi [c] non ignota [3] dubitatio aut impedire profectionem meam videbatur, aut certè tardare: [d] vide, quid mihi sumpserim: cœpi velle ea Trebatium expectare à te, quæ speraret à me: neque mehercule minùs ei [e] prolixè de tuâ voluntate promisi, quàm eram solitus de meâ polliceri. Casus verò mirificus quidam intervenit, quasi vel testis opinionis meæ, vel sponsor humanitatis tuæ. nam cùm de hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loquerer accuratiùs domi meæ, literæ mihi dantur à te, quibus in extremis scriptum erat: M. Orfium, quem mihi commendas, [4] vel regem Galliæ faciam, vel hunc Leptæ delega: si vis tu, ad me alium mitte, quem ornem. Sustulimus manus & ego, & Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quid non fortuitum, sed divinum videretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio meâ sponte, post autem invitatu tuo mittendum duxerim. hunc, mi Cæsar, sic velim omni tuâ comitate complectare, [f] ut omnia, quæ per me possis adduci ut in meos conferre velis, in unum hunc conferas. de quo tibi homine hoc spondeo, [g] non illo vetere verbo meo, quod, cùm ad te de Milone scripsissem, jure lusisti, [h] sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum, [i] pudentiorem esse neminem. [k] accedit etiam, quod familiam ducit, in jure civili singularis memoria, summa scientia. huic ego neque tribunatum, neque præfecturam, [l] neque ullius beneficii certum nomen peto: benevolentiam tuam, & liberalitatem peto: neque impedio, quominùs, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriolæ insignibus. totum denique hominem tibi trado [m] de manu (ut aiunt) in manum tuam istam & victoriâ, &

INTERPRETATIO.

[c] *non ignotus timor.* [d] *Vide quid ausus sim.*
[e] *liberaliter.*
[f] *ut omnia quæ invitatu meo in meos conferre velles, &c.*
[g] *non frigidè illum tibi commendans, quemadmodum antehàc Milonem*, de quâ commendatione *jure jocatus es.*
[h] *sed gravissimè, quemadmodum viri sapientes facere solent.*
[i] *honestiorem virum.*
[k] *accedit etiam, quòd in jure civili sectatores habeat, & quasi discipulorum familiam, quia scientiam juris apprimè callet.*
[l] *neque ullum nominatim beneficium huic à te peto.*
[m] Trebatii curam depono, *tibique commisto totam, tibi, inquam, victoriis, & fide præstanti.*

NOTÆ.

2. *Pompeii commoratio*] Neque enim Pompeius abiit in provinciam, sed eam per legatos administravit, unde belli civilis initia. Vide epistolam 6. libri 6.

3. *Dubitatio*] Timebat ne sibi absenti negotium Clodius faceseeret.

4. *Vel Regem Gallia*] Loquendi modus, quo Cæsar affirmat, fore certò, ut M. Orfius fiat legatus Leptæ: ex duabus enim propositionibus excluditur difficilior, quasi diceret: nisi facio Orfium Leptæ legatum, ut cupis, hunc faciam ego Regem Galliæ; nisi malis communem scripturam sequi, & sic explicare: vel ego Orfii fortunam curabo; vel si minùs mihi confidis tu, ipsum Leptæ commenda. Lepta autem fuerat Ciceronis in Ciliciâ fabrûm Præfectus, qui tùm cum Cæsare in Galliâ militabat.

Digitized by Google

fide præstantem. [n] sumus enim putidiusculi, quàm per te vix licet: [o] verùm, ut video, licebit. Cura ut valeas: & me, ut amas, ama. Vale.

INTERPRETATIO.

[n] *sumus fortè* in commendando Trebatio *diligentior, quàm tua humanitas patitur.*

[o] *sed* nimiam hanc diligentiam meam, *in bonam, ut opinor, partem accipies.*

EPISTOLA VI.

Trebatium urbe Româ ægrè carentem hortatur, ut urbis, urbanarumque rerum oblitus, de provinciâ, quò se contulerat, unicè cogitet. Eodem anno.

M. Cicero s. d. C. Trebatio.

IN omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarem, aut Balbum mitto, [a] legitima quædam est accessio commendationis tuæ: nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni indicio meæ erga te benevolentiæ. tu modò ineptias istas, & desideria urbis, & [b] urbanitatis depone: & [1] quo consilio profectus es, id assiduitate, & virtute consequere. Hoc tibi tàm ignoscemus: nos amici, quàm [2] ignoverunt Medeæ, quæ Corinthum, [3] arcem altam, [c] habebant, matronæ opulentæ optimates: quibus illa manibus [d] gypsatissimis persuasit, ne sibi illæ vitio verterent, quòd abesset à patriâ.

Nam multi suam rem benè gessêre, & publicam patria procul:
Multi qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati.

Quo in numero tu certè fuisses, nisi te extrusissemus. Sed plura inscribemus aliàs. Tu, qui [e] cæteris cavere didicisti, [4] in Britanniâ [f] [5] ne ab essedariis decipiaris, caveto. &, quando Medeam agere cœpi, illud semper memento: qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nec quidquam sapit. Cura ut valeas.

INTERPRETATIO.

[a] *soleo te illi non vulgariter commendare.*
[b] *rerum urbanarum.*
[c] *habitabant.*
[d] *candidissimis.*
[e] *aliis consulere solitus es.*
[f] *ne in essedariorum manus devenias.*

NOTÆ.

1. *Quo consilio*] Ut Cæsaris esset in familiaribus, ejusque ope rem suam meliorem faceret.

2. *Ignoverunt Medeæ.*] Quæ secuta Jasonem, & ab eodem repudiata Corinthum venit: locum hunc ex veteri tragœdiâ mutuatus est Cicero.

3. *Arcem altam*] Quæ dicitur Acrocorinthus.

4. *In Britanniâ*] In Angliam cum Cæsare profectum esse Trebatium falsò putabat Tullius.

5. *Ab essedariis*] Qui ex essedis pugnant, de quibus sic loquitur Cæsar lib 5. belli Gallici: *Equites hostium, essedariique acriter prælio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt.* Essedum autem genus erat vehiculi in Britanniâ commune.

6. *Et quando*] Hæc fermè omnia ex veteri Poëta Cicero deprompsit.

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

Studium suum in commendando Trebatio significat; monet ut in Cæsaris familiaritatem se insinuet, & ab eodem expectet omnia. Eodem anno.

Cicero s. d. Trebatio.

EGO te commendare non desisto: sed quid proficiam, ex te scire cupio. Spem maximam habeo in Balbo: ad quem de te diligentissimè, & sæpissimè scribo. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas literas, quoties à Q. fratre mihi afferuntur. [1] In Britanniâ [2] nihil esse audio neque auri, neque argenti. id si ita est, [3] essedum aliquod suadeo rapias, & ad nos quamprimum recurras. [a] sin autem sine Britanniâ tamen assequi id, quod volumus, possumus: perfice ut sis in familiaribus Cæsaris. multùm te in eo [4] frater adjuvabit meus, multùm Balbus, sed, mihi crede, [b] tuus pudor, & labor, plurimùm. [c] imperatorem liberalissimum habes, [5] ætatem opportunissimam, commendationem certè singularem: ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse videare. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quod si absque Britanniâ potes, uti volumus, ad opes, dignitatesque per Cæsarem pervenire.* [b] *honestas tua.* [c] *Cæsarem.*

NOTÆ.

1. *In Britanniâ*] Quò Trebatium abiisse putabat Cicero, ut dictum est in proximè superiori epistolâ.

2. *Nihil auri*] Jocatur cum Trebatio, quem pecuniæ avidissimum noverat.

3. *Essedum aliquod rapias*] Et illud jocosè dicit; nam Trebatium à Cæsare sejungi nolebat.

4. *Frater*] Quintus Tullius Cæsaris in Galliâ legatus.

5. *Ætatem opportunissimam*] Ferendis laboribus, & colligendæ principum virorum amicitiæ.

EPISTOLA VIII.

Trebatium leviter reprehendit, qui Tribunatum à Cæsare sibi delatum recusaverat. Eodem anno.

Cicero s. d. Trebatio.

SCRIPSIT ad me Cæsar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certò fore. cui quidem ego rescripsi, quàm mihi gratum esset futurum, si quamplurimum in te studii, officii, liberalitatis suæ contulisset. sed ex tuis literis cognovi [1] præproperam

NOTÆ.

1. *Præproperam festinationem tuam*] In recusando legionis tribunatu, quem Cæsar sibi obtulit.

2. Cum

quandam festinationem tuam : & simul sum admiratus, cur [a] tribunatús commoda, dempto præsertim labore militiæ, contempseris. [b] Querar cum Vacerrâ, & Manilio. nam [3] Cornelio nihil audeo dicere : [c] cujus tu periculo stultus es, quando te ab eo sapere didicisse profiteris. [d] quin tu urges istam [4] occasionem, & facultatem, quâ melior nunquam reperietur? Quod [5] scribis de illo Prætiano jureconsulto, ego te ei non desino commendare. scribit etiam ipse mihi, [6] te sibi gratias agere debere. de eo quid sit, cura ut sciam. Ego [7] vestras Britannicas literas expecto. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *cur stipendio tribuni legionis frui nolueris.* [b] *accusabo te apud amicos tuos.* [c] *in quem tua stultitia videtur recidere.* [d] *cur non urges.*

NOTÆ.

2. *Cum Vacerrâ & Manilio*] Amicis Trebatii, iisque, ut credibile est, jureconsultis.

3. *Cornelio*] Trebatii in jure magistro: reprehenso autem discipulo, videtur & reprehendi magister.

4. *Occasionem*] Primas militiæ dignitates per Cæsarem obtinendi.

5. *De illo Prætiano*] Quem constat ex iis verbis majori apud Cæsarem gratiâ valuisse; quandoquidem ei Trebatium commendat.

6. *Te sibi*] Quòd officii nonnihil in te contulisset.

7. *Vestras Britannicas*] Falsò ratus, ut monui anteà, in Britanniam cum Cæsare profectum.

EPISTOLA IX.

Literarum officium à Trebatio requirit; monetque ut urbis desiderium deponat. Eodem anno.

Cicero S. D. Trebatio.

JAm diù ignoro quid agas. nihil enim scribis: neque ego ad te his duobus mensibus scripseram. quia cum Quinto, fratre meo, non eras: quò mitterem, aut cui darem, nesciebam. cupio scire, quid agas, & ubi sis hiematurus. equidem velim, cum Cæsare: sed ad eum, [1] propter ejus occupationes, nihil sum ausus scribere. [2] ad Balbum tamen scripsi. tu tibi deesse noli, [a] seriùs potiùs ad nos, dùm plenior. quòd [b] huc properes, nihil est,

INTERPRETATIO.

[a] *tardiùs ad nos redi, dùm opulentior redeas.* [b] *Romam.*

NOTÆ.

1. *Propter ejus occupationes*] In quibusdam codicibus legitur, *propter ejus luctum*, hoc enim tempore, ut scribit Dio, Julia filia Cæsaris, & Pompeii uxor mortem occubuit: vulgatam, duce Manutio, scripturam sequimur.

2. *Ad Balbum*] Ut ejus operâ cum Cæsare hyemares.

Digitized by Google

præsertim [c] Vacerrâ mortuo. sed tibi consilium non deest. quid constitueris, cupio scire. [d] Cn. Octavius, an Cn. Cornelius? tuus quidem familiaris, [3] summo genere natus, [4] terræ filius: is me, quia scit tuum familiarem esse crebrò ad cœnam invitat. adhuc non potuit [5] perducere: sed mihi tamen gratum est. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *amico tue.* [d] *tuus familiaris, qui vocatur Cneius Octavius, aut Cneius Cornelius,* neque enim memini.

NOTÆ.

3. *Summo genere natus*] Hoc dictum ironicè.

4. *Terræ filius*] Sic appellantur obscurissimæ stirpis homines.

5. *Perducere*] Nec enim decebat Ciceronem summis honoribus perfunctum, apud infimæ sortis hominem cænare.

EPISTOLA X.

Trebatium arrogantiæ per jocum arguit, quia scripserat, se à Cæsare ob juris scientiam plurimi fieri; tùm timiditatis, quia transire in Britanniam cum Cæsare recusaverat; alia nonnulla subjungit. Eodem anno.

Cicero S. D. Trebatio.

LEGI tuas literas, ex quibus intellexi, [a] te Cæsari nostro valdè jureconsultum videri. Est quod gaudeas, [1] te in ista loca veniisse, ubi aliquid [1] sapere viderere. quòd si in Britanniam quoque profectus esses: profectò nemo in illâ tantâ insulâ [2] peritior te fuisset, veruntamen (rideamus licet: sum enim [3] à te invitatus) subinvideo tibi, ultrò te etiam accersitum [c] ab eo, ad quem cæteri, non propter ejus superbiam, sed propter occupationem, adspirare non possunt. Sed tu in istâ epistolâ nihil mihi scripsisti de tuis rebus: quæ mehercule mihi non minori curæ sunt, quàm meæ. Valdè metuo, [4] ne frigeas in hibernis. quamobrem camino luculento utendum censeo. idem &

INTERPRETATIO.

[a] *te à Cæsare plurimi fieri ob scientiam juris civilis.*

[b] *in Galliam, ubi doctus videri possis.*

[c] *à Cæsare.*

NOTÆ.

1. *Sapere*] Quoniam summa erat apud Gallos juris ignoratio.

2. *Peritus*] Id quoque cavillatur; neque enim arduum est, rudes inter, & literarum ignaros, quales tùm Britanni erant, aliquam doctrinæ laudem assequi.

3. *A te invitatus*] Glorioſius de se prædicando, ridendi occasionem Trebatius dederat.

4. *Ne frigeas in hibernis*] Hæc omnia per ludum; frigebat enim Trebatius in hibernis, quòd nihil tùm ageret, nec ejus operâ Cæsar ad rem bellicam uteretur, vel ideò frigere dicitur, quòd non multùm diteſceret homo avarus.

Digitized by Google

[3] Mucio, & Manilio placebat, præsertim qui [d] sagis non abundarem. quanquam vos nunc istic [e] satis calere audio. [6] quo quidem nuntio valdè mehercule de te timueram. [f] Sed tu in re militari [7] multò es cautior, quàm in advocationibus: [g] qui neque in Oceano natare volueris studiosissimus homo natandi: neque spectare [h] essedarios, [i] quem anteà [8.9] ne Andabatam quidem defraudare poteramus. Sed jam satis jocati sumus. Ego de te ad Cæsarem quàm diligenter scripserim, tuè scis; quàm sæpè, ego. sed mehercule jam intermiseram, ne viderer liberalissimi hominis, meique amantissimi voluntati erga me diffidere. sed tamen his literis, quas proximè dedi, putavi esse [k] hominem commonendum. id feci. Quid profecerim, facias me velim certiorem, & simul de toto statu tuo, consiliisque omnibus. scire enim cupio quid agas, quid expectes, [l] quàm longum istum tuum discessum à nobis futurum putes. [m] sic enim tibi persuadeas velim, unum mihi esse solatium, quare faciliùs possim pati, te esse sine nobis, si tibi esse id emolumento sciam. [n] sin autem id non est, nihil duobus nobis est stultius, me qui te non Romam attraham: te, qui non [o] huc advoles. [p] Una mehercule nostra vel severa, vel jocosa congressio pluris erit, quàm non modò hostes, sed etiam [10] fratres nostri Ædui. quare omnibus de rebus fac ut quamprimùm sciam. Aut consolando, aut consilio, [q] aut re juvero.

INTERPRETATIO.

[d] *vestimentis militaribus.* [e] *Cæsarem acriter pugnare.* [f] *sed tu in bello tibi magis caves, quàm clientibus tuis in advocati officio.*

[g] *qui neque in Britanniam* cum Cæsare *navigare volueris*, tu, qui *studiosissimus, &c.*

[h] *Britannos pugnantes ex curribus.*

[i] *eu, quem nullo antèà spectaculo fraudare potuissemus, etiamsi oculos Andabatarum more clausos habuisses*, adeò spectaculorum eras avidus. [k] *Cæsarem.*

[l] *quandiù te à nobis abfuturum existimas.*

[m] *scito enim, me lubentiùs passurum absentiam tuam, si intellexero, hanc tibi utilem esse.* [n] *quòd si tua tibi absentia nihil prodest.*

[o] *Romam.*

[p] *una certè nostra, vel de seriis, vel de jocosis rebus congressio, nobis erit multò jucundior, quàm congressio, non modò hostium, sed no Æduorum quidem, quanquam Romanorum fratres dicantur.* [q] *aut pecuniâ.*

NOTÆ.

5. *Mucio, & Manilio*] Trebatii amicis, & Jurisconsultis, qui Romæ tùm vivebant.

6. *Quo quidem nuncio*] Qui Romam venerat de Britannis cum Cæsare fortiter dimicantibus.

7. *Multò es cautior*] Trebatii & in acie timiditatem, & mediocrem in jure civili scientiam notat; periculum enim declinabat in bello, neque semper eos fœliciter defendebat, quorum erat patronus.

8. *Ne Andabatam*] De Andabatis hæc Erasmus: *Andabatæ fuerint ne populi clausis oculis solisti pugnare, an gladiatorum genus, qui clausis oculis tenderent in adversarium, an potiùs lusûs genus, ut propemodùm ex Senecâ licet conjicere, nondùm, ut ingenuè fatear, compertum satis habeo.*

9. *Ne Andabatam quidem defraudare*] Adagium esse videtur in eos usurpari solitum, qui acutùm ita cernerent, ut nihil iis, etiâ oculos Andabatarum more clauderent, occultum esse possit. Andabata autem dicitur à voce Græcâ Ἀνάβατης interpositâ litterâ *d*, ut in pluribus aliis vocabulis, id est *ascensor*, quòd ex equis pugnarent, galeâ frontem, oculosque tecti.

10. *Fratres nostri Ædui*] Ædui populi fuêre Galliæ Celticæ potentissimi inter Ligerim & Ararim, quorum primaria civitas Augustodunum, *Autun*, nunc in Burgundiæ Ducatu. Fratres populi Romani, cognitâ eorum fide, dicti sunt, de quibus sic Tacitus lib. 11. *Primi Ædui, Senatorum in urbe jus adepti sunt, datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum, fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.*

Digitized by Google

EPISTOLA XI.

Iocatur primùm cum Trebatio; deinde illi author est, ut in Galliâ, si facultates hîc auget, remaneat; sin minùs, Romam revertatur. Anno urbis conditæ septingentesimo, in interregno.

Cicero s. d. Trebatio.

NIsi antè Româ profectus esses, nunc eam certè relinqueres. quis enim [1] [2] tot interregnis [3] jureconsultum desiderat? [a] ego omnibus, [4] unde petitur, hoc consilii dederim; ut à singulis interregibus binas advocationes postulent. Satisne tibi videor abs te [5] jus civile didicisse? Sed heus tu, quid agis? ecquid fit? video enim te jam jocari per literas. [b] [6] hæc signa [7] meliora sunt, quàm in meo Tusculano. [c] sed quid sit, scire cupio. [8] consuli quidem te à Cæsare scribis: [d] sed ego tibi ab illo consuli mallem. [e] quod

INTERPRETATIO.

[a] *ego omnibus, à quibus nunc petitur pecunia, author essem, ut à singulis interregibus unam aut alteram causa sua actionem peterent*, deux audiences.

[b] joci quibus uteris, tuæ lætitiæ indicia, *sunt anteponenda signis*, id est statuis, *quæ sunt in meo Tusculano.*

[c] *tamen scire cupio* quænam sit tuæ tantæ lætitiæ *causa.*

[d] *sed mallem ego tuis Cæsarem commodis consulere.*

[e] *quòd si Cæsar te jam beneficiis ornat, aut saltem ornaturum speras.*

NOTÆ.

1. *Tot interregnis*] Interregnum erat spatium illud quo jus Romæ non reddebatur, quia nullus tùm Romæ Magistratus erat qui jus diceret: interrex enim, non juris dicendi gratiâ, sed ut comitia Consulibus creandis haberet, eligebatur. Interregnum autem Romæ primum fuit, cùm Romulo mortuo, nondum Rex creatus esset.

2. *Tot interregnis*] Anno urbis conditæ septingentesimo, Roma, propter intestinos motus, magistratibus per sex menses caruit; vixque septimo mense, Calvinus, & Messala Consulatum inierunt: interregni autem dies non plures quàm quinque fuerunt, unde patet, sex circiter & triginta hoc anno interregna fuisse.

3. *Jureconsultum desiderat?*] Quia nihil jureconsulto opus est, quandiu jus non redditur.

4. *Unde petitur*] *Unde petitur*, dicebatur is à quo pecunia in judicio, tanquam debita petebatur.

5. *Jus civile*] Hæc jocando, & de industriâ dicit Tullius; ut videatur parùm versatus in jure civili; tribus enim deprehenditur ficta Ciceronis, ad jus quod attinet, ignorantia: 1° quia non is à quo pecunia petitur, sed is qui pecuniam petit, judicium solet postulare, pecuniæ exigendæ causâ. 2° quia ab interregibus advocationes non petebantur, cùm jus interreges non dicerent. 3° quoniam etsi jus dixissent, vix tamen uni una per quinque dies, quibus interregnum unius durabat, dari poterat advocatio, siquidem non quovis die judicium habere liceret.

6. *Hæc signa*] Ludit in ambiguâ significatione vocis; eadem enim vox, & *indicium*, & *statuam* significat.

7. *Meliora sunt*] Æs enim alienum Cicero contraxerat, coëmendis signis, seu statuis quas in villâ Tusculanâ collocaverat. Trebatius autem nullo sumptu jocabatur.

8. *Consuli*] Propter juris notitiam, quæ tamen in Trebatio eximia non erat.

Digitized by Google

f aut fit, aut futurum putas, perfer istam militiam, & permane. f ego enim desiderium tui spe tuorum commodorum consolabor. g sin autem ista sunt inaniora, recipe te ad nos. h nam aut erit hîc aliquid aliquando: aut, si minùs, una mehercule collocutio nostra pluris erit, i quàm omnes 9 Samarobrivæ. denique, si te citò retuleris, k sermo nullus erit: l sin frustrà diutiùs abfueris, m non modò Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco. n mira enim persona induci potest 10 Britannici jureconsulti. o Hæc ego non rideo, quamvis tu rideas: sed de re severissimâ tecum, ut soleo, jocor. Remoto joco, tibi hoc amicissimo animo præcipio, ut, p si istic meâ commendatione tuam dignitatem obtinebis, q perferas nostri desiderium; r honestatem, & facultates tuas augeas: s sin autem ista frigebunt, recipias te ad nos. omnia tamen, quæ vis, & tuâ virtute profectò, & nostro summo erga te studio consequêre. Vale.

INTERPRETATIO.

f *ego enim meum de absentiâ tuâ dolorem consolabor spe commodorum tuorum.*

g *quòd si frustrà speras te à Cæsare ditandum.*

h *nam aut Roma dives aliquando fieri potuisti.*

i *quàm centum urbes Ambiano similes.*

k *nemo te propterea deridebit, si citò redieris.*

l *quòd si in Galliâ nullo tuo emolumento remanseris.*

m *non modò timeo ne Laberius* mimus, *sed etiam ne sodalis noster Valerius te ludas.*

n *potest enim cum risu maximo induci in scenam Jureconsultus Britannicus.*

o *hæc ego non parvi facio, & quamvis tecum, ut soleo, jocor, res tamen magni momenti agitur.*

p *si in Galliâ cum dignitate versari poteris.*

q *patere libenter te à nobis abesse.*

r *famam, & opes.*

s *quòd si vix speras hæc duo posse te assequi in Galliâ, Romam redi.*

NOTÆ.

9. *Samarobrivæ*] Samarobriva Galliæ Belgicæ civitas, ubi Trebatius cum Cæsare hiemavit, *Amiens*, quanquam nonnulli Cameracum esse velint, *Cambray*.

10. *Britannici*] Suam in jure scientiam fortè nimiùm apud Gallos Trebatius ostentaverat; timebat ergo Tullius ne Romanis histrionibus ad jocandum materiam præberet: dicit autem *jureconsulti Britannici*, non *Gallici*, primò, quia aliquandiù existimavit Trebatium in Britanniam cum Cæsare navigasse: secundò, quia Britanni Gallis rudiores erant, quare & risu dignior Trebatius, qui gloriabatur se à Barbaris pro egregio jureconsulto haberi.

EPISTOLA XII.

Epicureorum opiniones jocosè reprehendit, ipsumque Trebatium, quem Epicureum esse factum, ex Pansa cognoverat. Eodem anno, in interregno.

Cicero s. d. Trebatio.

MIRABAR, quid esset quòd tu mihi literas mittere intermisisses. indicavit mihi 1 Pansa 2 meus 3 Epicureum te esse factum. a ô castra præclara.

INTERPRETATIO.

a *præclaram certè militiam*, cui tu nomen dedisti.

NOTÆ.

1. *Pansa*] Qui postea cum Hirtio Consulatum gessit.

2. *Meus*] Vox amorem indicans.

3. *Epicureum*] Epicurus Philosophus

quid tu feciſſes, ſi te [4] Tarentum, & non [5] Samarobrivam miſiſſem? jam tùm mihi non placebas, [b] cùm idem intuebare, quod & Titius, familiaris meus. ſed quoniam modo jus civile [6] defendes, cùm omnia tuâ causâ facias, non civium? [c] ubi porrò illa erit formula fiduciæ, UT inter bonos benè agier oportet? quis enim eſt bonus, qui facit nihil, niſi ſuâ causâ? [d] quod jus ſtatues [7] communi dividundo, cùm commune nihil poſſit eſſe [e] apud eos, qui omnia voluptate ſuâ metiuntur? [f] quo modo autem tibi placebit [8] Jovem lapidem jurare, cùm ſcias Jovem iratum eſſe nemini poſſe? [g] quid fiet porrò [9] populo Ulubrano, ſi tu ſtatueris [h] πολιτίαν, non oportere? Quare, ſi planè [i] à nobis deficis, moleſtè fero: ſin [k] Panſæ aſſentari commodum eſt, ignoſco: modò ſcribas aliquando ad nos, quid agas, & à nobis quid agi, quid fieri, aut curari velis. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *cùm mallem Titii familiaris mei vitam imitabare.*

[c] *quomodo obſervabis illam juris formulam, quæ jubet ut inter bonos fides ſervetur: neque enim is bonus, aut fidelis eſſe poteſt, qui ex doctrinâ Epicuri, nihil facit niſi ſuâ causâ.*

[d] *quam ſervabis æquitatem in bonorum communium diviſione, cùm Epicurei ad privatum commodum omnia referant!*

[e] *apud Epicureos.*

[f] *quomodo per Jovem jurabis, cùm enim exiſtiment* Epicurei, *Jovem non curare mortalia.*

[g] *populi Ulubrani curam non habebit, ſi* Epicureorum *more cenſeas.*

[h] *rempublicam adminiſtrari.*

i *Academicis.*

[k] *quod ſi à te tuâ eſt* Epicureum te fieri, *ut Panſa* Epicureo *aſſenteris.*

NOTÆ.

celeb rimus, qui ſummum bonum poſuit in voluptate ſive corporis, ſive animi: aliter enim alii ſentiunt: loquitur autem hîc Cicero ex eorum ſententiâ, qui fœlicitatem in corporis voluptatibus ab Epicuro collocari putant.

4. *Tarentum*] Extrema quondam magnæ Græciæ civitas in Salentinorum confinio, hodie regni Neapolitani, cum Principatûs titulo, *Taranto*, mollis civitas, & libidini dedita. Horatius 2. ſerm. Sat. 4.

Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum.

5. *Samarobrivam*] Cujus incolæ feroces, & laboribus aſſueti.

6. *Defendes*] Quia jureconſulti eſt, aliis conſulere; Epicurei verò ſibi uni; res igitur ardua jureconſultum ſimul, & Epicureum eſſe.

7. *Communi dividundo*] Locutio ex jure civili deprompta.

8. *Jovem lapidem*] Vide epiſtolam præmam hujus libri.

9. *Populo Ulubrano*] Qui erat in Trebatii clientelâ. Ulubræ autem, ignobile tùm erat Latii oppidum, cujus hodie nullum veſtigium extat.

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

Cessationis litterarum excusationem affert, quam non accipiente Trebatio, inde occasionem liberiùs jocandi arripit. Eodem anno, in interregno.

Cicero s. d. Trebatio.

[a] ADÓNE me injustum esse existimasti, ut tibi irascerer, quòd [1] parùm mihi constans, & nimiùm cupidus decedendi viderere, ob eamque causam me arbitrarere literas ad te jam diù non misisse? mihi [2] perturbatio animi tui, quam primis literis perspiciebam, molestiam attulit: [b] neque alia fuit ulla causa intermissionis literarum, nisi quòd, ubi esses, planè nesciebam. [3] Hîc tu me etiam insimulas, nec [c] satisfactionem meam accipis. audi mi [4] Testa: utrum superbiorem te pecunia facit, an quòd te [d] imperator consulit? moriar, ni, quæ tua gloria est, puto te malle à Cæsare consuli, quàm [e] inaurari. [f] si verò utrumque est, quis te feret, præter me, qui omnia ferre possùm? Sed ut ad rem redeam, te [g] istic invitum non esse, vehementer gaudeo: & ut illud erat [5] molestum, sic hoc est jucundum. tantùm metuo, [h] ne artificium tuum tibi parùm prosit. [i] nam, ut audio istic

[6] Non ex jure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt.

INTERPRETATIO.

[a] *fieri ne potest ut credideris me tibi iratum esse, quia visus eo mihi non satis constans, nimiùmque cupidus è Galliâ Romam redeundi?*
[b] *nulla tamen alia fuit.*
[c] *excusationem.* [d] *Cæsar.* [e] *divitem fieri.*
[f] *si verò Cæsar te & consulit, & ditat:*
[g] *in Galliâ.*
[h] *ne juris civilis scientia parùm tibi inter arma prosit.*
[i] *nam Galli, ut audio, rem repetunt, non jure & legibus, sed vi & ferro.*

NOTÆ.

1. *Parùm mihi constans*] Quia vix in Galliam Trebatius advenerat, cùm Romam redire cogitavit.

2. *Perturbatio animi tui*] Quem pœnitebat in Gallias esse profectum.

3. *Hîc*] Licet excusationem afferam intermissionis litterarum, me tamen insimulasse non cessas.

4. *Testa*] Trebatii cognomen.

5. *Molestum*] Et sicut ægrè ferebam, velle te Romam repetere, sic mihi jucundum est, velle te nunc in Galliâ morari.

6. *Non ex jure manu consertum*] Formulæ juris versu Enniano comprehensa, quæ sic explicatur: quoties de re præsenti, & in conspectu positâ, lis erat; uterque litigator illam manu prehendebat, significans hoc gestu suam esse, sibique attribuere velle, hinc *manu conserere* dictum est: si verò de re procul positâ, verbi gratiâ de agro, orta esset contentio, adeò ut Prætor huc se conferre non posset; litigatores ambo vocabant se mutuò consertum manu, hoc est ut manum consererent: sic autem res se habebat, unà proficiscebantur in agrum, unde glebam ad Prætorem deferebant, quam uterque manu tenens, totum sibi agrum vindicabat, donec Prætor ei traderet, cui, re diligentiùs examinatâ, tradendum judicabat. *Gell. libro ultimo noctium Atticarum.*

Digitized by Google

[k] Et tu soles ad vim faciendam adhiberi? [l] Neque est, quod [7] illam exceptionem in interdicto pertimescas, quòd tu prior vi hominibus armatis non veneris. [m] scio enim te non esse procacem in lacessendo. [n] Sed ut ego quoque te aliquid de nostris cautionibus admoneam, [8,o] Treviros [9] vites censeo. audio [p] capitales esse. [q 10] mallem, auro, argento, ære essent. Sed aliàs jocabimur. Tu ad me de istis rebus omnibus scribas velim quam diligentissimè. Ad III. Non. Mart. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *tu verò*, qui jureconsultus es, & timidus, *non soles ad vim inferendam adhiberi.*

[l] *neque debes pertimescere illam exceptionem, quæ in causis* interdùm à Prætore usurpatur, qui talis est, *modo tu prior per vim & armis præsentem possessorem non dejeceris.*

[m] *scio enim quod neminem prior armis lacessas.*

[n] *sed ut ego quoque meis monitis tibi consulam.*

[o] *suadeo tibi ut Trevirenses fugias.*

[p] *bellicosos.*

[q] *mallem tuâ causâ, ut pecuniosi essent.*

NOTÆ.

7. *Exceptionem in interdicto*] Interdictum, Prætoris erat actio, seu sententia, quâ jubebat aliquem in eam possessionem restitui, unde per vim ab alio dejectus erat, donec judicio fieret notum utri deberetur. Quoties autem interdictum illud, seu sententiam ferebat Prætor, hanc addebat exceptionem, modò qui restitui postulat, *prior vi hominibus armatis præsentem possessorem non dejecerit.* Nihil erat autem, ut in interpretatione diximus, quòd hanc exceptionem Trebatius extimesceret, qui præ timiditate suâ, neminem unquam prior lacessiverat.

8. *Treviros*] Galliæ Belgicæ populos, quorum urbs primaria Treviri, seu Augusta Trevirorum, *Treves*, ad Mosellam fluvium, à Trebeta, Nini Assyriorum Regis fratre, condita, & nominata, anno ante Christum natum 1496. Româ multò antiquior.

9. *Vites*] Quia Labienum Cæsaris legatum obsederant, sed ab eo castris erumpente, fusi sunt.

10. *Mallem*] Tullius pro more suo ludit in vocum ambiguitate: erant enim Romæ Triumviri capitales, qui & Treviri dicebantur, carceris custodiæ præpositi; erant & Triumviri seu Treviri Monetales, qui monetæ præerant, id est, auro, argento, æri tùm flando, tùm ferundo; is itaque hujus loci sensus est, mallem Treviros istos, qui profligati sunt à Labieno Pecuniosos & Monetales esse, quàm capitales & bellicosos, iis enim devictis, opulentior evasisses.

EPISTOLA XIV.

Trebatium, qui nullas litteras miserat, familiariter & jocosè reprehendit. Eodem, ut credibile est, anno.

Cicero S. D. Trebatio.

[1] CHRYSIPPUS Vettius, Cyri Architecti libertus, fecit ut te non immemorem putarem mei: salutem enim mihi verbis tuis nuntiavit.

NOTÆ.

1. *Chrysippus*] Architectus,

2. *Quod*

Digitized by Google

valdè jam [a] lautus es, qui gravere literas ad me dare, [b] homini præsertim propè domestico. [c 2] Quòd si scribere oblitus es, minùs multi jam te [3] advocato [4] causâ cadent: sin nostri oblitus es, dabo operam, ut [d] istuc veniam antè, quàm planè ex animo tuo effluam. sin [e] æstivorum timor te debilitat, [f] aliquid excogita, [5] ut fecisti de Britanniâ. Illud quidem perlibenter audivi ex eodem Chrysippo, te esse Cæsari familiarem. sed mehercule mallem, id quod erat æquius, de tuis rebus ex tuis literis quamsæpissimè cognoscere. quod certè ita fieret, [6] si tu maluisses [6] benevolentiæ, quàm litium, jura perdiscere. Sed hæc jocati sumus, & tuo more, & nonnihil etiam nostro. Te valdè amamus, nosque à te amari tùm volumus, tùm etiam confidimus. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *delicatus.* [b] *Chrysippo.*
[c] *quod si oblitus es scripto clientes tuos defendere, multo pauciores posthac habebis.*
[d] *in Galliam.* [e] *æstivi belli.*
[f] *fac ut evites illud bellum, sicut declinasti Britannicum iter.*
[6] *si tu maluisses amicitiæ quàm juris præcepta discere.*

NOTÆ.

2. *Quod si scribere*] In hoc verbo ludit eleganter Tullius: videtur enim de litteris scribendis unicè loqui, cùm tamen ad Jurisconsultorum scriptionem respiciat: scribebant enim formulas sponsionum, testamentorum, &c.

3. *Te advocato*] Sumitur hîc Advocatus pro eo, qui præscriptâ litigandi formulâ, defendit eos à quibus consulitur.

4. *Causâ cadent*] Cavillatur ut anteà Cicero, quasi uti Trebatius clientes suos malè defenderet.

5. *Ut fecisti de Britanniâ*] Quò proficisci cum Cæsare noluerat, vel naufragii, vel essedariorum Britannorum metu. Vide proximè superiores epistolas.

6. *Benevolentiæ*] Quæ postulat, ut ad amicos de rebus nostris, nosmetipsi scribamus;

EPISTOLA XV.

Trebatii absentiam ægrè se ferre declarat, eidemque gratulatur, de Cæii Matii familiaritate. Eodem anno.

Cicero s. d. Trebatio.

QUAM sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest. Molestè ferebam anteà, te invitum [a] istic esse: [b] pungit me rursùs, quòd scribis te esse [c] istic libenter. [d] neque enim, meâ commendatione te non delectari, facilè patiebar: & nunc angor, quidquam tibi sine me esse jucundum. [e] sed tamen hoc malo nos ferre desiderium, quàm te non [1] ea quæ spero,

INTERPRETATIO.

[a] *in Galliâ.* [b] *jam doleo.* [c] *in Galliâ.*
[d] *indignabar enim te non delectari, quòd te Cæsari commendassem.* [e] *malo tamen hanc absentiam patienter ferre.*

NOTÆ.

1. *Ea quæ spero*] Famam scilicet, & opes.

consequi. Quòd verò in C. Matii, suavissimi, doctissimique hominis, familiaritatem venisti, non dici potest quàm valdè gaudeam: qui, fac, ut te quammaximè diligat. mihi crede, nihil ex istâ provinciâ potes, quod jucundius sit, deportare. Cura ut valeas.

EPISTOLA XVI.

Trebatium ob sapientiam videtur laudare, reipsâ timiditatis illum insimulat: nullum facit hac in epistolâ cavillandi finem. Eodem anno.

Cicero S. D. Trebatio.

[a] IN Equo Trojano scis esse in extremo, [1] SERÒ SAPIUNT. [b] tu tamen, mi [2] Vetule, non serò. [c] primùm illas rabiosulas, [3] sat fatuas, dedisti deinde, [4] quòd in Britanniâ [d] non nimis φιλοτίμως te præbuisti, planè non reprehendo. [e] nunc verò [5] in hibernis [6] injectus mihi videris: itaque te commovere non curas. [f] USQUEQUAQUE sapere oportet. [g] [7] id erit telum acerrimum. Ego, si foris cœnitarem, [8] Cn. Octavio, familiari tuo, [h] non defuissem: cui tamen dixi, cùm me aliquoties invitaret, [9] oro te, quis tu es?

INTERPRETATIO.

[a] *sub finem tragœdiæ, quæ inscribitur*, Equus Trojanus, *scis esse hæc verba*: Trojani serò sapiunt.

[b] *tu verò maturè sapere* didicisti.

[c] *primùm ad me scripsisti* litteras *sat rabidas, & insulsas.*

[d] *non nimis cupidum spectandi* esse dativo.

[e] *nunc verò hibernas, atque adeo* Samarobrivâ *pedem non effers.*

[f] *ubique, ut facis.*

[g] *hæc sapientia validissimo tibi erit præsidio.*

[h] *cum eo cœnavissem.*

NOTÆ.

1. *Serò sapiunt*] Dictum in Trojanos, qui noluerunt initio belli reddere Helenam: rebus autem desperatis, eam velle se reddere dixerunt, at seriùs; inde prodiit adagium, *serò sapiunt.*

2. *Vetule*] Sic Trebatium nominat; quòd tranquillæ vitæ commoda, diuturno usu apprimè calleret.

3. *Sat fatuas*] Scripserat enim, esse sibi constitutum pecuniam ocyùs colligere, relictâque Galliâ, Romam reverti, quo certè nihil insulsius.

4. *Quòd in Britanniâ*] quò noluerat cum Cæsare proficisci, quia timebat Britannos ex essedis, seu curribus pugnantes. Vide epistolam decimam.

5. *In hybernis*] Quamvis hyemandi tempus nondùm erat; his tribus argumentis Cicero per jocum probat Trebatium maturè sapere. Primò, quòd benè nummatus vellet, ocyùs Romam revisere. Secundò, quòd metu periculi in Britanniam ire recusasset. Tertiò, quòd per totum annum hybernaret.

6. *Injectus*] Cum nonnullis ego facilè crediderim depravatam hanc esse scriptionem, legendumque esse *vinctus*: neque enim videtur posse dici latinè, *injectus in hybernis, sed in hyberna.*

7. *Id erit telum acerrimum*] Alii fortiter dimicando sibi consulebant, Trebatius; periculum, ut Tullius jocatur, sapienter declinando.

8. *Cneio Octavio*] De quo in epistolâ nonâ.

9. *Oro te, quis tu es?*] Tanta erat generis obscuritas; audebat tamen homo ignobilis Ciceronem Consularem vi-

Digitized by Google

sed mehercule, [10] extra jocum, homo bellus est: vellem eum tecum abduxisses. Quid agatis, ecquid [11] in Italiam venturi sitis hac hieme, fac planè sciam. Balbus mihi confirmavit, te divitem futurum. [i] id utrum Romano more locutus sit, benè nummatum te futurum, [12] an quomodo Stoïci dicunt, omnes esse divites, qui cœlo & terrâ frui possunt, posteà videro. Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quòd negent te [k 13] percunctantibus respondere. sed tamen est, quod gaudeas. constat enim inter omnes, neminem te uno [14] Samarobrivæ juris peritiorem esse. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *nondum mihi certum est, utrùm te divitem dicat eo sensu, quo Romani vocem hanc interpretantur, id est, pecuniosissimum.*
[k] *iis qui te consulunt.*

NOTÆ.

ad cœnam vocare.

10. *Extra jocum*] Immò ad finem usque in joco perseverat.

11. *In Italiam*] Id est in Cisalpinam, quò Cæsar, quotannis ad conventus agendos proficisci solitus erat.

12. *An quomodo Stoïci*] Quorum princeps Zeno: sic dicti sunt à verbo Græco στοὰ, Porticus, ubi præcepta sua tradebant. Eorum sententias recensèt Cicero, quas inter hæc ad rem nostram facit, solos sapientes, formosos esse, etiamsi distortissimi sint: divites, etiamsi mendicissimi: Reges esse, quamvis servitutem serviant.

13. *Te percunctantibus*] Alter in Trebatium jocus, qui consulentibus non respondebat, eò quòd à nullo, vel saltem à paucis consuleretur; stiget enim in bello jus civile.

14. *Samarobrivæ*] Ubi fortè nulli, vel ignari certè Jureconsulti erant. Perpetua cavillatio.

EPISTOLA XVII.

Gratulatur Trebatio, quòd urbis desiderium deposuerit; eumque hortatur, ut Cæsaris amicitiam plurimi faciat, quam ipsi fore utilem promittit. Eodem anno.

Cicero S. D. Trebatio.

EX tuis literis & [a] Quinto fratri gratias egi, & te aliquando collaudare possum, quòd jam videris [a] certâ aliquâ in sententiâ constitisse. nam primorum mensium literis tuis vehementer commovebar, [b] quòd mihi interdum (pace tuâ dixerim) levis in urbis, urbanitatisque desiderio, interdum

INTERPRETATIO.

[a] *velle te in Galliâ morari.*
[b] *quod mihi interdùm videbaris, Romam urbem, resque Romanas, per inconstantiam desiderare.*

NOTÆ.

1. *Quinto fratri*] Qui Cæsaris in Galliâ legatus de Trebatio optimè meritus erat.

[2] piger, interdum timidus in labore militari, sæpè autem etiam, quod à te alieniſſimum eſt; [3] ſubimpudens videbare. tanquam enim [4] ſyngraphamc ad imperatorem, non epiſtolam, attuliſſes, ſic pecuniâ ablatâ, domum redire properabas: nec tibi in mentem veniebat, [5] eos ipſos, qui cum ſyngraphis veniſſent Alexandriam, [6] nullum adhuc nummum auferre potuiſſe. Ego, ſi mei commodi rationem ducerem, te mecum eſſe maximè vellem: non enim mediocri afficiebar vel voluptate ex conſuetudine noſtrâ, vel utilitate ex conſilio, atque operâ tuâ: ſed cùm te ex adoleſcentiâ tuâ in amicitiam, & fidem meam contuliſſes, ſemper te non modò tuendum mihi, ſed etiam augendum, atque ornandum putavi. Itaque, quoad opinatus ſum me [d] in provinciam exiturum, [e] quæ ad te ultrò attulerim, meminiſſe te credo: [f] poſteaquam mea mutata ratio eſt, cùm viderem me à Cæſare honorificentiſſimè tractari, & unicè diligi, hominiſque liberalitatem incredibilem, & ſingularem fidem noſſem: ſic ei te commendavi, & tradidi, ut graviſſimè, diligentiſſiméque potui. [g] quod ille ita & accepit, & mihi ſæpè literis ſignificavit, & tibi verbis, & re oſtendit, meâ commendatione ſeſe valdè eſſe commotum. Hunc tu virum nactus, ſi me aut ſapere aliquid, aut velle tuâ causâ putas, ne dimiſeris: &, ſi qua te fortè res aliquando offenderit, cùm ille aut occupatione, [7] aut difficultate tardior tibi erit viſus, perferto, [h] & ultima expectato: [i] quæ ego tibi & jucunda, & honeſta præſtabo. Pluribus te hortari non debeo: tantùm moneo, neque amicitiæ confirmandæ clariſſimi ac liberaliſſimi [k] viri, neque [8] uberioris provinciæ, neque ætatis magis idoneum tempus, hoc ſi amiſeris, te eſſe ullum unquam reperturum. hoc, quemadmodum vos ſcribere ſoletis in veſtris libris, idem [9] Q. Cornelio videbatur. In Britanniam te non eſſe profectum, vehementer gaudeo: quòd &

INTERPRETATIO

c *ad Cæſarem.*
d *in Hiſpaniam Pompeii legatum.*
e *quomodo mea tibi officia obtulerim.*
f *poſteaquam conſilium mutavi.*
g &c. *ſicut graviter Cæſari te commendavi, ſic te amantiſſimè complexus eſt.*
h *& ad finem uſque conſtans eſto.*
i *hæc enim tua conſtantia tibi erit & jucunda, & honorifica.*
k *Cæſaris.*

NOTÆ

2. *Piger*] Qui militiæ tribunatum, defatigationis metu neglexerat.

3. *Subimpudens*] Qui ſcilicet abſque labore, voluiſſet ab Cæſare ſtatim ditari.

4. *Syngraphamc*] Quâ quis alteri promittit ſe certam ei pecuniam ſoluturum, *una obligation*. Feſtivè autem addit Cicero, epiſtolam apud Cæſarem commendatitiam ſe Trebatio dediſſe, non verò ſyngraphamc, quâ acceptâ teneretur Cæſar pecuniam Trebatio confeſtim numerare.

5. *Eos ipſos*] Qui Ptolemæo Alexandrinorum Regi pecunias crediderant; quâ de re fuſiùs in libro primo.

6. *Nullum adhuc nummum*] Immò etiam ex iis nonnulli in carcerem conjecti ſunt; quare in re verâ jocatur Tullius.

7. *Aut difficultate*] Si tardiùs impetras id quod petis, vel ob rei quam petis difficultatem, vel ob Cæſaris occupationes, ne propterea abſterreatis à propoſito.

8. *Uberioris provinciæ*] Galliæ, quam Cæſar elegerat, quòd eſſet & opulenta, & triumphorum ferax.

9. *Q. Cornelio*] Qui jus civile Trebatium edocuerat.

Digitized by Google

tu labore caruisti, & ego te de rebus illis [10] non audiam. ubi sis hibernaturus, & [11] quâ spe, aut conditione, perscribas ad me velim. Vale.

NOTÆ.

10. *Non audiam*] Te gloriantem de rebus in Britanniâ gestis. Perpetua cavillatio.

11. *Quâ spe*] Futuri commodi, quæ conditione præsentis.

EPISTOLA XVIII.

Laudat Trebatium, qui scripserat sibi certum esse in Galliâ permanere: in ejus deinde parsimoniam cavillatur. Eodem anno.

Cicero s. d. Trebatio.

ACCEPI à te aliquot epistolas uno tempore, quas tu diversis temporibus dederas: in quibus me cætera delectarunt. significabant enim te [a] istam militiam jam firmo animo ferre, & esse fortem virum, & constantem: [b] quæ ego paulisper in te ita desideravi non imbecillitate animi tui, sed magis ut desiderio nostri te [c] æstuare putarem. Quare perge, ut cœpisti: forti animo istam tolera militiam. multa, mihi crede, assequêre: ego enim renovabo commendationem, [d] sed tempore sic habeto, non tibi majori esse curæ, ut iste tuus à me discessus fructuosissimus tibi sit, quàm mihi. Itaque [e] quando [1] vestræ cautiones infirmæ sunt, [f] Græculam tibi [2] misi cautionem [g] chirographi mei. Tu me velim de ratione Gallici belli certiorem facias: ego enim [3] ignaviſſimo cuique maximam fidem habeo. Sed ut ad epistolas tuas redeam, cætera bellè: [h] illud miror, quis solet eodem exemplo plures dare, qui suâ manu scribit? [i] Nam quòd [4] in palimpsesto, laudo equidem

INTERPRETATIO.

[a] *Gallicam.* [b] *quæ constanti in tibi aliquandò defuit.* [c] *ardere.* [d] *sed opportunè.*
[e] *quandoquidem jus tuum civile parùm tibi* in Galliâ *prodest.*
[f] *misi tuâ causâ litteras commendatitias* ad Cæsarem *Græcè exaratas:*
[g] *& scriptas meâ manu.*
[h] *miror, quod cùm soleas tuâ manu scribere, plures tamen iisdem verbis ad me litteras scribas.*
[i] *nam laudo parsimoniam tuam, in eo, quod vetustâ uteris chartâ ad mihi scribendum.*

NOTÆ.

1. *Vestræ cautiones*] Cautiones, sunt formulæ quædam, seu monita, quæ Jurisconsulti iis tradunt, à quibus consuluntur.

2. *Misi cautionem*] Id est commendationem, quæ tantum est habitura pondus, quantum Jurisconsulti cautio.

3. *Ignaviſſimo cuique*] Fortes quippe dimicant, ignavi autem spectant, & tranquillè notant singula; quare iis narrantibus tutissimè credi potest.

4. *Palimpsesto*] à Πάλιν, *iterum*, & ψάω, *rado*; membrana est iterùm abrasa, in quâ aliquid jam scriptum fuit; hunc autem locum ut intelligas, hæc observa: Trebatius in Palimpsesto, seu veteri membranâ epistolam suam scripserat, eo consilio, ut eam in purâ pòst chartâ descriptam ad Ciceronem mitteret; verùm mutato deinde desc. bendi

Digitized by Google

[5] parsimoniam : sed miror, quid in illâ chartulâ fuerit, quod delere malueris, [k] [6] quàm hæc scribere : [7] nisi fortè tuas formulas. non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas. [8] an hoc significas nihil fieri, frigere te, ne chartam quidem tibi suppeditare ? jam ista tua culpa est, qui [9] verecundiam tecum extuleris, & non hîc nobiscum reliqueris. ego te Balbo, cùm ad vos proficiscetur, [l] more Romano commendabo. Tu, si [m] intervallum longius erit mearum litterarum, ne fis admiratus. [n] eram enim abfuturus mense Aprili. Has literas scripsi [10] in Pontino, cùm ad villam M. Æmilii [11] Philemonis divertissem : ex quâ jam audieram fremitum [o] clientium meorum, quos quidem tu mihi conciliasti. Nam Ulubris, honoris mei causâ, [p] vim maximam [12] ranunculorum se commosse constabat. Cura ut valeas. VI. Idus April. de Pontino.

EPISTOLAM tuam, quam accepi ab L. Arruntio [q] conscidi innocentem. nihil enim habebat, quod non vel in concione rectè legi posset. sed & Arruntius [r] ita te mandasse aiebat, & tu adscripseras. [s] Verùm illud esto. nihil te ad me postea scripsisse demiror, præsertim [13] tam novis rebus. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *quàm describere* in alterâ chartâ literas, quas ultimò ad me misisti.

[l] *diligentissimè.*

[m] *si ad te non scribo, nisi multo post tempore.*

[n] *abero enim.*

[o] *Ulubranorum quos mihi discedens commendasti.*

[p] *maximam civium multitudinem venisse mihi obviam, ut me salutarent.*

[q] *laceravi, quamquam nihil continebat, quod vel publicè legi non posset.*

[r] *dixit mihi cupere te, ut hanc lacerarem, tuque idem mihi scripseras.*

[s] *quidquid sit, factum est quod mandasti.*

NOTÆ.

consilio, Palimpsestum, id est veterem chartam Ciceroni misit; iis tantummodò deletis, quæ præter epistolam præscripta erant.

5. *Parsimoniam*] Vel avaritiam potius, quâ Trebatium laborasse Tullius indicat.

6. *Quàm hæc scribere*] Eorum sententiæ me socium ultrò ascripserim, qui putant legendum esse *exscribere*, id est *describere*, & articulum *hæc* tollendum : vulgaris enim scriptura vix explicari potest.

7. *Nisi fortè*] Nisi fortè dicas, nihil in hac chartâ fuisse scriptum, præter juris formulas, res nempè minimi momenti, & quas conservare nihil opus esset.

8. *An hoc significas ?*] An ideò scripsisti in veteri chartâ, ut mihi significares, te nihil in Galliâ lucri facere ? adeò ut & charta tibi desit : *suppeditare* verbum est hîc neutrum absolutum.

9. *Verecundiam*] Quæ impedimento est, quominùs opes à Cæsare petas ; sed hæc omnia ironicè : neque enim verecundior Trebatius fuit.

10. *In Pontino*] Prædium fuit, unde Pontina Volscorum palus, juxta forum Appii.

11. *Philemonis*] Gentis Æmiliæ liberti.

12. *Ranunculorum*] Sic vocat Ulubranos cives, ob paludes Ulubris propinquas.

13. *Tam novis rebus*] Quas in Galliâ Cæsar gesserat.

Digitized by Google

EPISTOLA XIX.

Significat conscriptum à se Topicorum librum, de quo jam antèà rogatus fuerat à Trebatio; addit, obscurum esse opus, & quod intelligi sine interprete nequeat. Scripta est post sequentem epistolam, Pansâ & Hirtio Consulatum ineuntibus, anno urbis conditæ septingentesimo decimo.

Cicero s. d. Trebatio.

VIDE quanti apud me sis. etsi jure id quidem: non enim amore te vinco. veruntamen, quod præsenti tibi propè subnegarem, non tribuerem certè, id absenti [a] debere non potui. Itaque ut primùm [b] Velia navigare cœpi, [c] institui [2] topica Aristotelica conscribere, ab ipsâ urbe commonitus [3] amantissimâ tui. eum librum tibi misi [4] Rhegio, scriptum quàm planissimè res illa scribi potuit. sin tibi quædam videbuntur obscuriora, cogitare debebis, NULLAM artem [c] literis sine interprete, & sine aliquâ exercitatione percipi posse. [f] Non longè abieris. num jus civile vestrum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt, doctorem tamen, lumenque desiderant. quanquam tu, si attentè leges, si sæpiùs, [g] per te omnia consequere, ut certè intelligas. [h] Ut verò etiam ipsi tibi loci, propositâ quæstione, occurrant, exercitatione consequere: [i] in quâ quidem nos te continebimus, si & salvi [5] redierimus, & [k] salva ista offenderimus. Vale. v. Kalend. Sext. Rhegio.

INTERPRETATIO.

[a] *persolvere voluí.* [b] *è portu Velino.*
[c] *cœpi Aristotelis præcepta de locis Rhetoribus conscribere.* [d] *quàm clarissimè.*
[e] *ex ipsis tantùm verbis.*
[f] *exempla in promptu sunt.*
[g] *hoc saltem consequêris, ut omnia sine Dolore intelligas.*
[h] *at verò, ut propositâ quæstione, argumenta statim invenire possis, exercitatione tibi opus est.*
[i] *de quâ quidem tecum agam.*
[k] *& incolumem Rempublicam.*

NOTÆ.

1. *Velia*] Urbs Lucaniæ, haud procul ab sinu Pæstano: De eâ Horatius lib. 1. epist. 15.

Quæ sit hyems Veliæ, quod cœlum, vallà, Salerni.

2. *Topica*] Sic dicta, quia docent, quâ ratione certis ex locis argumenta depromi queant.

3. *Amantissimâ tui*] Quòd suas hîc Trebatius possessiones haberet.

4. *Rhegio*] Urbs aliàs Bruttiorum, nunc Calabriæ ulterioris caput, in regno Neapolitano: Sic dictam Strabo asserit, ἀπὸ τῆς ῥαγῆναι, id est à fractione, quòd inde Sicilia, olim continenti juncta, vi fluctuum, & terræ fractione avulsa fuerit. Virgilius lib. 3. Æneid.

Hæc loca vi quondam, & vastâ convulsa ruinâ.

5. *Redierimus*] è Græciâ, quò se conferre decreverat propter tumultus novos, quos Romæ, post Cæsaris necem, Antonius excitarat.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

Velienſibus charum eſſe Trebatium ſcribit; hortatur ne poſſeſſiones vendat. Scripta eſt ante ſuperiorem, eodem anno.

Cicero s. d. Trebatio.

AMABILIOR mihi Velia fuit, quòd te ab eâ ſenſi amari.[a] ſed quid ego dicam te, quem quis non amat? [1] Rufio [2] medius fidius tuus ita deſiderabatur, ut ſi eſſet unus è nobis. ſed ego te non reprehendo, [b] qui illum [3] ad ædificationem tuam traduxeris. quanquam enim Velia non eſt vilior, quàm [4] Lupercal: [c] tamen iſtuc malo, quàm hæc omnia: [d] tu, ſi me audies, quem ſoles, has paternas poſſeſſiones [e] tenebis, (neſcio quid enim Velienſes verebantur) neque [5] Heletem, nobilem amnem, relinques, nec [f] Papirianam domum deſeres: quanquam illa quidem habet lucum, [g] à quo etiam advenæ teneri ſolent: [6] quem tamen ſi excideris, [7] multùm proſpexeris. Sed in primis opportunum videtur, his præſertim temporibus, [8] habere perfugium primùm [h] eorum urbem, quibus carus ſit, deinde etiam tuam domum, tuoſque agros, [i] eaque remoto, ſalubri, amœnoque loco: idque etiam meâ intereſſe mi Trebati, arbitror. Sed valebis, meaque negotia [k] videbis, meque, diis juvantibus, ante brumam [9] expectabis. Ego à

INTERPRETATIO.

[a] *ſed cur dico te* amari à Velienſibus, *cùm ſit nemo, qui te non amet.*

[b] *quod ædificationis tuæ curam illi commiſeris.*

[c] *tamen Romam malo, quàm hæc omnia* quæ ſunt Veliæ.

[d] *tu, ſi mihi, ut ſoles, credis.*

[e] *retinebis; Velienſes enim verebantur, ne eas deſereres.*

[f] *nec domum de Papirio emptam.*

[g] *quem etiam advenæ mirari ſolent.*

[h] *Velienſium.*

[i] *& hæc omnia habere in loco remoto, &c.*

[k] *curabis.*

NOTÆ.

1. *Rufio*] Trebatii vel gentilis, vel libertus, qui Velinas ejus poſſeſſiones curabat.

2. *Medius fidius*] Jurandi formula, quam hæc tria verba conficiebant, *me*, *dius*, id eſt Jovem, & *fidius*, qui pro filio ponitur; eſtque ſenſus: *Ita me Jovis filius adjuvet.*

3. *Ad ædificationem*] Quam Romæ Trebatius inceperat in regione Lupercali proximâ.

4. *Lupercal*] Locus urbis Romæ ad radices montis Palatini, Deo Pani ſacer; cujus ſacra, Lupercalia; & ſacerdotes, Luperci dicebantur, vel à Lupâ quæ Romulo Remoque lac præbuit.

5. *Heletem*] Cujus ad ripam ſita erat Velina Trebatii domus.

6. *Quem tamen ſi excideris*] Opinio erat Lucos, quia ſacri erant, ſine ſcelere incidi non poſſe; at Marcus Cato docuit, quomodò rectè, & ſine piaculo id fieri poſſet.

7. *Multùm proſpexeris*] Pulcherrimus tibi erit è totâ tuâ domo, longiſſimuſque proſpectus.

8. *Perfugium*] Quò poſſet ob civiles motus, tranquillitatis gratiâ, ſecedere.

9. *Expectabis*] Romæ, quò redire cogitabat,

Digitized by Google

Sex. Fabio, Niconis discipulo, librum abstuli [l] [10] Νικώνος περὶ πολυφαγίας. ô medicum suavem, meque docilem ad hanc disciplinam! sed Bassus noster me de hoc libro celavit: te quidem non [m] videtur. Ventus increbrescit. Cura ut valeas. XIII. Kalend. Sext. Veliâ.

INTERPRETATIO.

[l] *Niconis de edacitate.* [m] celaviſſe.

NOTÆ.

abat, ut Kalendis hîc Januariis adesset.

10. *Niconis*] Medici Epicurei, qui docebat, valetudinem cum edacitate firmam posse servari.

EPISTOLA XXI.

Silii amici sui causam Trebatio commendat. Anno quo Cæsar occisus est, aut Manutius existimat, id est urbis conditæ septingentesimo nono.

M. Cicero S. D. C. Trebatio.

SILII causam [1] te docui. is postea fuit apud me. cùm ei dicerem tibi videri, [2] sponsionem illam [a] nos [3] sine periculo facere posse, [4] si bonorum Turpiliæ possessionem [5] Q. Cæpio Prætor ex edicto suo mihi dedit: negare aiebat [6] Servium [b] tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, [c] qui factionem testamenti non habuerit: hoc idem [7] Offilium dicere: [d] tecum se locutum negabat: meque rogavit, ut se, causamque suam tibi

INTERPRETATIO.

[a] *nos posse pecuniam sine periculo promittere.* [b] *testamentum hoc esse ratum, quod is fecisset.* [c] *qui jus faciendi testamenti non habuerat.* [d] Silius *addebat, tecum hac de re nondum esse locutum.*

NOTÆ.

1. *Te docui*] Quid juris haberet Silius in hæreditate Turpiliæ petendâ.

2. *Sponsionem*] Qui litem intendebat alteri, de re qualibet, tanquam sibi debitâ, promittebat se daturum, si litem perderet, certam adversario pecuniam, eandem & adversarius, si causâ caderet, spondebat, ut eo metu reprimeretur nimia litigandi libido. Hæc autem actio vocabatur sponsio, seu promissio.

3. *Sine periculo*] Quia Silius facilè probare poterat, suam esse Turpiliæ hæreditatem.

4. *Si bonorum Turpiliæ*] Sunt hæc verba sponsionis quam Silius facere paratus erat. Plerique autem putant pro *si* legendum *ni*; & videtur id postulare sensus, qui talis est: ni bonorum Turpiliæ possessionem Quintus Cæpio Prætor ex edicto suo mihi dedit, spondeo me daturum adversario tantùm pecuniæ, quantùm in sponsionibus promitti solet.

5. *Quintus Cæpio*] Hunc credibile est fuisse M. Brutum, qui in Cæsarem conjuravit: quo enim anno Cæsar interfectus est, Præturam exercuit: adoptatus autem fuerat ab avunculo Quinto Servilio Cæpione.

6. *Servium*] Sulpitium, quem Tullius in Bruto Jurisconsultorum principem nominat.

7. *Offilium*] Doctrinâ juris inclytum.

Digitized by Google

commendarem. Nec vir melior, mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excepto. Gratissimum igitur mihi feceris, si ad eum ultrò veneris, eique pollicitus eris: sed, si me amas, quamprimùm. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPISTOLA XXII.

Authoritate Jurisconsultorum, suam de quadam controversiâ opinionem probat. Eodem, ut videtur, anno.

Cicero s. d. Trebatio.

a Illuseras heri inter scyphos, quòd dixeram controversiam esse, b 1 possetne hæres, quòd furtum antèa factum esset, rectè furti agere. Itaque etsi domum benè potus, seróque redieram: tamen c id caput, ubi hæc controversia est, notavi, & descriptum tibi misi: ut scires, id quod tu neminem sensisse dicebas, 2 Sex. Ælium, M. Manilium, M. Brutum, sensisse. ego tamen Scævolæ, & Testæ assentior. Vale.

INTERPRETATIO.

a *heri me inter cœnam irriseras.*
b *an hæres haberet actionem adversùs eum furem, qui furatus esset, antequam ipse hæres esset.* c *hunc locum.*

NOTÆ.

1. *Possetne hæres*] Videtur sensisse Trebatius, hujusmodi actionem haberi non posse.

2. *Sex. Ælium, M. Manilium, &c.*] Jurisconsultorum nomina.

EPISTOLA XXIII.

Gallus emerat statuas Ciceroni, cùm tamen pictas Cicero tabellas mallet; rescribit itaque, ex iis emptionibus nullam sibi cordi esse; tum subjungit, id vehementer probare, quòd proximam domum conducere velit. Incertum quo anno.

Cicero s. d. M. Fabio Gallo.

a Tantum ex Arpinati veneram, cùm mihi à te literæ redditæ sunt: ab eodemque accepi 1 Aviani literas: b in quibus hoc erat liberalissimum: c 2 nomina se facturum, cùm venisset, d quâ ego vellem die.

INTERPRETATIO.

a *vix ex Arpinati veneram.*
b *in quibus hoc erat liberalitatis plenum,* quòd scriberet.
c *se, cùm venisset, relaturum in codicem* quidquid debeo pro statuis.
d *ut salvam, quandocumque mihi commodum erit.*

NOTÆ.

1. *Aviani*] Statuarii, de quo Gallus signa Ciceroni emerat.

2. *Nomina*] Quia in hisce codicibus seu tabulis, debitorum, & creditorum nomina scribebantur.

Digitized by Google

[a]fac quæso, qui ego sum, esse te. [f]estne aut tui pudoris, aut nostri, [g]primùm rogare de die, [h]deinde plus annua postulare? Sed essent, mi Galle, omnia facilia, [i]si & ea mercatus esses, quæ ego desiderabam, [k]& ad eam summam, quam volueram. [l]ac tamen istæc ipsa, quæ te emisse scribis, non solùm rata mihi erunt, seu etiam grata. [m]planè enim intelligo, te, non modò studio, sed etiam amore usum, quæ te delectarint, hominem, ut ego semper judicavi, in omni judicio elegantissimum, quæque me digna putaris, coëmisse. Sed velim maneat Damasippus in sententiâ. prorsùs enim [n]ex istis emptionibus nullam desidero. tu autem ignarus [o]instituti mei, [p]quanti ego genus omne signorum omnium non æstimo, tanti ista quatuor, aut quinque sumpsisti. [q]Sed Bacchas istas cum Musis Metelli comparas: [r]quid simile? [s]primùm ipsas ego musas nunquam tanti putassem: atque id feciſſem musis omnibus approbantibus. [t]sed tamen erat aptum bibliothecæ, studiisque nostris congruens: Bacchis verò ubi est [u]apud me locus? At pulchellæ sunt. novi optimè, & sæpè vidi: [x]nominatim tibi signa, mihi nota, mandassem, si probassem. ea enim signa ego emere soleo, [u]quæ [z]ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi [s]in palæstrâ locum. [x]Martis

INTERPRETATIO.

[a] *finge te esse qui ego sum*, mettez-vous en ma place.

[f] *nonne & mihi, & tibi probro erit?*

[g] *primùm prorogationem temporis ad solvendum petere.*

[h] *hanc deinde dilationem ultrà annum producere.*

[i] *si emisses pictas tabellas.*

[k] *nec pluris emisses, quàm volueram.*

[l] *attamen tuam hanc emptionem non confirmabo modò, sed & gratam habebo.*

[m] *nam sum certus, te, qui de rebus optimè judicas, eas statuas coëmisse, & quia tibi placuerunt, & quia me dignas esse credidisti.* [n] *ex ipsis imaginibus quas emisti.*

[o] *voluntatis meæ.*

[p] *pro istis quatuor aut quinque statuis, tantùm pecuniæ salvisti, quantùm ego numerare nollem pro omni statuarum genere.*

[q] *sed Baccharum figuras, quas emisti mihi, comparas cum Musarum signis quæ Metellus apud se habet.*

[r] *primùm ipsa Musarum simulacra tanto nunquam pretio coëmissem.*

[s] *hæ tamen* Musarum statuæ *aptæ essent bibliothecæ.*

[t] *tibi nominatim mandassem, ut hæc signa, quæ mihi nota sunt, emeres, si mihi placuissent.*

[u] *quæ bibliothecam meam exornent.*

[x] *Martis autem simulacrum an mihi, quî pacem amo, convenit?*

NOTÆ.

3. *Damasippus*] Vir in statuis undique conquirendis bellè curiosus, qui fortè dixerat empturum se hæc signa, si minùs Tullio probarentur. Horat. Sat. 3. lib. 2. *Insanit, veteres statuas Damasippus emendo.*

4. *Bacchas*] Mulieres fuêre, quæ tertio quoque anno Bacchi orgia magnis ululatibus, ad Citherontem montem in Græciâ celebrabant. Harum autem sculptas imagines Gallus permagno emerat; quare & in delectu peccaverat, & in pretio.

5. *Quid simile*] Inter Baccharum hæc simulachra quæ emisti, & Musarum statuas, quas habet Metellus.

6. *Apud me*] Quem Bacchus non delectat.

7. *Ad similitudinem Gymnasiorum*] Quæ Deorum, aut Heroum statuis exornari solebant. De Gymnasiis vide epistolam 12. libri 4.

8. *In Palæstra*] ἀπὸ τῆς Πάλης, id est à Luctâ nomen accepit, & non secùs ac

verò signum quo mihi pacis auctori? [9] gaudeo nullum Saturni signum fuisse. hæc enim duo signa putarem mihi æs alienum attulisse. [10] Mercurii mallem aliquod fuisset: [y] feliciùs, puto, cum Aviano transigere possemus. Quod tibi destinaras [z] Trapezophoron: si te delectat, habebis: sin autem sententiam mutasti, ego [a] habebo scilicet. [b] Ista quidem summa na ego multò libentiùs emerim [11] diversorium [12] Tarracinæ, ne semper hospiti molestus sim. omninò [13] liberti mei video esse culpam, cui planè res certas mandaram: itemque Junii, quem puto tibi notum esse, Aviani familiarem. [c] [14] Exedria quædam mihi nova sunt instituta in porticula Tusculani: ea volebam tabellis ornare. [d] etenim si quid generis istiusmodi me delectat, pictura delectat. sed tamen, si ista mihi sunt habenda, certiorem velim me facias, ubi sint, quando accersantur, quo genere vecturæ. si enim [15] Damamasippus in sententiâ non manebit: aliquem [e] pseudodamasippum vel cum jacturâ [16] reperiemus. Quod ad me [17] de domo scribis iterùm, jam id ego proficiscens mandaram meæ Tulliæ. eâ enim ipsâ horâ acceperam tuas literas. egeram etiam cum tuo [18] Niciâ, quòd is utitur, ut scis, familiariter [19] Cassio. ut redii autem, priùs quàm tuas legi has proximas literas, quæsivi de meâ Tulliâ, quid egisset. [f] per [20] Liciniam se egisse dicebat. [g] sed opi-

INTERPRETATIO.

[y] *minoris ab Aviano emere possemus.*
[z] *mensæ fulcimentum.*
[a] *retinebo.*
[b] *istâ quidem pecuniâ.*
[c] *cœpi extruere nova exedria in porticu Tusculanâ.*
[d] *nam si quid in eo ornamentorum genere delectat, maximè pictura.*
[e] *aliquem Damasippo similem.*
[f] *se eâ de re cum Liciniâ collocutam esse.*
[g] *sed Cassius, ut opinor, sororis operâ non multùm utitur.*

NOTÆ.

que Gymnasium pro quavis exercitatione, aut quolibet exercitationis loco sumitur. Videtur autem Gymnasii nomen patere latiùs, quàm Palestræ: hæc enim Gymnasii pars est. Gymnasium autem, Palæstram & cætera loca complectitur.

9. *Nullum Saturni signum*] Quia tristem eventum portendit.

10. *Mercurii*] Quia mercaturis præerat; unde & nomen mutuatus est: ejus autem auspicio sperabat futurum fuisse, ut ea signa minoris emisset.

11. *Diversorium*] Vide epistolam 19. libri 6.

12. *Tarracinæ*] Seu Terracinæ, quæ & Anxur dicta est, urbs aliàs Volscorum in Latio, nunc Campaniæ Romanæ, in ditione Pontificiâ, & in confinio regni Neapolitani.

13. *Liberti mei*] Qui meam super hac emptione mentem non apertè satis declaravit.

14. *Exedria*] Loca in Porticibus, ubi sedentes disputare solebant.

15. *Damasippus*] Qui promiserat ea se coëmpturum signa, modò si à Tullio rejicerentur.

16. *Reperiemus*] Cui hæc signa minoris vendam, quàm à te coëmpta sunt.

17. *De domo*] Quam juxta meas ædes vis conducere.

18. *Nicia*] Galli liberto.

19. *Cassio*] Ædium harumce domino. Suspicor autem legendum esse *Crasso*, qui Liciniæ gentis, nisi dicamus Liciniam fuisse Cassii sororem, non germanam quidem, sed consobrinam.

20. *Per Liciniam*] Quæ domum incolebat fratris; unde, absente & insciente Decio, exire non audebat.

nor Cassium uti non ita multùm sorore. eam porrò negare se audere, cùm vir abesset (est enim profectus in Hispaniam Decius) illo & absente, & insciente [h] migrare. Est mihi gratissimum, tanti à te æstimatam consuetudinem vitæ, victûsque nostri, primùm ut eam domum sumeris, ut non modò propè me, sed planè mecum habitare posses: deinde, ut migrare tantoperè festines. [i] sed, ne vivam, si tibi concedo, ut ejus rei tu cupidior sis, quàm ego sum. Itaque omnia experiar. video enim, quid meâ interfuit, quid utriusque nostrûm. Si quid egero, faciam ut scias. tu & ad omnia rescribes: &, quando te expectem, facies me, si tibi videbitur, certiorem. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] in has ædes. [i] *at moriar, si vehementiùs quàm ego, id cupis.*

EPISTOLA XXIV.

Significat, quàm injustè de se queratur Tigellius. Cæsare quartùm Consule sine collegâ, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

M. Cicero S. D. M. Fabio Gallo.

AMORIS quidem tui, quoquò me verti, [a] vestigia, [b] vel proximè [1] de Tigellio. sensi enim ex literis tuis [c] valdè te laborasse. amo igitur [2] voluntatem. [d] sed pauca de re. [3] Capius, opinor, olim, NON omnibus dormio: [4] sic ego non omnibus, mi Galle, servio. [5] etsi quæ est hæc servitus? [e] olim, cùm regnare existimabamur, non tam ab ullis, quàm hoc tempore observor à familiarissimis Cæsaris omnibus, [6] præter istum. id ego in

INTERPRETATIO.

[a] *video.* [b] *idque nuperrimè in Tigellii negotio.*
[c] *te valdè meâ causâ sollicitum esse.*
[d] *sed de hac re pauca dicamus.*
[e] *stante Republicâ.*
[f] *cùm florebam authoritate.*

NOTÆ.

1. *De Tigellio*] Qui pravitate in Tullium erat invectus, quòd Phameæ defensionem, quam susceperat, in alterum diem differre voluisset. Hic Tigellius libertus erat, cognomento Hermogenes, Phameæ aspes, & canendi arte præstans.

2. *Voluntatem*] Quia Tigellium Ciceroni placare frustrà conatus erat.

3. *Capius*] A Festo nominatur Cippius, qui somnum simulabat, ut impunè magis uxor sua mœcharetur; quique servo pocula furtim auferenti, in aurem insusurravit: *Non*, inquit, *omnibus dormio*; quasi uti diceret: *dormio quidem ut uxor, &c. sed non dormio, ut impunè, quod meum est, mihi furetis.* Consule Plutarchum in Erotico, ubi hominem hunc Cassium, non Capium appellat.

4. *Sic ego*] Quibusdam apud Cæsarem gratiosis, temporum causâ, serviebat; sed non omnibus, quos inter Tigellius fuit.

5. *Hac servitus*] Dictum rectè corrigit; familiares enim Cæsaris colebat, ut amicos, non ut dominis serviebat.

6. *Præter istum*] Tigellium, cujus amicitiam non admodùm curabat, quòd homo

lucris pono, non ferre hominem peſtilentiorem [7] patriâ ſuâ: [8] eumque addictum jam tùm puto eſſe [8] Calvi Licinii. [9] Hipponacteo præconio. at vide, [h] quid ſuccenſeat. [10] Phameæ cauſam ſuſceperam, [i] ipſius quidem causâ: erat enim mihi ſanè familiaris. is ad me venit, dixitque judicem, [k] ſibi operam dare conſtituiſſe [l] eo ipſo die, quo [11] de P. Sextio in conſilium iri [12] neceſſe erat. reſpondi, nullo modo me facere poſſe, [m] cùm vellem: alium diem ſi ſumpſiſſet, me ei non defuturum. [n] ille autem, qui ſciret ſe [o] nepotem bellum tibicinem habere, & ſat bonum [13] unctorem, diſceſſit à me, ut mihi videbatur, iratior. [p] Habes Sardos [14] venales, [q] alium alio nequiorem. cognoſti meam cauſam, & iſtius [15] Salaconis iniquitatem. [r] Catonem tuum mihi mitte: cupio enim legere. me adhuc non legiſſe, turpe utrique noſtrûm eſt. Vale.

INTERPRETATIO.

[8] *& quem, ut opinor, Calvus Licinius mordaci carmine infamem reddidit.*
[h] *quare* Tigellius *mihi ſuccenſeat.*
[i] *Phameæ.*
[k] *cauſam ſuam cogneſcere*, de luy donner audiance.
[l] *quo neceſſe erat Judicum de P. Sextio ſententias audire.* [m] *etiamſi vellem.*
[n] *Phameas autem.*
[o] *Tigellium.*
[p] *jam intelligis quo ſint ingenio Sardi venales.*
[q] *nempè nequitiâ invicem contendunt.*
[r] *librum à te de Catone ſcriptum.*

NOTÆ.

nequam eſſe, licet alioqui Cæſaris amicus.

7. *Patriâ ſuâ*] Sardiniâ, cujus aër, propter paludes, peſtilens; de quâ Silius Italicus:

——*triſtis cælo, & multâ vitiata palude.*

8. *Calvi Licinii*] Poëta fuit, & Orator illuſtris; ſed maledicus, adeò ut ne Cæſari quidem pepercerit.

9. *Hipponacteo*] Hipponax Poëta fuit Epheſius, adeò deformis, ut ejus effigiem populo deridendam Pictores exponerent; quod indignè paſſus, tam amaro carmine illos inſectatus eſt, ut ex iis aliquot ad ſuſpendium adegiſſe dicatur: unde in proverbium abiit, *Hipponacteum præconium.*

10. *Phameæ*] Liberti.

11. *De P. Sextio*] Quem de vi accuſatum, ante multos annos jam defenderat.

12. *Neceſſe fuit*] Quoniam lege Pompeiâ, præfiniti dies erant, quibus agi cauſam oporteret; eodem verò & uno die, Sextii & Phameæ rebus providere Cicero non poterat.

13. *Unctorem*] Putat Manutius, nec immeritò legendum eſſe, *Cantorem*: hoc enim potiſſimùm nomine erat apud Cæſarem gratioſus.

14. *Venales*] Tigellium & Phameam, oriundos è Siciliâ: in utrumque cavillandi, ex communi adagio anſam quærit: ſubacta enim à Tito Sempronio Sardiniâ, tanta mancipiorum multitudo Romam adducta eſt, ut ex eorum vilitate adagium prodierit, *Sardi venales.*

15. *Salaconis*] Tigellii, quem ſic appellat à voce Græcâ Σαλάκων, quæ molliciem ex Ariſtophane, ex Suidâ verò ſuperbiam exprimit; vel ſignificat eum, qui cùm ſit pauper, ſe divitem eſſe ſimulat.

Digitized by Google

EPISTOLA XXV.

Epistolam Galli salvam esse scribit, eidemque monenti, ut de Cæsare cautè loqueretur, gratias agit. Eodem anno.

M. Cicero s. d. M. Fabio Gallo.

QUòd epistolam conscissam doles, noli laborare: salva est domi: petes, cùm libebit. [a] Quòd autem me mones, valdè gratum est: idque ut semper facias, rogo. videris enim mihi vereri, ne, [b] si istum habuerimus, [c] rideamus [1] γέλωτα Σαρδόνιον. [d] Sed heus tu, [e] [2] manum de tabulâ: [3] magister [4] adest citiùs quàm putaramus. [f] vereor ne in Catonem, [5] Cato in nos. Mi Galle, [g] cave putes quidquam melius, quàm epistolæ tuæ partem ab eo loco, Cætera labuntur. secretò hoc audi: [h] tecum habeto: ne Appellæ quidem liberto tuo dixeris. [i] præter duo nos loquitur isto modo nemo: bene, maléve, [k] videro: [l] sed, quidquid est, nostrum est. [m] urge igitur, [n] nec transversum unguem, quod aiunt, à stylo: [o] is enim est dicendi opifex. [p] atque ego quidem aliquantum jam etiam noctis sumo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] ne in Cæsarem jocemur.
[b] *si Cæsarem magistrum habuerimus.*
[c] *ne nostro damno jocemur.*
[d] *sed hæc attende.*
[e] *desinamus de Catonis laudibus scribere.*
[f] *vereor ne, si Catonem laudemus, Cato nobis sit exitio.*
[g] *crede mihi, nihil elegantius est epistolâ tuâ, ab eo loco ubi hæc scripta sunt, cætera labuntur.*
[h] *nemini dixeris, ne Appellæ quidem, &c.*
[i] *nemo sic loquitur, præter nos duo.*
[k] *mihi adhuc incertum.*
[l] sed illæ scribendi modus, *sive bonus est, sive malus, nobis peculiaris est.*
[m] *perge igitur.*
[n] *ne minimùm cesses à stylo exercendo.*
[o] *stylus enim* optimus *dicendi magister.*
[p] *in eadem ego exercitatione noctis aliquantùm consumo.*

NOTÆ.

1. Γέλωτα Σαρδόνιον] Risum Sardonium, id est risum cum dolore conjunctum; oritur proverbium illud ab herbâ quâdam quæ nascitur in Sardiniâ, & gustata, mortem affert, sic mutato morientium vultu, ut ridere videantur.

2. *Manum de tabulâ*] Adagium illud sumptum est à pueris pingendi artem discentibus, qui magistro absente, aliquid in tabulâ praviter pingunt; adveniente autem, citò manum retrahunt, ne deprehensi vapulent.

3. *Magister*] Julius Cæsar Dictator, id est Magister populi, ut docet Seneca.

4. *Adest citiùs*] Ab Hispaniâ, ubi Pompeii liberos ingenti prælio vicerat.

5. *Cato in nos*] Cato fuerat Cæsari hostis infensissimus: Catonem ergo laudare, periculosum.

Digitized by Google

lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem [7] patriâ suâ: [8] eumque addictum jam tùm puto esse [8] Calvi Licinii [9] Hipponacteo præconio. at vide, [h] quid succenseat. [10] Phameæ causam susceperam, [i] ipsius quidem causâ: erat enim mihi sanè familiaris. is ad me venit, dixitque judicem, * sibi operam dare constituisse [l] eo ipso die, quo [11] de P. Sextio in consilium iri [12] necesse erat. respondi, nullo modo me facere posse, [m] cùm vellem: alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. [n] ille autem, qui sciret se [o] nepotem bellum tibicinem habere, & sat bonum [13] unctorem, discessit à me, ut mihi videbatur, iratior. [p] Habes Sardos [14] venales, [q] alium alio nequiorem. [10] cognosti meam causam, & istius [15] Salaconis iniquitatem. [r] Catonem tuum mihi mitte: cupio enim legere. me adhuc non legisse, turpe utrique nostrûm est. Vale.

INTERPRETATIO.

[8] *& quem, ut opinor, Calvus Licinius mordaci carmine infamem reddidit.*
[h] *quare* Tigellius *mihi succenseat.*
[i] *Phameæ.*
[k] *causam suam cognoscere*, de luy donner audiance.
[l] *quo necesse erat Judicum de P. Sextio sententias audire.*
[m] *etiamsi vellem.*
[n] *Phameæ autem.*
[o] *Tigellium.*
[p] *jam intelligis quo sint ingenio Sardi venales.*
[q] *nempè nequitiâ invicem contendunt.*
[r] *librum à te de Catone scriptum.*

NOTÆ.

nequam esse, licet alioqui Cæsaris amicus.

7. *Patriâ suâ*] Sardiniâ, cujus aër, propter paludes, pestilens; de quâ Silius Italicus:

——*tristis cælo, & multâ vitiata palude.*

8. *Calvi Licinii*] Poëta fuit, & Orator illustris; sed maledicus, adeò ut ne Cæsari quidem pepercerit.

9. *Hipponacteo*] Hipponax Poëta fuit Ephesius, adeò deformis, ut ejus effigiem populo deridendam Pictores exponerent; quod indignè passus, tam amaro carmine illos insectatus est, ut ex iis aliquot ad suspendium adegisse dicatur: unde in proverbium abiit, *Hipponacteum præconium.*

10. *Phameæ*] Liberti.

11. *De P. Sextio*] Quem de vi accusatum, ante multos annos jam defenderat.

12. *Necesse fuit*] Quoniam lege Pompeiâ, præfiniti dies erant, quibus agi causam oporteret; eodem verò & uno die, Sextii & Phameæ rebus providere Cicero non poterat.

13. *Unctorem*] Putat Manutius, nec immeritò legendum esse, *Cantorem*: hoc enim potissimùm nomine erat apud Cæsarem gratiosus.

14. *Venales*] Tigellium & Phameam, oriundos è Sicilià: in utrumque cavillandi, ex communi adagio ansam quærit: subacta enim à Tito Sempronio Sardiniâ, tanta mancipiorum multitudo Romam adducta est, ut ex eorum vilitate adagium prodierit, *Sardi venales.*

15. *Salaconis*] Tigellii, quem sic appellat à voce Græcâ Σαλάκων, quæ mollitiem ex Aristophane, ex Suidâ verò superbiam exprimit; vel significat eum, qui cùm sit pauper, se divitem esse simulat;

EPISTOLA XXV.

Epistolam Galli salvam esse scribit, eidemque monenti, ut de Cæsare cautè loqueretur, gratias agit. Eodem anno.

M. Cicero s. d. M. Fabio Gallo.

QUòd epistolam conscissam doles, noli laborare: salva est domi: petes, cùm libebit. [a] Quòd autem me mones, valdè gratum est: idque ut semper facias, rogo. videris enim mihi vereri, ne, [b] si istum habuerimus, [c] rideamus [1] γέλωτα Σαρδόνιον. [d] Sed heus tu, [e] [2] manum de tabulâ: [3] magister [4] adest citiùs quàm putaramus. [f] vereor ne in Catonem, [5] Cato in nos. Mi Galle, [g] cave putes quidquam melius, quàm epistolæ tuæ, partem ab eo loco, Cætera labuntur. secretò hoc audi: [h] tecum habeto: ne Appellæ quidem liberto tuo dixeris. [i] præter duo nos loquitur isto modo nemo: bene, maléve, [k] videro: [l] sed, quidquid est, nostrum est. [m] urge igitur, [n] nec transversum unguem, quod aiunt, à stylo: [o] is enim est dicendi opifex. [p] atque ego quidem aliquantum jam etiam noctis sumo. Valè.

INTERPRETATIO.

[a] ne in Cæsarem jocemur.
[b] *si Cæsarem magistrum habuerimus.*
[c] *ne nostro damno jocemur.*
[d] *sed hac attende.*
[e] *desinamus de Catonis laudibus scribere.*
[f] *vereor ne, si Catonem laudemus, Cato nobis sit exitio.*
[g] *crede mihi, nihil elegantius est epistolâ tuâ, ab eo loco ubi hæc scripta sunt, cætera labuntur.*
[h] *nemini dixeris, ne Appellæ quidem, &c.*
[i] *nemo sic loquitur, præter nos duo.*
[k] *mihi adhuc incertum.*
[l] sed ille scribendi modus, *sive bonus est, sive malus, nobis peculiaris est.*
[m] *perge igitur.*
[n] *ne minimùm cesses à stylo exercendo.*
[o] *stylus enim* optimus *dicendi magister.*
[p] *in eadem ego exercitatione noctis aliquantùm consumo.*

NOTÆ.

1. Γέλωτα Σαρδόνιον] Risum Sardonium, id est risum cum dolore conjunctum; oritur proverbium illud ab herbâ quâdam quæ nascitur in Sardiniâ, & gustata, mortem affert, sic mutato morientium vultu, ut ridere videantur.

2. *Manum de tabulâ*] Adagium illud sumptum est à pueris pingendi artem discentibus, qui magistro absente, aliquid in tabulâ praviter pingunt: advenienteque autem, citò manum retrahunt, ne deprehensi vapulent.

3. *Magister*] Julius Cæsar Dictator, id est Magister populi, ut docet Seneca.

4. *Adest citiùs*] Ab Hispaniâ, ubi Pompeii liberos ingenti prælio vicerat.

5. *Cato in nos*] Cato fuerat Cæsari hostis infensissimus: Catonem ergo laudare, periculosum.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVI.

Scribit se morbum contraxisse, quòd herbas malè conditas comedisset, P. Lentulo, & Q. Metello Nepote Consulibus, anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo sexto.

Cicero S. D. Gallo.

CUM decimum jam diem graviter ex intestino laborarem, neque iis, qui meâ operâ uti volebant, [a] probarem me non valere, quia febrim non haberem; fugi in Tusculanum, cùm quidem biduum ita jejunus fuissem, utne aquam quidem gustarem. itaque confectus langore, & fame, [b] magis tuum officium desideravi, quàm abs te requiri putavi [1] meum. Ego autem cùm omnes morbos reformido, [c] tùm quo Epicurum tuum Stoïci [2] malè accipiunt, [d] quia dicat δυσουρεῖν καὶ δυσεντερεῖν πάσῃ sibi molesta esse. quorum [e] alterum morbum edacitatis esse putant, [f] alterum etiam [g] turpioris intemperantiæ. sanè [h] δυσεντερίαν pertimueram. sed visa est mihi vel loci mutatio, vel animi etiam relaxatio, vel ipsa fortasse jam [3] senescentis morbi [i] remissio profuisse. [k] Attamen, ne mirere, unde hoc acciderit, quomodóve commiserim: [l] lex sumptuaria, quæ videtur [m] λιτότητα attulisse, [n] ea mihi fraudi fuit. nam, dum volunt [4] isti lauti [o] terra nata, [p] quæ lege excepta sunt, [q] in honorem adducere, fungos, [r] heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. In eas cùm incidissem [5] in cœnâ augurali apud [6] Lentulum, tanta me [s] διάρροια arripuit, ut hodie primùm videatur cœpisse consistere. Ita ego, [t] qui me obstreis, & [7] murenis facilè abstinebam,

INTERPRETATIO.

[a] *persuaderem.* [b] *magis desideravi ut me inviseres.*
[c] *tùm hunc maximè quo Epicurum laborantem Stoïci reprehendebant.*
[d] *qui dicebat vesica, & viscerum morbos sibi molestos esse.*
[e] *ventris tormina.*
[f] *Vesica morbum.*
[g] *obscæna libidinis.*
[h] *intestinorum dolorem.*
[i] *imminutio.*
[k] *tamen ut scias quomodò morbum hunc contraxerim, & in quo peccaverim.*
[l] *lex de moderando in conviviis sumptu.*
[m] *frugalitatem.*
[n] *ea mihi nocuit.* [o] *herbas.*
[p] *quæ lege non prohibentur.*
[q] *honoris causâ apponere.*
[r] *olera minuta.*
[s] *ventris profluvium.*
[t] *qui me facilè abstinebam piscibus delicatissimis, ab herbis vulgaribus deceptus fum.*

NOTÆ.

1. *Meum*] Quod tibi, morbo detentus, non possum persolvere.

2. *Malè accipiunt*] Quia putabant Stoïci, Epicurum his morbis exagitatum fuisse, ob edacitatem & impudicitiam.

3. *Senescentis*] Quòd jam à decem diebus, viscerum morbo vehementiùs torqueretur.

4. *Isti lauti*] Ii scilicet qui opiparè Ciceronem exceperant.

5. *In cœnâ Augurali*] Mos fuit, ut Augures, invito sacerdotio, splendidam toti collegio cœnam darent.

6. *Lentulum*] Filium Lentuli, ad quem scriptæ sunt primi libri epistolæ.

7. *Muranis*] Muræna piscis est, longitudine haud absimilis Anguillæ, notisque albicantibus distinctus: fuit autem apud veteres maximis in deliciis.

Digitized by Google

à betâ etiam, & malvâ deceptus sum. posthac igitur erimus cautiores. tu tamen cùm audisses ab Anicio, (vidit enim me nauseantem) non modò mittendi causam justam habuisti, sed etiam visendi. Ego [a] hîc cogito commorari, quoad me reficiam. nam & vires, & [aa] corpus amisi. sed, si morbum depulero, facilè, ut spero, illa revocabo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *in Tusculano.* [aa] *vegetum corporis habitum.*

EPISTOLA XXVII.

Acerbiores ad Ciceronem litteras Gallus dederat; iis Cicero stomacosius respondet. Cæsare dominante, sed incertum quo anno.

Cicero S. D. [1] Gallo.

MIROR [2] cur me accuses, cùm tibi id facere non [3] liceat. quòd si liceret, tamen [4] non debebas. [5] EGO enim te in consulatu observaram. & ais fore ut te Cæsar [b] restituat. Multa tu quidem dicis, sed tibi nemo credit. Tribunatum plebis dicis te [c] meâ causâ petisse. utinam semper esses tribunus: [d] [6] intercessorem non quæreres. Negas me audere, [7] quod sentiam dicere: quasi tibi, cùm parùm pudenter me [8] rogares, parùm fortiter responderim. Hæc tibi [9] scripsi, ut [e] isto ipso in genere, in quo aliquid posse vis, te nihil esse cognoscerem. quòd si humaniter mecum questus esses, libenter tibi me, & [10] facilè purgassem. non enim mihi ingrata sunt, [11] quæ fecisti,

INTERPRETATIO.

[a] *objicis enim, quòd in Consulatu meo me honoraveris.*
[b] patriæ.
[c] *ut revocarer ab exilio.*
[d] *non quæreres qui pro te Cæsarem rogaret.*
[e] *in acutè dictis.*

NOTÆ.

1. *Gallo*] Alius est ab eo, ad quem proximè scripsit.

2. *Cur me accuses*] Ingrati animi, & negligentiæ.

3. *Non liceat*] Nihil siquidem feci, quod reprehendere possis.

4. *Non debebas*] Ob mutuam amicitiam.

5. *Ego enim*] Verba sunt ex epistolâ Galli desumpta.

6. *Intercessorem*] Ludit in ambiguitate vocis: intercedere enim, cùm de Tribunis agitur, idem valet quòd se opponere: hîc autem, intercessor idem est quod deprecator. Rogaverat autem Tullium Gallus, ut sibi Cæsarem reconciliaret,

7. *Quod sentiam, dicere*] Nec certè poterat, oppressâ per Cæsarem libertate.

8. *Rogares*] Per litteras impudentiùs ad me scriptas.

9. *Scripsi*] Asperiori stylo.

10. *Facilè purgassem*] Facilè me excusassem, quòd nondum Cæsari pro te supplicaverim, probabile est tunc exulasse Gallum.

11. *Quæ fecisti*] Meâ causâ, dum Consul eram.

Digitized by Google

ſed, quæ ſcripſiſti, moleſta. Me autem, [12] propter quem cæteri liberi ſunt, [13] tibi liberum non viſum, demiror. nam ſi falſa fuerunt, quæ tu ad me, ut ais, [14] detuliſti, quid ego tibi debeo? ſin vera, tu es optimus teſtis, quid mihi populus Romanus [15] debeat. Vale.

NOTÆ.

12. *Propter quem*] Detectâ, & extinctâ conjuratione Catilinariâ.

13. *Tibi liberum*] A Gallo objectum Ciceroni fuerat, non audere, quod ſentiret, liberè dicere; id inique fert animo Tullius.

14. *Detuliſti*] De conjuratis.

15. *Debeat*] Salutem ſcilicet, & libertatem.

EPISTOLA XXVIII.

Probat concilium Curii, qui amiſsâ libertate, in Græciam ſe contulerat; additque ſe totum litteris tradidiſſe. Cæſare dominante, ſed incerto anno.

M. Cicero s. D. Man. Curio.

MEMINI, cùm mihi deſipere videbare, quòd [a] iſtic potiùs viveres, quàm nobiſcum. erat enim multò domicilium [b] hujus urbis ([c] cùm quidem hæc urbs) aptiùs humanitati & ſuavitati tuæ, quàm tota [1] Peloponneſus, [d] necdum [2] Patræ. nunc contra & [e] vidiſſe mihi multùm videris, cùm [f] propè deſperatis his rebus, te in Græciam contuliſti, & hoc tempore non ſolùm ſapiens, qui [g] hinc abſis, ſed etiam beatus. quanquam quis, qui aliquid ſapiat, nunc beatus eſſe poteſt? [h] Sed quod tu, cui licebat, [i] pedibus es conſecutus, ut ibi eſſes, [k] ubi nec [3] Pelopidarum: noſti cætera: nos [l] idem propemodùm conſequimur aliâ ratione. [m] cùm enim ſalutationi nos dedimus amicorum, [n] quæ fit hoc etiam frequentiùs, quàm ſolebat, quòd, [o] quaſi avem albam, videntur [p] benè ſentientem civem videre: abdo me in bibliothecam: [q] itaque opera efficio tanta, quanta fortaſſe tu ſenties.

INTERPRETATIO.

[a] *in Græciâ.* [b] *Roma.* [c] *quando Roma* libera erat.

[d] *immò etiam quàm Patra.*

[e] *& mihi prudentiſſimus fuiſſe videris.*

[f] *imminente bello civili.*

[g] *Româ.*

[h] *tibi verò quia permiſſum fuit* procul abire.

[i] *diſceſſu tuo hoc effeciſti, ut, &c.*

[k] *ubi ſceleratiſſimorum civium* flagitia non videres. [l] *ego fermè idem, atque tu, efficio.*

[m] *poſtquam enim manè ſalutaverunt me amici.*

[n] *quod quidem ſæpiùs facere nunc ſolent.*

[o] *quaſi rem novam vel boni ominis.*

[p] *optimè erga Rempublicam affectum.*

[q] *itaque ea ſcribo volumina, quæ vel tibi probabuntur.*

NOTÆ.

1. *Peloponneſus*] Peninſula maxima Græciæ, ſic à Pelope Rege nominata, inter maria Ægæum, & Ionium: *la Morée.*

2. *Patræ*] Colonia, & urbs Achaiæ in Peloponneſo, ubi Curius negotiabatur.

3. *Pelopidarum*] Indicat Cæſarianos,

Digitized by Google

intellexi enim ex tuo ſermone quodam, cùm mœſtitiam meam, & deſperationem accuſares, domi tuæ dicere te, [r] ex meis libris animum meum deſiderare. ſed mehercule & tùm rempublicam lugebam, quæ non ſolùm ſuis erga me, ſed etiam meis erga ſe beneficiis erat mihi carior: & hoc tempore, quanquam me non ratio ſolùm conſolatur, quæ plurimùm debet valere, ſed etiam dies, quæ ſtultis quoque mederi ſolet, tamen doleo ita communem rem eſſe dilapſam, ut ne ſpes quidem, meliùs aliquando fore, relinquatur. nec verò nunc quidem culpa [f] in eo eſt, in cujus poteſtate omnia ſunt (niſi fortè [4] idipſum eſſe non debuit) ſed alia caſu, alia etiam noſtrâ culpâ ſic acciderunt, ut de præteritis non ſit querendum. reliquam ſpem nullam video. quare ad [c] prima redeo. ſapienter [u] hæc reliquiſti, ſi conſilio: feliciter, ſi caſu. Vale.

INTERPRETATIO.

[r] *deſiderare te, ut reverè talis eſſem, qualis eſſe videor in libris meis.*
[f] *in Cæſare.* [c] *ad initium epiſtolæ.*
[u] *Romam.*

NOTÆ.

quos utique cum Atreo & Thieſte Pelopis liberis comparat, quorum tanta erudelitas, ut in proverbium abiiſſe videatur.

4. *Idipſum*] Niſi fortè culpandus eſt Cæſar, quòd unus Romæ dominetur.

EPISTOLA XXIX.

Significat ſe memorem eſſe beneficii à Tullio accepti, & litteras ab eo commendatitias petit ad Sulpitii ſucceſſorem. Cæſare quartùm Conſule ſine collegâ, Q. Fabio, & C. Trebonio eodem anno Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingenteſimo octavo.

Man. Curius s. d. M. Cic. ſuo.

SI vales, bene eſt: ſum enim [a] χρήσει μὲν tuus, [b] κλήσει δ' Attici noſtri. [c] ergo fructus eſt tuus, mancipium illius. [d] quod quidem ſi inter [1] ſenes coëmptionales venale proſcripſerit, [e] egerit non multùm. [f] at illa noſtra prædicatio quanti eſt? [g] nos, quòd ſimus, quòd habeamus, quòd homines

INTERPRETATIO.

[a] *ſum uſu quidem tuus.* [b] *poſſeſſione verò Attici.*
[c] *ergo uſusfructus ad te pertinet, poſſeſſio verò ad Atticum.*
[d] *quòd ſi me inter vilia mancipia vendendum exponat.* [e] *lucri parùm faciet.*
[f] *at illa noſtra de te prædicatio non* minimi facienda.
[g] *fateor enim tibi me debere vitam, fortunas, famam.*

NOTÆ.

1. *Senes coëmptionales*] Coëmptionalis ſenex, vile erat, nec admodum utile mancipium, quod emptori ſimul cum pretioſâ merce, auctuarii loco ſæpè dabatur: *par deſſus le marché.*

existimemur, id omne abs te habere. Quare, Cicero mi, persevera constanter nos conservare: & Sulpicii [2] successori nos [3] [h] de meliore notâ commenda, quò faciliùs tuis præceptis obtemperare possimus: teque [i] ad urbem lubentes videre, & [k] nostra desigere, deportareque [4] tutò possimus. sed, amice magne, noli hanc epistolam [5] Attico ostendere: [6] sine eum errare, & putare me virum bonum esse, nec solere [l] duos parietes [7] de eadem fidelià dealbare. Ergo, patrone mi, benè vale, Tironemque meum salutа nostris verbis. D. A. D. IV. Kal. Novemb.

INTERPRETATIO.

[h] *diligentissimè.* [i] *Romæ.* [k] *& meas opes firmare*, Romamque *deportare.* [l] *nec solere me eodem officio duos dominos.*

NOTÆ.

2. *Successori*] Acilio Proconsuli, qui Sulpitio in Achaiæ administratione successit.

3. *De meliore notâ*] Translatio ducta à doliis, quibus variæ solebant notæ imprimi, ut dignoscerentur vina.

4 *Tutò*] Favore scilicet Achaiæ Proconsulis.

5. *Attico ostendere*] Qui forsan ægrè tulisset, non sibi modò, sed etiam Ciceroni mancipatum esse Curium.

6. *Sine*] Permitte ut sibi persuadeat, me sui unius esse mancipium.

7. *De eadem fidelâ*] Adagium est natum à fabris, duos, vel plures etiam unicâ fidelià parietes dealbantibus.

EPISTOLA XXX.

Præsentem Reipublicæ statum deplorat; de Caninio ad aliquot horas creato Consule, deque litteris commendatitiis ad Acilium scriptis Cæsare quintum, & M. Antonio Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Cicero S. D. Curio.

EGO verò jam te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas: quin [a] hinc ipse evolare [1] cupio, & aliquò pervenire, ubi nec [*] Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Incredibile est, quàm turpiter mihi facere videar, qui his rebus interfim. næ tu videris multò antè providisse, quid impenderet, tùm cùm hinc profugisti. quanquam enim hæc etiam auditu acerba sunt: tamen audire tolerabilius est, quàm videre. [2] in campo certè non fuisti, cùm [3] horâ secundâ, [4] comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, [5] quem [b] illi consu-

INTERPRETATIO.

[a] *Româ.* [b] *Cæsariani.* [*] *Cæsarianorum.*

NOTÆ.

1. *Cupio*] Ob Cæsario tyrannidem.

2. *Pelopidarum*] Consule vigesimam octavam epistolam.

3. *In campo*] Martio scilicet, ubi comitia habebantur.

4. *Horâ secundâ*] Post ortum Solis: est autem sermo de ultimo Decembris die.

5. *Comitiis Quæstoriis*] Cùm jam inceptа essent comitia ad creandos sequentis anni Quæstores. Usus quidem erat, ut Quintili mense fierent; sed in Decembrem idcircò rejecta sunt, quia Cæsar, Hispaniensi occupatus bello, aberat: reversus autem, triumphare priùs voluit, quàm haberet comitia.

6. *Quem Consulem, &c. dicebant*] Nempe

lem esse dicebant, [7] posita esset. quo mortuo nuntiato, sella sublata est. [a] Ille autem, qui [8] comitiis tributis esset [9] auspicatus, [10] centuriata habuit, [11] consulem [12] horâ septimâ renuntiavit, qui usque [13] ad Kalend. Jan. esset, quæ erant futuræ manè postridie. Ita Caninio Consule scito [14] neminem prandisse. nihil tamen eo consule mali factum est. fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. Hæc tibi ridicula videntur: non enim ades: quæ si videres, [15] lacrymas non teneres. Quid si cætera scribam? sunt enim innumerabilia generis ejusdem: quæ quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiæ portum contulissem, & nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum. cujus [d] quando proprium te esse scribis mancipio & [e] [16] nexu, meum autem [17] usu & fructu: contentus isto sum. Id enim cujusque est proprium, quo quisque fruitur, atque utitur. Sed hæc aliàs pluribus. [18] Acilius, qui in Græciam cum legionibus missus est, [f] maximo meo beneficio est. bis enim est à me [19] judicio capitis [g] rebus salvis defensus: & est

Interpretatio.

[a] *Cæsar autem qui auspicia sumpserat, ut comitia tributa tantùm haberet.*
[d] *siquidem.*
[e] *& obligationis vinculo.*
[f] *mihi maximè obligatus est.*
[g] *fœlici successu.*

Notæ.

enim Fabius videbatur esse verè Consul, qui contra leges, neque populi suffragiis, hanc dignitatem obtinuerat. Hæc certè quomodò contigerint, juvat hîc paucis edocere: Cæsar cùm rediret ex Hispaniâ, priùs urbem quàm ingrederetur, Consulatum sine collegâ cepit; sed aliquanto pòst, eodem abd cato magistratu, in ternos reliquos menses Q. Fabium cum Trebonio Consulem suffecit. at verè cùm Fabius postremo Consulatûs die è vitâ discessisset, statim ejus loco Cæsar Caninium Consulem renuntiavit, qui ad sequentem usque diem magistratum hunc exerceret: unde cavillandi occasionem Tullius arripuit. Sic Dio lib. XLIII.

7. *Posita esset*] Ut comitiis interesset.

8. *Comitiis Tributis*] Tributa comitia sunt ea, in quibus plebs per Tribus divisa, sententiam rogabatur. In iis creari solebant minores Magistratus, quos inter Quæstor fuit. De Tribubus, Curiis, Centuriis vide Aul. Gellium, & Valerium Maximum.

9. *Esset auspicatus*] Mos ille Romanorum fuit, ut quoties grave quidquam aggrediebantur, vel de cœlo servarent, vel de rei eventu aves consulerent: idque propriè dicitur auspicari, seu augurari.

10. *Centuriata*] Quando populus per classium Centurias distributus, suffragium ferebat: in iis majores Magistratus, ut Consul, Prætor, &c. eligebantur.

11. *Consulem*] Caninium Rebilum, qui Cæsaris fuerat in Galli â legatus.

12. *Horâ septimâ*] Post Solem exortum.

13. *Ad Kalendas*] Postero enim die Cæsar & Antonius designati Consules, Consulatum inierunt.

14. *Neminem prandisse*] Quia post horam prandii Caninius factus est Consul.

15. *Lacrymas non teneres*] Ob Cæsaris & Antonii injustam dominationem, qui leges, & majorum instituta penitùs pessumdabant.

16. *Nexu*] Formula juris est. Nexi dicebantur, qui cùm alieno æri solvendo non essent, in servitutem creditoribus tradebantur, usque donec debito se liberassent.

17. *Usu*] Vide superiorem epistolam.

18. *Acilius*] Sulpicii, in Græciæ administratione successor. Vide epistolam quinquagesimam libri decimi tertii.

19. *Judicio capitis*] Quo quis damnatus vel civitatem amittebat, vel libertatem: nulli enim, nisi perduellionis reo, vita adimi poterat.

homo non ingratus, meque vehementer obſervat. ad eum de te diligentiſſimè ſcripſi, eamque epiſtolam cum hac conjunxi: quam ille cùm acceperit, ecquid tibi pollicitus ſit, velim ad me ſcribas. Vale.

EPISTOLA XXXI.

Invitat ad mutua officia, & Romam ut revertatur, rogat, veteris urbanitatis retinendæ causâ. Eodem anno.

Cicero s. d. Curio.

FACILE perſpexi ex tuis literis, [a] quod ſemper ſtudui, & me à te plurimi fieri, & te intelligere, quàm mihi carus eſſes. Quod quando uterque noſtrûm conſecutus eſt: reliquum eſt, ut officiis certemus inter nos: quibus æquo animo vel vincam te, vel vincar abs te. Acilio non fuiſſe neceſſe meas [1] dari literas, facilè patior. Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis literis non multùm opus fuiſſe, [b] propter res tuas ita contractas, ut, quemadmodùm ſcribis, [a] nec caput, nec pedes. Equidem vellem uti pedes haberent, ut aliquando redires. vides enim [c] exaruiſſe jam veterem [3] urbanitatem, ut Pomponius noſter [4] ſuo jure poſſit dicere, niſi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam. [5] Ergo is tibi, nos ei ſuccedimus. veni igitur, quæſo, [6] ne tantum ſemen urbanitatis unà cum repub. intereat. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *id quod ſemper deſideravi.*
[b] *propter res tuas ita implicatas, ut in integrum vel Proconſulis operâ reſtitui non poſſint.* [c] *defeciſſe.*

NOTÆ.

1. *Dari literas*] Quòd fortè Curius, ſuis rebus diſſipatis, è Græciâ diſceſſum pararet.

2. *Nec caput*] Adagium, quo ſignificatur quanta fuerit negotiorum Curii confuſio.

3. *Urbanitatem*] Facetias, leporem, ſales, quibus anteà excelluerunt Lælius, L. Craſſus Orator, &c.

4. *Suo jure*] Quia cùm facetiis excelleret Atticus, hoc meritò dicere poterat: *Niſi nos pauci ſales Atticos retineamus, omninò deficient.*

5. *Ergo*] Ergo tu primum in urbanitate locum obtines; Atticus ſecundum; tertium ego.

6. *Ne tantum ſemen*] Quod in his tribus reliquum ſupererat.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXII.

Prima pars epistolæ de acutè dictis agit; secunda de judiciis; tertia de Republicâ; quarta de Dolabellâ nondum genero. M. Marcello, & Sulpitio Consulibus, Cicerone Proconsule in Ciliciâ, & Curione Tribuno plebis designato, anno urbis conditæ septingentesimo secundo.

Cicero s. d. Volumnio.

QUOD [1] sine prænomine familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti: primum addubitavi, num [2] à Volumnio Senatore esset, quocum mihi est magnus usus: deinde [a] εὐτραπελία literarum fecit, ut intelligerem tuas esse. quibus in literis omnia mihi perjucunda fuerunt. præter illud, [b] quòd parùm diligenter [3] possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur. Ais enim, [c] ut ego discesserim, [d] omnia omnium dicta, in his etiam [4] Sestiana, in me conferri. quid? tu id pateris? nónne defendis? non resistis? equidem [e] sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, [f] ut cognosci suâ sponte possent. [g] sed quando tanta fæx est in urbe, ut nihil sit tam [h] ἄκυρον, quod non alicui venustum esse videatur: [i] pugna, si me amas, [5] nisi acuta ἀμφιβολία, nisi elegans [6] ὑπερβολή, nisi [7] παράγραμμα bellum, nisi ridiculum [8] παρὰ προσδοκίαν, nisi cætera, quæ sunt à me in secundo libro de Oratore [k] per Antonii personam disputata de ridi-

Interpretatio.

[a] *urbanitas.* [b] *quòd parùm diligenter defendas facetias meas, cùm tamen hanc tibi curam commisissem.*

[c] *ex quo discessi* in Ciliciam.

[d] *omnia omnium, & ipsius quoque Sestii* insulsa joca *mihi attribui.*

[e] *putabam.*

[f] *ut ab aliis discerni suâ venustate possent.*

[g] *sed quandoquidem Roma tam hebeti sunt ingenio.*

[h] *ineptum.*

[i] *fac, quæso, ut jures, hæc dicta non esse mea, nisi* ingeniosa sint.

[k] *sub Antonii personâ.*

Notæ.

1. *Sine prænomine*] Huic *Publio* prænomen erat, ut habet Nepos in vitâ Pomponii Attici.

2. *A Volumnio Senatore*] Hæc indicant verba, Volumnium hunc, ad quem Cicero scribit, Senatorem non fuisse, sed Equitem; cui ob facetias, & acutè dicta, *Eutrapelo* cognomen fuit.

3. *Possessio salinarum*] Salinæ, loca sunt, ubi sal fit: hic autem jocosè sumuntur pro salibus ipsis, facetiisque, quibus excellebat Cicero.

4. *Sestiana*] Sestium, opinor, intelligit, quem Catullus limatissimus Poeta, velut insulsum scriptorem ridet.

5. *Nisi acuta*] Hîc profert multiplex urbanitatis genus, quam libris suis asperserat; ἀμφιβολία, sermo est ambiguus, qui varios scilicet in sensus derivari potest.

6. ὑπερβολὴ] Hyperbole, quâ fit ut sententia suprà veritatem extollatur, ut illud orationis pro lege Manilià, *Plura bella gessit, quàm alii legerunt.*

7. Παράγραμμα] Agnominatio, quâ unius litteræ mutatio diversam sententiam efficit; ut pro *Tiberius Claudius Nero, Biberius Caldius Mero.*

8. Παρὰ προσδοκίαν] Præter expectatio-

Digitized by Google

culis, [l] ἐντέχνα, & arguta apparebunt, ut [9] sacramento contendas mea non esse. [m] Nam de judiciis quòd quereris, multò [10] laboro minùs. [n] trahantur per me pedibus omnes rei: sit vel [11] Selius tam eloquens, ut possit probare se [12] liberum: non laboro. [o] urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis [13] interdictis defendamus: in quâ [14] te unum metuo, contemno cæteros. Derideri te putas? nunc demum intelligo te [15] sapere. Sed mehercule, extra jocum, valdè mihi tuæ literæ facetæ, elegantesque visæ sunt. illa, [16] quamvis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen [17] risum non moverunt. cupio enim [p] nostrum illum amicum in tribunatu quamplurimùm habere [18] gravitatis, idque cùm ipsius causâ, (est enim mihi, ut scis, in amoribus) tùm mehercule etiam reipub. quam quidem, quamvis in me ingrata sit, tamen amare non desinam. Tu, mi Volumni, quando & [q] instituisti, & mihi vides esse gratum, scribe ad me quamsæpissimè de rebus urbanis, de repub. jucundus est mihi sermo literarum tuarum. præterea [19] Dolabellam, quem ego perspicio, & judico cupidissimum esse, atque amantissimum mei, cohortare, & confirma, & redde planè meum. [20] non mehercule quòd quidquam desit, sed quia valdè cupio, non videor nimiùm laborare. Vale.

INTERPRETATIO.

[l] *artificiosa.* [m] *nam quòd quereris jus male reddi* absente me.

[n] *suppliciis omnibus afficiantur rei, non laboro.*

[o] *urbanitatis possessionem vel sententiâ Prætoris retineamus.*

[p] *Curionem.*

[q] *incepisti.*

NOTÆ.

nem; de quo urbanitatis genere sic ipse Cicero: *Ex his omnibus nihil magis ridetur, quàm quod est præter expectationem.*

9. *Sacramento contendas*] Sacramento contendebatur, cùm duo, depositâ apud Judicem pecuniâ, litigabant; ità ut victor suam auferret, victi verò pecunia rediret ad ærarium. Consule Varronem, qui pecuniam hanc sic depositam *sacramentum appellat.*

10. *Laboro minùs*] Quàm de tuendâ facetiarum mearum possessione.

11. *Selius*] Ineptus Orator.

12. *Se liberum*] Fuisse genere servum ex hoc loco cognoscitur.

13. *Interdictis*] Interdictum, decretum erat, quo Prætor aliquid aut jubebat, aut prohibebat, maximè cùm de rei alicujus possessione agebatur, vocem hanc Tullius hîc festivè usurpat.

14. *Te unum*] Qui cæteros urbanitate vincis.

15. *Te sapere*] Qui laudes per jocum oblatas non admittis.

16. *Quamvis ridicula essent*] Quæ Volumnius de Curione ad res novas propenso, Ciceroni scripserat. Vide epist. 13. lib 3. & indicem historicum in Curione.

17. *Risum non moverunt*] Quia Tullius ex animo amabat Curionem, timebatque id quod accidit, ne novitate ductus Reipublicæ causam desereret.

18. *Gravitatis*] Quâ certè caruit, per summam enim levitatem ab Senatorum partibus, ad Cæsarem transiit.

19. *Dolabellam*] Ejus posteà generum.

20. *Non mehercule*] Fateor nihil deesse amori, quo me Dolabella prosequitur; sed quia valdè cupio me ab eo amari, idcircò arbitror, me non nimiùm laborare in amicitiâ ejus parandâ.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIII.

Post Reipublicæ casum, declamationibus vacabat Cicero; ad eandem exercitationem Volumnium invitat, additque, sibi certum esse, modò Cæsar permittat, & forum relinquere, & Curiam. Scripta videtur post bellum Africanum, Cæsare tertium, & Lepido Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

Cicero S. D. Volumnio.

QUÒD [1] declamationibus nostris cares, damni nihil facis. [a] Quòd [2] Hirtio invideres, nisi eum amares: non erat causa invidendi: nisi fortè ipsius eloquentiæ magis, quàm quòd me audiret, invideres. nos enim planè, mi suavissime Volumni, aut [3] nihil sumus, aut nobis quidem ipsis displicemus, [b] gregalibus illis, quibus, te plaudente, vigebamus, [4] amissis: [c] ut, etiamsi aliquando aliquid dignum nostro nomine emisimus, [d] ingemiscamus, quòd hæc pennigero, non armigero in corpore tela exerceantur, ut ait [5] Philoctetes [6] apud Attium, abjectâ gloriâ. sed tamen omnia mihi erunt, si tu veneris, hilariora: [e] quanquam venies, ut ipse intelligis, in maximarum quasi concursum occupationum: [f] quas si, ut volumus, exceperimus, ego verò [8] multam salutem & [7] foro dicam, & [8] curiæ, vivamque tecum multùm, & cum omnibus nostris amatoribus. Nam & Cassius tuus, & Dolabella noster, vel potiùs uterque noster, studiis iisdem tenentur, & [h] meis æquissimis utuntur auribus. [i] opus est huc limatulo, & politulo tuo judicio, & [k] illis interioribus literis [l] meis, [m] quibus sæpè [9] verecundiorem me in loquendo

INTERPRETATIO.

[a] *quòd* scribis, fore *ut invideres Hirtio, nisi eum amares.* [b] *aqualibus nostris.*

[c] *adeò ut etiamsi aliquem aliquando librum dignum meo nomine in lucem emisi.*

[d] *ingemiscam tamen, quod ingenium meum, non ut anteà in agendis causis, sed in declamationibus, absque ullâ gloriâ exerceam.*

[e] *quanquam invenies me, ut ipse intelligis, maximis implicatum occupationibus.*

[f] *quas si superavero.*

[8] *relinquam forum & curiam.*

[h] *meque declamantem libenter audiunt.*

[i] *hîc requirimus judicium tuum limatum & politum.*

[k] *& hanc doctrinam tuam non vulgarem.*

[l] *quâ, ut meâ delector.*

[m] *quâ sis me vincis, ut me verecundiorem in dicendo facias.*

NOTÆ.

1. *Declamationibus*] Quibus se totum tradiderat, oppressâ per Cæsarem Repub.

2. *Hirtio*] Quem Tullius artem declamandi docebat.

3. *Nihil sumus*] In arte Oratoriâ.

4. *Amissis*] In bello civili.

5. *Philoctetes*] Herculis comes, qui graviter vulneratus, ingemiscebat, quòd telis ab Hercule sibi datis uti non posset in armatos homines; sed iis aves sine gloriâ configere cogeretur, sic ingemiscebat Tullius, quòd ingenii & eloquentiæ suæ telum non ut anteà, &c. Consule interpretationem.

6. *Apud Attium*] Tragœdiarum scriptorem.

7. *Foro*] Ubi causas agebat.

8. *Et Curiæ*] Ubi sententiam suam dicebat.

9. *Verecundiorem*] Jocatur hîc Cicero,

facis. Mihi enim [a] judicatum est, si modò hoc Cæsar aut patietur, aut vo-
let, [a] deponere illam jam personam, in quâ [10] me sæpè illi ipsi probavi, ac
me totum in literas abdere, tecumque, & cum cæteris earum studiosis hones-
tissimo otio perfrui. [f] Tu, vellem, ne veritus esses, ne perinvitus legerem
5 tuas literas, si mihi, quemadmodum scribis, longiores fortè misisses. ac ve-
lim posthac sic statuas, tuas mihi literas longissimas quasque gratissimas fore.
Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *deliberatum est.* [c] *non ultrà causas age-
re, licet me causas agentem sæpè jam Cæsar
laudaverit.* [f] *vellem ut tu nunquam ti-
muisses, ne perinvitus, &c.*

NOTÆ.

quippe qui Volumnium, & eloquentiâ, & omni eruditionis genere longè superabat.
10. *Me sæpè illi probavi*] Ex quo Cæsar summam rerum tenebat, venerat in Curiam Cicero, causasque egerat, ut pro Ligario, pro Dejotaro, &c.

LIBER VIII.

COELII AD CICERONEM

EPISTOLA I.

Commentarium mittit rerum urbanarum; & excusat se, quòd ad illa colligenda alienam operam adhibuerit: hæc deinde subjungit, de comitiis Transpadanorum, de successione Galliarum, de Pompeio cupere se aliquid cognoscere; de Cæsare varia divulgari: aliaque nonnulla. Respondet Cicero iis litteris quæ libro 2. leguntur hoc initio: Quid? tu me, &c. *Ser. Sulpitio, & M. Marcello Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo secundo, quo Tullius in Ciliciam Proconsul discessit.*

M. Cœlius Rufus S. D. M. Ciceroni.

QUOD [a] tibi decedenti pollicitus sum, me omnes res urbanas diligentissi-
10 mè tibi perscripturum: [b] datâ operâ paravi, qui sic omnia persequeretur,
ut verear, [c] ne tibi arguta nimiùm hæc sedulitas videatur. [d] Tametsi tu scio
quàm sis curiosus, & quàm omnibus peregrinantibus gratum sit, minimarum

INTERPRETATIO.

[a] *in Ciliciam abeunti.*
[b] *omni studio quæsivi aliquem, qui sic om-
nia, quæ Romæ geruntur, colligeret.*
[c] *ne tibi nimiùm diligens videar.*
[d] *quanquam scio, quàm tu sis curiosus.*

Digitized by Google

quoque rerum, quæ [e] domi geruntur, fieri certiores: [f] tamen in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiæ condemnes, quòd hunc laborem alteri delegavi: [g] non quin mihi suavissimum sit & occupato, & ad literas scribendas, ut tu nosti, pigerrimo, [h] tuæ memoriæ dare operam: sed ipsum volumen, quod tibi misi, facilè, ut ego arbitror, me excusat. [i] nescio cujus otii esset, non modò perscribere hæc, sed omninò animadvertere. [k] omnia enim sunt ibi s. c. edicta, fabulæ, rumores. [l] Quod exemplum si fortè minùs te delectarit, ne molestiam tibi [m] cum impensa mea exhibeam, fac me certiorem. Si quid in repub. majus actum erit, quod isti [n] operarii [o] minùs commodè persequi possint: & quemadmodùm actum sit, [p] & quæ existimatio consecuta, quæque de eo spes est, diligenter tibi perscribemus. [q] Ut nunc est, [r] nulla magnoperè expectatio est. nam & illi rumores [s] de comitiis transpadanorum, [t 1] Cumarum tenus caluerunt. Romam cùm venissem, [s] ne tenuissimam quidem auditionem de eâ re accepi. præterea [u] Marcellus quidem adhuc nihil retulit [t] de successione provinciarum Galliarum. [t] in Ka-

INTERPRETATIO.

[e] *Romæ.* [f] *tamen hoc à te peto, ut me arrogantiæ non condemnes, quòd, &c.*
[g] *mihi quidem suavissimum fuisset, quamvis occupato, &c.*
[h] *ea tibi scribere, quæ mei te memorem facerent.*
[i] *nescio, utrùm esset aliquis tam otiosus, ut ea posset non modò, &c.*
[k] *nihil Romæ, præter senatusconsulta, edicta vanos de hoc & illo sermones.*
[l] *quod volumen.*
[m] *cum laboris & chartæ jactura.*
[n] *Librarii*, Secretaires.
[o] *minùs benè colligere possint.*
[p] *& quid eâ de re homines opinentur.*
[q] *quomodo res se nunc habent.*
[r] *nihil admodum magni expectamus.*
[s] *ultra Cumas non progressi sunt.*
[t] *nihil prorsùs eâ de re audivi.*
[u] *Marcellus nihil adhuc in senatu proposuit de successore Cæsari tribuendo.*

NOTÆ.

1. *De comitiis Transpadanorum*] Voluit Cæsar, ut creditum est, haberi comitia, in quibus Transpadanæ Galliæ civitates, quæ tùm Coloniæ duntaxat erant, in municipiorum formam redigerentur, haberentque quatuorviros, qui quidem in municipiis idem erant, quod Romæ Consules, rem hanc attigisse videtur Cicero ep. 2. lib. 5. ad Atticum: *Erat*, inquit, *rumor de Transpadanis, eos jussos quatuorviros creare; quòd si ita est, magnos motus timeo.* Timebat autem, quia postremis hisce Reipublicæ temporibus, municipia suffragii jus Romæ cum civitate habebant; unde permagna Cæsari fieret potentiæ accessio.

2. *Cumarum tenùs*] Urbs erat Campaniæ, in ora littorali, juxta Puteolos, ab Eubœënsibus condita, & à Saracenis excisa: non longè Cumanum erat, villa à Cicerone commemorata, & antrum Cumanæ Sybillæ, quæ & Cumæa à Virgilio dicitur.

3. *De successione Galliarum*] Galliarum administratio Cæsari in quinquennium tradita fuit, ipso Cæsare, & Bibulo Consulibus; eidem pòst prorogata est in aliùd quinquennium, Consulibus Pompeio & Crasso; octavum tunc administrationis suæ annum agebat, quando M. Marcellus, qui tùm erat cum Sulpitio Consul, hostisque Cæsaris acerrimus, decrevit ad Senatum referre, ut Cæsari ante præfinitum tempus succederetur. Consule indicem historicum in Cæsare.

4. *In Kalendas Junias*] Senatusconsul-

Digitized by Google

lend. Jun. ut mihi ipſe dixit, eam diſtulit relationem. [x] ſanè quam eos ſermones repreſſit, [s] qui de eo tùm fuerunt, cùm Romæ nos eſſemus. Tu ſi Pompeium, ut volebas, [y] [6] offendiſti, [a] qui tibi viſus ſit, & quam orationem habuerit tecum, quámque oſtenderit voluntatem, (ſolet enim aliud ſentire, & loqui, neque tamen tantùm valere ingenio, ut non appareat quid cupiat) fac mihi perſcribas. Quod ad Cæſarem attinet, crebri, & non [a] belli de eo rumores, ſed [7] ſuſurrationes duntaxat veniunt. alius, [b] equitem perdidiſſe, [c] quod opinor certè factum: alius, ſeptimam legionem vapulaſſe, ipſum [8] apud Bellovacos circumſideri, intercluſum ab reliquo exercitu. neque adhuc certi quidquam eſt: neque hæc incerta tamen vulgò [d] jactantur, ſed inter paucos, quos tu noſti planè, ſecretò narrantur. at [9] Domitius, [10] cùm manus ad os appoſuit. [e] Te ad IX. Kalend. Jun. [11] ſubroſtrani ([f] quod illorum capiti ſit) diſſiparant periiſſe: ita ut in urbe, ac foro toto maximus rumor fuerit, [g] te à [12] Q. Pompeio Rufo in itinere occiſum. [5] ego, qui ſcirem Q. Pompeium [13] Baulis [14] embæneticam facere, [h] & uſque eò, ut ego miſererer ejus eſuriei, [i] non ſum commotus; &, [k] hoc mendacio, ſi qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur optavi. [15] Plancus quidem tuus [16] Ravennæ

INTERPRETATIO.

[x] *omninò.* [y] *inveniſti.* [6] *qualis.*
[a] *boni.*
[b] *equitatum.*
[c] *quod puto verum eſſe.*
[d] *ſpargunturs.*
[e] *otioſi homines divulgarant te periiſſe.*
[f] *quod malum utinam in illos recidat.*
[g] *ego qui ſciebam Q. Pompeium artem nauticam Baulis exercere.*
[h] *& uſque eò redactum eſſe inopiæ.*
[i] *rumorem hunc neglexi.*
[k] *& optavi, ut omnia pericula, quæ tibi impendere poſſunt, tùm certè effugias, quàm illud effugiſti.*

NOTÆ.

rum de provinciis Conſularibus, non Kal. Juniis, ſed pridie Kal. Octob. referente Marcello, factum eſt.

5. *Qui de eo tùm fuerunt*] Nempè ſermo pervulgatus erat, fore ut Marcellus, ſtatim poſt initam Conſulis dignitatem de ſucceſſore Cæſaris in ſenatu ageret.

6. *Offendiſti*] Tarenti illum offendit.

7. *Suſurrationes*] Incerti ſunt, & paucorum hominum ſermones.

8. *Apud Bellovacos*] Bellovacum urbs Galliæ Belgicæ, *Beauvais*.

9. *Domitius*] L. Domitius Ænobarbus Conſularis, qui Cæſarem penitùs oderat.

10. *Cùm manus*] Multa contra Cæſarem narrat; ſed manu ad os admotâ, ſignificans, hæc in vulgus ſpargenda non eſſe.

11. *Subroſtrani*] Sic vocat infimam & otioſam plebem ſub roſtris verſari ſolitam.

12. *Q. Pompeio Rufo*] Sullæ Dictatoris ex filiâ nepote, qui Tribunus plebis magnos in Republicâ motus pro factione Clodianâ, contra Milonem & Tullium excitavit: poſteà majeſtate aut de vi condemnatus, in exilium pulſus eſt.

13. *Baulis*] Campaniæ locus eſt, inter Miſenum, & lacum Bajanum, ubi Romanis exulibus, per leges licebat eſſe.

14. *Embæneticam*] Ab ἐμβαίνω, id eſt, navem conſcendere, fortè quòd mercaturâ maritimâ, ſibi victum Pompeius Baulis exul quæreret.

15. *Plancus tuus*] Id ironicè dictum: nam Titus Munatius Plancus Burſa, Tribunus plebis cum Q. Pompeio Rufo, populum in Ciceronem Milonis patronum inſtigavit, ſe diem illi dicturum jactitans.

16. *Ravennæ*] Ubi Plancus exulabat. Ravenna aliàs Æmiliæ, nunc Roman-

Digitized by Google

est, & [l] magno [17] congiario donatus à Cæsare, [m] nec beatus, [n] nec benè instructus est. [o] Tui [18] politici libri [p] omnibus vigent. Vale.

INTERPRETATIO.

[l] & magnam à Cæsare pecuniæ summam accepit. [m] nec idcirco locupletior est. [n] immò adhuc eget. [o] tui de Republicâ libri. [p] ab omnibus leguntur.

NOTÆ.

diolæ caput, urbs antiquissima, tribus milliaribus à littore maris distans, anno quippè post diluvium 480. à Thessalis, teste Strabone, vel à Sabinis, teste Plinio, condita est: sita erat in provinciâ Cæsaris.

17. *Congiario*] Congiarium munus erat, quo viri principes populos donare solebant.

18. *Politici*] Quædam duntaxat horum librorum fragmenta ad nos usque pervenerunt.

EPISTOLA II.

Scribit, Messalam ambitûs absolutum fuisse, ejusque defensorem Hortensium à populo scribit sibilis exceptum; quædam breviter adjicit de Republicâ, de suis in Ædilitate competitoribus, &c. Eodem anno.

Cœlius s. d. Ciceroni.

[1] CERTE, inquam, [2] absolutus est. [a] me repræsentante pronuntiatum est, & [b] quidem [3] omnibus ordinibus, sed singulis in unoquoque genere sententiis. [c] Vide modò, inquis: non mehercules: nihil enim unquam tam præter opinionem, tam quod videretur omnibus indignum, accidit. quin ego, cùm pro amicitiâ validissimè favorem [d] ei, & me jam ad dolendum [4] præparassem: postquam factum est, obstupui, & mihi visus sum [e] captus esse. [5] quid alios putas? clamoribus scilicet maximis [g] judices corripuerunt: & ostenderunt [h] planè esse quod fieri non posset. [i] itaque relictus

INTERPRETATIO.

[a] præsente me pronuntiata est sententia.
[b] nec omnes modò genetatim *ordines, sed singuli etiam cujusque ordinis Iudices eum absolverunt.*
[c] jocaris, inquies? certè non jocor.
[d] Messalæ.
[e] postquam absolutus est.
[f] stupore oppressus.
[g] Iudices ipsos accusaverunt.
[h] hanc Messalæ *absolutionem planè intolerabilem esse.*
[i] itaque absolutus contra legem Liciniam.

NOTÆ.

1. *Certè, inquam*] Affirmando Cœlius orditur, ratus vix adductum iri Ciceronem, ut crederet, ambitûs absolutum fuisse Messalam, quem optimè noverat, corruptis pecuniâ suffragiis, ad Consulatum pervenisse.

2. *Absolutus est*] Messala, qui anno urbis conditæ septingentesimo, cum Cneio Domitio Calvino, pet ambitum Consul fuit.

3. *Omnibus ordinibus*] Senatorum, Equitum, Tribunorum ærarii.

4. *Præparassem*] Non dubitans quin foret damnandus.

5. *Quid alios putas*] Quantò magis alios,

Digitized by Google

[6] lege Liciniâ, [7] majore esse periculo videtur. accessit huc, quòd postridie ejus absolutionis [8] in theatrum Curionis [9] Hortensius introiit: puto, [k] ut suum gaudium gauderemus. [l] hîc tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum sibilus. Hoc magis animadversum [m] est, [n] quòd intactus à sibilo pervenerat Hortensius ad senectutem. sed tùm [o] ita benè, [p] ut in totam vitam cuivis satis esset, & pœniteret [q] eum jam [r] vicisse. De repub. quod tibi scribam, nihil habeo. [10] Marcelli impetus resederunt, non inertiâ, sed, ut mihi videbatur, [11] consilio. [s] De comitiis consularibus incertissima est existimatio. [t] Ego incidi in [12] competitorem nobilem, & nobilem agentem: nam M. Octavius, Cn. F. & C. Hirrus mecum petit. hoc ideò scripsi, quòd scio te acriter [13] propter Hirrum nuntium nostrorum comitiorum expectaturum. tu tamen simul ac me designatum audieris, [u] ut tibi curæ sit, [14] quod ad Pantheras attinet, rogo. [x] Syngrapham Sitianam tibi commendo. Commentarium rerum urbanarum primum dedi L. Castrinio Prætor, secundum ei, qui has literas tibi reddet. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *ut ei gratularemur* de causâ Messalæ fœliciter defensâ.

[l] *tùm è populo exsibilatus est tanto strepitu, ut vel tonare Ioven, vel asinos rudere juraſſes.*

[m] *observatum.*

[n] *quòd nunquam Hortensium eâ populus contumeliâ afficerat.*

[o] sibilis exceptus est.

[p] *ut quivis satis haberet, sic semel in totâ vitâ exsibilatum fuisse.*

[q] *Hortensium.*

[r] *causam obtinuisse.*

[s] *incertum est quinam futuri sint Consules.*

[t] *ego duos habeo competitores, quorum unus est nobilis, alter nobilem se fingit.*

[u] *cura ut Pantheras ad me mittas.*

[x] *Fac ut Sitius persolvat mihi pecuniam ex syngraphâ quam mihi dedit*, suivant son obligation.

NOTÆ.

qui Messalam non amant, hæc absolutio attonitos fecit.

6. *Lege Liciniâ*] Quæ cives ambitûs crimine convictos puniri jubebat.

7. *Majore periculo*] Quia futurum erat, ut Messala de corruptis judiciis accusaretur, majore periculo, quàm de ambitu.

8. *Theatrum*] Quod in funere patris sui Curio dedit.

9. *Hortensius*] Quo defendente, incolumis è judicio Messala evaserat.

10. *Resederunt*] Desiit Marcellus Consul agere de successore Cæsari ad Galliam administrandam tribuendo: crediderim tamen falsum hac parte Cœlium: nunquam enim hac in re Marcellus refrixit, ut colligere est ex epist. 5. hujusce libri.

11. *Consilio*] Quia cùm Sulpitium collegam in hac altercatione sibi adversantem haberet, fœlicem rei exitum desperabat.

12. *Competitorem*] In Ædilitate quam petiit, & obtinuit hoc anno Cœlius.

13. *Propter Hirrum*] Qui ausus fuerat nondum Ædilitius Ciceronis Consulatu jam perfuncti, in Auguratu petendo, competitor esse.

14. *Quod ad Pantheras*] Vide epist. 11. lib. 2.

Digitized by Google

EPISTOLA III.

Suam in scribendo sedulitatem prædicat, quamque ægrè careat Ciceronis præsentiâ, testatur; ad varia deinde negotia sermonem convertit. Eodem anno.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

[a] ESTNE? vici, & tibi sæpè, quod negaras discedens curaturum, literas mitto? [b] est, siquidem perferuntur, quas do. atque hoc eò diligentiùs factito, quòd cùm otiosus sum, planè ubi delectem otiolum meum, non habeo. Tu cùm Romæ eras, hoc mihi certum, ac jucundissimum [c] vacanti negotium erat, tecum id otii tempus consumere: [d] idque non mediocriter desidero: ut non modò mihi solus esse, sed Romæ, te profectò, solitudo videatur facta: & qui, quæ mea negligentia est, multos sæpè dies ad te, cùm hîc eras, non accedebam, nunc, quotidie non esse te, ad quem cursitem, discrucior, [e] maximè verò, ut te dies noctesque quæram, [f] competitor Hirrus curat. quo modo illum putas, auguratus tuum competitorem, [g] dolere, & dissimulare [h] me certiorem, quàm se, candidatum? [i] de quo ut, quem optas, quamprimùm nuntium accipias, tua medius fidius magis, quàm mea causa cupio. [k] nam mea, si fio, forsitan cum locupletiore referam: [l] sed hoc usque eò suave est, quod si acciderit, totâ vitâ risus nobis deesse non poterit: [m] sed tanti? sed est mehercule. [n] nec multùm M. Octavius eorum odia, qui Hirrum premunt, quæ permulta sunt, sublevat. quòd [o] ad

INTERPRETATIO.

[a] *ergo-ne verum* id quod dixeras? fore ut tibi non scriberem.

[b] *vides jam non deesse literas, modò ad te perferantur.* [c] *non occupato.*

[d] *tantoque tui desiderio teneor, ut non modò mihi videar esse solus, sed & Roma quoque, postquam profectus es, videatur mihi facta solitudo.*

[e] *maximè verò Hirrus in causa est; quamobrem vehementer cupiam te Romæ esse,* ut ejus in Ædilitate petendâ ineptias unà rideamus.

[f] *qui tuus in* Auguratu *competitor fuit.*

[g] *dolere, quanquam dolorem suum dissimulat.*

[h] *me certiùs, quàm se, Ædilem faciendum.*

[i] *de quo* Hirro, *tuâ magis, quàm meâ causâ cupio, ut quamprimùm accipias* Ædilitatem ei esse denegatam.

[k] *sed si contingat ut eum vincam, erit id ita suave, ut totâ vitâ risus nobis deesse non possit.*

[l] *& licet M. Octavius,* qui dignitatem eamdem petit, populo sit satis odiosus, *populi tamen in Hirrum odia non minuit.*

NOTÆ.

1. *Competitor Hirrus*] Vide superiorem epistolam.

2. *Nam me*] Nam meâ causâ non cupio ut Hirrus repulsam ferat: si enim fio Ædilis, fiam fortasse cum aliquo, qui divitiis Hirrum superet, quod è re meâ non erit; opibus enim certandum erit in sumptu ludorum.

3. *Sed tanti*] At inquies? an ita ridiculè Hirrus se gerit, ut, si repulsam patiatur, perpetuam inde ridendi materiam capiamus? Ita est profectò.

4. *Ad Philotimi*] Cùm Milo ob interfectum Clodium, suorum bonorum publi-

Digitized by Google

Philotimi liberti officium, & bona Milonis attinet: dedimus operam, ut & Philotimus quamhonestissimè Milòni [m] absenti, ejusque necessariis satisfaceret, & secundùm ejus fidem, & sedulitatem æstimatio tua conservaretur. Illud nunc à te peto, si eris (ut spero) otiosus, aliquod ad nos, ut intelligamus nos tibi curæ esse, [n] ζωτάσμα conscribas. [6] Quî tibi istuc, inquis, in mentem venit homini non inepto? aliquid ex tam multis tuis [o] monumentis extare, quod nostræ amicitiæ memoriam posteris quoque prodat, velim. [p] cujusmodi puto quæris. tu aptius, qui omnem nosti disciplinam, quod maximè conveniat, excogitabis, [q] genere tamen, quod & ad nos pertineat, & [r] διδαχαλίαν quandam, ut versetur inter manus, habeat. Vale.

INTERPRETATIO.

[m] Massiliæ *exulanti* [n] *librum.* [o] *scriptis.* [p] *quæres cujus generis librum velim.* [q] *sit tamen ejusmodi, ut à meâ personâ non sit alienus.* [r] *& aliquid doceat; quò frequentiùs legatur.*

NOTÆ.

cationem timeret, curavit Cicero, ut ea Philotimus Terentiæ libertus in auctione emeret, hac lege, ut eadem Miloni posteà restitueret, & Milo vicissim, ad remunerandam Philotimi fidem, & sedulitatem, tantùm ei persolveret, quantùm æstimasset Tullius.

5. *Satisfaceret*] Bona restituendo.

6. *Quî tibi*] Certè non ineptus es, cui hoc in mentem veniat, quique velis meâ industriâ nominis tibi famam quærere.

EPISTOLA IV.

Quid rerum in urbe actum sit, accuratè narrat. Eodem anno.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

INVIDEO tibi: tam multa quotidiè, quæ mirere, [a] istuc perferuntur: primùm illud, [1] absolutum Messalam, [2] deinde eundem condemnatum: [3] C. Marcellum Consulem [b] factum: [4] M. Calidium à [c] repulsâ [5] postulatum

INTERPRETATIO.

[a] *in Ciliciam.* [b] *designatum.* [c] *postquam repulsam passus est, accusatum fuisse à duobus fratribus Gallis.*

NOTÆ.

1. *Absolutum Messalam*] Qui de ambitu postulatus fuerat.

2. *Eumdem condemnatum*] Ob Judices corruptos. Vide epistolam secundam hujus libri.

3. *C. Marcellum*] M. Marcelli, qui jùm erat Consul, fratrem patruelem.

4. *M. Calidium*] Is Orator fuit Tribunatu & Prætura insignis: C. Marcelli in Consulatu competitor repulsam tulit. In vulgatis codicibus perperàm pro M. Calidio, M. Claudius legitur, ut probat Pighius ad annum urbis conditæ septingentesimum tertium.

5. *Postulatum*] Fortè de ambitu.

6. *A*

Digitized by Google

[6] à Galliis duobus : P. Dolabellam [7] xv. virum factum. hoc tibi non invideo caruisse te pulcherrimo spectaculo,& [8] Lentuli Cruris [d] repulsi [9] vultum non vidisse, at quâ spe, quàm certâ opinione [10] descenderat ? quàm ipso diffidente Dolabellâ ? & hercules, nisi [11] nostri equites acutiùs vidissent, penè concedente [f] adversario [g] superasset. Illud te non arbitror miratum, Servium, Tribunum plebis designatum, [12] condemnatum : cujus locum [13] C. Curio petiit. [h] sanequam multis incutit, qui eum, facilitatemque ejus non norunt, [14] magnum metum. sed, ut spero, & volo, & [i] ut se fert ipse, [k] bonos, & senatum malet. [l] totus, ut nunc est, hic scaturit. [m] hujus autem voluntatis initium, & causa est, quòd eum non mediocriter Cæsar, qui solet infimorum hominum amicitias sibi qualibet impensâ adjungere, valdè contempsit. [n] quâ in re mihi videtur illud perquam venustè cecidisse, quod à reliquis usque eò est animadversum : ut Curio, qui nihil consilio facit, ratione, & insidiis usus videretur in evitandis eorum consiliis, qui se intenderant adversarios in ejus tribunatum : [15] Lælios, & Antonios, & id genus [o] valentes dico. Has ego tibi literas eò [p] majore misi intervallo,quòd comitiorum dilationes occupatiorem me habebant, & expectare in dies exitum cogebant : ut, con-

INTERPRETATIO.

[d] *quindecimviratu excluſi.*

[e] *quantum ipſi Dolabellæ timorem incuſſit ?*

[f] *Dolabellâ.*

[g] quindecimviratum *obtinuiſſet.*

[h] *maximum certè metum injicit iis, qui, &c.*

[i] *& ut ipſe declarat.*

[k] *bonos & ſenatum malet*, quàm improbos, & plebem tueri.

[l] *prout nunc eſt, hanc rem omnino deſiderat.*

[m] *ideo vult, & bonos, & Senatores defendere, quod eum, &c.*

[n] *quâ in re illud perquàm venuſtè accidit, quod ab aliis etiam obſervatum eſt, Curionem ſcilicet, qui nihil conſilio facit, conſilium tamen & rationem adhibuiſſe, ut inſidias eorum evitaret, à quibus in Tribunatûs petitione oppugnabatur.*

[o] *potentes* VIROS.

[p] *ideo ſeriùs ad te miſi.*

NOTÆ.

6. *A Galliis*] Sic legendum Corradius putat, non *à Gallis*, quod eo fit verisimilius, quia Calidius ipse ex duobus Gallis fratribus alterum accusaverat, quem defendit Cicero, ut constat ex libro de claris Oratoribus, in quo sunt hæc : *Memini, cùm M. Calidius in accusatione suâ Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque à se esse deprehensum.*

7. *Quindecimvirum*] Quindecim viris mandata erat custodia librorum Sibyllinorum.

8. *Lentuli*] Hunc opinatur Manutius esse Lentulum Crusellum, qui anno sequenti Consul designatus est.

9. *Vultum*] Qui tristis erat ob acceptam in quindecimviratûs petitione repulsam.

10. *Descenderat*] In campum Martium, ubi comitia creandis sacerdotibus fiebant.

11. *Nostri Equites*] Quorum voluntates Dolabellæ ad obtinendum quindecimviratum Cœlius conciliaverat. *Nostri*, quia Cœlius & Cicero equestri loco nati erant.

12. *Condemnatum*] De ambitu, quippe qui largitione ad Tribunitiam dignitatem perveniſſet.

13. *C. Curio*] Consule Procœmium.

14. *Magnum metum*] Ne Rempublicam turbaret ; quod accidit, cum relictis Senatorum partibus, ad Cæsarem transiit.

15. *Lælios & Antonios*] Amicos Cæsaris, cui tùm Curio infensus erat.

Digitized by Google

fectis omnibus, te facerem certiorem. ad Kalend. Sext. usque exspectavi. [q] prætoriis moræ quædam inciderunt. [r] mea porrò quem eventum sint habitura, nescio: [s] opinionem quidem, quod [16] ad Hirrum attinet, incredibilem [17] ædilium pl. comitiis nacta sunt. [t] nam M. Cœlium Vicinianum mentio illa fatua, quam deriseramus olim, & promulgatio [18] de dictatore subitò dejecit, & [u] dejectum magno clamore insecuta est. [x] inde [19] Hirrum cuncti jam, non faciendum, flagitare. spero te celeriter, & de nobis, quod speraſti, & [y] de illo, quod [20] vix sperare ausus es, auditurum. De repub. jam novi quidquam expectare desieramus: sed, cùm senatus habitus esset [z] ad Apollinis ad xi. Kalend. Sext. & referretur [21] de stipendio Cn. Pompeii, mentio facta est de legione eâ, [22] quam expensam tulit [23] C. Cæsari Pompeius, [a 24] quo numero esset, quo appeteretur, cùm ex Galliâ coactus est dicere Pompeius se legionem abducturum, [b] sed non statim sub mentionem, &

INTERPRETATIO.

[q] *Prætoriæ comitiis nescio quid retardavit.*

[r] *Ædilitia.*

[s] *quod ad Hirrum attinet, in comitiis ubi creati sunt Ædiles plebis, omnium fuit opinio, illum Ædilitate Curuli excludendum esse.*

[t] *nam M. Cœlius Vicinianus jam excluſus est, quia* Tribunus plebis *promulgaverat* Pompeium *creandum esse Dictatorem; de quâ stultâ promulgatione ambo risimus.*

[u] *& excluſum magnis clamoribus &* convicis *populus excepit.*

[x] *excluſo Cœlio, cuncti flagitare cœperunt, ut Hirrus non fieret* Ædilis Curulis.

[y] *de Hirro.*

[z] *in Apollinis ade.*

[a] *quot haberet ea milites, & quot habere exigeret.*

[b] *abducturum dixit, ſed non ſtatim poſt mentionem* de eâ legione factam, *& obtrectatorum efflagitationem.*

NOTÆ.

16. *Ad Hirrum*] Cœlii, in Ædilitate petendâ, competitorem.

17. *Ædilium pl.*] Ædiles Romæ ſex omninò fuerunt; duo *plebis*, *Curules* duo, totidem *Cereales*. De his conſule Cantelium noſtrum in Procœmio Valerii Maximi, ubi ſingula, quæ ad Romanos Magiſtratus attinent, apertè ſimul & doctè proſequitur.

18. *De Dictatore*] Domitio & Appio Conſulibus, cùm ingens eſſet candidatorum Conſularium contentio, deſperatâ concordiæ ſpe, ſermo fuit de Pompeio Dictatore creando: hæc autem ſententia authores in primis habuit Vinicianum, & Hirrum, plebis, eo tempore, Tribunos. Dictaturam nihilominùs à Pompeio recuſatam Dio tradit lib. 40.

19. *Inde Hirrum*] Qui cum Viciniano de Dictaturâ Pompeii ſermonem injecerat, plebi ſimul & Senatoribus injucundum; quoniam hæc dignitas habebat omnia regiæ dignitatis tùm inſignia, tùm juſa.

20. *Vix ſperare auſus es*] Non modò Hirrum non eſſe deſignatum, quod ſperaſti, ſed etiam, quod vix ſperare auſus eſſes, turpiſſimè dejectum. Conſule epiſtolam decimam libri ſecundi.

21. *De ſtipendio*] Quod legionibus perſolveret, quas partim habebat in Hiſpaniis, partim Arimini.

22. *Quam expenſam tulit*] Id eſt, quam tradidit: nam *expenſam ferre*, eſt in tabulas referre, quod expenſum, ac datum alicui ſit.

23. *C. Cæſari*] Cæſar, etſi Gallos ſæpè jam vicerat; majora tamen pericula veritus, Pompeium rogavit, ut ex legionibus quas Proconſul habebat, unam aut alteram ad ſe proficiſci juberet; quod utique peractum eſt, necdum enim utriuſque odia eruperant.

24. *Quo numero*] Varius fuit, pro temporum varietate, militum in legione numerus; Cæſaris & Pompeii ætate, nihil

[25] convicium [26] obtrectatorum. Inde interrogatus [27] de ſucceſſione C. Cæſaris: [c] de quâ, hoc eſt de provinciis, placitum eſt, ut quamprimùm ad urbem reverteretur Cn. Pompeius, ut [28] coram eo de ſucceſſione provinciarum ageretur. nam [29] Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus, & ſtatim iit. puto Idib. Sext. de [d] eâ re factum iri. profectò [30] aut tranſigetur aliquid, aut [31] turpiter intercedetur. nam in diſputando conjecit illam [32] vocem Cn. Pompeius, [33] omnes oportere ſenatui dicto audientes eſſe. ego tamen ſic nihil expecto, quo modo [34] Paulum Conſulem deſignatum [35] primum ſententiam [36] dicentem. Sæpiùs te admoneo [37] de ſyngraphâ Sitianâ: cupio enim te intelligere, [e] eam rem ad me valdè pertinere. item [38] de Pantheris, ut [39] Cibyratas accerſas, cureſque mihi [40] ut vehantur. Prætereà nuntiatum nobis, & pro certo jam habetur, [41] Regem Alexandrinum mortuum. [42] quid mihi ſua-

INTERPRETATIO.

[c] *& ut de Galliis ſimul, & aliis provinciis ageretur, placuit ut, &c.*

[d] *de provinciarum ſucceſſione.*

[e] *hanc pecuniam mihi valdè neceſſariam eſſe.*

NOTÆ.

ſuper hoc fixum erat; ideò facta hîc mentio, quot milites ea legio contineret, quam Cæſari Pompeius commodaverat: ex Plutarcho tamen colligitur in eâ fuiſſe peditum ſex millia.

25. *Convicium*] Convicium, prout hîc ſumitur, eſt vehementior ſine intermiſſione poſtulatio.

26. *Obtrectatorum*] Intelligit, niſi ſum falſus, Catonem, Bibulum, Domitium, Cæſaris inimicos, qui Pompeio ob eam cauſam obtrectabant, quòd Cæſari unam ex ſuis legionibus miſiſſet; vehementiúſque contendebant ut eam repeteret.

27. *De ſucceſſione Cæſaris*] Vide epiſtolam primam.

28. *Coram eo*] Quoniam erat cum imperio Pompeius, non licebat ipſi urbem intrare, niſi factâ priùs à Senatu facultate.

29. *Ariminum*] Urbs antiqua juxta Rubiconem fluvium, Galliam à Flaminiâ dividens: à Cæſare primùm occupata, civili bello initium dedit: nunc *Rimini*.

30. *Aut tranſigetur*] Aut fiet ſenatuſconſultum de revocandis iis qui provincias obtinent; idque potiſſimùm, ut Cæſari Gallia adimatur; vel huic decreto intercedent Tribuni plebis Cæſariani; & certè à quatuor poſteà interceſſum eſt.

31. *Turpiter*] Vocem hanc addit Cœlius, ut oſtendat ab optimatum partibus ſtare; verùm anno ſequenti, cùm Ædilis eſſet, ſententiam mutavit.

32. *Vocem*] Ex quâ intellectum eſt, vel revocandum è Galliâ Cæſarem, vel Tribunos plebis interceſſuros.

33. *Omnes*] Ergò & Cæſarem, ſi Senatus ei ſucceſſorem deſtinaſſet.

34. *Paulum*] Conſulem deſignatum. Is eſt Paulus Æmilius, quem Cæſar ingenti pecuniæ ſummâ ſibi conciliavit.

35. *Primum*] Conſules deſignati ſententiam primi rogabantur: eorum autem prior, qui priore loco deſignatus erat.

36. *Dicentem*] Cæſaris auro corruptus, nihil de ſucceſſione provinciarum dixit.

37. *De ſyngraphâ Sitianâ*] De quâ in epiſt. 2.

38. *De Pantheris*] Epiſtolâ undecimâ libri ſecundi.

39. *Cibyratas*] Cibyra Licaoniæ oppidum, cujus incolæ venandi peritiſſimi erant.

40. *Vehantur*] Pantheræ à Cibyratis captæ.

41. *Regem Alexandrinum*] Ptolemæum, quem Gabinius quadriennio antè in regnum reſtituerat. Epiſt. 1. lib. 1.

42. *Quid mihi ſuadeas*] Fortè procurationem hujus regni, permittente Senatu, inire cogitabat.

Digitized by Google

deas, quomodò regnum illud ſeſe habeat, quis procuret, diligenter mihi perſcribas. Kalend. Sext. Vale.

EPISTOLA V.

Ciceronem monet, ut priuſquam Parthi bellum inferant, ſtatuat quid ſibi agendum ſit; timere ſe ne viribus ſit inferior; de provinciarum ſucceſſione nonnihil addit. Huic & ſuperiori Cicero unâ reſpondet epiſtolâ, quæ decima eſt libri ſecundi. Eodem anno.

M. Cœlius s. d. M. Ciceroni.

QUA tu curâ ſis, quòd ad pacem [a] provinciæ tuæ, finitimarumque regionum attinet, neſcio. ego quidem vehementer [b] animi pendeo. [c] nam ſi hoc moderari poſſemus, ut pro viribus copiarum tuarum belli quoque exiſteret magnitudo: & quantum gloriæ, [1] triumphoque opus eſſet, aſſequeremur, periculoſamque, & [2] gravem illam dimicationem evitaremus: nihil tam eſſet optandum. nunc, ſi Parthus movet aliquid, ſcio, non mediocrem fore contentionem. tuus porrò exercitus vix unum ſaltum [3] tueri poteſt. [d] Hanc autem nemo ducit rationem: [e] ſed omnia deſiderantur [4] ab eo, (tanquam nihil denegatum ſit ei, quo minùs quamparatiſſimus eſſet) qui publico negotio præpoſitus eſt. Accedit huc, quòd ſucceſſionem futuram propter Galliarum [5] controverſiam non video. [g] tametſi hac de re puto te conſtitutum, quid facturus eſſes, habere: tamen, quò maturiùs conſtitueres, cùm hunc eventum providebam, viſum eſt ut te facerem certiorem [6] noſti

INTERPRETATIO.

[a] *Cilicia.* [b] *ſum ſollicitus.*

[c] *nam ſi hoc poſſemus efficere, ut Parthicum bellum cum tuis copiis æquaretur.*

[d] *hæc autem nemo conſiderat.*

[e] *ſed ab eo, qui publico negotio præeſt, expectantur omnia, tanquam nihil opis eſſet ei denegatum, quo minùs, &c.*

[f] *præterea non video quomodò tibi ſucceſſor dari poſſit. Propter, &c.*

[g] *licet puto tibi jam eſſe conſtitutum, quem tua provincia, decedens præficere velis.*

NOTÆ.

1. *Triumphoque opus eſſet*] Ad triumphum ſatis erat hoſtium quinque millia unâ acie occidiſſe. Val. Max.

2. *Gravem illam dimicationem*] Si Parthorum omnes copiæ congrediantur.

3. *Tueri poteſt*] Ob militum paucitatem, de quâ ſæpè Tullius queritur.

4. *Ab eo*] Ab Imperatore, aut Proconſule.

5. *Controverſiam*] M. Marcellus Conſul de ſucceſſione provinciarum retulerat eâ mente, ut Cæſari ante expletum decennium, ſucceſſor deſignaretur: ſed divinat Cœlius, id quod accidit, à Tribunis plebis interceſſum iri, ne Cæſari, atque adeò ne cæteris Proconſulibus ſuccederetur: ep. 1. hujus libri. Nolebat autem Tullius Ciliciæ adminiſtrationem ſibi ultra annum prorogari. Vide epiſt. 7. & 8. libri ſecundi.

6. *Noſti enim*] Scis enim uſitatum eſſe, ut Proconſul decedens, Quæſtorem ſuum provinciæ ſuæ præficiat, uſque dum à Senatu ſucceſſor mittatur. Id utique Cicero fecit cum aliis plurimis: nam C. Caſſium M. Craſſus in Syriâ, M. Antonium

Digitized by Google

enim hæc [7] tralatitia. [8] de Galliis conſtituetur: [9] erit, qui intercedat: deinde [10] aliùs exiſtet, qui, niſi liberè liceat de omnibus provinciis decernere ſenatui, reliquas impediat. ſic multum, ac diù [11] ludetur, atque ita diù, ut plus [12] biennium in his [h] tricis [13] moretur. Si quid novi de republicâ, quod tibi ſcriberem, haberem, uſus eſſem meâ conſuetudine, ut diligenter, & quid actum eſſet, & quid ex eo futurum ſperarem, perſcriberem. ſanè tanquam in quodam [14] ſilice jam omnia adhæſerunt. [i] Marcellus idem illud de provinciis [15] urget: ſed neque adhuc frequentem ſenatum efficere potuit. [k] Quòd ſi hoc præterito anno Curio tribunus, & eadem actio de provinciis introibit: [l] quàm facile nunc ſit omnia [16] impedire, & [m] quàm hoc Cæſari, qui, ſuâ causâ, rempublicam non [17] curent, ſuperet, non te fallit. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *impedimentis.*

[i] *Marcellus negotium de provinciarum ſucceſſoribus urget.*

[k] *quòd ſi ſequenti anno Curio fiat Tribunus, & iteràm de provinciarum ſucceſſione agatur.*

[l] *non te fallit, quàm tunc erit facile omnia impedire.*

[m] *& quantùm negotii in hoc ſit habiturus Cæſar, qui ſua potentia causâ, Rempublicam non curat.*

NOTÆ.

Cæſar in Galliâ, & C. Antonium Q. Thermus in Aſiâ eodem hoc tempore Quæſtores ſuos legionibus & provinciis præfecerant.

7. *Tralatitia*] Id eſt uſitata, ſeu uſu tranſlata.

8. *De Galliis conſtituetur*] Fiet decretum generale de ſucceſſoribus in omnes provincias mittendis, ut in eo Galliæ includantur, quas adimere Cæſari volunt Pompeius & Marcellus, &c. Epiſt. 1.

9. *Erit*] Huic decreto intercedent Tribuni plebis, qui favent Cæſari, Galliæ adminiſtrationem retinere cupienti: cùm enim hanc in decennium tùm à populo, tùm à Senatu obtinuerit, nec ſpatium illud finitum adhuc ſit, nunquam adducetur, ut provinciam & arma deponat.

10. *Alius exiſtet*] Tribunus plebis, Pompeianarum partium fautor, qui impediet quominùs de cæteris provinciis ſtatuatur, niſi ſit liberum Senatui de omnibus, non exceptâ Galliâ, decernere.

11. *Ludetur*] Temporis multùm in iis altercationibus conſumetur.

12. *Plus biennium*] Verè conjicit Cœlius; nunquam enim res, niſi bello civili, peracta eſt.

13. *Moretur*] Hîc paſſivè ſumitur.

14. *In quodam ſilice*] Actio illa de ſucceſſione provinciarum, erat ſilex quidam, *un écueil*, in quo ſic adhærebant Senatores, ut ad alterius negotii tractationem progredi non poſſent.

15. *Urget*] Quare falſus eſt Cœlius, quando ſcripſit in 2. ep. Marcelli, ad rem hanc quod attinet, reſediſſe impetus.

16. *Impedire*] Cæſariani enim impedimento erunt, quominùs Cæſari ſuccedatur; Pompeiani viciſſim dabunt operam, ne cæteris provinciis ſucceſſores decernantur.

17. *Curent*] Cenſet Manutius, quia de uno Cæſare ſermo habetur, legendum eſſe, *curet.*

Digitized by Google

EPISTOLA VI.

Scribit Hirrum, in Ædilitate competitorem, depulsum fuisse; de provinciarum successione nihil adhuc confectum significat; Pantheras petit; M. Feridium commendat; addit nonnulla de Favonio, Pompeio, Calidio. Eodem anno, Servio Sulpitio, & M. Marcello Coss. anno u. c. 702.

M. Cœlius s. d. M. Ciceroni.

[a] Sic tu, inquis, [1] Hirrum tractasti? immò, si scias, quàm facile, [2] quàm ne contentionis quidem minimæ fuerit: pudeat te, ausum illum unquam esse incedere tanquam [3] tuum competitorem. post repulsam verò [b] risus facit, [c] civem bonum ludit, & [d] contra Cæsarem [4] sententias dicit: [e] expectationem corripit: [5] Curionem prorsùs non mediocriter [6] objurgatus. [7] hac repulsâ se mutavit. prætereà qui nunquam in foro apparuerit, non multùm in judiciis versatus sit, [f] agit causam liberalis, sed [8] rarò post meridiem. De provinciis quod tibi [9] scripseram Idibus Sextil. actum iri, [10] interpellat judicium Marcelli Consulis designati. [11] in Kal. rejecta causa est. [g] ne frequentiam quidem [12] efficere potuerant. has literas ad IV. Non. Sept. dedi, cùm ad eam diem ne [h] profligatum quidem quidquam esset, ut video, [i] causa hæc integra in proximum annum [13] transferetur: &, quan-

Interpretatio.

[a] *itá-ne, inquies, Hirrum exclusisti?*
[b] *risum movet.*
[c] *civem bonum se fingit.*
[d] *censet succedendum Cæsari.*
[e] *dilationem super hoc reprehendit.*
[f] *ultrò causas recipit.*
[g] *nondum frequentem senatum cogere potuerunt.*
[h] *nihil adhuc quidquam profectum esset.*
[i] *tota hac de successione provinciarum actio.*

Notæ.

1. *Hirrum*] Qui Cœlii in ædilitate Curuli competitor depulsus fuit.

2. *Contentionis minimæ fuerit*] Hirrum dejicere.

3. *Tuum competitorem*] In Auguratu.

4. *Sententias dicit*] Ut videretur à Senatu stare, cui Cæsaris potentia invisa erat.

5. *Curionem*] Hujus objurgationis causam ignoro, cùm eo tempore nondum Cæsari Curio se tradidisset, nisi si fortè dicas id Hirrum ex aliquot indiciis jam suspicatum esse.

6. *Objurgatus*] Antiquo more pro *objurgavi*.

7. *Hac repulsâ*] Ex quo repulsam tulit Hirrus, vitæ rationem mutare visus est, optimique civis partes tueri: hæc autem omnia per jocum à Cœlio dicuntur.

8. *Rarò post meridiem*] Quia pauci patrocinio Hirri utebantur.

9. *Scripseram*] Epistolâ quartâ.

10. *Interpellat*] Impediit Claudii Marcelli Consulis designati judicium, quominùs de successione provinciarum senatusconsultum tunc fieret: quòd si designatus Consul, Cæsaris partibus studere visus est, certè ubi magistratum iniit, ei palàm est adversatus.

11. *In Kalendas*] Septembris; quo tamen die factum non est senatusconsultum, sed pridie Kal. Octob.

12. *Efficere potuerant*] Infrequenti autem senatu fieri senatusconsultum non licebat.

13. *Transferetur*] Hoc falsum, siquidem hoc anno pridie Kal. Oct. factum est hac de re à Senatu decretum; nisi dicamus in eo decreto actum esse duntaxat de provin-

Digitized by Google

tum divino, [14] relinquendus tibi erit, qui provinciam obtineat. [k] nam non expedietur successio: [l] quando Galliæ, quæ habent [15] intercessorem, [16] in eandem conditionem, quam cæteræ provinciæ, vocantur. hoc mihi non est dubium: quò tibi magis scripsi, ut [17] ad hunc eventum te parares. Ferè literis omnibus tibi de pantheris scripsi. turpe tibi erit, [18] Patiscum Curioni decem misisse, [m] te non multis partibus plures: quas ipsas Curio mihi, & alias Africanas decem donavit: ne putes illum tantùm prædia rustica dare scire. Tu, si modò memoriâ tenueris, & [19] Cibyratas accersieris, itemque in [20] Pamphyliam literas miseris, (nam ibi plures capi aiunt) quod voles, efficies. hoc vehementius laboro nunc, quòd [21] seorsùm à [n] collegâ puto mihi [22] omnia paranda. Amabo te, [23] impera tibi: hoc cura: soles libenter, ut ego, [o] majorem partem nihil curare. in hoc negotio nulla tua, nisi loquendi, cura est, hoc est imperandi, & mandandi. nam simul atque erunt captæ, qui alant eas, & deportent, habes eos, [p] quos [24] ad Sitianam syngraphum misi. [q] Puto, etiam si nullam spem mihi literis ostenderis, me istò missurum alios. M. Feridium, [25] equitem Romanum, amici mei filium,

INTERPRETATIO

[k] *nam tibi non designabitur successor.*

[l] *quandoquidem vult Senatus, Galliæ eandem cum cæteris provinciis conditionem subire*; quod fieri non potest, *ob Tribunorum plebis*, qui Cæsari favent, *intercessionem.* [m] *te non multò plures.*

[n] *M. Octavio.*

[o] *ex majore parte res negligere.*

[p] *ii quos misi, ut eo syngraphô Sitianâ pecuniam istic exigant, Pantheras alent, & deportabunt.*

[q] *etiamsi nullam* de Pantheris *mihi spem ostenderes, alios tamen, ut opinor, istò missurum*, qui eas mihi accersirent.

NOTÆ.

ciis Consularibus, nullâ Galliarum hoc anno factâ figillatim mentione, sed in sequentem rejectâ, Consulibus L. Æmilio, & C. Marcello.

14. *Relinquendus*] è Ciliciâ decedens Tullius, suo loco reliquit C. Cœlium Quæstorem suum.

15. *Intercessorem*] Ex Tribunis plebis aliquem, qui nunquam permitteret ut Cæsari successor in Galliam mittatur, ex quo fiet ut neque tibi decernatur, nec cuivis alteri.

16. *In eandem conditionem*] Ut sicut cæterarum provinciarum Rectoribus, ita Cæsari succedatur.

17. *Ad hunc eventum*] Ne successorem, expleto administrationis tuæ anno, sperares, id quod tam vehementer expetis.

18. *Patiscum*] Tibi multò authoritate inferiorem.

19. *Cibyratas*] Vide epistolam quartam.

20. *Pamphyliam*] Regio est Asiæ minoris ad Austrum, & versus oram littoralem maris Mediterranei, seu Pamphylii ab eâ sic dicti; terminatur à Septentrione Pisidiâ, & Lycaoniâ provinciis, nec non paulùm Phrygiâ magnâ; nunc pars est Occidentalis Caramaniæ, & Turcis paret.

21. *Seorsùm*] Atque adeò majore sumptu.

22. *Omnia*] Quæ ad ludos pertinent.

23. *Impera tibi*] Hoc tibi munus impone, ut Pantheras ad me mittas.

24. *Ad Sitianam*] Epist. 4.

25. *Equitem Romanum*] Equites Romani ii tùm dicebantur, quibus à Censoribus, & equus publicus, & annulus aureus datus esset: iis census equestris esse debuit, qui sestertiûm quadringentorum millium erat, insigne fuit tùm annulus aureus, quo à plebe, tùm angustus clavus, quo à Senatoribus discernerentur.

Digitized by Google

bonum, & ſtrenuum adoleſcentem, qui ad ſuum negotium [r] iſtuc venit, tibi commendo: & te rogo, ut eum in tuorum numero habeas. Agros [s] quos fructuarios habent civitates, vult tuo beneficio, quod tibi facilè, & honeſtum factu eſt, immunes eſſe, [t] gratos, & bonos viros tibi obligaris. Nolo te putare [26] Favonium à [27] columnariis [28] præteritum. optimus quiſque eum non fecit. [u] Pompeius tuus apertè, Cæſarem provinciam tenere cum exercitu, & [29] Conſulem eſſe: tamen [30] hanc ſententiam dixit: nullum hoc tempore ſenatuſconſultum faciendum: [31] Scipio hanc, ut Kalend. Mart. de provinciis Galliis, [32] neu quid conjunctim, referretur. contriſtavit hæc ſententia [33] Balbum Cornelium, & ſcio eum conqueſtum eſſe [34] cum Scipione. [35] Calidius [36] in defenſione ſuâ fuit diſertiſſimus, [37] in accuſatione ſatis frigidus. Vale.

INTERPRETATIO.

[r] *in Ciliciam.*
[s] *qui civitatibus annuum vectigal pendunt*
[t] *patrem, & filium.*
[u] *Pompeius tuus apertè improbat conſilium Cæſaris, qui vult provinciam tenere cum exercitu, & Conſulatum petere.*

NOTÆ.

26. *Favonium*] Catonis amicum, & imitatorem. Hic Cæſaris percuſſoribus ſe immiſcuit, & tanquam hujus facinoris particeps, poſt victoriam Philippenſem interfectus eſt.

27. *A columnariis*] Putat Manutius per columnarios hîc intelligi plebem infimam, quæ ad columnam mœniam in judicium ſæpè vocabatur.

28. *Præteritum*] Quomodò præteritus ſeu depulſus eſt in petitione Prætoræ? quem conſtat, ut habet Pighius, hoc anno Prætorem extitiſſe, nempe Conſulibus Sulpicio, & Marcello: ſic igitur explicari poteſt locus ille; Favonium Prætorem fecerunt plebeii homines, & abjecti, non optimi cives, quorum minor eſt numerus.

29. *Et Conſulem eſſe*] Cùm intelligeret Cæſar, id palàm ab adverſariis agi, ut provinciâ ſpoliatus & exercitu, Romam privatus rediret, Senatum rogavit, ſibi ut abſenti fas eſſet conſulatum petere, provinciamque ſimul & exercitum, ex parte ſaltem, retinere, donec Conſul renuntiaretur; initio quidem Pompeius huic aſſenſus eſt petitioni; poſt verò apertè reſtitit.

30. *Hanc ſententiam dixit*] Quâ ſignificavit nondum à Cæſare prorsùs eſſe alienatum.

31. *Scipio*] Pompeii ſocer: author fuit ut de Galliis nominatim in Senatu referretur; quod quidem iniquum erat, & ſui in Cæſarem odii certiſſimum argumentum.

32. *Neu quid conjunctim*] Nec fieret ſermo de Hiſpaniis, quas per legatos Pompeius regebat.

33. *Balbum Cornelium*] Gadibus in Hiſpaniâ natum, Cæſari amiciſſimum.

34. *Cum Scipione*] Cujus hac parte ſententia, & hoc ſaltem anno rejecta eſt: nam uti diximus anteà, factum eſt ſenatuſconſultum pridie Kal. Octob. de provinciis Conſularibus, non verò de Galliis ſeparatim, niſi inſequenti anno.

35. *Calidius*] De quo in epiſt. 4.

36. *In defenſione*] Cùm accuſatus eſt à duobus Galliis. Vide eandem epiſt.

37. *In accuſatione*] Cùm accuſaret Q. Gallium, defendente Cicerone.

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

Agit primùm de privatis quibusdam judiciis, tùm de Reipublicæ statu; postremò de se ipso. Eodem anno.

M. Cœlius s. d. M. Ciceroni.

ETSI de republicâ quæ tibi scribam, habeo: tamen nihil, quo magis gaviſurum te putem, habeo, quàm hoc. scito C. Sempronium Rufum, rufum, [1] mel, ac delicias tuas, [a] calumniam [b] maximo plausu tulisse. quæris, quâ in causâ? M. Tutium, accusatorem suum, post ludos Romanos reum lege Plautiâ [2] de vi fecit, [3] hoc consilio, quòd videbat, [4] si extraordinarius nemo reus accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam. [5] Dubium porrò illi non erat, quid futurum esset. [c] nemini hoc deferre munusculum maluit, quàm suo accusatori. Itaque sine ullo [6] subscriptore descendit, & Tutium reum fecit. at ego, simul atque audivi, [d] invocatus ad subsellia [e] rei accurro; surgo, neque verbum [7] de re facio: totum Sempronium [f] usque eò perago, [g] ut Vestorium quoque interponam, & [h] illam fabulam narrem, quemadmodum tibi pro beneficio dederit, si quid in injuriis suis esset, quod Vestorius teneret. [i] Hæc quoque magna nunc contentio forum tenet. M. Servilius, [k] postquam, ut cœperat, omnibus in rebus turbarat, [l] nec, quod

INTERPRETATIO.

[a] *accusationem falsam excogitasse.*
[b] *omnibus approbantibus.*
[c] Tutium *accusatorem suum accusare maluit, quàm quemlibet alterum.*
[d] *non vocatus.*
[e] *M. Tutii.*
[f] *sic in totâ oratione meâ exugito.*
[g] *ut de Vestorio quoque mentionem faciam.*
[h] *idque in primis ei exprobravi, quemadmodùm tibi beneficii loco promiserit, nihil se Vestorio nacturum, quidquid à Vestorio damni passus esset,* promissis tamen eum non stetisse.
[i] *altera quoque.*
[k] *postquam rem omnem familiarem suam dissipavit.*
[l] *nec habuit quidquam domi, quod non vendiderit.*

NOTÆ.

1. *Mel, ac delicias*] Sic vocamus ea, quibus mirè delectamur.

2. *De vi*] Legem tulit Plotius, ut causæ de vi extra ordinem, ante quamlibet aliam agerentur.

3. *Eo consilio*] C. Sempronius, cùm à M. Tutio accusatus esset, & causam suam eo anno nollet agi, (fortè quòd ex judicibus aliquot sibi tunc infensos haberet) accusavit accusatorem suum lege Plotiâ, de vi, eo consilio, ut interpositâ extraordinariâ causâ, consumeretur annus integer, atque adeò suæ causæ judicium, in annum sequentem necessariò rejiceretur.

4. *Si extraordinarius*] *Extraordinarius reus* dicebatur is, cujus causa non ordine, ut aliæ causæ, sed primo loco, cæteris in aliud tempus rejectis, agitabatur.

5. *Dubium porrò illi non erat*] Intelligebat Sempronius se certò damnatum iri, si cogeretur hoc anno causam suam dicere.

6. *Subscriptor*] Subscriptor is erat, qui accusatori opem ferebat.

7. *De re*] Id est de accusatione quam in Tutium Sempronius per fraudem excogitavit.

Digitized by Google

non venderet, quidquam reliquerat, [m] maximâ nobis traditus erat invidiâ. [n] neque Laterensis Prætor, postulante Pausaniâ, nobis patronis, quò ea pecunia perveniſſet, recipere voluit. [o] quòd Pilius, [8] neceſſarius Attici noſtri, de repetundis [p] eum poſtulavit: [q] magna illicò fama ſurrexit, & de damnatione ſerventer loqui eſt cœptum. [r] quo vento projicitur Appius minor, ut indicet, pecuniam ex bonis paternis perveniſſe ad Servilium, [s] [9] prævaricationiſque causâ diceret [10] depoſitum H-S LXXXI. admiraris [11] amentiam. [12] quid ſi actiones ſtultiſſimas, [13] quid ſi nefarias patris confeſſiones audiſſes? [14] mittit in conſilium eoſdem illos, [15] qui lites æſtimarant, judices: [16] cùm æquo numero ſententiæ fuiſſent, [17] Laterenſis, leges ignorans, pro-

INTERPRETATIO.

[m] *ſe mihi tradidit defendendum, cùm nulli non inviſus eſſet.*

[n] *neque Laterenſis Prætor admittere voluit rogationem Pauſaniæ, qui petebat ut ſibi liceret agere contra eos, ad quos pecunia* Servilio credita *pervenerat.*

[o] *ſtatim atque Pilius, &c.*

[p] *Servilium.*

[q] *magnus illicò rumor fuit, damnatum iri Servilium.*

[r] *quâ famâ incitatus Appius minor, indicavit, &c.*

[s] *dixitque patrem ſuum, Servilio, ut prævaricaretur, tradidiſſe.*

NOTÆ.

8. *Neceſſarius Attici noſtri*] Cujus uxor è Piliorum familiâ fuit.

9. *Prævaricationiſque*] Prævaricari, eſt à munere ſuo deflectere, & alicui contra juſtitiæ leges favere; quod fecit Sempronius; cùm enim de repetundis Appium juſtè accuſaſſet, ejus poſteà pecuniâ corruptus, accuſatione deſtitit; unde factum eſt, ut Appius multorum licet criminum conſcius, abſolveretur.

10. *Depoſitum H-S LXXXI*] Seſtertiûm octogies ſemel, ſubintellige centena millia, *huit cens dix mille livres*, licet hæc ſumma videtur eſſe major quàm ut huic loco conveniat.

11. *Amentiam*] Summa certè fuit in Appio minore, qui palàm indicabat patrem ſuum non potuiſſe, niſi priùs accuſatore corrupto, incolumem è judicio evadere.

12. *Quid ſi actiones*] Quid? ſi dixero, quàm multa contra prudentiam in hac accuſatione geſſerit.

13. *Quid ſi*] Quid? ſi audiſſes Appium apertè fatentem flagitium patris, qui turpi largitione ſalutem ſuam emerat.

14. *Mittit in conſilium*] Eos Judices, qui patrem ſuum abſolverunt, adhibet ad damnandum Servilium; quod ad ſuit inſignis ſtultitiæ in Appio minore argumentum: neque enim damnare Servilium de prævaricatione poſſunt, quin ſuum de abſolutione Appii patris judicium, atque adeò ſeipſos damnare videantur; quare eos judices ut ſuſpectos rejicere debuerat.

15. *Qui lites æſtimarant*] Id eſt, qui Appium de repetundis judicaverant; in cauſis enim repetundarum lites æſtimabantur, ut quantùm à reo damnato eſſet exigendum, cognoſceretur. Quis autem fit ille Appius, quem Servilius accuſaverat, deinde acceptâ pecuniâ, curaverat abſolvendum, haud facile eſt ſtatuere, niſi ſit Appius Pulcher, quem cum Domitio Ænobarbo Conſulem vidimus: is enim Sardiniam, ut Plutarchus habet, avarè adminiſtraverat.

16. *Cùm æquo numero*] Quando par erat utrobique ſententiarum in judicio numerus, reus abſolvebatur, habitâ ſcilicet humanitatis ratione, id quoque Laterenſis ignorabat; Servilium enim abſolutum declaravit, non propter ſententiarum paritatem, quod facere debuerat; ſed quoniam ex tribus ordinibus, duo illum abſolverant, quamvis, ut antè docui, plures aliquando numerarentur in ordine uno ſententiæ, ad damnandum, quàm in aliis duobus, ad abſolvendum.

17. *Laterenſis leges ignorans*] Ut locus

Digitized by Google

nuntiavit quid ſinguli ordines judicaſſent : & ad extremum, [18] ut ſolent, [c 19] Non redigam. Poſtquam diſceſſit, & pro abſoluto Servilius haberi cœptus, [20] legiſque unum & centeſimum caput legit, in quo ita erat : QUOD eorum judicum major pars judicarit, id jus, ratumque eſto : [21] in tabulas [22] abſolutum non retulit, [23] ordinum judicia perſcripſit. [24] poſtulante rursùs Appio, [25] cum L. Lollio tranſegit, & ſe relaturum dixit. ſic nunc neque abſolutus, neque damnatus Servilius, de repetundis, [26] ſaucius Pilio [27] tradetur. nam [28] de divinatione Appius, [29] cùm calumniam juraſſet, [u] contendere auſus non eſt, [x] Pilioque ceſſit : [y] & ipſe de pecuniis repetundis à

INTERPRETATIO.

[z] *abſolvam.* [a] *ſuam hanc accuſationem urgere auſus non eſt.* [x] *ſed hanc totam Pilio ceſſit.* [y] *Appius minor de repetundis accuſatus eſt à Servilii propinquis.*

NOTÆ.

ille, cujus alioqui obſcurior eſt ſenſus, intelligatur, ſic explico. Judices ex tripli ci ut plurimùm ordine ſeligebantur ; Senatorio ſcilicet, Equeſtri, & Tribunitio Ærarii. Contingebat autem non rarò, ut reus ille condemnatus haberetur, quem ordines duo abſolviſſent, & unus tantùm condemnaſſet, quia in judiciis id lege ratum erat, non quod plures ordines, ſed quod plures judices ſtatuiſſent ; at fieri poterat, ut plures in uno ordine judices invenirentur, qui condemnarent, quàm in duobus aliis qui abſolverent : legis hujuſce ignarus Laterenſis Prætor, Servilium abſolutum pronuntiavit, quia ex tribus ordinibus, unus duntaxat eum condemnaverat, abſolverant duo, quamvis par in utramque partem ſententiarum eſſet numerus.

18 *Ut ſolent*] Prætores, poſtquam pronuntiarunt quid judices ſenſerint.

19. *Non redigam*] Quid hæc verba ſignicent, non conſtat ; tamen ex orationis ſerie conjicitur abſolutionis eſſe formulam.

20. *Legiſque*] Quæ nimirum ad judicia pertinet.

21. *In tabulas*] In quas reorum abſolutiones, & damnationes referebantur.

22. *Abſolutum non retulit*] Laterenſis, lecto legis capite 101. intellexit, in judiciis numerandas eſſe judicum ſententias, omiſsâ ordinum mentione, & cùm in Servilii abſolutione ordinum rationem habuiſſet, agnovit inſcitiam ſuam, & Servilium in tabulas abſolutum non retulit ; ſed hîc quoque errore lapſus eſt, dùm putavit abſolvi non poſſe Servilium, quia Judicum major pars ei non faviſſet, cùm par ſententiarum numerus ad abſolvendum eſſet ſatis.

23. *Ordinum judicia perſcripſit*] Prætor incertus animi quid faceret, cùm neque vellet ejurare quod pronuntiaverat, nec contra legem quidquam committere, Servilium neque abſolutum, neque damnatum in tabulas retulit, contentus in iis ſcribere, quid ſinguli ordines judicaſſent.

24. *Poſtulante rursùs*] Appio rursùm accuſante Servilium de repetundis, quem anteà de prævaricatione poſtulaverat.

25. *Cum L. Lollio*] Lollio, Servilii fortè amico, promiſit Laterenſis ſe relaturum in tabulas Servilium ut abſolutum de crimine prævàricationis.

26. *Saucius*] Quia hucuſque neque damnatus, neque abſolutus, ſed multis infamiæ maculis, in ſuperiori prævaricationis judicio notatus, facilius poſteà damnari poterat.

27. *Tradetur*] Servilius tradetur Pilio, ut repetundarum ab eo accuſetur.

28. *Nam de divinatione*] Nam cùm ageretur, utrùm Appius an Pilius Servilium de repetundis poſtularet : *divinatio* enim dicebatur oratio, in quâ de accuſatore deligendo diſputabatur.

29. *Cùm calumniam*] Et Appius jure-

Serviliis est postulatus, & prætereà de vi reus [30] à quodam suo emissario est factus, [31] rectè hoc par habet. Quod ad rempublicam pertinet, omninò multis diebus, [32] expectatione Galliarum actum nihil est. aliquando tamen, re sæpè relatâ, & graviter actâ, & planè perspectâ [33] Cn. Pompeii voluntate in eam partem, ut [2] eum decedere post Kalendas Mart. placeret, senatusconsultum quod tibi misi, factum est, [34] auctoritatesque perscriptæ. [35] Senatusconsulti auctoritas. Pridie Kalend. Octob. in æde Apollinis. scribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus. Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio. L. Ateius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. [37] Quod M. Marcellus cos. [38] V. F. de provinciis consularibus: [39] D. E. R. I. C. uti [40] L. Paulus, [41] C. Marcellus coss. cùm magistratum [42] iniissent, ad Kalendas Mart. quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, néve quid priùs ex Kalendis Mart. [43] néve quid conjunctim de eâ re referretur à consulibus: [44] utique ejus rei causâ [45] per dies comitiales se

INTERPRETATIO.

[2] *Cæsarem.*

NOTÆ.

jurando affirmaret velle se Servilii accusatorem esse.

30. *A quodam*] A quodam ex iis quos ad accusandum alios, subornabat.

31. *Rectè hoc par habet*] Appius minor, & emissarius ille à quo in judicium vocatur, sunt duo egregii adversarii, id est, sunt ambo homines nequam.

32. *Expectatione Galliarum*] Cæteris omissis, unum id agitabat Senatus, utrùm è Galliis revocandus Cæsar esset.

33. *Cneii Pompeii*] Qui cùm paulò antè Marco Marcello contra Cæsarem agenti restitisset, cum eodem nunc consentiebat de successore Cæsari decernendo.

34. *Auctoritatesque perscriptæ*] Id est nomina Senatorum, qui præsentes adfuerunt, cùm senatusconsultum factum est.

35. *Senatusconsulti auctoritas*] Id est, hæc sunt nomina eorum, quorum authoritate, senatusconsultum de provinciis Consularibus factum est.

36. *Scribendo affuerunt*] Hæc fuit solemnis formula, quam præmittebant senatusconsultis, quâ declaratur ex sequentium Senatorum consensu, factum esse senatusconsultum; quasi uti dicat: Præsentis senatusconsulti testes & approbatores fuêre qui sequuntur.

37. *Quòd M. Marcellus*] Hæc verba sunt initium senatusconsulti, quod referente M. Marcello conscriptum est. nulla fit Sulpitii collegæ mentio, quia belli civilis metu, Cæsari, ante præfinitum legetempus, succedendum non putabat.

38. *V. F.*] Id est, verba fecit, seu retulit.

39. *D. E. R. I. C.*] Sic interpretare: de eâ re ita censuerunt.

40. *L. Paulus*] Initio Consulatûs, multa dixit contra Cæsarem; sed ingenti pecuniæ delinitus summâ, conticuit.

41. *C. Marcellus*] Vide superiorem epistolam.

42. *Iniissent*] Mos erat ut Kalendis Januariis inirent.

43. *Néve quid conjunctim*] Et ne quid aliud conjunctim cum provinciarum causâ Consules proponerent, ut citiùs ad eximum perduceretur.

44. *Utique*] Antiqua locutio, pro *atque ut.*

45. *Per dies Comitiales*] Per quos senatum habere vetitum erat.

Digitized by Google

natum haberent, [a] S. Q. C. facerent: & [b] cùm de eâ re ad ſenatum referretur à Conſulibus, [46] qui eorum [47] in CCC. judicibus eſſent, [48] ſex abducere liceret: ſi quid de eâ re [49] ad populum, plebemve lato opus eſſet, ut Ser. Sulpitius, M. Marcellus Coſ. Prætor. Trib. Pl. [50] quibus eorum videretur, ad populum, plebemve ferrent: [51] quod ii non tuliſſent, uti quicunque deinceps eſſent, ad populum, plebemve ferrent.

[52] I. V. Pridie Kalend. Octob. in æde Apollinis. [53] ſcribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pomp. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Ateius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus Coſ. V. F. de provinciis: D. E. R. I. C. ſenatum exiſtimare, neminem eorum, [54] qui poteſtatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quo minùs de republicâ [55] quamprimùm ad ſenatum referri, [56] S. Q. C. fieri poſſit: qui impedierit, eum ſenatum exiſtimare contra rempublicam feciſſe: ſi quis huic S. C. interceſſerit: ſenatui placere, [57] auctoritatem perſcribi, & [58] de eâ re

INTERPRETATIO.

[a] *& ſenatuſconſultum.* [b] *& ſtatim atque de provinciis Conſularibus ab utroque Conſule relatum erit.*

NOTÆ.

46. *Qui eorum*] Ex trecentis Senatoribus, qui ſunt cauſarum judices, ſi qui judiciis eo tempore occupati ſunt, licebit eos ab judiciis in ſenatum abducere; ne numerus deſit, ſenatuſconſulto faciendo neceſſarius.

47. *In trecentis*] Mirum trecentos hîc tantùm ordinis Senatorii Judices recenſeri, cùm trecenti ſexaginta electi à Pompeio tertium Conſule, tùm judicarent; niſi fortè maluit ut aliis in locis perfectum numerum quàm imperfectum appellare.

48. *Sex*] Malim cum Manutio legere *eos*, adeò ut ſit ſenſus; Senatores omnes à quolibet alio negotio, ad illud unum de provinciis Conſularibus abducendos eſſe.

49. *Ad populum, plebemve*] Per populum, ut opinor, intelligit Patricios plebeii generis, quibus non erat opum ſatis, ut Senatores eſſent, vel Equites: per plebem verò, vulgus infimum: ad plebem tantùm referebat Tribunus plebis, quia non niſi plebem convocandi jus ipſi erat: ad populum verò Conſules, & Prætores, quibus utique licebat cives omnes edicto convocare.

50. *Quibus eorum*] Quicumque eorum vellent ad populum plebemve referre.

51. *Quod ii*] Quòd ſi Ser. Sulpitius, & M. Marcellus id populo, plebique non propoſuiſſent; decretum eſt, uti L. Paulus Æmilius, & C. Claudius Marcellus deſignati in ſequentem annum Conſules id facerent.

52. *I. V.*] Quid hæ duæ litteræ ſignificent, mihi planè obſcurum eſt: ad rei porrò intelligentiam non multùm, ut videtur, conferunt.

53. *Scribendo affuerunt*] Vide ſuperiora ejuſdem epiſtolæ.

54. *Qui poteſtatem habent*] Tribunos plebis potiſſimùm indicat.

55. *Quamprimùm*] Poſt Kalendas Martias.

56. *Senatuſque conſultum fieri*] A Conſulibus anni ſequentis de ſucceſſione provinciarum.

57. *Authoritatem*] Id eſt ſententiam Senatûs: quando ſenatuſconſultum interceſſione prohibebant Tribuni plebis, vocabatur authoritas, non ſenatuſconſultum. Conſule epiſt. 2. libri 1.

58. *De eâ re*] De Tribunorum ſcilicet interceſſione, *touchant l'oppoſition des Tribuns.*

Digitized by Google

Serviliis est postulatus, & prætereà de vi reus [30] à quodam suo emissario est factus, [31] rectè hoc par habet. Quod ad rempublicam pertinet, omninò multis diebus, [32] expectatione Galliarum actum nihil est. aliquando tamen, re sæpè relatâ, & graviter actâ, & planè perspectâ [33] Cn. Pompeii voluntate in eam partem, ut [2] eum decedere post Kalendas Mart. placeret, senatusconsultum quod tibi misi, factum est, [34] auctoritatesque perscriptæ. [35] Senatusconsulti auctoritas. Pridie Kalend. Octob. in æde Apollinis. scribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus. Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio. L. Ateius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. [37] Quod M. Marcellus cos. [38] V. F. de provinciis consularibus: [39] D. E. R. I. C. uti [40] L. Paulus, [41] C. Marcellus coss. cùm magistratum [42] iniissent, ad Kalendas Mart. quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, néve quid priùs ex Kalendis Mart. [43] néve quid conjunctim de eâ re referretur à consulibus: [44] utique ejus rei causâ [45] per dies comitiales se-

INTERPRETATIO.

[2] *Cæsarem.*

NOTÆ.

jurando affirmaret velle se Servilii accusatorem esse.

30. *A quodam*] A quodam ex iis quos ad accusandum alios, subornabat.

31. *Rectè hoc par habet*] Appius minor, & emissarius ille à quo in judicium vocatur, sunt duo egregii adversarii, id est, sunt ambo homines nequam.

32. *Expectatione Galliarum*] Cæteris omissis, unum id agitabat Senatus, utrùm è Galliis revocandus Cæsar esset.

33. *Cneii Pompeii*] Qui cùm paulò antè Marco Marcello contra Cæsarem agenti restitisset, cum eodem nunc consentiebat de successore Cæsari decernendo.

34. *Auctoritatesque perscriptæ*] Id est nomina Senatorum, qui præsentes adfuerunt, cùm senatusconsultum factum est.

35. *Senatusconsulti auctoritas*] Id est, hæc sunt nomina eorum, quorum authoritate, senatusconsultum de provinciis Consularibus factum est.

36. *Scribendo affuerunt*] Hæc fuit solemnis formula, quam præmittebant senatusconsultis, quâ declaratur ex sequentium Senatorum consensu, factum esse senatusconsultum; quasi uti dicat: Præsentis senatusconsulti testes & approbatores fuêre qui sequuntur.

37. *Quòd M. Marcellus*] Hæc verba sunt initium senatusconsulti, quod referente M. Marcello conscriptum est. nulla fit Sulpitii collegæ mentio, quia belli civilis metu, Cæsari, ante præfinitum lege tempus, succedendum non putabat.

38. *V. F.*] Id est, verba fecit, seu retulit.

39. *D. E. R. I. C.*] Sic interpretare: de eâ re ita censuerunt.

40. *L. Paulus*] Initio Consulatûs, multa dixit contra Cæsarem; sed ingenti pecuniæ delinitus summâ, conticuit.

41. *C. Marcellus*] Vide superiorem epistolam.

42. *Iniissent*] Mos erat ut Kalendis Januariis inirent.

43. *Néve quid conjunctim*] Et ne quid aliud conjunctim cum provinciarum causâ Consules proponerent, ut citiùs ad eximm perduceretur.

44. *Utique*] Antiqua locutio, pro *atque ut.*

45. *Per dies Comitiales*] Per quos senatum habere vetitum erat.

Digitized by Google

natum haberent, [a] S. Q. C. facerent: & [b] cùm de eâ re ad ſenatum referretur à Conſulibus, [46] qui eorum [47] in CCC. judicibus eſſent, [48] ſex abducere liceret: ſi quid de eâ re [49] ad populum, plebemve lato opus eſſet, ut Ser. Sulpitius, M. Marcellus Coſ. Prætor. Trib. Pl. [50] quibus eorum videretur, ad populum, plebemve ferrent: [51] quod ii non tuliſſent, uti quicunque deinceps eſſent, ad populum, plebemve ferrent.

[52] I. V. Pridie Kalend. Octob. in æde Apollinis. [53] ſcribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pomp. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Ateius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus Coſ. V. F. de provinciis: D. E. R. I. C. ſenatum exiſtimare, neminem eorum, [54] qui poteſtatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quo minùs de republicâ [55] quamprimùm ad ſenatum referri, [56] S. Q. C. fieri poſſit: qui impedierit, eum ſenatum exiſtimare contra rempublicam feciſſe: ſi quis huic S. C. interceſſerit: ſenatui placere, [57] auctoritatem perſcribi, & [58] de eâ re

INTERPRETATIO.

[a] *& ſenatuſconſultum.* [b] *& ſtatim atque de provinciis Conſularibus ab utroque Conſule relatum erit.*

NOTÆ.

46. *Qui eorum*] Ex trecentis Senatoribus, qui ſunt cauſarum judices, ſi qui judiciis eo tempore occupati ſunt, licebit eos ab judiciis in ſenatum abducere; ne numerus deſit, ſenatuſconſulto faciendo neceſſarius.

47. *In trecentis*] Mirum trecentos hîc tantùm ordinis Senatorii Judices recenſeri, cùm trecenti ſexaginta electi à Pompeio tertium Conſule, tùm judicarent; niſi fortè maluit ut aliis in locis perfectum numerum quàm imperfectum appellare.

48. *Sex*] Malim cum Manutio legere *eos*, adeò ut ſit ſenſus; Senatores omnes à quolibet alio negotio, ad illud unum de provinciis Conſularibus abducendos eſſe.

49. *Ad populum, plebemve*] Per populum, ut opinor, intelligit Patricios plebeii generis, quibus non erat opum ſatis, ut Senatores eſſent, vel Equites: per plebem verò, vulgus infimum: ad plebem tantùm referebat Tribunus plebis, quia non niſi plebem convocandi jus ipſi erat: ad populum verò Conſules, & Prætores, quibus utique licebat cives omnes edicto convocare.

50. *Quibus eorum*] Quicumque eorum vellent ad populum plebemve referre.

51. *Quod ii*] Quòd ſi Ser. Sulpitius, & M. Marcellus id populo, plebique non propoſuiſſent; decretum eſt, uti L. Paulus Æmilius, & C. Claudius Marcellus deſignati in ſequentem annum Conſules id facerent.

52. *I. V.*] Quid hæ duæ litteræ ſignificent, mihi planè obſcurum eſt: ad rei porrò intelligentiam non multùm, ut videtur, conferunt.

53. *Scribendo affuerunt*] Vide ſuperiora ejuſdem epiſtolæ.

54. *Qui poteſtatem habent*] Tribunos plebis potiſſimùm indicat.

55. *Quamprimùm*] Poſt Kalendas Martias.

56. *Senatuſque conſultum fieri*] A Conſulibus anni ſequentis de ſucceſſione provinciarum.

57. *Authoritatem*] Id eſt ſententiam Senatûs: quando ſenatuſconſultum interceſſione prohibebant Tribuni plebis, vocabatur authoritas, non ſenatuſconſultum. Conſule epiſt. 2. libri 1.

58. *De eâ re*] De Tribunorum ſcilicet interceſſione, *touchant l'oppoſition des Tribuns.*

Digitized by Google

ad senatum, populumque [59] referri. [60] Huic senatusconsulto interfuit [61] C. Cœlius, L. Vicinius, P. Cornelius, C. Vibius Pansa. [62] Item senatui placere, de militibus, qui in exercitu C. Cæsaris sunt, qui eorum stipendia emerita, causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, causæque cognoscantur. si quis huic senatusconsulto interfuerit: senatui placere, [63] auctoritatem perscribi, & de eâ re ad senatum, populumque referri. Huic senatusconsulto interfuit C. Cœlius, C. Pansa Trib. pleb. Itémque senatui placere, [64] in Ciliciam provinciam, [65] inque octo reliquas provincias, quas Prætorii [66] pro Prætore obtinerent, [67] eos, qui Prætores fuerunt, neque in provinciâ cum imperio fuerunt, [68] quos eorum ex senatusconsulto cum imperio in provincias pro Prætore mitti oportere, eos sortitò in provincias mitti placere: si [69] ex eo numero, quos S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur: [70] tùm,

NOTÆ.

59. *Referri*] A Consulibus, Prætoribus, & cæteris, quibus id visum esset.

60. *Huic senatusconsulto*] Duæ fuerunt, ut conjicio, ejusdem senatusconsulti partes, quas iidem Senatores, uti vidimus, comprobarunt. Primâ quidem statutum est, ut insequenti anno de provinciis Consularibus universè ageretur: secundâ verò constitutum, ut ejusdem sequentis anni Consules de successione provinciarum decernerent. De primo senatusconsulto, seu primi senatusconsulti parte, non admodùm laborarunt Tribuni plebis, Cæsaris amici; quia nihil ex eâ damni Cæsar pati videbatur; alteram prohibuerunt, quâ scilicet videbant dignitatem Cæsaris, & authoritatem oppugnari, eique Galliarum administrationem adimi.

61. *C. Cœlius, &c.*] Hi quatuor Tribunatum hoc anno gerebant, Coss. Servio Sulpitio, & M. Marcello.

62. *Item*] Quòd si ex Cæsaris militibus aliqui veterani sunt & emeriti, dimissionemque suam aliquâ de causâ obtinere debent; Senatui placere, ut res illa suo ordini proponatur; id autem fiebat, ut Cæsaris imminueretur exercitus.

63. *Authoritatem perscribi*] Vide paulò superiora ejusdem epistolæ.

64. *In Ciliciam provinciam*] Quæ tùm Consularis erat; hanc siquidem regebat Cicero, vir Consulatu perfunctus; sed eo consilio Prætoriam Senatores voluerunt esse, ut duæ tantùm supererent Consulares, quibus succedi posset; Syria scilicet, & Gallia ulterior; nam citerior Prætori pòst tradita fuit; Hispanias verò in quinquennium jam antè Pompeius obtinuerat; quare Gallia ulterior Lucio Domitio, Scipioni autem Pompeii socero Syria obvenit; id quoque factum est ut Cæsar è Galliâ necessariò revocaretur: cum enim duæ tantùm provinciæ Consulares restarent, duoque viri Consulares provinciis Consularibus essent donandi, necesse erat ut alterutri contingeret Gallia, atque adeò ut Cæsari auferretur, sed huic quoque decreto Tribuni plebis obstiterunt.

65. *Inque octo reliquas provincias*] Quæ Prætoriæ erant. hæ nominantur ab authoribus: Macedonia, Ionia, Asia, Sicilia, Sardinia, Bithynia, Creta, & Mauritania, cujus una pars Jubæ, altera Romanis parebat.

66. *Pro Prætore*] Cum authoritate Prætoris.

67. *Eos qui Prætores*] Placere Senatui, ut ii qui Prætores jamdudum fuerant, necdum provincias administraverant, in eas sortitò mitterentur.

68. *Quos eorum*] Mitterentur, inquam, ii, quos ex senatusconsulto mitti oportebat cum authoritate Prætoris.

69. *Si ex eo numero*] Quòd si numerus eorum Prætorum, qui senatusconsulto mittebantur, provinciarum numerum non æquabat.

70. *Tùm uti*] Tùm decretum est, uti ex collegio eorum, qui proximè post primos, Præturam exercuerant, necdum in

Digitized by Google

uti quodque collegium primum Prætorum fuisset, neque in provincias profecti essent, ita forte in provincias proficiscerentur: si [71] ad numerum ii non essent: tunc deinceps proximi cujusque collegii, qui Prætores fuissent, neque in provincias profecti essent, [72] in sortem conjicerentur, quoad [73] is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret: si quis huic senatusconsulto intercessisset, [74] auctoritas perscriberetur. Huic S. C. intercessit C. Cœlius, C. Pansa Tribunus plebis. [75] Illa prætereà Cn. Pompeii sunt animadversa, quæ maximè confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret, se [76] ante Kalendas Mart. non posse sine injuriâ de provinciis Cæsaris statuere, post Kalendas Mart. se non dubitaturum. [77] Cùm interrogaretur, si qui tùm intercederent, [78] dixit, hoc nihil interesse, utrùm Cæsar senatui dicto audiens futurus non esset, an pararet, qui senatum decernere non pateretur. [79] Quid si, inquit alius, & Consul esse, & exercitum habere volet? [80] at ille, quàm clementer: [81] quid, si filius meus fustem mihi impingere volet? [82] his vocibus, ut existimarent homines Pompeio cum Cæsare esse negotium, effecit. Itaque jam, ut video, alterutram ad conditionem descendere vult Cæsar: [83] ut aut maneat, neque hoc anno [84] sui

NOTÆ.

provincias cum imperio discesserant, in eas sorte proficiscerentur.

71. *Si ad numerum*] Quòd si ii quoque ad numerum explendum non sufficerent.

72. *In sortem conjicerentur*] Sortirentur provincias. De provinciarum sortitione vide indicem.

73. *Is numerus*] Novem, qui octo provincias Prætorias regerent, & Ciliciam, quæ quidem hoc anno Consularis erat, sed inter Prætorias pòst annumeranda.

74. *Auctoritas*] Id est Senatorum sententia descripta conservaretur.

75. *Illa prætereà*] Hæc deinde verba quæ pronuntiavit Pompeius, se nimirùm non posse sine injuriâ de successione Galliarum ante Kalendas Martias statuere; post Kalendas autem Martias, se non dubitaturum de iisdem decernere; hæc, inquam, verba adduxerunt homines, ut crederent, deliberatum esse Pompeio, Cæsaris frangere potentiam, quam ipse anteà confirmaverat, quando tertiùm Consul contendit, ut Cæsar vel absens Consulatum petere posset, quanquam hoc legibus vetitum erat.

76. *Ante Kalendas Martias*] Quo die, sequentis anni Consules de provinciis Consularibus referre debebant. Observa istud fuisse Senatûs consilium, unde Galliâ donatus & Syriâ fieret mentio, quoniam Hispanias Pompeio quavis ratione conservatas esse volebant: id quod Cæsarem in primis offendit.

77. *Cùm interrogaretur*] Cùm interrogaretur Pompeius, quid tùm sentiret, si huic decreto intercederetur, *si on s'opposoit à ce decret du Senat.*

78. *Dixit*] Respondit, nihil differre utrùm Cæsar senatusconsulto non obediret, an paratos haberet homines, qui hoc senatusconsultum impedirent; quibus verbis innuit, Cæsarem Reipublicæ hostem judicandum, si quis Tribunus plebis huic decreto Senatûs, de successione Galliarum, intercederet.

79. *Quid si*] Si verò, inquit alter, Pompeium interrogans, si Cæsar vult esse Consul; & simul exercitum retinere.

80. *At ille*] Tùm Pompeius leniter respondens.

81. *Quid, si filius meus*] Hoc tam horrendum esset, ait, ac si filius meus fustem mihi vellet impingere.

82. *His vocibus*] His verbis Pompeius effecit, ut existimarent homines cum Cæsari fore contrarium.

83. *Aut ut maneat*] Cum exercitu in Galliâ etiam extra decennium ipsi lege præfinitum.

84. *Sui*] Absentis.

Digitized by Google

85 ratio habeatur: aut, si 86 designari poterit, 87 decedat. 88 Curio se 89 contra eum totum parat. quid assequi possit, nescio. 90 Illud video, benè sentientem, etsi nihil effecerit, cadere non posse. Me tractat liberaliter, & mihi 91 suo munere negotium imposuit: nam si mihi non dedisset eas, quas ad ludos ei advectæ erant Africanæ, 92 potuit supersederi. nunc, quando dare necesse est, velim tibi curæ sit, quod à te semper petii, ut aliquid istinc 93 bestiarum habeamus: Sitianamque 94 syngraphan tibi commendo. libertum Philonem istuc misi, & Diogenem Græcum, quibus mandata, & literas ad te dedi. eos tibi, 95 & rem, de quâ misi, velim curæ habeas. nam, quàm vehementer ad me pertineat, in iis quas tibi illi reddent literis descripsi. Vale.

NOTÆ.

85. *Ratio habeatur*] In petitione Consulatûs.

86. *Si designari poterit*] Consul, etiamsi Româ absit.

87. *Decedat*] è Galliâ; utramvis conditionem Senatores admitterent, imperium sibi reservabat Cæsar, vel enim in Galliis cum exercitu, vel Romæ Consul remanebat: neque unquam adduci potuit, ut Romam privatus rediret, veritus (id quod ejus inimici sæpè minati erant) ne ob res contra jus actas, in judicium vocatus, opprimeretur.

88. *Curio*] Tribunus plebis designatus, Reipublicæ tùm studiosus, Cæsaris posteà acerrimus defensor. Consule indicem historicum in Curione.

89. *Contra eum*] Contra Cæsarem.

90. *Illud video*] Et si contingeret ut nihil noceret Cæsari, video tamen in suo semper statu permansurum, quia Reipublicæ partes tuetur.

91. *Suo munere*] Quia mihi dono dedit bestias ex Africâ illi advectas, ideò nunc cogor ludos exhibere.

92. *Potuit*] Potueram ludos Ædilitios non dare.

93. *Bestiarum*] De Pantheris loquitur, quas jam sæpiùs ab ipso petierat.

94. *Syngraphan*] Vide epist. 2.

95. *Et rem*] Et pecuniam à Sitio exigendam.

EPISTOLA VIII.

Scribit ea quæ de Parthico bello fama Romam pertulerat, & de successione provinciarum quid à Consulibus statuendum existimet; tùm addit de agri campani divisione, de Ciceronis decessu, &c. Eodem anno.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

1 SANE quam literis 1 C. Cassii, & Dejotari sumus commoti. nam Cassius, cis 2 Euphratem copias Parthorum esse, scripsit: 3 Dejotarus

INTERPRETATIO.

2 *profectò.*

NOTÆ.

1. *C. Cassii*] Post interfectum Crassum, cujus Quæstor erat, reliquias exercitûs reduxit in Syriam, ibique contra Parthos rem optimè gessit.

2. *Cis Euphratem*] Romani imperii ab Oriente terminum.

3. *Dejotarus*] Qui Galatiæ Rex à Senatu, Pompeii operâ, factus, amicitiam populi

profectas [4] per Commagenem [5] in provinciam noſtram. [b] ego quidem præcipuum metum, quod ad te attinebat, habui, [c] qui ſcirem quàm paratus ab exercitu eſſes, [d] ne quod hic tumultus dignitati tuæ periculum afferret. [e] nam de vitâ, ſi paratior ab exercitu eſſes, [6] timuiſſem. nunc hæc exiguitas copiarum, [f] receſſum, non dimicationem mihi tuam præſagiebat. hoc quo modo acciperent homines, [g] quàm probabilis neceſſitas futura eſſet, vereor etiam nunc, neque priùs deſinam formidare, quàm tetigiſſe te Italiam audiero. Sed de Parthorum tranſitu nuntii varios ſermones excitarunt. alius enim, Pompeium [7] mittendum: alius, ab urbe non [8] removendum: alius, [9] Cæſarem cum ſuo exercitu: alius, conſules: [10] nemo tamen ex ſenatuſconſulto privatos. Conſules autem, [h] quia verentur ne illud ſenatuſconſultum fiat, [11] ut paludati exeant, & contumeliosè præter eos [12] ad alium res transferatur, omninò ſenatum [i] haberi nolunt, [k] uſque eò ut parùm diligentes in republicâ videantur. [l] [13] ſed honeſtè, [14] ſive negligentia, ſive inertia eſt,

INTERPRETATIO.

[b] *ego quidem tui potiſſimùm causâ timui.*

[c] *quia ſciebam exiguas tibi copias eſſe.*

[d] verebar in primis ne Parthicus *hic tumultus tuæ dignitati famæve noceret.*

[e] *nam ad ſalutem tuam quod attinet, magis timuiſſem, ſi fortiorem habuiſſes exercitum.*

[f] *ſpem mihi faciebat, fore ut non dimicares, ſed recederes*, que vous feriez retraite.

[g] *& utrùm perſuaderi poſſet hominibus, te neceſſitate compulſum fuiſſe, ut redires.*

[h] *quia verentur ne ſenatuſconſultum fiat, quo non ſibi, ſed aliis paludamentum, atque adeò Parthici belli cura tribuatur, quod ſanè ipſis injurioſum eſſet.*

[i] *convocari.*

[k] *adeò ut parùm de Republicâ laborare videantur.*

[l] *quidquid ſit, fingunt ſe nolle hanc provinciam, ſive id proficiſcatur ex eorum urbanitate, ſive ex negligentiâ, aut inertiâ.*

NOTÆ.

puli Romani ſanctiſſimè ſemper coluit, & in hoc Parthici belli diſcrimine, cum ſuis copiis ad Ciceronem adiit; in bello civili quia Pompeio adhæſerat, à Cæſare parte regni mulctatus eſt; hunc deinde à Philippo quodam accuſatum, quòd Cæſari apud ſe divertenti ſtruxiſſet inſidias, Cicero defendit.

4. *Per Commagenem*] Commagene Syriæ regio eſt, juxta Euphratem fluvium, inter Ciliciam ad Occidentem, & Meſopotamiam ad ortum, Armeniæ minori ad Septentrionem finitima.

5. *In provinciam noſtram*] De Syriâ loquitur; quamvis enim Commagene pars erat Syriæ, Antiocho tamen, non Romanis parebat: in Syriam autem ſi Parthi invaſiſſent, ſummum Ciliciæ diſcrimen imminebat, ob utriuſque provinciæ vicinitatem.

6. *Timuiſſem*] Quia cum Parthis Tullius non ſine periculo conflixiſſet.

7. *Mittendum*] Cum ſummâ authoritate contra Parthos dimicandi.

8. *Non removendum*] Ut Reipublicæ adeſſet, cui Cæſar exitium parare videbatur.

9. *Cæſarem*] Qui tùm adhuc erat in Galliâ mittendum cum ſuo exercitu contra Parthos.

10. *Nemo*] Nemo tamen cenſet, aliquos ex iis qui ſunt ſine magiſtratu aut imperio ad illam expeditionem mittendos eſſe.

11. *Paludati*] Paludamentum veſtis erat militaris, non purpurâ tantùm, ſed cocco etiam, & auro diſtincta: hac induti duces ad bellum ex urbe proficiſci ſolebant.

12. *Ad alium*] Id eſt vel ad Pompeium, vel ad Cæſarem, &c.

13. *Sed honeſtè*] Sive nolint alium huic negotio deſtinari, ne tibi fiat injuria, qui Ciliciam adminiſtras.

14. *Sive negligentiâ*] Sive, ut paulò

Digitized by Google

[m] sive ille, quem proposui, [15] metus, latet sub hac temperantiæ existimatione, nolle provinciam. A te literæ non venerunt: &, nisi Dejotari subsecutæ essent, [n] in eam opinionem [16] Cassius venerat, quæ diripuisset ipse, ut viderentur ab hoste vastata: finxisse bellum, & [17] Arabas in provinciam immisisse, eosque Parthos esse senatui renuntiasse. quare tibi suadeo, quicunque est istic status rerum, diligenter, & cautè perscribas: [18] ne aut velificatus alicui dicaris, aut aliquid, [o] quod referret scire, reticuisse. Nunc exitus est anni: nam ego has literas ad XIV. Kalendas Decembres scripsi. planè nihil video [19] ante Kalendas Januarias agi posse. nosti [20] Marcellum quàm tardus, & parum efficax sit, itemque Servium, quàm cunctator. [p] Cujusmodi putas hos esse? [q] aut qui id, [21] quod nolint, conficere posse, qui, quæ cupiunt, tamen ita frigidè agunt, ut nolle existimentur? novis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit, hæc causa primos menses occupabit. sin autem aut non erit istic bellum, [r] aut tantum erit, [s] ut vos, aut successores, parvis additis copiis, sustinere possint: [22] Curionem video [t] se dupliciter jactaturum: primùm, ut aliquid Cæsari adimat: inde, ut aliquid Pompeio tribuat, [u] quodvis, quamlibet tenue munusculum. [x] Paulus porrò non humanè de provinciâ loquitur. hujus cupiditati [y] occursurus est [23] Furnius noster. [24] plures suspicari non possum. [25] Hæc novi. alia, quæ possunt accidere,

INTERPRETATIO.

[m] *seu metus ille, de quo antèa dixi, lateat sub hac externâ moderationis imagine.*

[n] *plerique existimabant artificium esse Cassii, qui bellum fortè finxerat, & in provinciam immiserat Arabas, ut ea quæ expilarat ipse, ab Parthis expilata esse viderentur.* [o] *quod scire necesse esset.*

[p] *quid existimas ab iis* Consulibus *expectandum esse.*

[q] *putas-ne eos posse conficere id quod nolunt, qui, quod volunt, tam frigidè agunt, ut, &c.*

[r] *aut ejusmodi erit, ut, &c.*

[s] *ut tu, aut successores* tui.

[t] *se duplici ratione, optimatum gratiam sibi conciliaturum.*

[u] *exiguum quamvis, & tenue sit munusculum.*

[x] *liberè pronuntiat dandum esse successorem Cæsari.* [y] *restiturus.*

NOTÆ.

antè dixi, parùm de Republicâ laborent.

15. *Metus*] Ne, si fortè senatusconsultum de Imperatore ad bellum Parthicum mittendo fieret, non sibi, sed alteri cuivis hæc provincia decerneretur.

16. *Cassius*] Qui avaritiæ vitio laborabat.

17. *Arabas*] Syriæ finitimos, quam suis nonnunquam excursionibus, & latrociniis infestam reddebant.

18. *Ne aut velificatus*] Ne aut assentandi gratiâ, litteras Cassii tuis confirmes.

19. *Ante Kalendas Jan.*] Quo die magistratum inibant novi Consules.

20. *Marcellum*] M. Marcellum, & Ser. Sulpitium Consulari dignitate propè defunctos.

21. *Quod nolint*] Ut de bello scilicet Parthico senatusconsultum fiat.

22. *Curionem*] Qui etiam nunc & Reipublicæ, & Pompeii se defensorem fingebat. Consule indicem historicum.

23. *Furnius*] Tribunus plebis.

24. *Plures suspicari non possum*] Qui Pauli, præter Furnium, cupiditati resistere velint: sed falsus est Cœlius, accessit enim & Curio, qui multò vehementiùs quàm cæteri, Cæsaris, in successione provinciarum, causam egit.

25. *Hæc novi*] Hæc sunt quæ de præ-

Digitized by Google

non cerno. [26] multa tempus afferre, & præparata multa scio: [27] sed intra fines hos, quæcunque acciderint, vertentur. Illud addo, actiones C. Curionis [28] de agro Campano: [z] de quo negant Cæsarem laborare, [a] sed Pompeium valdè velle, ne vacuus advenienti Cæsari pateat. Quod ad tuum [29] decessum attinet, illud tibi non possum polliceri, me curaturum, [30] ut tibi succedatur: illud certè præstabo, [31] ne quid ampliùs prorogetur. [b] Tui consilii est, si tempus, si senatus coget, si honestè à nobis recusari non poterit, velisne perseverare: [c] mei officii est meminisse, quâ obtestatione decedens, mihi, ne paterer fieri, mandaris. Vale.

INTERPRETATIO.

[z] *de quo* agro dividendo.

[a] *sed Pompeium ardenter cupere illam divisionem, nec Cæsar è Galliâ reversus hanc sibi arroget.*

[b] *tuum est statuere, utrùm velis remanere in provinciâ tuâ, si Senatus volet, &c.* an ex eâ contra Senatûs voluntatem discedere.

[c] *meum est* autem *meminisse, quàm vehementer à me petieris, cùm ires in* Ciliciam, *ut non paterer, tibi* ultra annum *administrationem tua provincia prorogari.*

NOTÆ.

senti rerum statu cognita habeo.

26. *Multa tempus*] Multa jam parata esse scio, aliaque multa tempus afferre posse.

27. *Sed intra fines hos*] Sed quidquid novi tempus afferat, illud utique pertinebit ad ea negotia, de quibus hac in epistolâ tecum egi.

28. *De agro Campano*] In primis dabit operam Curio, ut ager Campanus sequenti anno, ante Cæsaris adventum, dividatur.

29. *Decessum*] Ex Ciliciâ, cujus administrationem sibi plus anno prorogari Cicero timebat.

30. *Ut tibi succedatur*] Ut senatusconsulto nominetur aliquis, qui cum authoritate vel Consulis, vel Prætoris tibi succedat.

31. *Ne tibi prorogetur*] Id certè Cœlius præstitit: Tullius enim, finitâ annuâ administratione, Quæstorem suo loco provinciæ præfecit, Romamque reversus est.

EPISTOLA IX.

Hæc precipua sunt hujus epistolæ capita; de Appio ab Dolabellâ accusato; de Tulliolâ eidem Dolabellæ in matrimonium collocandâ; de Curione, qui relictis Reipublicæ partibus, ad Cæsarem transierat; de Pantheris. Paulo Æmilio & C. Marcello Coss. anno urbis condita 703.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

NON dubito, quin perlatum ad te sit, [1] Appium à Dolabellâ [2] reum factum: [a] sanequam non eâ, quâ existimaveram invidiâ. [b] neque enim

INTERPRETATIO.

[a] *at certè non eâ quâ speraveram hominum approbatione.* [b] *sapienter enim* se gessit *Appius.*

NOTÆ.

1. *Appium*] De Appio & Dolabellâ diximus in indice historico.

2. *Reum factum*] Vide epist. decimam undecimam & duodecimam libri tertii.

Digitized by Google

stultè Appius : qui simul atque Dolabella accessit [3] ad tribunal, [4] introïerat in urbem, triumphique postulationem abjecerat. quo facto [c] retudit sermones : paratiorque visus est, quàm speraverat accusator. [d] is nunc in te maximam spem habet. scio tibi [e] eum non esse odio. [f] quàm velis eum obligare, [5] in tuâ manu est : cum quo simultates si tibi non fuissent, [g] liberius tibi de totâ re esset. [h] nunc si ad illam summam veritatem legitimum jus exegeris : cavendum tibi erit, [i] ne parum simpliciter & candidè posuisse inimicitias videaris. [k] In hanc partem porrò tutum tibi erit, si quid volueris, gratificari nemo enim [6] necessitudine, & amicitiâ te deterritum ab officio dicet. [l 7] Illud mihi occurrit, quòd [8] inter postulationem, & nominis delationem, [9] uxor à Dolabellâ discessit. quid mihi discedens [10] mandaris, memini : quid ego tibi scripserim, te non arbitror oblitum. non est jam tempus plura narrandi. unum illud monere te possum : [m] si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tuâ voluntate ostendas : & expectes, quemadmodum [n] exeat [o 11] ex hac causâ : [p] ne quâ invidiosum tibi sit, si emanarit : [q] porrò significatio ulla si intercesserit, [q] clariùs [12] quàm deceat, [13] aut expediat, fiat.

INTERPRETATIO.

[c] *accusationem confutavit.* [d] *Appius.*
[e] *Appium.*
[f] *potes eum, quantùm tibi visum fuerit, juvare.*
[g] *operam illi tuam liberiùs navare posses.*
[h] *nunc si summo jure cum Appio agere statutum habueris.* [i] *ne parùm sincerè.*
[k] *porro tale nihil de te dicetur, si volueris Appio gratificari.*
[l] *illud me sollicitum habet.*
[m] *si matrimonium hoc.*
[n] *ex illâ accusatione se expediat.*
[o] *ne quam tibi infamiam afferat ea res, si fortè divulgata sit.*
[p] *porro si contingat, ut aliquid* de hoc matrimonio *homines resciant.*
[q] *tàm poteris illud pervulgare*, etiam *clariùs, quàm & decere, & expedire videatur.*

NOTÆ.

3. *Ad tribunal*] Ut coram Prætore Appium accusaret.

4. *Introierat in urbem*] In quam introitus triumphum petenti prohibitus erat; sed Appius, abjectâ triumphandi spe, Romam ingressus est, ut se ipse defenderet.

5. *In tuâ manu est*] Quia cùm accusaretur Appius, ob res in Ciliciâ malè gestas, Tullius ejus successor impedire poterat quominùs inde testes in eum mitterentur.

6. *Necessitudine, & amicitiâ*] Cum Dolabellâ, quem sibi generum Tullius exoptabat.

7. *Illud mihi occurrit*] Illud in mentem mihi venit, quòd postquam Dolabella postulavit ut sibi liceret Appium accusare; & priusquam nomen ejus deferret, uxor, &c.

8. *Inter postulationem*] Tres erant, ut locus hic indicat; accusationis quasi gradus : primò postulabatur ut aliquem accusare liceret; secundò nomen ejus deferebatur; tertiò accusabatur.

9. *Uxor*] Inde colligitur, non modò virum cum uxore, sed uxorem etiam cum viro divortium facere.

10. *Mandaris*] Ut collocandæ Tulliæ curam susciperem.

11. *Ne quâ invidiosum*] Si homines intellexerint velle te cum Dolabellâ affinitatem contrahere, qui Appium, qui cùm recèns in gratiam rediisti, in jus vocat.

12. *Quàm deceat*] Neque enim decebat connubium illud in cognitionem hominum tàm citò venire, ob eam rationem quam proximè attigi.

13. *Aut expediat*] Fieri quippe non poterat, quin matrimonium illud displiceret

[r] neque ille tacere eam rem poterit, quæ [14] ſuæ ſpei tam opportuna acciderit, quæque in negotio conficiendo tantò illuſtrior erit: [s] cùm præſertim is ſit, qui, ſi pernicioſum ſciret eſſe, loqui de hac re, vix tamen ſe contineret. Pompeius dicitur valdè [15] pro Appio laborare: ut etiam putent alterutrum de filiis [16] ad te miſſurum. Hîc nos omnes [t] abſolvimus. & [u] hercule confecta, omnia fœda & inhoneſta ſunt. Conſules autem [17] habemus ſummâ diligentiâ. adhuc ſenatuſconſultum, niſi [18] de feriis Latinis, nullum facere potuerunt. [x] Curioni noſtro tribunatus conglaciat. ſed dici non poteſt, quomodo hîc omnia jaceant. niſi ego cum [19] tabernariis, & [20] aquariis pugnarem, [y] veternus civitatem occupaſſet. Si Parthi vos [z] nihil calfaciunt, [a] nos hîc frigore frigeſcimus. [b] tamen, quoquo modo hîc omnia jaceant, [c] potuit ſine Parthis. [21] Bibulus in Amano neſcio quid cohorticularum amiſit. hoc ſic nuntiatum eſt. Quod tibi ſuprà ſcripſi, Curionem frigere: [d] jam calet: [e] nam ferventiſſimè concerpitur: [f] leviſſimè enim, quia [22] de intercalando non

INTERPRETATIO.

[r] *neque enim Dolabella hanc affinitatem, &c.*
[s] *cùm maximè eiuſmodi ſit.* Dolabella, *ut etiam ſi pernicioſum, &c.*
[t] Appium *abſolutum iri putamus.*
[u] *& certè* in hac accuſatione *multa confecta ſunt contra juſtitiam & decus.*
[x] *Curio noſter in Tribunatu ſuo otiatur.*
[y] *languor* ſocordia.
[z] *nihil* negotii *vobis faceſſunt.*
[a] *nos Romæ ceſſatione torpemus.*
[b] *quanquam Romæ languemus omnes otio.*
[c] *vos tamen à Parthis* oppugnari non optamus.
[d] *jam otiari deſiit.*
[e] *graviter* ab optimatibus *accuſatur.*
[f] *per ſummam enim inconſtantiam.*

NOTÆ.

Appio, qui Dolabellam habebat inimicum: at verò Appium offendere, opibus, amicis genere potentem, periculoſum erat. Vide epiſtolas 4. & 8. libri tertii.

14. *Suæ ſpei*] Sperabit utique Dolabella affinitatem tuam ſibi utilem fore, ad obtinendam Appii damnationem; eidemque affinitati ex hac damnatione decus acceſſurum.

15. *Pro Appio*] Cujus filiæ nupſerat Pompeii filius.

16. *Ad te miſſurum*] Ut non ſinas è provinciâ tuâ teſtes in Appium Romam venire.

17. *Habemus*] Paulum Æmilium, & C. Marcellum.

18. *De feriis Latinis*] Latinæ feriæ ab Tarquinio Superbo inſtitutæ dicuntur. Fuit in Albano monte locus, quò Populus Romanus, & Latini fœderati conveniebant, ut communi conſenſu ſacrificium hîc facerent; & quia Jovi Latiali fiebat, *Latiar* vocatum eſt. In eo taurus immolari ſolebat, ejuſque caro populo diſtribui; porrò Conſules non antè paludati in provincias abire conſueverant, quàm haſce ferias indixiſſent, & cum Latinarum urbium magiſtratibus celebraſſent: unum iis diem dicavit Rex Superbus, exactis Regibus additus eſt alter; poſt fœdus cum Latinis à Spurio Caſſio Conſule ictum, tertius; anno demùm urbis trecenteſimo nonageſimo ſexto, pacatâ, quæ diu civitatem turbaverat, dè plebeio Conſulatu, ſeditione, quartus. Ita Sigonius.

19. *Cum tabernariis*] Qui merces in tabernis, ſeu officinis venales proponunt.

20. *Et aquariis*] Aquæductuum curatoribus, qui publicas aquas ad uſum fortè privatum convertebant: hæc autem ad Ædiles Curules provincia pertinebat.

21. *Bibulus*] Syriæ tunc Proconſul.

22. *Quia de intercalando*] Quia non obtinuerat à Collegio Pontificum, ut dies adderetur, quò plus haberet temporis ad

Digitized by Google

obtinuerat, [23] transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit, legemque [g] viariam, [h] [24] non dissimilem agrariæ Rulli, & [i] [25] alimentariam, quæ jubet Ædiles metiri, jactavit. hoc nondum fecerat, cùm priorem epistolæ partem scripsi. Amabo te, si [k] quid, quod opus fuerit, Appio facies, [l] ponito me in gratiam. [m] De Dolabellâ integrum tibi reserves, suadeo. & [n] huic rei, de quâ loquor, & dignitati tuæ, [26] æquitatisque opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit, [27] pantheras Græcas me non habere. Vale.

INTERPRETATIO.

[g] *de muniendis viis.*

[h] *non dissimilem huic* legi, *quam Rullus tulit, de agris populo* sine solutione *dividendis.*

[i] *palámque dixisse laturum se de alimentis legem, quæ juberet Ædiles* frumentum gratis populo *metiri.*

[k] *si tibi deliberatum est opem Appio ferre.*

[l] *reconcilia me cum illo.*

[m] *suadeo tibi ut ad reditum usque tuum differas* Tulliæ tuæ *cum Dolabellâ matrimonium.*

[n] *hoc enim ita facere expedit, ut consulas, & huic matrimonio, & dignitati tuæ, & omnium de tuâ æquitate opinioni.*

NOTÆ.

ea perficienda, quæ pro Cæsare aggressus erat. Hanc intercalandi potestatem Pontifices habuisse constat ex Macrobio, lib. 1. Sat. *Dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui fastis præsunt, ut, cùm vellent, intercalarent*; id est, interponerent; atque adeò longiorem annum, vel breviorem facerent: quos verò ait Macrobius fastis præfuisse, ii fuerunt Pontifices, ut ex Livio colligitur. Observat Dio, Curionem ipsum, cùm intercalationem hanc petiit, Pontificem extitisse.

23. *Transfugit ad populum*] Desertor optimarum partium, populo & Cæsari adhæsit.

24. *Non dissimilem*] In eo maximè, quòd viarum sibi curam, ut Rullus agrorum divisionem in quinquennium committi vellet.

25. *Et alimentariam*] Ut eâ lege infimam plebem sibi conciliaret, & Cæsari.

26. *Æquitatis opinioni*] Iniquus enim videaris esse, si jam affinitatem jungas cum Dolabellâ, qui Appium, novum amicum tuum accusat.

27. *Pantheras Græcas*] Non Pamphyliam modò, & Ciliciam; sed hanc maximè Asiæ minoris partem, quæ Regis Attali fuerat, Græci homines incolebant, atque interdùm Græcia vocabatur. De Pantheris jam sæpè anteà.

EPISTOLA X.

Agit de Parthici belli periculo, de Cornificii nuptiis, de Paulæ divortio, de Ocellæ adulterio. Eodem anno.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

QUAM citò tu [a] istinc decedere cupias, nescio. [1] ego quidem eò magis, quò adhuc feliciùs rem gessisti. dum istic eris, de belli Parthici

INTERPRETATIO.

[a] *è Ciliciâ.*

NOTÆ.

1. *Ego quidem*] Ego quidem eò magis cupio te decedere ex provinciâ, quò feli-

Digitized by Google

periculo cruciabor, [b] ne hunc risum meum metus [2] aliqui perturbet. Breviores has literas [3] properanti [4] publicanorum tabellario subitò dedi. tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederam. Res autem novæ nullæ sanè acciderunt: [5] nisi hæc vis tibi scribi, [6] quæ certè vis. Cornificius adolescens [7] Orestillæ filiam sibi despondit. Paula Valeria soror [8] Triarii, divortium sine causâ, quo die vir è provinciâ venturus erat, fecit. nuptura est [9] D. Bruto. [10] nondum retulerat. multa in hoc genere incredibilia, te absente, acciderunt. Ser. Ocella nemini persuasisset se mœchum esse, [c] nisi triduo bis [11] deprehensus esset. quæris, ubi? ubi hercules ego minimè vellem. relinquo tibi, quod ab aliis quæras. neque enim displicet mihi, [12] imperatorem singulos percunctari, cum quâ sit aliquis deprehensus. Vale.

§

10

INTERPRETATIO.

[b] *ne meam de tuis* præclarè gestis *lætitiam.* [c] *nisi bis intra tres dies.*

NOTÆ.

eius in eâ rem gessisti; vereorque ne fortuna tibi favere desinat.

2. *Aliqui*] Vetusta locutio pro *aliquis.*

3. *Properanti*] In provinciam tuam.

4. *Publicanorum*] Qui populi Romani in Asiâ reditus, & vectigalia publica condicto pretio exigenda redemerant: *les Fermiers generaux.*

5. *Nisi hæc vis tibi scribi*] Quanquam leviora videntur esse.

6. *Quæ certè vis*] Sunt enim ejusmodi, ut afferre tibi delectationem queant.

7. *Orestilla*] Quæ Catilinæ conjux, aut certè amica fuerat.

8. *Triarii*] è Valeriâ gente, doctrinâ & eloquentiâ nobilis; in bello civili periit.

9. *Decimo Bruto*] De quo fusiùs in libro decimo.

10. *Nondùm retulerat*] Nondùm è domo mariti, quæ sua sunt, abstulerat; vel potiùs de novis nuptiis nondùm eos consuluerat, qui super hac re consuli debent. locus sanè obscurus; hæc Manutii interpretatio mihi præ cæteris probatur.

11. *Deprehensus esset*] In adulterio.

12. *Imperatorem*] Jocus est, quanquam id Imperatorem dedecere videatur, ut de adulteriis interroget; devictis Amanensibus, Cicero ab exercitu Imperator fuerat appellatus.

EPISTOLA XI.

Ciceroni significat, decretas ei fuisse ab Senatu supplicationes pro rebus in Amano monte præclarè gestis; tùm docet quæ fuerit cujusque super hoc & voluntas, & sententia; addit Pompeii & Curionis altercationes de successore Cæsaris. Eodem anno.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

NON diù, sed acriter nos tuæ [1] supplicationes torserunt. [a] incideramus enim in difficilem nodum. nam [2] Curio [b] tui cupidissimus,

INTERPRETATIO.

[a] *magna quippe nobis difficultas occurrit* superanda. [b] quanquam est *tui cupidissimus.*

NOTÆ.

1. *Supplicationes*] Quas Cicero pro rebus in provinciâ benè gestis, petierat. De supplicationibus vide epistolam decimam quintam libri primi.

2. *Curio*] Tribunus plebis, & Cæsaris defensor.

Digitized by Google

mus, [c] cui omnibus rationibus [3] comitiales [4] eripiebantur, [5] negabat se ullo modo pati posse, decerni supplicationes: ne, si quid [6] furore Pauli [7] adeptus esset boni, suâ culpâ [8] videretur amisisse, & [d] prævaricator [9] causæ publicæ existimaretur. [e] Itaque ad pactionem descendimus: & confirmarunt Consules, se his supplicationibus in hunc annum non usuros. planè, quòd utrisque Consulibus [10] gratias agas, est, [11] Paulo magis certè. nam Marcellus sic respondit [f] ei, [g] spem [12] in istis supplicationibus non habere: [h] Paulus, se omninò in hunc annum non edicturum. Renuntiatum nobis erat, [13] Hirrum diutiùs dicturum. [i] prendimus eum: [14] non modò non fecit, sed cum cùm de hostibus ageretur, & posset [k] rem impedire, si, [l 15] ut numeraretur, postularet, tacuit: tantùm Catoni assensus est: [m] qui, de te & locutus hono-

INTERPRETATIO.

[c] *quoniam omni ratione prohibebatur quominùs* diebus comitialibus *agere posset cum populo.*

[d] *proditor.*

[e] *itaque rem tuam hac pactione confecimus, ut statuerent Consules, se nulli alteri, præter te, supplicationem hoc anno concessuros.*

[f] *Paulo.*

[g] *ejusmodi supplicationes*, tanquam inutiles, *se minimi faceret*

[h] *Paulus autem dixit se nullas hoc anno supplicationes*, tuis exceptis, *decreturum.*

[i] *rogavimus.*

[k] *supplicationem.*

[l] *si postulasset, ut cæsi à te hostes numerarentur.*

[m] *qui licet honorificè de te loquutus est, supplicationes tamen non decrevit.*

NOTÆ.

3. *Comitiales*] Dies scilicet, quibus agere cum populo licebat.

4. *Eripiebantur*] Ne quid pro Cæsare contra Senatûs voluntatem, à populo impetraret; magistratus autem, ut prohiberent quominùs Tribuni plebis diebus comitialibus agerent cum populo, de cœlo servabant, palámque profitebantur se quid infaustum vel audisse, vel vidisse; & sic illicò cœtum dirimebant.

5. *Negabat*] Indignatus Curio sibi eripi licentiam cum populo colloquendi, vicem ut rependeret, senatusconsultum de Tullii supplicationibus impedire quovis modo nitebatur.

6. *Furore*] Furorem vocat, constantiam Pauli Consulis, qui nondùm Cæsaris corruptus pecuniâ, insanos Curionis impetus imprimebat.

7. *Adeptus esset boni*] Hunc fructum ex Pauli furore, seu potiùs constantiâ, se percipere Curio dicebat, quòd justam haberet causam Senatorum decretis intercedendi.

8. *Videretur amisisse*] Si patereturin gratiam Ciceronis fieri senatusconsultum.

9. *Causæ publicæ*] Cujus propugnator volebat Curio videri, licet eam funditùs everteret.

10. *Gratias agas*] Non quòd revera Ciceroni prorsùs faverent, sed quòd ejus causæ, uti poterant, non sunt adversati.

11. *Paulo magis certè*] Ob eam rationem quam subjicit; nam cùm jurasset se nulli hunc in annum edicturum supplicationes, Ciceronem excepit.

12. *Spem in ipsis supplicationibus*] Quasi uti dii nihil eas admodùm curarent.

13. *Hirrum*] Ciceronis in Auguratu anteà competitorem.

14. *Non modò non fecit*] Non modò diem loquendo non consumpsit; hoc artificio solebant uti Senatores, quando nihil confici volebant.

15. *Si ut numeraretur, postularet*] Ex iis verbis videtur posse colligi, falsò scripsisse Ciceronem, tot à se cæsos hostes, quot requirebantur triumpho & supplicationibus obtinendis, Ciceronis ætate supplicatio decernebatur ei, qui mille hostium; triumphus autem, qui quinque millia cecidisset.

16. *Non*

Digitized by Google

rificè [16] non decrerat ſupplicationes. [n] tertius ad hos [17] Favonius acceſſit. quare [18] pro cujuſque naturâ, & inſtituto gratiæ ſunt agendæ: [19] his, quod tantùm voluntatem oſtenderunt pro ſententiâ: [20] cùm impedire poſſent, non pugnarunt: [21] Curioni verò, quòd de ſuarum actionum curſu tua cauſa deflexit. nam [22] Furnius, & [23] Lentulus, ut debuerunt, quaſi eorum res eſſet, unà nobiſcum circumierunt, & [24] laborarunt. [25] Balbi quoque Cornelii operam, & ſedulitatem laudare poſſum. nam cum Curione vehementer locutus eſt: & eum, ſi [o] aliter feciſſet, injuriam [26] Cæſari facturum dixit: [27] tàm ejus fidem in ſuſpicionem adduxit. [p] decrerant, qui iniquè tranſigi volebant, [28] Domitii, [29] Scipiones. quibus hac re ad interceſſionem evocandam interpellantibus, [q] venuſtiſſimè Curio reſpondit, ſe eò libentiùs non intercedere, [r] quòd quoſdam, qui decernerent, videret confici nolle. Quod ad rempublicam attinet, [s] in unam cauſam omnis contentio [30] conjecta eſt: de provinciis, inquam, adhuc eſt. [t] incubuiſſe cum ſenatu Pompeius videtur, ut Cæſar [31] ante Idus Novembres decedat. Curio omnia potiùs ſubire conſtituit, quàm id pati: cæteras ſuas [32] abjecit actiones. [u] noſtri porrò, quos tu

NOTÆ.

[n] *idem cum Catone & Hirro ſenſit Favonius.*

[o] *ſi tuis ſupplicationibus obſiſteret.*

[p] *Domitius, & Scipio, qui nolebant rem hanc ex ſententiâ tuâ tranſigi, tibi tamen ſupplicationem decreverunt, ut eâ ſimulatione Curionem, Pompeianis infenſum, ad intercedendum allicerent.*

[q] *acutiſſimè.*

[r] *quòd videret ſupplicationes ab his tibi decerni, qui reverà ſupplicationes impediri volebant.* [s] *res una in Senatu agitatur.*

[t] *contendiſſe.*

[u] *optimates, quorum tu imbecillitatem noſti.*

NOTÆ.

16. *Non decrerat*] Invidiâ fortè, quâ vel ipſe Cato, Tullii licet amiciſſimus, non caruit, optimates enim plerique ægrè ferebant, novum hominem, jam ſummos aſſequutum magiſtratus, altiùs evolare.

17. *Favonius*] Catonis amicus.

18. *Pro cujuſque naturâ*] Ad Catonem in primis reſpicit, cujus erant mores ſeveriſſimi.

19. *His*] Hirro & Favonio debes gratias habere, qui quidem ſententiam pro te ſuam non dixerunt, ſed ſententiæ Catonis oſtenderunt aſſentiri ſe velle.

20. *Cùm impedire*] Cùm tuæ petitioni obſtare poſſent, non obſtiterunt.

21. *Curioni*] Curioni verò obligatum te eſſe ſcito, quod tuâ causâ deſiit ſenatuſconſulto intercedere.

22. *Furnius*] Plebis hoc anno Tribunus.

23. *Lentulus*] Credibile eſt fuiſſe Lentulum Spintherem, Ciceronis ubique propugnatorem acerrimum.

24. *Et laborarunt*] Ut tibi ſupplicatio decerneretur.

25. *Balbi quoque Cornelii*] Gadibus nati. Epiſt. 6.

26. *Cæſari*] Cui Cicero charus erat.

27. *Tàm ejus fidem*] Præterea Curioni dixit, fore ut illius cum Cæſare reconciliatio ficta videretur, ſi Tullio, quem Cæſar amabat, noceret

28. *Domitii*] L. Domitius Ænobarbus anteà Conſul.

29. *Scipiones*] Quintus Metellus Scipio, Pompeii ſocer & cum Domitio, fautor obſtinatiſſimus.

30. *Conjecta eſt*] De Proconſule in locum Cæſaris Galliæ præficiendo.

31. *Ante Idus Novembres*] Id eſt, antequam legitimum adminiſtrationis tempus abiiſſet, quod certè iniquum fuit, maximè cùm Pompeius Hiſpanias retineret.

32. *Abjecit actiones*] Ut Cæſaris cauſam unicè defenderet.

Digitized by Google

benè noſti, ad extremum certamen rem deducere [33] non audent. [x] Scena rei totius hæc. Pompeius, tanquam Cæſarem [34] non impugnet, [35] ſed, quod illi æquum putet, conſtituat, ait Curionem [36] quærere diſcordias. valdè autem [37] non vult, & planè timet, Cæſarem Conſulem deſignari priùs, quàm exercitum, & provinciam tradiderit. [y] accipitur ſatis malè à Curione: & totus [38] ejus ſecundus conſulatus [z] exagitatur. hoc tibi dico: [39] ſi omnibus rebus prement Curionem, Cæſar defendetur: interceſſorem ſi, quod videntur, reformidabunt, Cæſar, quod volet, manebit. Quam quiſque ſententiam dixerit, [40] in commentario eſt rerum urbanarum: è quo tu, quæ digna ſunt, ſelige: multa tranſi, in primis [41] ludorum exploſiones: & funerum, & cæterarum ineptiarum plura habet inutilia. denique malo in hanc partem errare, ut, quæ non deſideras, audias, quàm quidquam, quod opus eſt, prætermittatur. Tibi curæ fuiſſe [42] de Sitiano negotio, gaudeo: ſed, quando ſuſpicaris minùs certâ fide [43] eos tibi viſos: [a] tanquam procurator fic agas, rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[x] *res tota ſic ſe habet.*
[y] *contumeliosè tractatur* Pompeius.
[z] *impugnatur.*
[a] *quaſi rem hanc tuæ curæ commiſſam.*

NOTÆ.

33. *Non audent*] Auſi ſunt tandem, ſed damno ſuo, quia cùm in ſententiam Metelli Scipionis, confectum eſſet in Cæſarem ſenatuſconſultum, exarſit illicò bellum civile, in quo perierunt.

34. *Non impugnet*] Quem tamen impugnabat acerrimè, ſiquidem & authoritate Proconſulis privare, & Conſulatu excludere tentabat.

35. *Sed quod illi æquum putet, conſtituat*] Immò iniquiſſimum hoc fuiſſe, ſuperiùs oſtendi, & Cæſari pernicioſiſſimum: ſi enim paſſus eſſet ſpoliari ſe & provinciâ, & exercitu, reveniſſetque privatus Romam, accuſatus eſſet ab adverſariis ſuis, & certiſſimè damnatus.

36. *Quærere diſcordias*] Per ſpeciem cauſæ publicæ tuendæ.

37. *Non vult*] Pompeius.

38. *Ejus ſecundus Conſulatus*] In quo Pompeius effecerat, ut Gallia Cæſari in alterum quinquennium traderetur.

39. *Si omnibus rebus*] Quoquo modo ſe gerant Pompeiani, res eis, ut opinor, ex ſententiâ non ſuccedet: nam Curioni ſi prorsùs reſiſtunt, Cæſar ab aliis amicis ſuis defendetur: ſi verò Curionem, ut videtur, reformidant, Cæſar, quoad volet, & provinciam & exercitum retinebit.

40. *In Commentario*] Quem tibi miſi de rebus in urbe geſtis.

41. *Ludorum exploſiones*] Id erat populo Romano ſolemne, ut quos oderat, ad ſpectacula accedentes exploderet, ejiceretque.

42. *De Sitiano negotio*] Vide epiſtolam ſecundam.

43. *Eos*] A quibus erat exigenda pecunia.

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

Tulliæ cum Dolabellâ conjugium Ciceroni gratulatur; tùm differit de Curionis interceſſione, & ſucceſſione provinciarum; mortem Hortenſii demùm ſignificat. Eodem anno.

M. Cœlius s. d. M. Ciceroni.

GRATULOR tibi affinitate [a] viri medius fidius optimi. nam hoc ego de illo exiſtimo. [b] cætera porro, quibus adhuc ille ſibi [1] parùm utilis fuit, & [c] ætate jam ſunt decurſa: & conſuetudine, atque autoritate tuâ, [d] pudore Tulliæ, ſi qua reſtabunt, confido, celeriter ſublatum iri. [e] non eſt enim pugnax vitiis, neque hebes ad id, quod melius ſit, intelligendum. deinde, quod maximum eſt, ego illum valdè amo. Vides Cicero Curionem noſtrum [f] lautum interceſſionis de provinciis exitum habuiſſe? [2] nam cùm de interceſſione referretur: quæ relatio fiebat ex ſenatuſconſulto, primaque [3] M. Marcelli ſententia pronuntiata eſſet, qui agendum cum tribunis plebis cenſebat: [g] frequens ſenatus in alia omnia iit. [h] ſtomacho eſt ſcilicet [4] Pompeius Magnus nunc ita languenti, ut vix id, quod ſibi placeat, reperiat. [i] [5] tranſierant illuc, ut ratio eſſet ejus habenda, qui neque exercitum, neque

INTERPRETATIO.

[a] *Dolabellæ.* [b] *quòd ſi nonnulla hucuſque egit, quibus aliquantulùm ſibi nocere viſus eſt.*

[c] *ea jam ætate diminuta ſunt, & ſi qua reſtant, &c.*

[d] *ſapientiâ.*

[e] *nec enim in vitiis eſt pertinax, noviitque quid ſibi conducat.*

[f] *vides noſtri Curionis de ſucceſſione provinciarum glorioſum exitum fuiſſe.*

[g] *plerique Senatores à Marcello diſſenſerunt.*

[h] *nunc animo Pompeius ſic debilitato eſt, & ancipiti.*

[i] *ſenſerant habendam eſſe rationem* Cæſaris in petitione Conſulatûs, *quamvis nec exercitum, nec provinciam deponeret.*

NOTÆ.

1. *Parùm utilis fuit*] Temeritatem Dolabellæ in accuſando ſignificat. Duo hîc annotare non pigebit; primùm, Dolabellam Tulliæ nupſiſſe, cùm adhuc in Ciliciâ verſaretur Cicero, quanquam ei fuiſſet author Cœlius, ut illas in reditum uſque rejiceret. Secundum, graviter Appium tuliſſe hanc affinitatem contractam cum Dolabellâ accuſatore ſuo; quod ut excuſet Tullius, affirmat in litteris quæ libro tertio continentur, hujuſce connubii ſe nec authorem fuiſſe, nec conſcium: at verò aliter eum ſentire, aliter loqui credideriim: id enim vehementer expetebat, veriſque, ne ſi longius in poſterum differret, hiſce nuptiis impedimento eſſet Appius, illas quamprimùm fieri paſſus eſt; tùm finxit ſe abſente, & inſcio, & tantùm non invito confectas eſſe.

2. *Nam cùm de interceſſione*] Nam cùm proponeretur quid ſentiendum eſſet de Curionis interceſſione.

3. *M. Marcelli*] Qui anno proximè ſuperiori Conſul Cæſari ante tempus ſuccedendum cenſebat.

4. *Pompeius Magnus*] Qui leges in ſecundo & tertio Conſulatu tulerat, tùm ut Cæſari in alterum quinquennium decerneretur Gallia, tùm ut ejus abſentis, in petendo Conſulatu ratio haberetur; nunc erat incertus animi utrùm leges ipſe ſuas tueretur, aut reſcinderet.

5. *Tranſierant*] Adducti nimirùm Curionis interceſſione.

Digitized by Google

provincias traderet : [k] quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cùm cognoscat, quidnam reipublicæ futurum sit, si aut non curet, vos senes divites videritis. [6] Q. Hortensius, cùm has literas scripsi, animam agebat. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *cùm Pompeius cognoscat quid inde Reipublica* detrimenti *passura sit, vestrum est, qui senes estis, & in Republicâ primarii videre,* | *utrùm* Pompeius *id impedire vel* non possit, *vel non curet.*

NOTÆ.

6. *Hortensius*] Vir & eloquentiâ, & Consulari dignitate inclytus.

EPISTOLA XIII.

De Appii injuriis, & ingrato animo queritur. Eodem anno.

Cœlius S. D. Ciceroni.

[1] PUDET me tibi confiteri, & queri de Appii, hominis ingratissimi, injuriis, qui me odisse, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: &, [2] cùm homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit: ita occultum tamen, ut multi mihi renuntiarent, & ipse facilè animadverterem malè eum de me cogitare. posteà quàm verò comperi eum [2] collegium tentasse, deinde apertè cum quibusdam locutum, [3] cum L. Domitio, ut nunc est, mihi inimicissimo homine, deliberare velle, [b] hoc munusculum deferre Cn. Pompeio: [c] ipsum reprehenderem, & ab eo deprecarer injuriam, quem vitam mihi debere putarem, impetrare à me non potui. [d] quid ergo est? [e] tamen, quasi aliquid, amicis, qui testes erant meorum in illum meritorum, locutus sum. [f] posteà quàm illum, ne cui satisfaceret quidem, me dignum habere sensi: [g] malui collegæ ejus, hominí

INTERPRETATIO.

[a] *& cùm hoc sibi imperare non posset homo avarus, ut, quæ mihi debet beneficia, solveret.*

[b] *posteà quàm vidi egisse cum Domitio, ut in gratiam Pompeii, ignominiâ me notaret.*

[c] *à me quidem impetrare non potui, ut hunc hominem, qui mihi vitam debet, alloquerer, rogaremque hanc mihi ne injuriam inferret.*

[d] *quid ergo putas* me fecisse?

[e] *cum amicis mihi & ipsi* communibus *colloquutus sum, ratus id* effecturum *aliquid.*

[f] *sed posteaquàm intellexi, ne velle quidem Appium mihi se verbis excusare.*

[g] *malui me tradere* Pisoni ejus in censurâ *collegæ, quamvis mihi non sit amicissimus, nec propter meam in te benevolentiam, æquissimus.*

NOTÆ.

1. *Pudet*] Quia scilicet Appium anteà laudaverat.

2. *Collegium tentasse*] Stimulasse Augures, ut aliquid in me molirentur. Augur erat Appius.

3. *Cum L. Domitio*] Qui cum Appio

alieniſſimo mihi, &, propter [4] amicitiam tuam, non æquiſſimo, me obligare? [h] quàm illius ſimiæ vultum ſubire. Id poſtquam reſciit, [i] incanduit, & me cauſam inimicitiarum quærere clamitavit: [k] ut, ſi mihi in pecuniâ minùs ſatisfeciſſet, per hanc ſpeciem ſimultatis eum conſectarer. poſteà non [l] deſtitit accerſere palàm Servium accuſatorem, inire cum Domitio conſilia. [m] quibus cùm parùm procederet, ut ullâ lege mihi ponerent accuſatorem, [n] compellari eâ lege me voluerunt, qua dicere non poterant. inſolentiſſimi homines [o] ſummis [5] Circenſibus ludis [6] meis [p] poſtulandum me lege [7] Scantiniâ curant. [q] vix hoc erat Pola elocutus, cùm ego Appium Cenſorem eadem lege poſtulavi. [8] quod melius caderet, nihil vidi. [r] nam ſic eſt à populo, & non infimo quoque approbatum, ut majorem Appio dolorem [9] fama, quàm [s] poſtulatio, attulerit. præterea cœpi [10] ſacellum, [t] in domo quod eſt, ab eo petere. Conturbat me mora ſervi hujus, [u] qui tibi literas attulit. [x] nam, acceptis prioribus literis, amplius quadraginta manſit. Quid tibi ſcribam neſcio. [11] Scis Domitio diem timeri eſſe? expecto te valdè, & quamprimùm videre cupio. A te peto, ut meas injurias [y] proinde doleas, ut me exiſtimas & dolere, & ulciſci tuas ſolere. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *quàm Appii turpiſſimi hominis clementiam implorare.*

[i] *exarſit iracundiâ.*

[k] *quaſi per ſpeciem latentis odii, vellem eum in infamiam vocare, ſi pecuniam mihi debitam non perſolveret.*

[l] *non deſtitit excitare Servium, ut mihi litem intenderet.*

[m] *ſed cùm non poſſent lege ullâ mihi accuſatorem opponere.*

[n] *eâ lege me reum facere voluerunt, in quâ nihil erat, quod exprobrare mihi poſſent.*

[o] *extremis diebus ludorum meorum.*

[p] *accuſandum.*

[q] *vix illud mihi crimen objecerat Pola Servius, cùm ego Appium eodem crimine in judicium vocavi.*

[r] *nam* hæc mea agendi ratio *ſic nobiliſſimo cuique plebeii ordinis eſt probata.*

[s] *accuſatio.*

[t] *quod ſibi arrogavit.*

[u] *quem ad te miſi cum litteris.*

[x] *nam* dies *amplius quadraginta abierunt,* ex quo tempore *priores ad te litteras ei dedi.*

[y] *eodem modo.*

NOTÆ.

Conſulatum geſſerat.

4. *Propter amicitiam*] Quia Cicero ejectus erat in exilium, Piſone Conſule, & conſentiente.

5. *Circenſibus*] Circenſes ludi vel à circeo dicti ſunt, in quo exhibebantur; vel ab enſibus in circuitu ita diſpoſitis, ut timidis gladiatoribus fugæ ſpes omnis adimeretur.

6. *Meis*] Quos Cœlius in ædilitate ſuâ dederat.

7. *Lege Scantiniâ*] Lege quam Scantinius de nefario marium concubitu tulit.

8. *Quod melius caderet*] Nihil vidi quod utilius eſſet ad propoſitum meum, quàm eumdem ſceleris Appium arguere, quod in me conferre volebat.

9. *Fama*] Cùm divulgatum eſt, ipſummet Appium, cujus erat, pro munere Cenſorio, aliorum mores emendare, flagitiis adeò turpis inſimulari.

10. *Sacellum*] Locus, ubi deorum Penatium imagines aſſervari ſolebant, & coli: ejuſmodi ſacella publica eſſe debebant, & patere populo: ex iis autem ſi quæ à privatis occupata eſſent, Cenſoris erat operam dare, ut ea populo reſtituerentur. Cœlius igitur in invidiam eo nomine adduxit Appium, quòd hujus generis ſacellum ereptum populo ſibi privatim attribuiſſet.

11. *Scis Domitio*] Scis Domitium timere ne forſan in die comitiorum Auguratûs repulſam ferat. Vide ſequentem epiſtolam.

EPISTOLA XIV.

Hæc præcipua sunt hujus epistolæ capita : 1. L. Domitii Ænobarbi in Auguratûs petitione repulsa ; 2. Saturninus ab Cneio Domitio Calvino injudicium vocatus : 3. Cæsaris & Pompeii dissensio : 4. Appii Censoris in corrigendis civium moribus ridicula sedulitas. Eodem anno.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

a TANTI non fuit a Arsacem capere, 2 Seleuciam 3 expugnare, ut earum rerum, quæ hîc gestæ sunt, spectaculo careres. nunquam tibi oculi doluissent, si b in repulsâ 4 Domitii vultum vidisses. 5 magna illa comitia fuerunt : c & planè studia ex partium sensu apparuerunt. 6 perpauci, necessitudinem secuti, officium præstiterunt. Itaque mihi est Domitius inimicissimus, 7 ut ne familiarem quidem suum quenquam tam oderit, quàm me : atque eò magis, d quòd per injuriam sibi putat ereptum, cujus ego auctor fuerim. nunc furit tam gaviſos homines 8 suum dolorem, unumque me studiosiorem 10 Antonii. Nam Cn. Saturninum adolescentem ipse 11 Cn. Domitius reum fecit, e sanequam superiore à vitâ invidiosum. quod judi-

INTERPRETATIO.

a *mallem ut vidisses ea quæ hîc Romæ geruntur, quàm Parthorum cepisses Regem, aut Seleuciam expugnasses.*

b *si* triſtem *Domitii vultum vidisses in repulsâ* quam tulit.

c *& quisque apertè declaravit, quarum partium studiosior esset.*

d *quia putat* Auguratum *& per injuriam, & authore me ereptum sibi fuisse.*

e *certè* bonis omnibus *jam invisum ob vitam pudicè minùs antea transactam.*

NOTÆ.

1. *Arsacem*] Sicut Ægyptii suos Reges dixêre Ptolemæos, sic Parthi Arsacidas ab Arsace, qui regnum Parthicum primus instituit; fuit igitur singulis Regibus commune nomen : quo enim tempore Ciliciam regebat Cicero, Rex Parthorum appellatione propriâ Orodes dicebatur.

2. *Seleuciam*] Multæ fuerunt hujus nominis civitates : hîc agitur de Seleucia, quæ tùm erat Parthorum Regia, à Seleuco Nicanore ædificata.

3. *Expugnare*] Quia Romam nuntius venerat, cum Parthis Ciceronem congredi.

4. *Domitii*] Qui Auguratum petierat. Vide sup. epist.

5. *Magna illa*] Non Centuriata tamen, sed Tributa : Augures enim tunc populus tributim divisus creabat. Magna vocat, quia magnâ contentione peracta sunt.

6. *Perpauci*] Perpauci in ferendis suffragiis præstiterunt quod æquitas & officium exigebant; quia plerique amicitiæ duntaxat & necessitudinis habuêre rationem.

7. *Ut ne familiarem*] Notatur hîc pessima Domitii indoles, qui familiares etiam suos odisset.

8. *Per injuriam*] Quod ipse vir Consularis postpositus esset Marco Antonio, qui Tribunatum plebis nequidem adhuc gesserat.

9. *Suum dolorem*] Quem ex hac repulsâ Domitius hauserat.

10. *Antonii*] Qui Domitii in Auguratu competitor, Domitio prælatus fuerat.

11. *Cneius Domitius*] Filius Lucii, de quo hucusque sermo fuit.

Digitized by Google

eium nunc in expectatione est, [12] etiam in bonâ spe, post Sext. Paducei absolutionem. [13] De summâ repub. sæpè tibi scripsi [14] me annum pacem non videre: [f] &, quò propiùs ea contentio, quàm fieri necesse est, accedit, eò clariùs id periculum apparet. [g] propositum hoc est, de quo, [15] qui rerum potiuntur, sunt dimicaturi: quòd Cn. Pompeius constituit non pati, C. Cæsarem Consulem aliter fieri, nisi exercitum, & provincias tradiderit: Cæsari autem persuasum est, se salvum esse non posse, si ab exercitu recesserit. [h] fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. [16] sic illi amores, & [17] invidiosa conjunctio [i] non ad occultam recedit obtrectationem; sed ad bellum se erumpit. [k] neque, mearum rerum quid consilii capiam, reperio: neque dubito quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura. nam mihi [l] cum hominibus his & gratia, & necessitudo est. [m] tùm causam illam, non homines, odi. Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domesticâ debeant, quàm diù civiliter sine armis certetur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum & castra ventum sit, firmiorem: & id melius [n] statuere, quod tutius sit. In hac discordiâ video Cn. Pompeium senatum, [o] quique res judicant, secum habiturum: ad Cæsarem omnes, [18] qui cum timore, [19] aut malâ spe vivant, accessuros: [p] exercitum [20] conferendum non esse. omninò sat spatii sit ad considerandas utriusque copias, & ad eligendam partem. Propè oblitus sum, quod maximè fuit scribendum. Scis Appium

INTERPRETATIO.

[f] *& quoniam ea crescit discordia multò magis quàm necesse est, ideò belli periculum clariùs apparet.*

[g] *en causa propter quam, qui rerum, &c.*

[h] *hanc tamen offert conditionem* Cæsar, *ut ipse, &* Pompeius *exercitus dimittant.*

[i] *non occultam modò simultatem, sed* apertum *etiam bellum producent.*

[k] *quemnam ex duobus sequar, meis ut rebus consulam, ignoro.*

[l] *cum Pompeio & Cæsare.*

[m] *tùm bellum ipsum, non belli authores odi.*

[n] *judicare.*

[o] *& ipsos judices.*

[p] *magnum est ambos inter exercitus discrimen, sed quidquid sit, satis otii superest ad considerandas, &c.*

NOTÆ.

12. *Etiam in bonâ spe*] Spes est maxima absolutum iri Saturninum, flagitiosum licet adolescentem, postquam Sext. Peducæus multorum criminum conscius absolutus est.

13. *De summâ republicâ*] Quod ad præsentem Reipublicæ statum pertinet.

14. *Me annum*] Videre me, per annum adhuc pacem durare non posse.

15. *Qui rerum potiuntur*] Cæsar, Pompeius, cæterique optimates, quorum alii Cæsari studebant, alii Pompeio.

16. *Sic illi amores*] Qui Cæsarem inter & Pompeium fuerant, ex quo maximè Juliam Cæsaris filiam Pompeius duxerat.

17. *Invidiosa conjunctio*] Triumviratus ille, quem Cæsar, Pompeius, & Crassus jam antè inierant, ut pro libidine suâ rempublicam administrarent.

18. *Qui cum timore*] Qui judicia timent, ob flagitia quæ admiserunt.

19. *Aut malâ spe*] Aut qui nihil emolumenti sperant, nisi perturbatâ Republicâ.

20. *Conferendum non esse*] Quia Cæsarianæ copiæ Pompeianis multò meliores.

Digitized by Google

censorem [21] hîc ostenta facere? [22] de signis, & tabulis, [23] de agri modo, de [24] ære alieno [25] acerrimè agere? [26] persuasum est ei, censuram [27] lomentum, aut [28] nitrum esse. errare mihi videtur. [29] nam sordes eluere vult, venas sibi omnes, & viscera aperit. curre, per deos, atque homines, & quamprimùm [30] hæc risum veni: [31] legis Scantiniæ judicium apud Drusum fieri: [32] Appium de tabulis & signis agere. crede mihi, est properandum. Curio noster sapienter id, [33] quòd remisit de stipendio Pompeii fecisse existimatur. ad summam quæris, quid putem futurum? si alteruter [34] eorum [35] ad Parthicum bellum non eat, video magnas impendere discordias: quas ferrum, & vis judicabit. uterque & animo, & copiis est paratus. si sine summo periculo fieri posset, magnum, & jucundum tibi fortuna spectaculum parabat. Vale.

NOTÆ.

21. *Hîc ostenta*] Hîc res facere, quibus vix adhiberi possit fides. Jocatur in Appium Censorem, qui civium vitia vitiosissimus ipse emendare volebat.

22. *De signis*] Vult aliorum intemperantiam ad signa, & tabulas quod attinet, cohibere, cùm ipse tabulis & signis ultra modum delectetur.

23. *De agri modo*] De moderandâ agrorum possessione.

24. *De ære alieno*] Ut debitoribus aliquid de summâ remitteretur, cùm fortè debitores suos summo jure tractaret.

25. *Acerrimè agere*] Non quòd de iis rebus leges tulerit, quas ferre Censoris non erat; sed quod authoritate Censoriâ nimios impedire sumptus conaretur.

26. *Persuasum est ei*] Putat Appius, se posse censurâ suâ, tanquam lomento aut nitro, vitiorum suorum infamiam delere.

27. *Lomentum*] Farina fabacea, quâ veteres usi sunt, ut rugas tollerent.

28. *Nitrum*] Salis genus, abluendis sordibus aptissimum.

29. *Nam sordes*] Nam vitia sua cùm vult tegere, ea clariùs aperit, sequalem omnibus, qualis est, declarat: nemo enim non videt iisdem implicatum esse criminibus, quæ cæteris ascribit.

30. *Hæc risum veni*] Quamprimùm Romam advola, ut Appium præsens ipse rideas.

31. *Legis Scantiniæ*] Videbis judicium fieri de lege Scantiniâ coram Livio Druso Prætore, qui quidem eadem lege in judicium vocandus esset. De illâ consule proximè superiorem epistolam.

32. *Appium de tabulis, &c.*] Videbis Appium acerrimè in eos agentem, qui signa & tabellas habent, licet ipse, cùm provinciis præesset, signa è templis abstulerit, sibique vindicarit.

33. *Quod remisit*] Quando actum in senatu de stipendio Pompeii legionibus persolvendo; Curio, qui tùm Cæsari adhærebat, huic decreto statim restitit, pòst verò assensus est.

34. *Eorum*] Cæsaris, aut Pompeii.

35. *Ad Parthicum bellum*] Post Crassi cædem, Parthi in Romanorum provincias invadere cogitabant, eosque repellere nemo posse videbatur, nisi Pompeius, aut Cæsar, ambo laude bellicâ præ cæteris insignes.

Digitized by Google

EPISTOLA XV.

Orto civili bello, Cæsarem sequutus est Cœlius; hunc laudat, Pompeiumque reprehendit; addit se teneri desiderio conveniendi & alloquendi Ciceronis; interim ad Alpes sibi vel invito iter faciendum. Lentulo & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quarto.

M. Cœlius s. d. M. Ciceroni.

ECQUANDO tu hominem [1] ineptiorem, quàm tuum Cn. Pompeium, vidisti, [a] qui tantas turbas, qui [a] tam nugax esset, [3] commorit? ecquem autem Cæsare nostro [4] acriorem in rebus gerendis, eodem in victoriâ [5] temperatiorem aut legisti, aut audisti? quid est? [b] nunc tibi nostri milites, qui durissimis, & frigidissimis locis, teterrimâ hieme, bellum [c] ambulando [6] confecerunt, [d] 7 malis orbiculatis esse pasti videntur. [e] quid? jam, inquis, gloriosè omnia. si scias, [8] quàm sollicitus sum, tùm [9] hanc meam gloriam, [10] quæ ad me nihil pertinet, derideas. quæ tibi exponere, nisi coram, non possum: idque celeriter fore spero. [f] nam me, cùm expulisset ex Italiâ Pompeium, constituit ad urbem vocare: id quod jam existimo confectum: nisi

Interpretatio.

[a] *qui tantum bellum nullo militari apparatu concitavit.*
[b] *nunquid Cæsariani milites, qui, &c.*
[c] *quasi ludendo.*
[d] *tibi videntur nutriti cibis delicatis.*
[e] *gloriaris, inquies, quòd* vobis Cæsaris hucusque fœliciter *omnia* successerint, immò verò *si scias, &c.*
[f] *nam* Cæsar *statuit me Romam accersere, ubi Pompeium ex Italiâ expulerit, quem jam expulsum existimo.*

Notæ.

1. *Ineptiorem*] Qui sibi nimiùm præsidens, nullas, imminente civili bello, copias conscripserit; quare, præter opinionem, & ex improviso occupatus est, & turpiter fugere coactus.

2. *Tàm nugax*] Contempto nimirùm Cæsare, cujus legiones ad se transvolaturum falsò existimabat.

3. *Commorit*] Commovit Pompeius, quia parem: commovit & Cæsar, quia superiorem ferre non poterat.

4. *Acriorem*] Cui nullus unquam celeritate & vigilantiâ imperator par extitit.

5. *Temperatiorem*] Qui L. Domitium Ænobarbum, Lentulum Spintherem, alioscque Corfinii captos, sibique infensissimos, incolumes dimiserit: laus certè Cæsari peculiaris, quòd fuerit ad pœnitentiam usquè clemens.

6. *Confecerunt*] Sermo est de Rubiconis transitu, & Corfinio capto, quibus Romam delatis, Pompeius Brundusium se recepit.

7. *Malis orbiculatis*] Poma orbiculata dicuntur à Varrone, quæ rotunda sunt, ab eoque tanquam optima laudantur. Cæsaris autem milites duris assueti, hujus generis alimenta spernebant.

8. *Quàm sollicitus sum*] Ob pericula quæ Reipublicæ imminent.

9. *Hanc meam gloriam.*] Quam videor ex Cæsaris fortunâ colligere.

10 *Quæ ad me nihil pertinet*] Quæ nihil me delectat, quia cum civium & libertatis clade conjuncta est.

maluit Pompeium Brundisii [12] circumsedere. [g] peream, si minima causa est properandi istò mihi, quod te videre, & omnia intima conferre discupio. habeo autem quàm multa. hui vereor, quod solet fieri, ne, cùm te videro, [20] omnia obliviscar. Sed tamen quodnam ob scelus iter mihi necessarium retrò [13] ad Alpes versus [14] incidit? [15] adeò, quòd [16] Intemelii in armis sunt, neque de magnâ causâ. [17] Bellienus, [18] verna Demetrii, qui ibi cum præsidio erat, Domitium quendam, nobilem illic, Cæsaris hospitem, [h] à contrariâ factione nummis acceptis, comprehendit, & strangulavit. civitas ad arma iit. eò nunc [i] cohortibus mihi per nives eundum est. [k] Usquequaque, inquis, se [19] Domitii mali dant. [l] Vellem quidem [20] Venere prognatus, tantùm animi habuisset [21] in vestro Domitio, quantùm ipse [22] Pscade natus in hoc habuit. Ciceroni F. S. D. Vale.

INTERPRETATIO.

[g] *moriar, si aliam ob causam Romam properare velim, nisi quia te videre, &c.*
[h] *corruptus pecuniâ factionis* Domitio *contrariæ.* [i] cum *cohortibus.*
[k] *ubique, inquis, Domitii molesti sunt.*
[l] *vellem equidem ut* Cæsar, *divinâ stirpe natus, sic Domitium vestrum occidisset, sicut verna* Demetrii *Domitium quæ occidit.*

NOTÆ.

11. *Circumsedere*] Id certè feciſſet Cæſar, ſi paratam habuiſſet claſſem.
12. *Omnia obliviscar*] Tantam ex mutuo conſpectu voluptatem nonnunquam amici percipiunt, ut cætera obliviſcantur
13. *Ad Alpes versus*] Vetuſta locutio.
14. *Incidit*] Nunc, cùm maximè ad te accurrere vellem.
15. *Adeò quòd*] Eam ob rem illud iter ſuſcipio, quia Intemelii, &c.
16. *Intemelii*] Intemelium maritima eſt Liguriæ civitas: Albium Intemelium à Strabone; à Tacito Albintimilium dicitur; nunc *Vintimiglia*, *Ventemille*.
17. *Bellienus*] Qui verna quondam Demetrii fuit; nunc Intemelii cum præſidio verſatur.
18. *Verna*] Servus ex ancillâ natus.
19. *Domitii*] L. Domitium Ænobarbum indicat, qui Cæſaris odio, civile bellum excitavit, ut Cæſarem perderet.
20. *Venere prognatus*] Genus quippè ſuum ad Æneam Veneris filium Cæſar referebat.
21. *In vestro Domitio*] Quoniam Domitium capitaliter oderat Cœlius, dolebat ei Cæſarem pepercisse.
22. *Pscade natus*] Hæc duo Cœlius opponit, *Cæsar Venere prognatus*, & *Bellienus Pscade natus*: Pſecades dicebantur à Græcis ancillæ, quæ matronarum capillos pigmentis & fuco conſpergebant.

EPISTOLA XVI.

Pulso ex Italiâ Pompeio, author est est Ciceroni Cœlius, ut Cæsarem sequatur, aut certè in locum aliquem à bello vacuum secedat. Eodem anno.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

EXANIMATUS sum [a] tuis literis, quibus te [b] nihil niſi triſte cogitare oſtendiſti; neque, id quid eſſet, perſcripſiſti: [c] neque non tamen quale

INTERPRETATIO.

[c] *& tamen, quale hoc esset, quibusdam signis indicastis.*

NOTÆ.

1. *Tuis literis*] Quæ ad nos uſque non pervenerunt.
2. *Nihil niſi triſte*] Ob ſuam & Reipublicæ cladem.

Digitized by Google

eſſet, [3] quod cogitares, aperuiſti. has ad te illicò literas ſcripſi. [4] Per fortunas tuas, Cicero, per liberos te oro, & obſecro, [b] ne quid gravius de ſalute, & incolumitate tuâ conſulas. nam deos, hominesque, amicitiamque noſtram teſtificor, me neque temerè tibi prædixiſſe, neque temerè monuiſſe, ſed, poſtquam Cæſarem convenerim, ſententiamque ejus, qualis futura eſſet [5] parta victoria, cognoverim, [6] te certiorem feciſſe. [c] Si exiſtimas eandem rationem fore Cæſari in dimittendis adverſariis, & conditionibus ferendis, erras. nihil niſi atrox & ſævum cogitat, atque etiam loquitur: iratus [7] ſenatui [8] exiit. [9] his interceſſionibus planè [d] incitatus eſt. non mehercule erit deprecationi locus. Quare, ſi [10] tibi tu, ſi filius unicus, ſi domus, ſi ſpes tuæ reliquæ tibi caræ ſunt, ſi aliquid apud te nos, ſi vir optimus [11] gener tuus valet (quorum fortunas non debes velle conturbare) ſequere [e] eam cauſam, in cujus victoriâ ſalus [12] noſtra eſt: [13] ne aut odiſſe, aut relinquere cogamur, [14] aut impiam cupiditatem contra ſalutem tuam habeamus. denique illud cogita, [15] quod offenſæ fuerit, in iſtâ cunctatione te priùs ſubiiſſe. nunc te contra [f] victorem facere, quem [g] dubiis rebus lædere noluiſti, & [h] ad eos fugatos accedere, quos reſiſtentes ſequi nolueris, ſummæ ſtultitiæ eſt. Vide ne, dum pudet te [16] parum optimatem eſſe, parum diligenter, quid optimum ſit, eligas. quòd ſi [17] totum tibi perſuadere non poſſum: [i] ſaltem,

INTERPRETATIO.

[b] *ne conſilium aliquod tuæ ſaluti contrarium capias.*

[c] *falleris, ſi ſperas Cæſarem tam fore lenem in veniâ ſuis adverſariis*, poſt victoriam, *concedendâ, quàm lenis fuit in conditionibus* de pace anteà *offerendis.*

[d] *iracundiâ elatus eſt.*

[e] *Cæſarianam.* [f] *Cæſarem.* [g] *de victoriâ adhuc incertum.*

[h] *Pompeianos.*

[i] *ſaltem expecta, donec reſciatur, quinam ſe dedant Hiſpaniæ.*

NOTÆ.

3. *Quod cogitares*] Ad Pompeium, qui fugerat in Græciam, proficiſci cogitabat.

4. *Per fortunas*] In rebus miſeris uſitata obſecratio, quæ ſummum & dolorem & amorem indicat.

5. *Parta victoria*] An lenis, an ſevera.

6. *Te certiorem*] Tibi me ſcripſiſſe, atrocem ac ſeveram fore.

7. *Senatui*] Quòd Pompeio, non ſibi faveret.

8. *Exiit*] In Hiſpaniam, cum Petreio & Afranio, Pompeii legatis, dimicaturus.

9. *His interceſſionibus*] Maximè L. Metelli Trib. pl., qui, quaſcumque res agere Cæſar inſtituerat, impedire conabatur.

10. *Si tibi tu*] Hic epiſtolæ locus non ſine magno fletu lectus eſt à pueris Ciceronis, ut ipſe teſtatur libro 10. ep. 9. ad Atticum.

11. *Gener tuus*] Dolabella, unus ex Cæſaris legatis.

12. *Noſtra eſt*] Mea, & Dolabellæ.

13. *Ne aut*] Ne aut te, ſi Pompeium ſequeris, nos Cæſariani odiſſe cogamur.

14. *Aut impiam*] Aut impia vota contra ſalutem tuam facere, quandoquidem Pompeiano cuilibet precari cladem debemus.

15. *Quod offenſa fuerit*] Si times ne Pompeius offendatur, ſi remanſeris in Italiâ, cogita, tibi jam offenſum eſſe, quòd ad eum non ſtatim acceſſeris.

16. *Te parùm optimatem*] Dùm pudet, te non ſatis bonum civem eſſe, quoniam ad Pompeium non tranſis, qui Rempublicam tueri videtur, vide, ne negligas, quod tibi maximè conducit.

17. *Totum*] Ut relicto ſcilicet Pompeio, Cæſarem convenias.

Digitized by Google

dum, quid [18] de Hiſpaniis agamus, ſcitur, expecta: [k] quas tibi nuntio adventu Cæſaris fore noſtras. quam iſti ſpem habeant amiſſis Hiſpaniis, neſcio: quod porrò tuum conſilium ſit [l] ad deſperatos accedere, non medius fidius reperio. [19] hoc, quod tu, non dicendo, mihi ſignificaſti, Cæſar audierat: ac ſimul atque [m] ave mihi dixit, ſtatim, quid de te audiſſet, expoſuit. negavi me ſcire: ſed tamen ab eo petii, ut ad te literas [20] mitteret, quibus maximè ad remanendum commoveri poſſes. me ſecum in Hiſpaniam ducit. nam, [n] niſi ita faceret, ego priùs, quàm ad urbem accederem, ubicunque eſſes, ad te percurriſſem, & hoc à te præſens contendiſſem, atque omni vi te retinuiſſem. Etiam atque etiam, mi Cicero, cogita, ne te, tuoſque omnes funditùs evertas, ne te ſciens, prudenſque eò demittas, unde exitum vides nullum eſſe. quòd ſi te aut voces [21] optimatium commovent: aut [22] nonnullorum hominum inſolentiam, & jactationem ferre non potes: eligas, cenſeo, aliquod oppidum vacuum à bello, [o] dum hæc decernuntur, quæ jam erunt confecta. id ſi feceris, & ego te ſapienter feciſſe judicabo, & [23] Cæſarem non offendes. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *quas prædico Cæſari ſe traditurας, ubi primùm huc Cæſar advenerit.*
[l] *ad Pompeianos.* [m] *me ſaluauit.*
[n] *ſi me in Hiſpaniam non duceret.*
[o] *dùm hæc bello decernuntur quòd brevè confectum erit.*

NOTÆ.

18. *De Hiſpaniis*] Quò ſe contulit Cæſar, ut eas in poteſtatem ſuam redigeret, priuſquam Pompeium in Græciam perſequeretur.

19. *Hoc*] Te velle in Græciam ad Pompeium navigare.

20. *Mitteret*] Reipsâ miſit, leguntur-que lib. 10. epiſt. ad Atticum.

21. *Optimatium*] Objurgantium Ciceronem, quòd Pompeium, atque ipſam adeò Rempublicam deſeruiſſet.

22. *Nonnullorum hominum*] Cæſarianorum, qui, velut hoſtibus quaſi profligatis, inſolentiùs ſe jactabant.

23. *Cæſarem non offendes*] Id enim conſilii Cæſar ipſe Tullio dederat.

EPISTOLA XVII.

Fatetur, ſe Curionis amore, & Appii odio, Cæſari potiùs quàm Pompeio adhæſiſſe; hanc pretereà culpam partim in fortunam, partim in Ciceronem ipſum confert: poſtremò, quid jam contra Cæſarem moliatur, exponit. C. Julio Cæſare ſecundùm, & P. Servilio Vatiâ Iſauricо Coſſ. anno belli civilis ſecundo, urbis conditæ 705.

M. Cœlius S. D. M. Ciceroni.

[a] ERGO me potiùs [1] in Hiſpaniâ fuiſſe tùm, quàm [2] Formiis, cùm tu profectus es [3] ad Pompeium? [b] quòd utinam aut [4] Ap. Claudius in

INTERPRETATIO.

[a] *miſerum me quòd potiùs in Hiſpaniâ fuerim, quàm Formiis, &c.*
[b] *utinam Appius Clodius Cæſarem, aut Curio Pompeium eſſet ſequutus.*

NOTÆ.

1. *In Hiſpaniâ*] Ubi cum Cæſare bellum geſſerat contra legatos Pompeii.

2. *Formiis*] Urbe Campaniæ maritimâ. Initio belli civilis deſcriptæ ſunt à Conſulibus Italiæ regiones, quam quiſque tueretur; Capuam ſumpſit Tullius, fuitque, ut ipſe ſcribit, Ἐπίσκοπος totius oræ maritimæ à Formiis, &c.

3. *Ad Pompeium*] Qui tùm in Græciam abierat.

4. *Appius Claudius*] Pompeianarum partium fautor, Cœlioque infenſiſſimus.

Digitized by Google

istâ parte, aut [1] C. Curio : cujus amicitia me [c] paulatim in hanc perditam causam impositi. nam mihi sentio bonam mentem [6] iracundiâ & [7] amore ablatam. Tu porrò, [d] cùm ad te, proficiscens noctu [8] Ariminum, veniissem, dum mihi pacis mandata das ad Cæsarem, & [9] mirificum civem agis, amici officium neglexisti, [10] neque mihi consuluisti. Neque hæc dico, [11] quòd diffidam huic causæ : sed, crede mihi, perite satius est, quàm [12] hos videre. [13] quòd si timor vestræ crudelitatis non esset, ejecti jam pridem hinc essemus. nam hîc nunc, [14] præter fœneratores paucos, nec homo, nec ordo quisquam est, [e] nisi Pompeianus. equidem jam effeci, [15] ut maximè plebs, &, qui anteà noster fuit, populus, vester esset. [16] cur hoc, inquis? [17] immò reliqua expecta : [18] vos invitos vincere coëgero. [19] irritavi in me Catonem.

INTERPRETATIO.

[c] *paulatim me compulit ut hanc Cæsarianam causam amplecterer.*
[d] *cùm* ego *nocte proficiscens Ariminum*, *te* ex itinere *convenissem.*
[e] *qui Pompeio non studeat.*

NOTÆ.

1. *C. Curio*] Cæsarianus, & Cœlii familiaris; duplici ergò de causâ fatetur Cœlius Cæsari se tradidisse : primò, ut ab Appio, quem oderat, procul abesset : secundò, ut ab Curione non discederet, quem unicè amabat. Tertiam infrà subjicit multò quàm cæteræ, valentiorem.

6. *Iracundiâ*] In Appium.

7. *Amore*] In Curionem.

8. *Ariminum*] Quam urbem Cæsar Rubicone trajecto primùm occupavit.

9. *Mirificum civem*] Cujus est domesticos motus sedare.

10. *Neque mihi consuluisti*] Neque enim, uti debueras, author fuisti, ut neglecto Cæsare, ad Pompeium me converterem.

11. *Quòd diffidam*] Quòd timeam, ne Cæsar à Pompeio vincatur.

12. *Hos*] Cæsarianos, multa contra jus, fasque Romæ molientes.

13. *Quòd si timor*] Quòd si Pompeius, in hoc plus nimiò crudelis, non esset minatus eos pro hostibus ex æquo habiturum, & qui Romæ initio belli mansissent, & qui castra Cæsaris essent sequuti, nos esse Pompeianos apertè profiteremur, & à Cæsarianis pridem discessissemus.

14. *Præter fœneratores paucos*] Quibus in primis Cæsar favet, & qui propterea addicti sunt Cæsari.

15. *Ut maximè plebs*] Anteà jam à nobis dictum est, per plebem à nonnullis intelligi vulgus infimum; per populum verò, eos, qui, licet erant Patricii, in populari tamen remanebant ordine, quia censu, & Senatorio, & Equestri carebant; sic igitur locus explicari potest. equidem jam effeci, ut plebs infima, quam Cæsar sibi conciliare semper studuerat, & qui ex popularibus Patriciis Cæsari adhærebant, ii nunc omnes in Pompeium propendeant inclinatione voluntatis. Quibus autem beneficiis populum, & plebem sibi Cœlius devinxerit, & quare defecerit à Cæsare, consule indicem historicum, ubi hæc fusiùs habentur.

16. *Cur hoc, inquis?* Quare, inquies, id feceris, ut qui priùs Cæsariani erant, nunc benè sint in Pompeium affecti.

17. *Immò*] Respondet objectioni Cœlius hoc modo : desine hoc mirari, majora quippe contra Cæsarem in gratiam Pompeii molior.

18. *Vos invitos*] Dabo operam, ut Cæsarem, etiam inviti, superetis; id aggressus est seditionibus Romæ concitandis, sed inani exitu, ut Prœmium docet.

19. *Irritavi in me Catonem*] Quænam ex his verbis erui sententia possit, non video; verùm tamen, ut nihil intactum relinquam, sic locum hunc interpretari mihi visum est; quòd si, ad Cæsarem transeundo, Catonem irritavi, eundem nunc mihi, relicto Cæsare, reconciliabo. vel, Cæsari dein-

[20] vos dormitis, nec hæc adhuc mihi videmini intelligere, [21] quà nos pateamus, & quà simus imbecilli. [22] atque hoc nullius præmii spe faciam, sed quòd apud me plurimùm solet valere doloris, atque [23] indignitatis causa. quid [24] istîc facitis? [25] præmium expectatis, quod firmissimum est? [f] vestras copias non novi: [g] nostri valdè depugnare, & facilè agere, & esurire consuerunt. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *Pompeianas.* [g] *Cæsariani milites.*

NOTÆ.

ceps sic implacabilem me præbebo, ut me Catonem alterum esse dicatis. De Catonis in Cæsarem odio nemo non audivit.

20. *Vos dormitis*] Vos Pompeiani, negligentes estis.

21. *Quà nos*] Quâ ratione Cæsariani vinci possint, & quâ parte sint debiles.

22. *Atque hoc nullius*] Meam Pompeio navabo operam, nullâ quidem adductus spe præmii, sed ut dolori meo & indignationi faciam satis.

23. *Indignitatis*] Hæc vera causa est, quamobrem à Cæsare Cœlius desciverit, nimirùm quòd Cæsar urbanam jurisdictionem Trebonio, non sibi commisisset. Vide indicem historicum.

24. *Istîc*] In Græcia, quò Cæsar, post primum Hispaniense bellum, discessit, contra Pompeium dimicaturus: quasi uti dicat, nihil esse, quòd Pompeiani suis confisi viribus, in Græciâ Cæsarem expectent, armis debellari non posse, cùm fortissimum exercitum haberet; sed satius esse populi Romani, & totius Italiæ animos ad defectionem sollicitare, sollicitavit ipse Cœlius, at frustrà.

25. *Prælium expectatis*] Si certum vobis est prælio congredi, validissimum erit ex parte Cæsaris, cujus copiæ Pompeianis multò meliores.

LIBER IX.

AD VARRONEM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Expetit Varronis adventum in urbem, ut se cum eo de communibus miseriis, & Reipublicæ interitu quoquo modo consoletur. Cæsare tertium, & Lepido Coss. Africani belli tempore, anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

M. Cicero s. d. [1] M. Terentio Varroni.

EX iis literis, quas Atticus à te missas mihi legit, quid ageres, & ubi esses, cognovi: quando autem te visuri essemus, nihil sanè ex eisdem

NOTÆ.

1. *M. Terentio Varroni*] De hoc consule Prœmium.

Digitized by Google

literis potui suspicari. in spem tamen venio, appropinquare tuum adventum: qui mihi utinam [2] solatio sit. [a] etsi tot, tantisque rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam non stultissimus sperare debeat. Sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliquâ re juvare. scito enim me, posteaquam [3] in urbem venerim, rediisse cum veteribus amicis, id est cum libris nostris, in gratiam. etsi non idcirco eorum usum dimiseram, quòd iis succenserem, sed quòd eorum me suppudebat. Videbar enim mihi, [b] cùm me in res turbulentissimas, infidelissimis sociis, demisissem, [4] præceptis illorum non satis paruisse. ignoscunt mihi, & revocant in consuetudinem pristinam: teque, quòd in eâ permanseris, [5] sapientiorem, quàm me, dicunt fuisse. Quamobrem, [c] quando placatis his utor, videor sperare debere, si te viderim, & [d] ea quæ premant, & ea quæ impendeant, me facilè [e] transiturum, quamobrem, [f] sive in Tusculano, sive in Cumano ad te placebit, sive, [6] quod minimè velim, Romæ: dummodo simul simus, perficiam profectò, ut id utrique nostrûm commodissimum esse videatur. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quanquam premimur tot tantisque malis, ut nullum quisquam solatium, modò sit sanæ mentis, sperare debeat.*

[b] *cùm me in civile bellum, perfidis ut Pompeianis gratificarer, conjecissem.*

[c] *siquidem meis jam libris sum reconciliatus.* [d] *mala.*

[e] *evasurum.*

[f] *sive placebit* me *ad te, vel in Tusculanum, vel in Cumanum* venire.

NOTÆ.

2. *Solatio sit*] Post superatum à C. Cæsare Pompeium, eversa videbatur Respublica; hinc maximum hausit dolorem Cicero, quem sermonibus, & consuetudine Varronis lenire se velle ostendit.

3. *In urbem*] Non esset ausus in urbem redire, cùm tulisset arma contra Cæsarem, nisi ei ultrò Cæsar peperciisset, ac redire Romam permisisset. Hanc Cæsaris clementiam exornat in oratione pro Ligario.

4. *Præceptis illorum*] Monebant enim me libri mei, ne dissensione civili temerè me implicarem.

5. *Sapientiorem*] Peccaverat quidem Varro, quòd in bellorum civilium fluctus se demisisset, sapientior tamen certè, post Pharsalicam pugnam fuit; non enim se, ut Cicero, mœrori permisit, aut libros abjecit, sed in eorum usu constanter perseveravit.

6. *Quòd minimè velim*] Non omninò negat velle se Romæ versari, sed quemvis alium locum ait, se Romæ anteferre, & hanc vim habet vox *minimè*.

EPISTOLA II.

Censet conspectum hominum vitandum utrique, dum Cæsarianorum, ob Africanam victoriam plausus, ac gratulationes defervescant; deinde causas exponit, cur ipsemet ex urbe non discedat. Eodem anno.

Cicero S. D. Varroni.

CANINIUS, idem tuus, & idem noster, cùm ad me perveſperi venisset, & se postridie mane ad te iturum esse dixisset: dixi ei me daturum aliquid mane, & ut peteret, rogavi. conscripsi epistolam noctu: nec

ille ad me rediit. oblitum credidi. attamen eam ipsam epistolam misissem per meos, nisi audissem ex eodem, postridie te manè Tusculano exiturum. At [1] tibi repentè paucis pòst diebus, cùm minimè expectarem, venit ad me Caninius manè: proficisci ad te statim, dixit. [a] etsi erat ἄωλος illa epistola, [b] præsertim tantis posteà novis rebus allatis: tamen perire [2] meam lucubrationem nolui, & [c] eam ipsam Caninio dedi. sed cum eo, & homine docto, & amantissimo tui, [3] locutus ea sum, quæ pertulisse illum ad te existimo. Tibi autem idem consilii do, quod mihimetipsi: ut vitemus oculos hominum, si linguas minùs facilè possumus. [d] qui enim victoriâ se efferunt, quasi victos nos intuentur: qui autem victos esse [e] nostros molestè ferunt, [4] nos dolent vivere. Quæres fortasse, cur, cùm hæc in urbe sint, non absim, quemadmodùm tu [5] tu enim ipse, qui & me, & alios prudentiâ vincis, omnia, credo, vidisti: nihil omninò te fefellit. [f] Quis est tam [6] lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat? nusquam incurrat? Ac mihi quidem jampridem venit in mentem, [g] bellum esse, aliquò exire, ut ea, quæ agebantur hîc, quæque dicebantur, nec viderem, nec audirem. [h] sed calumniabar ipse: [i] putabam, qui obviam mihi venisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum, aut dicturum, etiamsi non suspicaretur: [k] Hic aut metuit, & ea re fugit: aut aliquid cogitat, & habet navem paratam. [l] Denique levissimè qui suspicaretur, & qui fortasse me novisset optimè, putaret me idcircò discedere, quòd [m] quosdam homines oculi mei ferre non possent. Hæc ergo suspicans, Romæ maneo: & tamen

INTERPRETATIO.

[a] *etsi vetus, atque obsoleta erat illa epistola.*

[b] *præsertim delatâ Romam Africanâ Cæsaris victoriâ.* [c] *epistolam.*

[d] *Cæsariani.*

[e] *Pompeianos.*

[f] *quis est tam perspicax, qui in tantâ rerum perturbatione non peccet aliquando?*

[g] *optimum esse.*

[h] *sed hac vanâ cogitatione ipse me morabar.*

[i] *putabam* cum, *qui in me incidisset, prout cuique visum esset, suspicaturum, aut licet non suspicaretur*, ex invidiâ *dicturum.*

[k] *aut Cicero metuit* Cæsarem, *& idcirò fugit.*

[l] *denique, qui minus malignè suspicaretur,*

[m] *victores Cæsarianos.*

NOTÆ.

1. *At tibi*] (*Tibi*) ornatûs causâ, hîc & alibi à Cicerone additur.

2. *Meam lucubrationem*] Id est laborem, quem in exarandâ hac epistolâ posui.

3. *Locutus ea sum*] Quæ fortè litteris tutò credi non poterant.

4. *Nos dolent*] Quia fortè viso Varrone, Tullio, & aliis quibus Cæsar pepercerat, cogitabant de sorte amicorum vel consanguineorum suorum, qui Pharsalicis in campis perierant.

5. *Tu enim ipse*] Illud *enim*, vim habet reconditam, quasi diceret jocando: Tu fortasse, tu nimirùm omnia vidisti, nihil unquam te fefellit; quod ipsum deinde confutat; *quis est tam lynceus, &c.* Duo igitur Varroni respondet, objicienti cur Romæ versaretur: Primum, se posse falli, cùm nemo sit tam lynceus, &c. Alterum, verè se cogitasse Româ discedere, sed certis de causis adhuc expectasse.

6. *Lynceus*] Unus fuisse dicitur ex Argonautis, eâ præditus oculorum acie, ut parietes

[a] λεληθότως consuetudo diuturna [7] callum jam obduxit stomacho meo. Habes rationem mei consilii. [o] tibi igitur hæc. Censeo latendum tantisper ibidem, dùm deferveſcat [8] hæc gratulatio, & simul dùm audiamus, quemadmodùm negotium confectum sit: confectum enim esse existimo. [p] magni autem interèrit, qui fuerit [9] victoris animus, qui exitus rerum. [q] quanquam, quò me conjectura ducat, habeo: sed expecto tamen. te verò nolo, nisi ipse rumor jam [10] raucus erit factus, ad [11] Baias venire. [12] erit enim nobis honestius etiam, cùm hinc discesserimus, videri veniſse in illa loca ploratum potiùs, quàm natatum. Sed hæc tu melius: [r] modò stet nobis illud, unà vivere in studiis nostris, à quibus [s] anteà delectationem modò petebamus, nunc verò etiam salutem: [t] non deesse, si quis adhibere volet, non modò ut [13] architectos, verumetiam ut fabros ad ædificandam rempublicam potiùs libenter accurrere: sin nemo utetur operâ, tamen & scribere, & legere [14] πολιτείας, &, si minùs [15] in curiâ, atque in foro, at in literis, & libris, ut doctissimi veteres fecerunt, [16] navare reipublicæ, & de moribus, ac legi-

INTERPRETATIO.

[a] *sensim.* [o] *tibi igitur hæc* suadeo; *censeo, &c.*

[p] *magni autem* nostrâ *interèrit*, nosse, *&c.*

[q] *quamquam conjicio satis, quid futurum sit.*

[r] *modò hoc sit nobis deliberatum.*

[s] *florente Republicâ.*

[t] & modò statutum habeamus, *non recusare, immò potiùs libenter accurrere, si quis, &c.*

NOTÆ.

parietes ipsos penetrare visu, & ad inferos usque prospexisse diceretur.

7. *Callum*] Metaphora est: callus propriè de cute intelligitur, quæ labore, & exercitatione durescit: transfertur ad animum, qui malorum assuetudine, quasi callum quemdam contrahit, epist. 5. lib. 4. *In illis rebus exercitatus animus callere jam debet.*

8. *Hæc gratulatio.*] Ob victoriam Africanam, quam Cæsar de Scipione, Jubâ, aliisque Pompeianis reportavit.

9. *Victoris animus*] Ad clementiam proclivis, an ad crudelitatem? hoc enim cognito, melius, quid facto sit opus, statuemus.

10. *Raucus*] Nisi plausus ob Cæsaris victoriam deferbuerint, rumorque, qui de illâ victoriâ jactatur, raucus factus sit, id est, multùm imminutus. metaphora: qui enim rauci sunt, vix audiuntur.

11. *Baias*] Campaniæ urbem suis aquis inclytam, quò Romani sæpiùs, & oblectationis, & valetudinis causâ se conferebant.

12. *Erit enim honestius*] Si, inquit, ad aquas Baianas nunc eamus, cùm recens est Africani triumphi nuncius, minùs id decorum videbitur, eruntque qui oblectationis unius ergò nos eò veniſse dicant: sin expectamus; non natatum nos veniſse, sed ploratum judicabunt, quod nobis multò honestius.

13. *Ut Architectos*] Non sperabat Cicero, dominante Cæsare, tantùm se habiturum authoritatis, quantùm stante Rep. habuerat; non recusat tamen operam suam Reipublicæ collabenti navare, sive architecti, id est civis primarii, sive fabri vices fungatur. Architecti consilio, fabri manu duntaxat valent.

14. Πολιτείας] De ratione administrandæ Reipublicæ.

15. *In curiâ*] Rempublicam Cicero juvabat: primùm in senatu, sive in curiâ, dicendâ sententiâ; deinde in foro, agendis causis.

16. *Navare*] Corruptus videtur hic locus: fortè legendum, *Rempublicam juvare*; vel addendum *operam*.

bus quærere. Mihi hæc videntur. tu quid sis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit, si ad me scripseris.

EPISTOLA III.

Varronem monet, se ad eum venturum, & utrique contemnendam hominum imperitorum reprehensionem, quam propter amœnitatem loci incurrerat. Hæc epistola deberet esse libri hujus ordine secunda. Eodem anno.

Cicero s. d. Varroni.

[1] ETSI, quid scriberem non habebam, tamen Caninio ad te eunti non potui [2] nihil dare. quid ergo potissimùm scribam? quod velle te puto, citò me ad te esse venturum. etsi vide quæso, satísne rectum sit, nos, hoc tanto [3] incendio civitatis, [a] in istis locis esse. [b] dabimus sermonem iis, qui nesciunt, nobis, quocunque in loco simus, [4] eundem cultum, eundem victum esse. [5] quid refert? tamen in sermonem incidemus. [c] [6] valdè id, credo, laborandum est, ne, cùm omnes in omni genere & scelerum, & flagitiorum volutentur, nostra nobiscum, aut inter nos cessatio vituperetur. ego verò, neglectâ [d] barbarorum insciti, te persequar. [e] quamvis enim hæc sint misera, quæ sunt miserrima: tamen artes nostræ nescio quo modo nunc uberiores fructus ferre videntur, quàm olim ferebant: sive quia nulla nunc in re aliâ acquiescimus: sive quòd [f] gravitas morbi facit, ut medicinæ egeamus, [g] eaque nunc appareat, cujus vim non sentiebamus, [h] cùm valebamus. [i] Sed quid ego hæc ad te, cujus domi nascuntur, [7] γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας? [k] nihil scilicet, nisi ut, rescribens aliquid, [8] me expectares. sic igitur facies. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *Baiis.* [b] *dabimus occasionem loquendi.*
[c] *at negligendus est sermo eorum, qui cùm ipsi flagitiosè vivant, nos injuriâ reprehendunt, quòd honestum inter nos otium persequamur.* [d] *indoctorum.*
[e] *quamvis enim Reipublicæ status sit miserrimus.*
[f] *libertatis & patriæ interitus.*
[g] *eaque* medicina *nunc sentiatur.*
[h] *incolumi Republicâ.*
[i] *sed cur hæc tibi trado* præcepta, *quæ apud te* nascuntur.
[k] *nihil igitur ultrò addam, nisi ut rescribas aliquid, neque expectes.*

NOTÆ.

1. *Etsi*] Hæc ipsa epistola est, de quâ in proximâ superiore fit mentio, quam vocat ἐπιστολήν, quòd esset tardiùs ad Varronem perlata.

2. *Nihil dare*] Literarum.

3. *Incendio*] Hac tantâ Reipublicæ perturbatione ortâ ex bellis civilibus.

4. *Eundem cultum*] Philosophi, quæcumque tandem accidissent, sive prospera, sive adversa, eumdem vitæ tenorem servabant, ut neque prosperis efferri, neque deprimi adversis viderentur.

5. *Quid refert?*] Quasi dicat: Nihil hoc refert, quòd victum, & cultum non mutemus: incurremus enim semper in calumniam & reprehensionem hominum.

6. *Valdè id credo*] Ironia est. Consule interpret.

7. Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας] Epist. 3. lib. 6.

8. *Me expectares*] Romæ tamen Cicero commoratus est, ut epistola superior indicat, quæ post hanc scripta est.

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

De Varronis in urbem adventu, ex quorumdam Philosopherum sententiâ jocatur. Eodem anno.

Cicero S. D. Varroni.

[a] 1 Περὶ δυνατῶν me scito, [b] χρὴ Διόδωρον χρῆναι. [c] quapropter, si venturus es, scito, necesse esse te venire: si [e] autem non es, οὐκ ἀδυνατον est venire. [d] nunc vide, utra te χρῆσις magis delectet, Χρυσιππία ne, an hæc, quam 3 noster Diodotus non [e] concoquebat. Sed de his etiam rebus, 5
otiosi cùm erimus, loquemur. hoc etiam est [f] χρὴ Χρύσιππον δυνατόν. 4 De Costio mihi gratum est: nam id etiam Attico mandaram. 5 Tu si minùs ad nos, nos accurremus ad te. si hortum in bibliothecâ habes, nihil deerit. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *de possibilibus.* [b] *juxta Diodori sententiam judicare.*
[c] *sin autem non es* venturus, *impossibile est te venire*, cela est parmi les choses impossibles.
[d] *nunc vide utra te sententia magis delectet; an* sententia *Chrysippi, &c.*
[e] *non probabat.*
[f] *judicio Chrysippi possibile.*
[g] *tu si non ad nos* accurres.

NOTÆ.

1. Δυνατῶν] Latinâ vox cùm deesset, Græcam adhibuit; tradit Quintilianus lib. 3. Institutionum orat. cap. 8. δυνατὸν à Latinis dici *possibile*; quam vocem, etsi duriorem esse fatetur, probare tamen videtur, quia sola est.

2. *Quapropter*] Diodori Dialectici sententiam, ac Chrysippi Stoïci pluribus explicat Cicero in libro de Fato, his verbis: *Maxime tibi, Chrysippe, cum Diodoro certamen est: ille enim id solùm fieri posse dicit, quod aut sit verum, aut futurum sit; & quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse; & quidquid non sit futurum, id negat fieri posse; tu, & quæ non sint futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiamsi id nunquam futurum sit; neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quanquam id millesimo antè anno Apollinis oraculo editum esset.*

3. *Noster Diodotus*] Philosophus Stoïcus, qui cum Cicerone multos annos vixit: in multis codicibus legitur *Diodorus*, sed mendosè; nec enim agitur de *Diodoro* Dialectico, de quo suprà; sed de *Diodoto* Stoïco.

4. *De Costio*] Quod mihi de Costio scripsisti, gratum est: cum eo videtur Tullius habuisse negotii nonnihil.

EPISTOLA V.

Probat diem, quo conventuri sunt in Cumanum; deinde laudat & suum, & Varronis consilium. Eodem anno.

Cicero S. D. Varroni.

[a] Mihi verò ad nonas benè maturum videtur fore, neque solùm propter rempublicam, sed etiam 1 propter anni tempus. quare diem 10

INTERPRETATIO.

[a] *mihi verò percommodum videtur fore, ad Nonas* ire in Cumanum, *non solùm propter bonum publicum, sed etiam propter anni tempestatem* opportunam.

NOTÆ.

1. Negat ante Nonas eundum in Cumanum; primum propter Rempublicam; ne

istum probo : itaque eundem ipse sequar. [b] [2] Consilii nostri, nisi eos quidem, qui id secuti non sunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem. [3] secuti enim sumus non spem, sed officium : reliquimus autem [4] non officium, sed desperationem. ita [5] verecundiores fuimus, quàm qui se domo non commoverunt : saniores, quàm qui, amissis opibus, domum non reverterunt. [6] sed nihil minus fero, quàm severitatem otiosorum : &, quoquo modo res se habet, [7] magis illos vereor, qui in bello occiderunt, quàm hos curo, [8] quibus non satisfacimus, quia vivimus. Mihi si spatium fuerit in Tusculanum ante Nonas veniendi, istic te videbo : sin minùs, persequar in Cumanum : & antè te certiorem faciam, ut [c] [9] lavatio parata sit. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *consilii nostri nobis pœnitendum non putarem, etiamsi eos qui aliud secuti sunt, non pœniteret.*

[c] *ut balneum paratum sit.*

NOTÆ.

quo tempore lugeri debet interitus Reipublicæ, in amœnis villis oblectare se viderentur; deinde propter anni tempestatem quam ante Nonas non satis opportunam putabat.

2. *Consilii*] Victo ad Pharsalum Pompeio, Pompeianorum alii arma deposuerunt, ut Cicero, & Varro, alii bellum de integro renovandum censuerunt, ut Cato, Scipio, &c. ait Cicero consilii sui nunquam fore, ut se pœniteat, etiamsi alios renovati belli non pœniteret, quos tamen non dubitat pœnitere.

3. *Secuti enim, &c.*] Bellum suscepimus contra Cæsarem, non spe victoriæ, sed officio solo, & amore patriæ ducti.

4. *Non officium*] cùm autem ab armis discessimus post prælium Pharsalicum, non existimandi sumus officio nostro defuisse, nulla siquidem spes erat vincendi Cæsaris; sed nos desperationi non dedisse, ut ii qui in Africâ novos tumultus excitarunt.

5. *Verecundiores*] Comparat se cum duobus hominum generibus; cum iis qui secuti sunt Pompeium, & cum iis qui Romæ manserunt, quos postea otiosos appellat, belli civilis exitum domi expectantes. His otiosis se & Varronem verecundiores fuisse ait; id est, ut ego interpretor, magis observantes Reipublicæ, pro quâ dimicare cum Pompeio voluerunt; iis verò, qui victi cruento prælio, & amissis opibus, arma non deposuerunt, sed in Africam convolarunt, saniores, quia cùm nulla spes victoriæ supereſſet, sani hominis videbatur esse, victori se permittere. Quid sit verecundia docet Cicero in Officiis : *Justitiæ partes sunt, non violare homines; verecundiæ, non offendere.*

6. *Sed nihil*] Nullos homines minùs fero, quàm otiosos illos, qui severè nos reprehendunt, quòd ab armis discessimus; nam neque reprehendendi sumus, quandoquidem patriam juvare non antè destitimus, quàm desperatæ res essent; & si reprehendendi sumus, certè non ab iis otiosis qui se ne loco quidem in tanto Reipublicæ periculo commoverunt, sed ab iis qui belli civilis extrema persecuti sunt.

7. *Magis illos vereor*] Parùm caro eos qui domi inertes & otiosi manserunt; si quos autem vereor, eos vereor, qui in bello civili sunt, qui mihi exprobrare videntur, quòd statim in Italiam redierim.

8. *Quibus non satisfacimus*] Dolent nos, qui domum reversi sumus post Pharsalicam pugnam, vivere. Vide epistolam hujus libri secundam.

9. *Lavatio*] Significatum habet duplicem : nam & pro ipso, ut vita dicta, actu lavandi sumitur, & pro loco, ubi quis lavatur : hîc pro loco.

Digitized by Google

EPISTOLA VI.

Nunciat adventum Cæsaris ex Africâ; culpam belli civilis Pompeio tribuit potiùs quàm Cæsari: Varronem laudat de suâ in litteris constantiâ. Eodem anno.

Cicero s. d. Varroni.

CANINIUS noster me tuis verbis admonuit, ut scriberem ad te, si quid esset, quod putarem te scire oportere. [a] Est igitur adventus in expectatione: neque tu id ignoras. sed tamen, cùm ille scripsisset, ut opinor, se in *[1] Alsiense venturum, [b] scripserunt [c] ad eum [2] sui, ne id faceret: multos ei [3] molestos fore, ipsumque multis: [4] Ostiæ videri commodiùs eum exire posse. id ego non intelligebam quid interesset: sed tamen Hirtius mihi dixit, & se ad eum, & Balbum, & Oppium scripsisse, [d] ut ita faceret: homines, ut cognovi, amantes tui. hoc ego idcirco nosse te volui, ut scires, hospitium tibi, [5] ubi parares, vel potiùs utrobique. quid enim ille facturus, incertum est. [6] & simul ostentavi tibi, me istis esse familiarem, & consiliis eorum interesse. quod ego cur nolim, nihil video. [7] NON enim est idem, ferre, si quid ferendum est, & probare, si quid probandum non est. [8] etsi, quid non probem quidem, nescio, præter initia rerum. nam hæc in voluntate fuerunt. vidi enim, (nam [9] tu aberas) [e] nostros amicos cupere bellum,

INTERPRETATIO.

[a] *est igitur adventus* Cæsaris *expectatione.*
* *in Alsiensem agrum.*
[b] *scripserunt ad Cæsarem sui, ne id faceret; fore enim ipsi multos molestos, eumque multis* fore molestum. [c] *ad Cæsarem.*
[d] *ut Ostiam appelleret.* [e] *Pompeianos.*

NOTÆ.

1. *In Alsiense*] Alsium vulgò, nunc creditur *Palo*, Castrum gentis Ursinæ in Ducatu Bracciani ad mare Tyrrhenum.

2. *Sui*] Hirtius, Balbus, Oppius.

3. *Molestos*] Ob villarum multitudinem, quas hîc Romani proceres habebant.

4. *Ostia*] Ostia, quondam Latii, nunc Campaniæ Romanæ civitas, duodecim milliaribus ab urbe Româ distans, in ora maris Tyrrheni, & ad ostia Tiberis.

5. *Ubi parares*] An in Alsiensi agro, an Ostiæ.

6. *Et simul*] Hæc cum superioribus hoc modo conjungenda sunt; nosse te volui quid mihi dixerit Hirtius, primùm ut scires hospitium tibi ubi parares, deinde ut simul intelligeres me istis, id est amicis Cæsaris, Hirtio, Balbo, Oppio familiarem esse.

7. *Non enim est idem*] Aliud est ferre aliquid, aliud probare; Cæsaris consilia in bello civili fero quidem, quia ferre necessitas temporum cogit, non item probo.

8. *Etsi*] Correctio; etsi non video quid non probem, præter initia belli civilis; quæ enim posteà mala passi sumus, necessitati ascribenda sunt; sola initia belli reprehensione digna; peccavit Cæsar quòd provinciam à populo, invito Senatu, acceperit, quòd absens consulatum petere voluerit; peccarunt itidem Pompeiani, quia belli nimis cupidi fuerunt: hæc enim cùm voluntatis & consilii essent, culpâ non vacabant, cætera conditioni bellorum, ac necessitati tribuenda.

9. *Tu aberas*] Pompeii in Hispaniâ legatus.

Digitized by Google

[f] hunc autem non tam cupere, quàm non timere. ergo hæc consilii fuerunt, reliqua necessaria. vincere autem aut hos, aut alios necesse est. scio te semper mecum in luctu fuisse, cùm videremus, quàm illud ingens malum alterutrius exercitus [10] ex ducum interitu: tùm verò, extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam: [11] quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. crudeliter enim otiosis minabantur: eratque iis & tua invisa voluntas, & mea oratio. [12] nunc verò si essent nostri potiti, valdè intemperantes fuissent: erant enim nobis perirati, [13] quasi quidquam de nostrâ salute decrevissemus, quod non idem illis censuissemus: aut quasi utilius reipublicæ fuerit, eos etiam ad [14] bestiarum auxilium confugere, quàm vel mori, vel cum spe si non optima, at aliqua tamen vivere. At in perturbatâ republicâ vivimus. quis negat? sed hæc viderint ii, [15] qui nulla sibi subsidia ad omnes vitæ status paraverunt. huc enim ut venirem, [16] superior longius, quàm volui, fluxit oratio. cùm enim te semper magnum hominem duxi: tum, quòd his tempestatibus es propè solus in portu, fructusque doctrinæ percipis eos, qui maximi sunt, ut ea consideres, eáque tractes, quorum & usus, & delectatio est omnibus [17] istorum & actis, & voluptatibus anteponenda. [18] Equidem hos tuos Tusculanenses dies instar esse vitæ puto: libenterque omnibus omnes opes concesserim, ut mihi liceat, vi nullâ interpellante, isto modo vivere. quod nos quoque imitamur, ut possumus, & in nostris studiis libentissimè conquiescimus. QUIS enim hoc non dederit nobis, ut, cùm operâ nostrâ patria sive non possit uti, sive nolit, ad eam vitam revertamur, quam [19] multi docti homines, fortasse non rectè, sed tamen multi etiam reipublicæ præponendam putaverunt?

INTERPRETATIO.

[f] *Cæsarem.*

NOTÆ.

10. *Ex ducum interitu*] Sive Cæsar, sive Pompeius occideret.

11. *Quam quidem*] Verebar etiam ne Pompeiani, ad quos nos adjunxeramus, vincerent; quia crudeliter otiosis, qui domi se continuerant, minabantur; eratque iis, & tua voluntas, & mea oratio molesta, quia bellum dissuadebamus.

12. *Nunc verò*] Hoc bello Africano, quòd recens gestum est, si Pompeiani Cæsarem vicissent, valdè intemperantes fuissent.

13. *Quasi*] Immeritò tamen, inquit, nobis irascebantur Pompeiani: quod enim, positis armis, salutis nostræ causâ fecimus, idem illis, ut facerent, authores fuimus.

14. *Bestiarum*] Bellum renovare in Africâ, & ad bestias, id est ad elephantos Regis Mauritaniæ confugere, quàm Cæsaris jussu mori, vel cum spe aliquâ placandi Cæsaris vivere: quorsùm autem mori satiùs putat, quàm ad Jubam & Afros confugere? quia, ut ait in epistolâ ad Atticum septimâ libri undecimi: *Non fuit defendenda Respublica auxiliis fallacissimæ gentis.*

15. *Qui nulla*] Nos enim præsidium habemus in litteris.

16. *Superior*] Eò digressus erat, quia suprà dixerat se familiarem esse Cæsarianis, & eorum consiliis interesse, quod cur nollet, nullam se videre causam.

17. *Istorum*] Cæsarianorum victoriis.

18. *Equidem*] Equidem hos dies quos Tusculani in Philosophiæ studio collocas tanti faciendos puto, quanti quisque vitam suam æstimat.

19. *Multi*] Plato, aliique viri doctissimi, omissâ Reipublicæ curâ, se totos sapientiæ

Digitized by Google

quæ igitur ſtudia, [10] magnorum hominum ſententia, [11] vacationem habent etiam publici muneris, [12] iis, concedente republicâ cur non abutamur? Sed plus facio, quàm Caninius mandavit. is enim, ſi quid ego ſcirem, rogarat, quod tu neſcires: ego tibi ea narro, quæ tu meliùs ſcis, quàm ipſe, qui narro. faciam ergo illud, quod rogatus ſum, ut eorum, quæ temporis hujus ſint, [13] quæ tuâ intereſſe audiero, ne quid ignores. Vale.

NOTÆ.

ſtudiis, ac contemplationi dederunt.

10. *Magnorum*] Doctorum, ut Platonis, &c. de quo ſuprà.

11. *Vacationem habent*] Liberant nos à Reipublicæ curâ, etiam cùm noſtram illa curam exigit.

12. *Iis*] Iis jam ſtudiis cur non prorsùs utamur; ſiquidem id permittit Reſpublica, quæ cùm ad unum deveneris, noſtro deinceps labore non indiget.

13. *Quæ tuâ intereſſe*] Elegans, & clara quidem ſententia, ſed quæ repugnat manuſcriptis omnibus, in quibus legitur, *quæ tua audiero*; libenter cum Manutio legerem, *quæque tua audiero*.

EPISTOLA VII.

Monet Cæſaris reditum appropinquare, prodeundum eſſe obviam, neſciri quâ viâ ſit ex Africano bello rediturus. Eodem anno.

Cicero S. D. Varroni.

COENABAM apud Seium, cùm utrique noſtrùm redditæ ſunt à te litteræ. Mihi verò [1] jam maturum videtur. nam quòd anteà * [2] calumniatus ſum, [3] indicabo malitiam meam. volebam propè alicubi eſſe, ſi [4] quid bonæ ſalutis [a] [5] Σὺν τι δὺ ἐρχομένω. nunc, [b] quando confecta ſunt

INTERPRETATIO.

* *nam quòd anteà fingebam me cogitare.* [a] *utroque eunte ſimul.* [b] *quandoquidem præſligati ſunt in* Africâ Pompeiani.

NOTÆ.

1. *Jam maturum*] Ut Cæſari ex Africano bello redeunti obviam prodeamus.

2. *Calumniatus ſum*] Veteres libri ferè omnes habent, *te calumniatus ſum*, ſed te cum Manutio putamus redundare: nec enim quâ in re calumniatus ſit Varronem Cicero, dici poteſt; calumniatus eſt ergo ipſe ſecum, ea ſe cogitare ſimulans, & ſcribens, quæ nullo modo cogitabat; reſpicit ad hæc verba epiſtola ſecunda hujus libri, *Calumniabar ipſe, putabamque, qui mihi obviam veniſſet, ſuſpicaturum, aut dicturum, etiam ſi non ſuſpicaretur. hic*, &c. Erat hoc calumniari; non enim id verè putabat Cicero, ut oſtenditur ex iſtis verbis hujus epiſtolæ, *indicabo malitiam meam*. Hanc calumniæ ſignificationem ſi quis velit aliis confirmari exemplis, habet in primo libro quamplurima. Epiſt. 1. 4. &c.

3. *Indicabo malitiam meam*] Veram indicabo cauſam quamobrem manebam, ego Romæ, teque hortabar, ne longiùs à me diſcederes. Vide epiſtolam ſecundam hujus libri.

4. *Si quid bonæ ſalutis*] Si quid boni, nuncii de Pompeianorum victoriâ in Africâ huc veniret: at quorsùm volebat propè alicubi eſſe Varronem? quia timebat ire ſolus obviam Pompeianis victoribus; erant enim ipſi perirati, ut patet ex epiſtolâ ſextâ, quod ab armis diſceſſerat: tutiorem autem ſe putavit, ſi unà cum Varrone obviam illis prodiret.

5. Σὺν τι.] Verſus ille ſumptus eſt ex

omnia, [c] dubitandum non est, [6] quin equis, viris. nam, ut audivi [7] de Lucio Cæsare filio, mecum ipse, Quid hic mihi faciet patri? itaque non desino [8] apud istos, qui nunc dominantur, cœnitare. quid faciam? tempori serviendum est. [d] sed ridicula missa, præsertim cùm sit nihil quod rideamus.

[9] Africa terribili tremit, horrida terra, tumultu.

Itaque nullum est [10] ἀποπροηγμένον, quod non verear. Sed, quod quæris, [e] quando, quà, quò nihil adhuc scimus: [11] istuc ipsum de Baiis. nonnulli dubitant, an per Sardiniam veniat. illud enim adhuc [12] prædium suum [13] non inspexit: nec ullum habet [14] deterius, sed tamen non contemnit. [f] ego omninò magis arbitror [15] per Siciliam: vel jam sciemus: adventat enim [16] Dolabella. eum puto [17] magistrum fore.

INTERPRETATIO.

[c] *dubitandum non est, quin* Cæsari obviam prodire debeamus.
[d] *sed joces omittamus.*
[e] *quando* venturus sit Cæsar, *quâ viâ, quem in locum.*
[f] *ego certè magis puto per Siciliam* venturum.

NOTÆ.

decimo Iliados; totius hujusce loci sensus ille est: volebam alicubi propè nos esse, ut si quid boni nuncii de Pompeianis in Africâ victoribus huc veniret, possemus ambo simul obviam ire, sed nihil bonæ salutis venit, victi enim sunt Pompeiani.

6. *Equis, viris*] Omni curâ: metaphorâ ductâ à conflictu militari, in quo equis virisque certatur.

7. *De Lucio Cæsare*] C. Cæsar jusserat L. Cæsarem propinquum suum necari, quia perpetuò contra ipsum pugnaverat; hinc secum Cicero, si Lucio Cæsari non pepercit propinquo suo, quid mihi faciet? sumpsit hunc locum ex Andriâ Terentii, qui vim hîc ut habeat, mutanda hoc modo ratiocinatio, si in suos crudelis Cæsar fuit, qualis in alienos erit.

8. *Apud istos*] Hirtium, Balbum, Oppium, amicos Cæsaris, quibus suprà dixit se esse familiarem.

9. *Africa*] Versus Ennianus.

10. ἀποπροηγμένον] Naturæ bona dicebantur à Stoicis ἀποπροηγμένα, id est rejecta, quia minimi facienda erant; quasi diceret Cicero, ita sunt omnia perturbata, ut minimùm quodque verear.

11. *Istuc ipsum*] Istuc ipsum quod affirmant, Cæsarem venturum Baias, nescitur; dubitatur enim à nonnullis an per Sardiniam; ergo nec locum ad quem venturus sit, nec quâ viâ, adhuc scimus.

12. *Prædium*] Jocatur, & Cæsaris potentiam post victoriam usque adeò extollit, ut, quæ anteà provinciæ populi Romani erant, Cæsaris tantùm essent prædia.

13. *Non inspexit*] Inspexerat Cæsar cætera prædia, id est, cæteras provincias; primùm Galliam, cui decem annis præfuit; deinde Hispaniam, cùm contra Pompeii legatos bellum gereret; tertiùm, Græciam, cùm insequeretur Pompeium; quartùm Africam, cùm reliquias belli persequeretur.

14. *Deterius*] Quia Sardinia est cœlo insalubri.

15. *Per Siciliam*] Falsus est: tradit enim Hirtius venisse per Sardiniam.

16. *Dolabella*] Gener Ciceronis, & Cæsaris legatus, quem mox ex Africano bello rediturum expectabat.

17. *Magistrum*] Eram illi magister in arte eloquentiæ, ego nunc illo utar magistro; is enim me docebit, quo pacto gratiam Cæsaris amissam recuperem. Plura de Dolabellâ in indice eorum ad quos scribit Cicero.

18. Πολλὰ

18 Πολλοὶ μαθηταὶ χρείττονες διδασκάλων.

sed tamen, si sciam 19 quid tu constitueris, meum consilium accommodabo potissimùm ad tuum: quare expecto tuas literas. Vale.

INTERPRETATIO.

18 multi discipuli meliores magistris.

NOTÆ.

18. *Πολλοὶ*] Senarius ignoti Poëtæ.
19. *Quid tu constitueris*] De modo, & tempore quo Cæsari obviam prodeundum est.

EPISTOLA VIII.

Mittit Varroni libros Academicarum quæstionum, ac vicissim à Varrone, quos promiserat, petit. Cæsare quartùm Consule sine collegâ, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

Cœlius S. D. Varroni.

a ETSI, munus flagitare, quamvis quis offenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus: tamen ego expectatione 1 promissi tui moveor, ut admoneam te, non 2 ut flagitem. misi autem ad te 3 quatuor admonitores, non nimis verecundos. nosti enim profectò b os ejus 4 adolescentioris Academiæ. 5 ex eâ igitur mediâ excitatos misi: qui, metuo, ne te fortè flagitent: ego autem mandavi, ut rogarent. Expectabam omninò

INTERPRETATIO.

a etsi ne populus quidem, nisi in seditione, solet munus flagitare, quamvis quis antè munus ei *promiserit.*
b impudentiam.

NOTÆ.

1. *Promissi*] Promiserat Varro Ciceroni libros, fortè quos de Latinâ linguâ postea ad eundem misit.

2. *Flagitem*] Admonere promissi, immò postulare minùs est, quàm flagitare: de oratore; *etsi admonitum te venimus, non flagitatum.*

3. *Quatuor admonitores*] Quatuor libros Academicos.

4. *Adolescentioris*] Academici Philosophi à reliquis Philosophis eo potissimùm nomine differebant, quòd nihil percipi, aut sciri posse dicerent; nec tamen ita consentiens inter eos opinio fuit, quin aliquâ re paulatim inter se discreparent; inde multiplex Academia; Cicero duas agnovit, veterem & novam; Laërtius tres; Sextus Empiricus etiam quinque: veteris Academiæ principes fuerunt Democritus, Anaxagoras, Empedocles, Parmenides, Xenophanes, Socrates, Plato, &c. recentioris, Arcesilas, Carneades, Philo, aliique. Majorem præ se modestiam tulit vetus Academia; nova minùs verecunda fuit, quam propterea adolescentiorem appellat: hæc omnium sententias impugnabat; illa non item, quippe quæ nonnulla Peripateticis, & Stoïcis haud ægrè concederet.

5. *Ex eâ igitur*] Ex mediâ igitur recentiore Academiâ, depromptos dialogos ad te mitto.

Digitized by Google

jam diù, [6] meque ſuſtinebam, ne ad te priùs ipſe quid ſcriberem, quàm aliquid accepiſſem, ut poſſem te remunerari quamſimillimo munere: ſed, cùm tu tardiùs faceres, id eſt, ut ego interpretor, [7] diligentiùs: teneri non potui, quin conjunctionem ſtudiorum, amoriſque noſtri quo poſſem literarum genere declararem. feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cùm eſſet unà [8] Pomponius. [c] tibi dedi partes [9] Antiochinas, quas à te probari, intellexiſſe mihi videbar, mihi ſumpſi [10] Philonis. puto fore, ut, cùm legeris, mirere id nos locutos eſſe inter nos, quod nunquam locuti ſumus: ſed noſti [11] morem dialogorum. Poſthac autem, mi Varro, quamplurima, ſi videbitur, & de nobis & inter nos: ſerò fortaſſe: ſed ſuperiorum temporum [12] fortuna reipublicæ cauſam ſuſtineat: hæc ipſi præſtare debemus. atque utinam, quietis temporibus, atque aliquo, ſi non bono, at ſaltem certo ſtatu civitatis, hæc inter nos ſtudia exercere poſſemus. [13] quanquam tùm quidem vel aliæ quæpiam rationes honeſtas nobis & curas, & actiones darent. nunc autem quid eſt, ſine his cur vivere velimus? [14] mihi verò cum his ipſis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed hæc coram, & ſæpiùs. [15] Migrationem, & emptionem feliciter evenire volo, tuumque in eâ re conſilium probo. Cura ut valeas.

INTERPRETATIO.

[c] *tibi dedi in illo dialogo perſonam Antiochi, quem, ut mihi videtur, intellexeram à te probari.*

NOTÆ.

6. *Meque ſuſtinebam*] Meque continebam, ne prior ad te ſcriberem, cùm ſcribere tamen maximoperè cuperem.

7. *Diligentiùs*] Qui diligentiùs & accuratiùs ſcribunt, tardiores ferè ſunt, nec quidquam, niſi lentè & faſtidioſè probant; hujuſmodi fuerit fortaſſe Varro in iis libris quos miſſurum ſe Ciceroni promiſit; nam in aliis non videtur fuiſſe, ut qui tam multa ſcripſerit, & ſeptingentos libros ediderit.

8. *Pomponius*] Atticus, is ad quem epiſtolarum ſcripſit volumina.

9. *Antiochinas*] Antiochus Aſcalonita magiſter fuit Varronis; uterque adhæſit veteri Academiæ.

10. *Philonis*] Patroni novæ academiæ.

11. *Morem dialogorum*] Dialogos qui ſcribunt, ſatis habent veri quæſiiſſe ſimilitudinem.

12. *Fortuna Reipublicæ*] Quòd ſi hæc ſtudia ſuperiori tempore non exercuimus, in nobis culpa non eſt, ſed hoc Reipublicæ fortunæ tribuendum, quæ cùm floreret eſſet, noſtram operam deſiderabat; nunc verò cùm nihil Reipublicæ causâ, oppreſsâ civitate, agere poſſimus, ſummoque abundemus otio, in culpâ ſimus, niſi frequentes inter nos, & de nobis ſermones conferamus: noſtrum eſt hæc tempora præſtare, illorum nobis eſt reddenda ratio, *nous en devons répondre.*

13. *Quamquam*] Correctio. Optabat ut ſtudia uterque poſſet exercere bono aliquo, & certo ſtatu civitatis; tùm ſe corrigit, quamquam ſi quis eſſet ejuſmodi certus ſtatus civitatis, non ſatis ſupereſſet otii ad litteras: nam publica negotia nos aliò abſtraherent. aliæ quæpiam rationes, &c. nunc autem quid eſt cur vivere velimus ſine his ſtudiis?

14. *Mihi verò*] Mihi hoc ſtatu rerum uſque adeò inſuavis vita eſt, ut cum his ipſis ſtudiis, quo uno ſolatio utor, vix poſſim vivere.

15. *Migrationem*.] In ædes nuper emptas.

Digitized by Google

EPISTOLA IX.

Author eſt Dolabella Ciceroni ſocero ſuo, ut ſe, inclinatâ jam ad Cæſarem victoriâ, cum eo conjungat, vel certè Athenis, aut in aliâ civitate quietâ exitum belli civilis expectet. Cæſare iterùm, & Servilio Conſulibus, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo quinto, belli civilis ſecundo.

Dolabella s. d. M. Ciceroni.

SI vales, gaudeo: & ipſe valeo, & Tullia noſtra rectè valet. Terentia minùs bellè habuit: ſed certum ſcio, jam convaluiſſe eam. præterea rectiſſimè ſunt apud te omnia. [a] Etſi nullo tempore in ſuſpicionem tibi debui venire, [1] partium cauſa potiùs quàm tua, tibi ſuadere, ut te aut cum Cæſare, nobiſcumque conjungeres, aut certè in otium referres: præcipuè nunc, jam [2] inclinata victoria, ne poſſum quidem in ullam aliam incidere opinionem, niſi in eam, in quâ ſcilicet tuâ de re tibi ſuadere videar, quod piè tacere non poſſum. Tu autem, mi Cicero, ſi hæc accipies, ut, ſive probabuntur tibi, ſive non probabuntur, ab optimo certè animo, ac deditiſſimo tibi & cogitata, & ſcripta eſſe judices. Animadvertis Cn. Pompeium nec [3] nominis ſui, nec rerum geſtarum gloria, nec etiam [4] regum, aut nationum clientelis, quas oſtentare crebrò ſolebat, eſſe tutum: & hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non poſſe contingere, ut honeſtè effugere poſſit, pulſo Italiâ, amiſſis Hiſpaniis, [5] capto exercitu veterano, [6] circumvallato nunc denique. quod, neſcio, an ulli unquam noſtro acciderit imperatori. Quamobrem, quid aut ille ſperare poſſit, aut tu, animum adverte pro tuâ prudentiâ. ſic enim facillimè, quod tibi utiliſſimum erit, conſilii capies. Illud autem à te peto, ut, ſi [b] jam ille [7] evitaverit hoc periculum,

Interpretatio.

[a] *etſi nullo tempore ſuſpicari debuiſti, me partium, & Cæſaris cauſâ potiùs, quàm tuâ ſuadere tibi, ut te cum Cæſare & nobiſcum conjungeres, aut certè te referres in otium; nunc præcipuè cùm jam inclinata eſt ad Cæſarem victoria, nullam in aliam venire poſſum ſuſpicionem, niſi in eam, in quâ videar id tibi ſuadere, quod piè non poſſum non ſuadere.* [b] *ſi jam Pompeius evitavit hoc periculum Dyrrachicum.*

Notæ.

1. *Partium*] Cæſaris, quem ſemper in bello civili ſecutus eſt Dolabella; Phil. 2. *Ter depugnavit Cæſar cum civibus, in Theſſaliâ, Africâ, Hiſpaniâ: omnibus affuit his pugnis Dolabella.*

2. *Inclinatâ*] Cùm hæc ſcriberet Dolabella, Italia & Hiſpania in poteſtate erant Cæſaris.

3. *Nec nominis ſui*] *Magnus* à Syllâ vocatus fuerat, eoque nomine litteras obſignabat.

4. *Regum clientelis*] Jactabat ſe percuſſâ ſemel terrâ, integros eductum exercitus. Vide Plutarchum.

5. *Capto*] In Hiſpaniis capto exercitu veterano, cui Pompeii nomine præerant Petreius, & Afranius.

6. *Circumvallato*] Obſeſſo ad Dyrrhachium.

7. *Evitaverit*] Non modò evitavit hoc periculum Pompeius, ſed tanquam victor Dyrrachium reliquit. Vide Plutarchum.

Digitized by Google

& abdiderit in classem, tu tuis rebus consulas, & aliquandò tibi potiùs, quàm cuivis, sis amicus. satisfactum est jam à te vel officio, vel familiaritati:[8] satisfactum etiam partibus, & ei reipublicæ quam tu probabas. reliquum est, ubi nunc est respublica, ibi simus potiùs, quàm, dum[9] illam veterem sequimur, simus in nullâ. Quare velim, mi jucundissime Cicero, si fortè Pompeius, pulsus his quoque[10] locis, rursus alias regiones petere cogatur, ut tu vel Athenas, vel in quamvis quietam recipias civitatem. quod si eris facturus, velim mihi scribas, ut ego, si ullo modo potero, ad te advolem. Quæcunque de tuâ dignitate ab imperatore erunt impetranda, quâ est humanitate Cæsar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. Erit tuæ quoque fidei, & humanitatis, curare, ut is tabellarius, quem ad te misi, reverti possit ad me, & à te mihi literas referat. Vale.

NOTÆ.

8. *Satisfactum, &c.*] Satisfeciſti officio erga Pompeium, satisfeciſti familiaritati quæ tibi cum illo interceſſit, satisfeciſti partibus, id eſt Pompeianis quos eras ſecutus.

9. *Illam veterem.*] Rempublicam veterem, qualis fuit ante bellorum civilium initia, cùm libertate cives fruerentur.

10. *Locis*] Dyrrachio, quemadmodùm ex Italiâ pulſus jam fuerat.

EPISTOLA X.

Jocatur de lite inter Niciam, & Vidium exortâ, cujus ambo Ciceronem arbitrum elegerunt. Cæsare quantùm Consule sine collegâ, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

Cicero S. D. Dolabellæ.

NON sum ausus[1] Salvio nostro nihil ad te literarum dare: nec mehercule habebam, quid scriberem, nisi, te à me mirabiliter amari: de quo etiam nihil scribente me, te non dubitare certò scio. Omninò mihi magis literæ, sunt expectandæ à te, quàm à me tibi. nihil enim Romæ geritur, quod te putem scire curare: nisi fortè scire vis, me inter[2] Niciam nostrum, & Vidium, judicem esse. profert alter, ut opinor, duobus versiculis[3] expensum Niciæ: alter[4] Aristarchus hos ἀθετήσεις. ego, tanquam criticus antis-

INTERPRETATIO.

[1] *dolet.*

NOTÆ.

1. *Salvio*] liberto.

2. *Niciam*] Grammaticum, familiarem Dolabellæ.

3. *Expensum*] Vidius profert versiculos duos, in quibus scriptum est, quid pecuniæ expensum sit Niciæ: Nicias verò tanquam Aristarchus illos versiculos notat veru, id est, ut adulterinos rejicit.

4. *Aristarchus*] Aristarchus, si quos versus in Homeri libris scriptos minimè pu-

Digitized by Google

quus, judicaturus sum, [b] utrum sint [f] τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. Puto te nunc dicere, Oblitusne es igitur [c] fungorum illorum, quos apud Niciam, & ingentium culinarum cum Sophia Septimæ? Quid ergo? [d] tu adeo mihi excussam severitatem veterem putas, ut ne [6] in foro quidem reliquiæ pristinæ frontis appareant? sed tamen suavissimum [g] συμβιώτην nostrum præstabo integellum: nec committam, ut, si ego eum condemnaro, [7] tu restituas: ne habeat [8] Plancus Bursa, apud quem litteras discat. [f] Sed quid ago? cùm mihi sit incertum, tranquillone sis animo, an, [9] ut in bello, in aliquâ majusculâ curâ, negotiove versere: [g] labor longius: Cùm igitur mihi erit exploratum, te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. te tamen hoc scire volo, vehementer populum solicitum fuisse [10] de P. Syllæ morte antequam certum scierit: nunc quærere desierunt, quomodo perierit. satis putant se scire, [11] quod sciunt. ego cæteroqui animo æquo fero: unum vereor, ne [12] hasta Cæsaris [h] refrixerit. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *utrùm* versiculi *sint Poëtæ, an interjecti*, seu ficti à Vidio.

[c] *fungorum, quos apud Niciam* comediisti, *& lautæ cœnæ cum Sophiâ Septimæ* filiâ.

[d] *an tu adeò mihi ereptam severitatem* amoremque justitiæ *veterem putas, ut ne in foro quidè conservem reliquias pristinæ severitatis.*

[e] *convictorem conservabo integrum.*

[f] *Sed quare jocer.*

[g] *progredior* in jocis *longiùs* quàm par est.

[h] *ne bonorum venditio à Cæsare factæ cessaverit.*

NOTÆ.

bàbat, nec Homeri putabat esse, notabat obeliſco; hinc qui Censoris sibi partes sumit, vocatur Aristarchus.

5. *Tũ ποιητῦ*] Perpetuus jocus: sicut Aristarchus versus Homeri expendebat, & notam ad malos, id est, qui Homericis additi essent, apponebat: sic ego versiculos quos profert Vidius, examino, ut judicem utrùm veri sint, an adulterini: ut allegoriam hanc & jocum intelligas, per versiculos intellige codicem expensi; per Homerum Poëtam, Vidium; per suppositos versus, ea scripta quæ in codicem expensi dolo Vidii irrepserunt.

6. *In foro*] Jocatur; arbiter enim delectus erat, ut privatim utriusque litem componeret.

7. *Tu restituas*] Carpit malignè, & jocosè Cæsarem, qui cives lege damnatos Pompeiâ, restituerat: *Ego verò*, inquit, *non patiar bonum Niciam, si erit à me condemnatus, per te restitui.*

8. *Plancus Bursa*] Ut cùm erit damnatus Nicias Grammaticus, non habeat Plancus Bursa, à quo litteras doceatur. Hic Bursa fuit unus veterum Ciceronis inimicorum, & ignarus in paucis.

9. *Ut in bello*] Ut ferè contingit in bello: vim hujus particulæ aliis exemplis illustro; de senectute, *multæ etiam, ut in homine Romano, litteræ*: de claris Oratoribus, *at hi quidem, ut populi Romani ætas est, senes, ut Athenienſium facta nunc erantur, adolescentes debent videri.*

10. *De P. Syllâ*] P. Sylla, is fortè, pro quo scripsit orationem Cicero, odiosus erat populo Romano, non tam quia propinquus erat Syllæ Dictatoris, qui cives Romanos proscripserat, quàm quòd proscriptorum bona emeret; hujus Publii mortem cùm Romani accepissent, verebantur, ne falsus esset rumor.

11. *Quòd sciunt*] Reverà periisse; parùm autem curant, quo genere mortis perierit.

12. *Hasta*] Ironia. Subjecerat Cæsar positâ hastâ, bona Pompeianorum voci præconis, cùm id indignè ferret Cicero; tamen vereri se dicit, ne hasta refrixerit, id est, ne emptores desint, præsertim mortuo P. Syllâ.

EPISTOLA XI.

Significat se præ dolore, quem cœpit ex morte Tulliolæ suæ, nihil scripsisse ad Dolabellam; posse verò ejus consuetudine, ac sermonibus mœrorem suum levari. Eodem anno.

Cicero s. d. Dolabellæ suo.

[1] VEL meo ipsius interitu mallem literas meas desiderares, quàm eo casu, quo sum gravissimè afflictus: quem ferrem certè moderatiùs, si te haberem. nam & oratio tua prudens, & amor erga me singularis multùm levaret, sed quoniam brevi tempore, ut opinio nostra est, te sum visurus: ita me affectum offendes, ut multùm à te possim juvari. [a] non quo ita sim fractus, ut aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendum putem: sed tamen hilaritas illa nostra, & suavitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi omnis est: firmitatem tamen, & constantiam, si modò fuit aliquando in nobis, eandem cognosces, quam reliquisti. Quod scribis, [b] prælia te meâ causâ sustinere: [c] non tam id laboro, ut, si qui mihi obtrectent, à te refutentur, quàm intelligi cupio, quod certè intelligitur, me à te amari. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo: ignoscasque brevitati mearum literarum. nam & celeriter unà futuros nos arbitror, & nondum satis [2] confirmatus sum ad scribendum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *non quòd.* [b] *te cum meis obtrectatoribus meâ causâ rem habere;* [c] *equidem nihil morer eorum calumnia, magni verò facio, quòd omnes intelligant me à te amari.*

NOTÆ.

1. *Vel meo ipsius*] Ægrè fers, quòd literas à me non acceperis, utinam id contigisset meo potiùs, quàm filiæ meæ interitu. Hanc duxerat uxorem Dolabella, sed cum eâ divortium postea fecerat.

2. *Confirmatus*] Ex dolore, quem filiæ interitus attulit.

EPISTOLA XII.

Gratulatur de valetudine Baiis celeriter recuperatâ; mittit orationem habitam pro Rege Dejotaro. Eodem anno.

Cicero s. d. Dolabellæ.

GRATULOR [1] Baiis [2] nostris, siquidem, ut scribis, salubres repentè factæ sunt: nisi fortè te amant, & tibi assentantur, & tam diù, dùm

NOTÆ.

1. *Baiis*] Campaniæ est civitas juxta mare sita.

2. *Nostris*] Blanditur ipsismet Baiis, quæ enim nostra appellamus, cariora habemus.

Digitized by Google

tu ades, sunt 3 oblitæ sui. quod quidem si ita est, minimè miror, cælum etiam, & terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere. Oratiunculam pro Dejotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram: itaque eam tibi misi. velim sic legas, ut causam tenuem, & 4 inopem, nec scriptione magnoperè dignam. sed ego hospiti veteri, & amico [a] munuscu- 5
lum mittere 5 levidense crasso filo, [b] [6] cujusmodi ipsius solent esse munera. Tu velim animo sapienti, fortique sis, ut tua moderatio, & gravitas [c] aliorum infamet injuriam. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *mittere volui exiguum munus, vile, nec magni pretii.*

[b] *qualia solent esse ipsius Dejotari munera.*

[c] *Cæsarianorum crudelitatem magis infamem reddat.*

NOTÆ.

3. *Sunt oblitæ sui*] Quia cùm lentiùs afferre sanitatem solerent, visæ sunt in gratiam Dolabellæ vim habere insolitam, suæque tarditatis in sanando oblivisci.

4. *Inopem*] Quæ non amplam dicendi materiam suppeditat.

5. *Levidense*] Isidorus vestem levidensem appellat, quæ raro filo, leviterque densata est, cui pavidensem opponit.

6. *Cujusmodi*] Notatur Dejotarus ut parùm liberalis.

EPISTOLA XIII.

Commendat Dolabellæ Suberinum, & Phanium, qui Pompeii partes erant in Hispaniâ secuti; petitque ut ab Cæsare reditum in patriam utrique impetret. Eodem anno.

Cicero S. D. Dolabellæ.

C. SUBERINUS 1 Calenus & meus est familiaris, & 2 Leptæ, nostri familiarissimi, perneccssarius. is cùm, 3 vitandi belli causâ, profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in eâ provinciâ esset, in quâ nemo nostrûm 4 post Afranium 5 superatum, bellum ullum fore putarat, incidit in ea ipsa mala, quæ summo studio vitaverat. oppressus est enim 6 bello repentino: quod bellum commotum 7 à Scapulâ, ita posteà confirmatum est à Pompeio, ut nullâ ratione se ab illâ miseriâ eripere pos-

NOTÆ.

1. *Calenus*] Calenum urbs est Campaniæ, in regno Neapolitano, agri fertilitate, & optimo vino celebratissima. Hor. lib. 1. Carm. Ode. 20.

Cæcubum, & prælo domitam Caleno, tu bibes uvam.

2. *Q. Leptæ*] Quis ille foret, ex 7. epist. libri 3. scimus: *Q. Leptam Præfectum fabrûm meum tibi obviam misi.*

3. *Vitandi belli*] Civilis, quod in Thessaliâ primùm, deinde in Africâ gestum est.

4. *Post Afranium*] Virum Consularem, unum ex tribus legatis Pompeii in Hispaniâ; reliqui duo erant M. Varro, & Petreius.

5. *Superatum*] A Cæsare, cui Pompeii copias ad Ilerdam tradere coactus est.

6. *Bello repentino*] Quòd à Pompeii liberis excitatum est.

7. *A Scapulâ*] Equite Romano, libe-

Digitized by Google

set. Eadem causa ferè est M. Planii [8] Heredis, qui est item Calenus, Leptæ nostri familiarissimus. Hosce igitur ambos sic tibi commendo, ut majore curâ, studio, sollicitudine animi commendare non possim. [a] volo ipsorum causa: meque in eo vehementer & amicitia movet, & humanitas. [9] Lepta verò cùm ita laboret, ut ejus fortunæ videantur in discrimen venire, non possum ego non aut proximè, atque ille, aut etiam æquè laborare. Quapropter, etsi sæpè expertus sum, quantùm me amares: tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maximè judicaturum. Peto igitur à te, vel, si pateris, oro, ut homines miseros, & [10] fortunâ, quam vitare nemo potest, magis quàm culpâ, calamitosos, conserves incolumes: velisque, per te [b] me hoc muneris cùm ipsis amicis hominibus, tùm municipio Caleno, quicum mihi magna necessitudo est, tùm Leptæ, quem omnibus [11] antepono, dare. Quod dicturus sum, puto equidem non valdè ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere. res familiaris alteri eorum valdè exigua est; alter [12] vix equestris. Quapropter, quando his Cæsar vitam suâ liberalitate concessit, nec est quod iis præterea magnoperè possit adimi: reditum, si me tantùm amas, quantùm certè amas, hominibus [c] confice: in quo nihil est, præter viam longam: quam idcirco non fugiunt, ut & vivant cum suis, & moriantur domi. quod ut enitare, contendasque, vel potiùs ut perficias, (posse enim te mihi persuasi) vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ambo mihi maximè cordi sunt.* [b] *me beneficium illud dare.* [c] *impetra.*

NOTÆ.

rorum Pompeii in Hispaniâ duce, qui clade ad Mundam acceptâ, ne Cæsaris in potestatem veniret, servo interficiendum se dedit.

8. *Heredis*] Accipe tanquam Planii, qui his litteris commendatur, cognomen.

9. *Lepta verò*] Cùm autem eò redactus sit Lepta, ut in periculo sit amittendæ rei familiaris, non possum quin æquè laborem pro ipsius salute, atque ipse laborat, aut certè proximus illi sim, neque ulli alteri concedam.

10. *Et fortunâ*] Nam profectus erat in Hispaniam, vitandi belli causâ.

11. *Antepono*] Calenis omnibus, qui ex eodem sunt ac Lepta municipio.

12. *Vix equestris*] Vix habet quadringenta millia sestertium: is enim erat equestris census.

EPISTOLA XIV.

Laudat Dolabellam, qui se libertatis acerrimum præbebat defensorem, aramque Cæsari mortuo erectam subverti jusserat. M. Antonio, & Dolabellâ Coss. paulò post Cæsaris necem, anno urbis conditæ 709.

Cicero s. d. Dolabellæ Cos.

ETsi contentus eram, mi Dolabella, [1] tuâ gloriâ, satisque ex eâ magnam lætitiam, voluptatemque capiebam: tamen non possum non con-

NOTÆ.

1. *Gloriâ*] Quam sibi Dolabella peperierat eversâ Cæsaris columnâ, servis cruci affixis,

Digitized by Google

fiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd vulgò hominum opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus. neminem conveni, (convenio autem quotidie plurimos: ſunt enim permulti optimi viri, qui, valetudinis causâ, [2] in hæc loca conveniant, præterea ex municipiis frequentes neceſſarii mei) quin omnes, cùm te ſummis laudibus ad cœlum extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant. negant enim ſe dubitare, quin tu, meis præceptis, & conſiliis obtemperans, præſtantiſſimum te civem, & ſingularem [3] Conſulem præbeas. quibus ego quanquam veriſſimè poſſum reſpondere, te, quæ facias, tuo judicio, & tuâ ſponte facere, nec cujuſquam egere conſilio: tamen neque planè aſſentior, ne imminuam tuam laudem, ſi omnis à meis conſiliis profecta videatur: neque valdè nego: [a] ſum enim avidior etiam, quàm ſatis eſt, gloriæ. eſt tamen non alienum à dignitate tuâ, quod ipſa [4] Agamemnoni, regum regi, fuit honeſtum, habere aliquem in conſiliis capiendis [5] Neſtorem: mihi verò glorioſum, te juvenem conſulem florere laudibus, quaſi [b] [6] alumnum diſciplinæ meæ. [7] L. quidem Cæſar, cùm ad eum ægrotum [8] Neapolim veniſſem, quanquam erat oppreſſus totius corporis doloribus: tamen antè, quàm me planè ſalutavit, ô mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cùm tantùm vales apud Dolabellam, quantùm ſi ego apud ſororis filium valerem, jam ſalvi eſſe poſſemus. Dolabellæ verò tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem, poſt te conſulem, ſolum poſſumus verè conſulem dicere. [c] deinde multa de facto, ac de re geſtâ: tùm nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquam, nihil reipublicæ ſalutarius. atque hæc una vox omnium eſt. A te autem peto, ut [d] me hanc quaſi falſam hæreditatem alienæ gloriæ ſinas [9] cernere: neque aliquâ ex parte in ſocietatem

INTERPRETATIO.

[a] *ſum enim pluſculùm amans laudis, quàm oportet.* [b] *quaſi diſcipulum meum.*
[c] *tùm multa* dicere cœpit *de facto, & de arâ, ac columnâ everſâ.*
[d] *ut patiaris hæredem me eſſe tuæ gloriæ, quamvis hanc non merear.*

NOTÆ.

affixis, ſeditioſiſque civibus morti addictis.

2. *In hæc loca*] Baias.

3. *Conſulem*] Mortuo Cæſare, Dolabella, quem Cæſar iturus ad expeditionem Parthicam, ſibi ſuffecerat, venit in forum cum inſignibus Conſularibus.

4. *Agamemnoni*] Agamemnon Rex Regum dictus, quia in bello Trojano, ad quod multi Reges erant profecti, totius exercitûs curam habuit.

5. *Neſtorem*] Cujus ab ore melle dulcior fluebat oratio, diſſentientes inter ſe Græcos conciliabat, ejuſque conſiliis in primis utebatur Agamemnon.

6. *Alumnum*] Alumnus eſt, & qui alit, & qui alitur: hîc poſteriore ſumitur ſenſu.

7. *L. quidem Cæſar*] Avunculus M. Antonii. Ab Antonio ipſo, oppreſſâ iterùm, poſt Cæſaris necem, per Triumviros Republicâ, proſcriptus eſt; ſed cùm milites ad eum interficiendum ab Octavio miſſi veniſſent, ad ſororem Juliam, eamdemque Antonii matrem, confugit, à quâ ſervatus eſt incolumis.

8. *Neapolim*] *Naples*, regni cognominis caput, anteà Parthenope.

9. *Cernere*] Cernere hæreditatem, idem eſt quod adire.

Digitized by Google

tuarum laudum venire patiare. quanquam, mi Dolabella, (hæc enim jocatus sum) libentiùs omnes meas, si modò sunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quàm aliquam partem exhauserim ex tuis. nam cùm te semper tantùm dilexerim, quantùm tu intelligere potuisti: tùm his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. NIHIL est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum, propter ejus summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem, atque constantiam: tamen [10] Idibus Mart. [11] tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum esse videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique [12] amare videar, anteà dilexisse. Quare quid est quod ego te horter, ut dignitati & gloriæ servias? proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quàm te ipsum. te imitere oportet, [13] tecum ipse certes. nec licet quidem tibi jam tantis rebus gestis, non tui similem esse. quod cùm ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. [e] contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modò non invidiosa, sed etiam popularis esset, & cùm bonis omnibus, tùm infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortunâ quâdam contigisset, gratularer felicitati tuæ sed contigit magnitudine tùm [14] animi, tùm etiam ingenii, atque consilii. legi enim concionem tuam: nihil illâ sapientius. [f] [15] ita pedetentim, & gradatim tùm accessus à te ad causam facti, tùm recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. liberasti igitur & [16] urbem periculo, & civitatem metu: [g] neque solùm ad tempus maximam uti-

INTERPRETATIO.

[e] *contigit enim tibi, quod nescio an ulli contigerit, ut summa severitas pœna non modò odiosa non esset, sed etiam grata omnibus.*

[f] *ita accessisti sensim & pedetentim ad rem narrandam, & ab eâ narratione tam prudenter recessisti ad improbos castigandos, ut res ipsa omnium consensu admoneret, te non impetu, sed ratione & consilio rei puniri.*

[g] *neque solùm actio tua aliquandiu nobis proderit, sed exemplo tuo, cæteri ad Rempublicam defendendam excitabuntur.*

NOTÆ.

10. *Idibus Martiis*] Quo die Cæsarem Brutus, conjuratorum princeps, interfecit. Epist. 4. lib. 12 *Vellem Idibus Martiis me ad cœnam invitasses.*

11. *Tantùm accessit*] Post eversam columnam Cæsaris, & sumptas de audacibus, ac sceleratis servis, Reipublicæ ac libertatis hostibus, pœnas.

12. *Amare*] Nota discrimen inter voces ejusdem in speciem significationis: amare plus quiddam est, quàm diligere.

13. *Tecum ipse certes*] Ut jam non alios, sed te ipsum, si possis, superes.

14. *Animi*] Laudat tria in Dolabellâ, animum, ingenium, consilium; animum, in puniendis reis, & everrendâ columnâ; ingenium & consilium, in concione, quâ Reipublicæ hostes vehementer accusavit.

15. *Ità pedetentim*] Non potuit laudari meliùs Dolabellæ prudentia, qui obstrepentem & seditiosam plebem, bellua scilicet, ut ait Horatius, multorum capitum oratione suâ haud aliter atque cæteris aureis ad se pertraxit.

16. *Urbem periculo*] Observa quoque discrimen inter urbem, & civitatem; ubi

litatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum. quo facto intelligere debes in te poſitam eſſe rempublicam. [h] tibique non modò tuendos, ſed etiam ornandos eſſe illos [17] viros, à quibus [18] initium libertatis profectum eſt. Sed his de rebus coram plura propediem, ut ſpero. Tu, quoniam rempublicam, noſque conſervas, fac ut diligentiſſimè te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias. Vale. §

INTERPRETATIO.

[h] *non modò tibi tuendos ab injuriâ, ſed honoribus efficiendos.*

NOTÆ.

parabatur incendium, civibus verò cædes, inſtigante populum Antonio, & ad ulciſcendam Cæſaris mortem, impellente.

17. *Viros*] M. Brutum, C. Caſſium; adde alios. Huic Ciceronis epiſtolæ, quæ facilè inter pulcherrimas numeratur, reſcripſit Dolabella, epiſt. 21. lib. 14. ad Atticum.

18. *Initium libertatis*] Expectantur à te cætera, ut eandem, quam Brutus & Caſſius, gloriam conſequaris.

EPISTOLA XV.

Reſpondet duabus epiſtolis Pæti; alteri, ſe ejus valetudine magnoperè perturbatum, cùm ſuperſit unus in quo veſtigia Romanæ, & antiquæ feſtivitatis agnoſcat; alteri, ſe perſtare in ſententiâ de emendâ domo Neapoli, nec eſſe cur Romæ vivere malit, ubi Cæſaris nutu omnia reguntur. Cæſare tertium, & Lepido Conſulibus, confecto Africano bello, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo ſeptimo.

Cicero S. D. Papirio Pæto.

DUABUS tuis epiſtolis reſpondebo: uni, quam triduo antè acceperam à Zetho: alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis literis intellexi pergratam tibi eſſe curam meam valetudinis tuæ: quam tibi perſpectam eſſe gaudeo: [a] ſed, mihi crede, non perinde, ut eſt reapſe, ex literis perſpicere potuiſti. nam cùm à ſatis multis (non enim poſſum aliter dicere) & coli me videam, & diligi, nemo eſt illorum omnium mihi te jucundior. nam quòd me amas, quòd id & jam pridem, & conſtanter facis, eſt id quidem magnum, [1] atque haud ſcio, an maximum, ſed tibi com- 10

INTERPRETATIO.

[a] *ſed mihi crede, non æquè potuiſti* curam meam *perſpicere ex literis, atque eſt reipſa.*

NOTÆ.

1. *Atque haud ſcio*] Hic & alibi ſæpiùs negationem omittit, quam nemo neceſſariam non credat: videtur enim dicendum, *atque haud ſcio, an non omnium maximum*; contrà verò, ubi minimè neceſſariam eſſe negationem dicas, eâdem utitur elegantèr, ut epiſt. 14. *Contigit tibi quod haud ſcio an nemini*: videretur enim ponendum eſſe, *an ulli.*

Digitized by Google

mune cum multis : quòd tu ipse tam amandus es, tamque dulcis, tamque in omni genere jucundus, id est propriè tuum. [b] Accedunt non [2] Attici, sed salsiores, quàm illi Atticorum, Romani veteres, atque urbani sales. ego autem ([c] existimes licet quod lubet) mirificè capior facetiis, maximè [3] nostratibus, præsertim cùm eas videam primùm [d] oblitas Latio, tum, cùm in urbem nostram est infusa [4] peregrinitas, nunc verò etiam [5] braccatis, & [6] transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat. itaque, te cùm video, omnes mihi [7] Granios, omnes [8] Lucilios, verè ut dicam, [9] Crassos quoque, & [10] Lælios videre videor. moriar si, præter te, quenquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ & [11] vernaculæ festivitatis agnoscere. ad hos lepores cùm amor erga me tantus accedat, miraris me tantâ perturbatione valetudinis tuæ tam graviter exanimatum fuisse? [e] Quòd autem alterâ epistolâ purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, [12] sed auctorem commorationis urbanæ : [13] neque ego aliter accepi :

INTERPRETATIO.

[b] *adde jocos non Atticos, sed festiviores Atticis, Romanos veteres, & propriè hujus urbis*

[c] *permitto ut judices quidquid sibi videbitur.*

[d] *inquinatas à Latinis* vicinis, *tùm cùm* Cæsar *infudit peregrinos in urbem nostram, nunc verò etiam à Gallis Braccatis.*

[e] *quòd autem excusas te, non dissuasse mihi emptionem domûs Neapolitanæ, sed fuisse tantùm ut Roma* interdùm *commorarer.*

NOTÆ.

2. *Attici*] Qui præ cæteris erant apud Romanos in pretio.

3. *Nostratibus*] Romanis, non autem Latinis, nedum Gallicis: Latinos distinguit à Romanis, & Latinos intelligit Latii totius, exceptâ Româ, incolas.

4. *Peregrinitas*] Cùm à Cæsare donati sint civitate Romanâ peregrini, id est Latini, sic enim Latini à Romanis vocabantur; neque solùm peregrini, id est Latini donati civitate, sed etiam Galli, tàm Transalpini, quàm Cisalpini, ex quibus etiam nonnulli in senatum recepti sunt. id verò Tullius indignè pati videtur.

5. *Braccatis*] Gallia Braccata, quæ propriè fuit Romanorum Narbonensis provincia: sic dicta est à Braccis, vestimenti scilicet genere, quod gerebant. Hæc Romanis paruit, priusquam Cæsar in Gallias Proconsul abiret: quatuor omninò nominet regiones, Occitaniam, Provinciam, Delphinatum, & Sabaudiam.

6. *Transalpinis*] Hoc indicat vocabulo, quidquid Galliarum Cæsar Romano subjecit imperio.

7. *Granios*] Granius præco fuit notæ dicacitatis, cujus sæpè meminit Cicero.

8. *Lucilios*] Lucilius Satyras scripsit primus: fit apud Horatium frequens illius mentio, ab eoque notatur quòd nimis citò versus ederet.

9. *Crassos*] Lucius Crassus Orator insignis, quem cum M. Antonio loquentem facit Cicero in tribus libris de Oratore. Hic in Philippum Consulem cùm acriùs invectus esset, lateris dolore correptus, septimo pòst die mortem obiit.

10. *Et Lælios*] C. Lælius, cognomine Sapiens, is qui in libro de amicitiâ inducitur loquens, sermonis elegantiâ adeò clarus, ut quæ Terentius fabellas exhibebat, eæ propter elegantiam putarentur à Lælio scriptæ.

11. *Vernaculæ*] Romanæ, quando nondum erat à Latinis, Gallisve corrupta.

12. *Sed auctorem*] Sed suasisse, ut neque semper essem Romæ, neque ab eâ semper abessem, sed modò Romæ, modò Neapoli habitarem.

13. *Neque ego aliter*] *Neque* pro *non*; sed vim habet haud paulò majorem, quasi diceret, *ne ego quidem ipse aliter sensi.*

Digitized by Google

intellexi tamen idem, quod his intelligo literis, [f] non existimasse te, mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omninò quidem, sed [14] magnam partem relinquere. [15] Catulum mihi narras, [16] & illa tempora: quid simile? ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutiùs abesse ab reipublicæ custodiâ. [17] sedebamus enim in puppi, clavumque tenebamus: nunc autem vix est in sentinâ locus. [18] an minùs multa senatusconsulta futura putas, si ego sim Neapoli? [g] Romæ cùm sum, & urgeo forum, [19] senatusconsulta scribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum. & quidem, cùm in mentem venit, [20] ponor ad scribendum: & antè audio senatusconsultum in [21] Armeniam, & [22] Syriam esse perlatum, [h] quod in meam sententiam factum esse dicatur, quàm omninò mentionem ullam de eâ re esse factam. atque hoc

INTERPRETATIO.

[f] *non putasse te mihi licere, sicut ego putabam, Reipublicæ administrationem saltem ex parte relinquere.*

[g] *cùm Romæ sum, & frequento forum.*

[h] *quod ex meâ sententiâ perscriptum dicatur esse.*

NOTÆ.

14. *Magnam partem*] Sume quasi adverbium esset, non autem quasi regatur à verbo *relinquere*. Sic Tuscul. lib. 4. num. 211. *Stoïci magnam partem in his partiendis occupati sunt.*

15. *Catulum*] Objicis mihi Q. Catulum nunquam Reipublicæ curam deposuisse; nota istud, *narras*, frequenter à Tullio adhiberi solitum, quodque tùm maximè est elegans, cùm quis refutatur. Quintus Catulus Consul anno 675. M. Lepidum collegam acta Syllæ Dictatoris, qui tùm mortuus est, rescindere conantem fortiter repressit, Censor dedicavit Capitolium, ingentis vir animi, quem nec spes nec metus ab instituto vitæ cursu unquam dimovere potuit: patre natus est Q. Catulo, qui Marii in Consulatu collega Cimbros ad internecionem usque delevit.

16. *Et illa tempora*] Quibus Catulus vixit.

17. *Sedebamus*] Rempublicam cum summâ auctoritate gubernabam; nunc autem à puppi ad sentinam delapsus sum, immò ne in sentinâ quidem locus mihi est ad laborandum, id est, nullam, ne minimam quidem Reipublicæ partem attingo.

18. *An minùs multa*] Sive sim Romæ, ut vis, sive absim Româ, & habitem, ut cogito, Neapoli, non minùs multa senatusconsulta, ac decreta fient; nec enim meis Cæsar utitur consiliis.

19. *Senatusconsulta scribuntur*] Jocus in Cæsarem, senatusconsulta, quæ, ut vox ipsa præfert, decreta sunt Senatûs, postquam res in curiâ aliquandiù agitata est, senatusconsulta, inquam, scribuntur domi apud Cæsarem amatorem tuum, apud quem plurimùm potes, meum familiarem: jocosè & hoc postremum dictum puto, *meum familiarem*.

20. *Ponor ad scribendum*] Mendosus locus: opinor cum Manutio legendum esse, *ponor affuisse scribendo*, id est, nomen meum à Cæsare suis in decretis apponitur, quasi iis decretis scribendis adfuissem, quibus tamen minimè adfui.

21. *Armeniam* Duplex Armenia fuit, major, & minor; illa ab Occasu Cappadociam, à Septentrione Colchidem, Iberiam, & Albaniam; ab Ortu mare Caspium, & Hyrcanum; ab Austro Mesopotamiam, & Assyriam attingebat, hodie Turcomanniam appellant. Minor ad Septentrionem & Occasum Cappadociâ; ad Ortum Euphrate fluvio; ad Austrum Ciliciâ & Syriâ claudebatur. Nunc *Aladuli* dicitur.

22. *Syriam*] Quæ pulcherrimas inter Asiæ provincias jure reponitur; ab Occasu Ciliciam habet, & mare Syriacum; ab Ortu Mesopotamiam, minorem Armeniam à Septentrione; à Meridie Arabiam

nolim me jocari putes. nam mihi scito jam à regibus ultimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quòd se meâ sententiâ [23] reges appellaverim: quos ego non modò reges appellatos, sed omninò natos nesciebam. [24] Quid ergo est? tamen, quàm diù hîc erit noster hic [i] præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ: cùm verò abierit, ad [k] fungos me tuos conferam. [l] domum si habebo, in denos dies, singulos sumptuariæ [25] legis conferam. [m] sin minùs invenero, quod placeat, decrevi habitare apud te. scio enim me nihil gratius tibi facere posse. [n] Domum Sullanam desperabam jam, ut tibi proximè scripsi, sed tamen non abjeci. tu, velim, ut scribis, cum fabris tam perspicias. [o] si enim nihil est in parietibus, aut in tecto vitii, cætera mihi probabuntur. Vale.

INTERPRETATIO.

[i] *Cæsar.* [k] Champignons.

[l] *domum si habebo* Neapoli, *partiar in decem dies sumptus, quos lex sumptuariæ* à Cæsare lata *præscripsit in singulos dies.*

[m] *si non invenero Neapoli domum quæ mihi placeat.*

[n] *desperabam jam me empturum Neapoli domum Sulla, ut tibi nuper scribebam; sed tamen non abjeci spem.*

[o] *si enim parietes & tectum sint integra.*

NOTÆ.

desertam, & Palæstinam: Syri leves novarum rerum cupidi, & voluptatum amantes erant.

23 *Reges appellaverim*] Constat ex ep. 17. libri secundi, Ariobarzanem factum esse Regem ex sententiâ Ciceronis, & ita appellatum in Senatu; nunc verò, inquit, quos ne natos quidem scio, ii mihi gratias agunt, quasi ex meâ sententiâ Reges creati sint: sic mihi Cæsar illudit.

24. *Quid ergo est? tamen*] Quid ergo mutem sententiam de relinquendâ urbe? tamen consiliis tuis parebo, quandiù hîc Cæsar versabitur. Nota, quos odimus, non suo nomine, sed alieno ferè appellamus, præsertim si joci aliquid insit in nomine alieno, ut hîc inesse puto; porrò moribus præfectus est Cæsar à Senatu in triennium. Antè dixerat, *apud amatorem tuum, meum familiarem.*

25. *Legis*] Quam tulit Cæsar post bellum Africanum; indicatque Tullius, se, non modò non contra legem, sed potiùs infra legem cœnaturum.

EPISTOLA XVI.

Significat se benevolentiam Cæsaris omni ope tueri, neque id ab officio boni viri alienum putare: sub finem epistolæ salibus & jocis indulget. Eodem anno.

Cicero S. D. Papirio Pæto.

DELECTAVERUNT me literæ tuæ: in quibus primùm amavi amorem tuum, qui te ad scribendum incitavit, verentem ne Silius suo nuntio aliquid mihi solicitudinis attulisset. de quo & tu mihi antè scripseras, bis quidem eodem exemplo, facilè ut intelligerem te esse commotum: & ego tibi accuratè rescripseram, ut, quoquo modo, in tali re, atque tempore aut liberarem te istâ curâ, aut certè levarem. sed quando proximis quoque

Digitized by Google

literis ostendis, quantæ curæ tibi sit [1] ea res, sic, mi Pæte, habeto, quidquid arte fieri potuerit, (non enim jam satis est consilio pugnare: artificium quoddam excogitandum est) sed tamen quidquid elaborari, aut effici potuerit ad [a] istorum benevolentiam conciliandam, & colligendam, summo studio me consecutum esse, nec frustrà, ut arbitror. Sic enim color, sic observor ab omnibus iis, qui à Cæsare diliguntur, ut ab eis me amari putem. nam, [3] etsi NON facilè dijudicatur amor verus, & fictus, nisi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut, quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit, cætera sunt signa communia: sed ego uno utor argumento, quamobrem me ex animo, veréque arbitrer diligi, quòd & nostra fortuna ea est, & illorum, ut simulandi causa non sit. [a] De illo autem quem penes est omnis potestas, nihil video, quod timeam, nisi quòd omnia sunt incerta, [4] cùm à jure discessum est: [b] nec præstari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine. Sed tamen ejus ipsius nullâ re à me offensus est animus. est enim adhibita [c] in eâ re ipsa summa à nobis moderatio. ut enim olim arbitrabar esse meum, liberè loqui, cujus operâ esset in civitate libertas: [d] sic, eâ nunc amissâ, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum, qui ab illo diliguntur, voluntatem. [5] Effugere autem si velim nonnullorum acutè, aut facetè dictorum offensionem, fama ingenii mihi est abjicienda. quòd si id possem, non recusarem. [6] Sed tamen ipse Cæsar habet peracre judicium: &, ut Servius frater tuus, quem literatissimum fuisse judico, facilè diceret, hic versus Plauti non est, hic est, quòd tritas haberet aures notandis generibus Poëtarum, &

INTERPRETATIO.

[a] *de Cæsare.* [b] *nec certò affirmari quidquam potest.* [c] *in dictis jocularibus.* [d] *sic nunc amissâ libertate* arbitror meum esse *nihil loqui.*

NOTÆ.

1. *Ea res*] Id quod nuntiaverat Silius; quid autem illud sit, assequi non licet, nisi levi conjecturâ; tamen ex iis quæ continentur hâc epistolâ, fit verisimile Cæsarem offensum esse jocularibus dictis Ciceronis.

2. *Istorum*] Cæsaris amicorum, Oppii, Balbi, &c.

3. *Etsi non facilè*] Perturbata videtur aliquantulùm ratio Latini sermonis, sed neglecto verborum contextu, Cicero solius habuit rationem sententiæ, quod & sæpè alibi facit, præsertim in orationibus. Sic autem hujus epistolæ locus restitui posset; etsi non facilè discernitur amor verus à ficto, nisi aliquod tempus incidat, quo tempore, sicut aurum igne, sic amor periculo aliquo perspiciatur; tamen omissis cæteris signis, quæ communia sunt, unum habeo certum, quare existimem me verè & sincerè diligi à Cæsarianis, nempè quòd cùm florentissima sit illorum fortuna, victore Cæsare, mea verò afflicta & humilis sit, nullam videantur habere causam simulandi amoris erga me.

4. *Cùm à jure*] Quoties armis, ac viribus omnia geruntur, non autem jure ac legibus.

5. *Effugere*] Quòd si velim vitare invidiam, quam incurro propter nonnulla acutè & facetè dicta, necesse est ut famam ingenii abjiciam, quam tamen abjicere non recusarem, si vel sic possem aliorum offensionem vitare.

6. *Sed tamen ipse Cæsar*] Sed tamen cùm peracri sit judicio Cæsar, non videtur verendum, ne fidem adhibeat iis qui

consuetudine legendi : sic audio Cæsarem, cùm volumina jam confecerit [c] 7 ἀποφθεγμάτων, si quid afferatur ad eum pro meo, [f] quod meum non sit, rejicere solere. [g] quod eò nunc magis facit, quia vivunt mecum ferè quotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone vario multa, quæ fortasse illis, cùm dixi, nec illiterata, nec insulsa esse videantur. [9] hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur : ita enim ipse mandavit. sic fit ut, si quid præterea de me audiat, non audiendum putet. quamobrem [10] Oenomao tuo nihil utor. etsi posuisti joco versus Attianos. sed quæ est invidia? aut quid nunc mihi invideri potest ? [g] verùm fac esse omnia. sic video philosophis placuisse, iis qui mihi soli vim videntur virtutis tenere : NIHIL esse sapientis præstare, nisi culpam. quâ videor mihi dupliciter carere : & quòd ea senserim, quæ rectissima fuerunt : & quòd, cùm viderem præsidii non satis esse ad ea obtinenda, viribus certandum [11] cum valentioribus non putarim. ergo in officio boni civis certè non sum reprehendendus. Reliquum est, ne quid stultè, ne quid temerè dicam, faciamve contra potentes. id quoque puto esse sapientis. cætera verò, quid quisque me dixisse dicat, aut quomodò [h] ille accipiat, aut quâ fide mecum vivant ii, qui me assiduè colunt, & observant, [12] præstare non possum. Ita fit, ut & superiorum consiliorum conscientiâ, & præsentis temporis moderatione me consoler : & illam [13] Attii similitudinem non modò jam ad invidiam, sed ad fortunam transferam :

INTERPRETATIO.

[c] *facetè dictorum.* [f] *quod à me dictum non sit.*

[g] *sed demus ita esse,* mihique invideri, *sic video judicasse Philosophos, qui soli mihi videntur naturam virtutis cognoscere, nempè viri sapientis esse nihil aliud cavere quam culpam.*

[h] *Cæsar.*

NOTÆ.

me malitiosè accusabunt, eaque me joculariter contra eum dixisse, quæ non dixerim, referent : ille enim continuò quæ à me erunt acutè dicta, dignoscet ab iis quæ à me dicta non sunt, ut Servius frater tuus Plautinos versus consuetudine legendi, & quia assuetas habebat aures notando stylo Poëtarum, ab iis qui Plauti non essent, discernebat.

7. Ἀποφθεγμάτων] Suetonius facit hujus libri mentionem, eumque appellat *dicta collectanea.*

8. *Quod eò nunc magis facit*] Cæsar nunc multò magis ea rejicit, quæ pro meis afferuntur, cùm tamen mea non fiat, quia vivunt mecum, &c.

9. *Hæc ad illum*] Quæ amicis Cæsaris confabulando, & jocando facetè dixi, nec insulsè, hæc ad Cæsarem perferuntur cum reliquis nunciis : acta non tantùm erant leges, & edicta, sed quæcunque privatim fierent, posteriori sensu accipe hic *acta.*

10. *Oenomao tuo*] Attii tragœdia, quæ inscribitur Oenomaus : etsi fateor te aptè, & in loco usum versibus Attianis. mihi sit verisimile, *quod & Manutio visum est,* versibus illis, qui non extant contineri sententiam aliquam, quâ admonerentur homines vitare invidiam ; cùm subjungit Cicero, sed quæ est invidia ? estne aliquid, quod in me invideri possit in hac tantâ mutatione fortunæ & dignitatis.

11. *Cum valentioribus*] Opinor cum Cæsare : semper author pacis fui.

12. *Præstare*] *Je ne puis pas en répondre, cela ne dépend pas de moy.*

13. *Attii similitudinem*] Hunc locum sic intellige : Tu ex versibus Attianis, & ex illâ similitudine quam adhibet Attius, concludis effugiendam mihi invidiam ; hanc

ego

quam existimo, levem, & imbecillam, ab animo firmo, & gravi, tanquam fluctum à saxo, frangi oportere. Etenim, cùm plena sint [14] monumenta Græcorum, quemadmodùm sapientissimi viri regna tulerint vel Athenis, vel [15] Syracusis, cùm, servientibus suis civitatibus, fuerint ipsi quodam modo liberi: [16] ego me non putem tueri meum statum sic posse, ut neque offendam animum cujusquam, nec frangam dignitatem meam? Nunc venio ad jocationes tuas: [17] quando tu, secundùm Oenomaum Attii, non, ut olim solebat, [17] Atellanum, sed, ut nunc fit, Mimum introduxisti. quem tu mihi [18] popilium, quem denarium narras? quam [19] tyrotarichi patinam? facilitate meâ ista ferebantur anteà: nunc mutata res est. Hirtium ego, & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros. puto enim te au- 5 10

INTERPRETATIO.

[i] *quandoquidem post Oenomaum Attii introduxisti mimicam* fabulam, *ut nunc fieri solet, non autem Atellanam, ut olim solebat.*

NOTÆ.

ego similitudinem ad res meas si transferam, non invidiam modò timendam mihi, sed etiam fortunam ducerem: quid enim quisque me dixisse dicat, aut quomodò mea dicta sit Cæsar accepturus, aut quantùm sit in Cæsarianis qui me colunt, fidei; hæc omnia à fortunâ pendent, nec ea præstare possum, sed neque valdè sunt viro sapienti pertimescenda.

14. *Monumenta*] Plenæ sunt historiæ Græcorum exemplis, quibus declaratur, quemadmodùm viri sapientes tyrannos tulerint, quibus tyrannis regnantibus illi sapientes, umbram tamen aliquam, aut speciem libertatis retinebant: talis fuit Athenis Socrates, Syracusis verò regnante Dionysio Tyranno, Plato; talis, &c.

15. *Syracusis*] Urbe Siciliæ quondam celeberrimâ, quam Archias Corinthius condidit, quam expugnavit Marcellus, illustremque fecit Archimedes, *mirabilium*, ut Livius ait, *inventor*.

16. *Ego me*] Quidni ego pariter eum me præstare possim, ut neque Cæsaris animum offendam, ei apertè resistendo, neque tamen ullâ demissione animi dignitatem meam frangam.

17. *Atellanum*] Quandoquidem lusisti me, jocisque meis perstrinxisti, non modestè, ut olim Atellanarum actores solebant, sed liberiùs, ut mimi nunc faciunt: attingit duplex genus fabularum, quod erat frequens apud Romanos, Atellanam & Mimum; Atellana dicta est ab Atellâ Oscorum Oppido in Campaniâ, nunc *Aversa* dici potest, Capuam inter & Neapolim sita: unde Valerius hoc genus ludi accitum esse tradit; Mimus ab imitatione: sunt autem hæc inter utramque fabulam discrimina, quantùm ex Tito Livio, Valerio Maximo, & Donato conjici licet; primùm, Atellana Osco sermone componebatur, Mimus Romano: Atellana in plures actus distribuebatur, quibus actibus inserebantur exordia, quæ actionem veluti secabant, ad animos ludicris, & ridiculis quibusdam (id enim vocatur exordium) relaxandos: Mimus continentem habebat, nec interruptam actionem: in Atellanâ plures erant Actores, in Mimo unus: Atellana dicax illa quidem, sed modestè: Mimus verò etiam scurriliter; unde Atellanarum Actores nullam incurrebant notam infamiæ, secùs Actores Mimorum, qui tribu movebantur, nec stipendia faciebant.

18. *Popilium*] *Popilius*, quem alii Pompilum vocant, piscis est; denarius autem, ut nonnullis placet, edulium, quanquam similius vero est intelligi *denarium*, quo se *Polypum* empturum scripserat Pætus. Hæc igitur dicit Cicero, *Ne mihi deinceps apponas ejusmodi cibos, quibus olim ego pro facilitate meâ delectabar, at qua nunc fastidio.*

19. *Tyrotarichi*] Tyrotarichus genus est obsonii, confectum ex caseo & salsamen-

dissé, (si fortè ad vos omnia perferuntur) illos apud me déclamitare, me apud illos cœnitare. [20] Tu autem quòd mihi bonam copiam ejures, nihil est. tùm enim, cùm rem augebas, [21] quæsticulis te faciebam attentiorem : nunc, cùm [22] tam æquo animo bona perdas, non eo sis consilio, ut cùm me hospitio recipias, [23] æstimationem te aliquam putes accipere. etiam hæc levior est plaga ab amico, quàm à debitore. [k] Nec tamen eas cœnas quæro, ut magnæ reliquiæ fiant. quod erit, [24] magnificum sit, & lautum. memini te mihi Phameæ cœnam narrare. [25] temperius fiat : [l] cætera eodem modo. quòd si perseveras me ad [26] matris tuæ cœnam vocare, [27] feram id quoque. volo enim videre animum, qui mihi audeat [28] ista, quæ scribis, apponere, aut etiam [29] polypum Miniani Jovis similem. crede mihi, non audebis ante meum adventum fama ad te de meâ novâ lautitiâ veniet : eam extimesces. [m] neque est quòd in [30] promulside spei ponas aliquid : quam totam sustuli. solebam

INTERPRETATIO.

[k] *nec tamen desidero cœnas ita lautas, ut magnæ sint reliquiæ, tantùm, quod apponetur*, volo *magnificum sit, & splendidum.*

[l] *cætera fiant eodem modo quo fiunt apud Phameam*

[m] *neque debes spem ponere in potione ex mulso, quam penitùs à cœnis meis sustuli.*

NOTÆ.

tis; Τυρὸς caseus, & Τάριχος salsamentum.

20. *Tu autem*] Tu autem nihil est, quòd jures te non habere unde sumptum facias; qui ejurat, significat se id quod desideratur, præstare non posse : ego enim tùm, cùm rem atque opes habebas, reddebam te parcum, & tenacem Lucelli tui, faciebam ut rei augendæ & conservandæ attentior esses.

21. *Quæsticulis*] Quæsticulus, exiguus quæstus, seu lucellum.

22. *Tam æquo animo*] Ironia. Quid autem jacturæ fecerat, vide sequentem notam.

23. *Æstimationem*] Noli putare te, postquam me hospitem habueris, æstimationem, qualem jam à debitoribus tuis accepisti, acceptum. Cæsar, cùm videret creditas pecunias non solvi, jussit per arbitros æstimari possessiones, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur; æstimatione verò factâ, quarta ferè pars debiti deperibat : cùm autem Papyrius, ad quem hæc epistola, ex hoc Cæsaris decreto de æstimatione possessionum, magnam in bonis suis plagam à debitoribus accepisset, jocosè illum consolatur; primùm, quòd æquo animo bona sua perdat; deinde quòd nihil à se convivâ apud ipsum, timendum sit, ne quam adhuc similem bonorum æstimationem accipiat; postremò, quòd si plagam tamen aliquam in bonis accepturus est, levior sit plaga ab amico, quàm à debitore.

24. *Magnificum, & lautum*] Illud ad cibi genus, hoc ad apparatûs elegantiam pertinet.

25. *Temperiùs*] Id est maturiùs, locutio vetusta pro *Temporiùs*; veteres enim dixerunt, *tempus temperis*

26. *Matris*] Mater Pæti frugalissima erat, nec amabat in cœnis lautitiam ac sumptus.

27. *Feram.*] Patiar ad tenuem me vocari cœnam.

28. *Ista*] Vilissima fercula.

29. *Polypum*] Viliorem piscem, nec magni pretii; ita appellatum à multitudine pedum : qui Polypus jusculo tinctus, rubrum colorem induit; qualem habet Jupiter Capitolinus, cujus facies rubro perfusa est colore; unde cognomen Miniano, vel, ut alii dicunt, Miniato. Minium, *du Vermillon.*

30. *Promulside*] Promulsis, potio ex mulso : mulsum autem est potio ex vino melleque confecta.

Digitized by Google

enim anteà delectari oleis, & [31] lucanicis tuis. Sed quid hæc loquimur? liceat modò [n] istò venire. tu verò (volo enim abstergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. [32] ego tibi unum sumptum afferam quòd balneum calfacias oportebit: cætera more nostro. superiora illa lusimus. De villâ Selicianâ & curasti diligenter, & scripsisti facetissimè. Itaque puto me [33] prætermissurum. [34] salis enim satis est, sannionum parum. Vale.

INTERPRETATIO.

[n] *Neapolim.*

NOTÆ.

31. *Lucanicis*] Lucanica, farciminis genus quoddam ex suillâ carne confectum, & à Lucanis inventum.

32. *Ego tibi*] Ego unâ re tibi sumptum afferam, quia necesse erit ut balneum meâ causâ calfacias.

33. *Prætermissurum*] Non emturum villam Selicianam.

34. *Satis enim*] Scripserat Papyrius villam Selicianam, quam emere Cicero cogitabat, salinas habere: rescribit Cicero, non sibi salem deesse, (salem hîc pro facetiis accipit) sed deesse quod sale condiatur; quasi diceret: *Sale quidem & facetiis abundamus, sed materia ridendi his luctuosis temporibus erepta est.* Sannio is est qui jocosè luditur.

EPISTOLA XVII.

Cùm sparsus esset rumor, Cæsarem agros & municipia quædam militibus suis divisurum, Pæto hoc periculum metuenti rescribit quid sciat, vel potiùs quid nesciat, & quâ ratione id damni, ad eum si perveniat, ferendum sit, monet. Eodem anno, post bellum Africanum.

Cicero S. D. Papirio Pæto.

NON tu homo ridiculus es, qui, cùm [1] Balbus noster apud te fuerit, ex me quæras, quid [2] de istis municipiis, & agris futurum putem? quasi aut ego quidquam sciam, quod iste nesciat: aut, si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire. [3] immò verò, si me amas, tu fac, ut sciam quid de nobis futurum sit. [4] habuisti enim in tuâ potestate, ex quo vel ex sobrio, vel certè ex ebrio scire posses. [5] Sed ego ista, mi Pæte, non quæro:

NOTÆ.

1. *Balbus*] Cornelius Balbus Gaditanus in intimis Cæsaris.

2. *Ipsis municipiis*] Num putem divisurum agros Cæsarem militibus suis.

3. *Immò verò*] Tantùm abest, ut te doceam quid de ipsis agris, & municipiis facturus sit Cæsar, ut potiùs per te doceri velim quid futurum sit non de agris, sed de nobis ipsis, & de nostrâ salute.

4. *Habuisti enim*] Fuit enim apud te Balbus, ex quo si minùs sobrio, certè ebrio scire omnia potes; ebrietas apta ad eliciendum arcanum.

5. *Sed ego ista*] Sed ego nolo hæc ad me scribas; primùm, quia quòd vivo jam ferè à quadriennio, ex quo bellum civile

Digitized by Google

[a] primùm quia de lucro propè jam quadriennium vivimus, si aut hoc lucrum est, aut hæc vita, superstitem reipublicæ vivere: deinde, quòd scire quoque mihi videor, quid futurum sit. fiet enim, quodcunque volent, qui valebunt: [6] valebunt autem semper arma. nobis igitur satis esse debet, quidquid conceditur. hoc si quis pati non potuit, [7] mori debuit. [8] Veientem quidem agrum, & [9] Capenatem metiuntur. hic non longè abest à Tusculano. [10] nihil tamen timeo: fruor, dùm licet: opto, ut semper liceat. si id minùs contigerit: tamen, [11] quando ego, vir fortis, idemque philosophus, vivere pulcherrimum duxi, non possum [b] eum non diligere, cujus beneficio id consecutus sum. qui si cupiat esse rempublicàm qualem fortasse & ille vult, & omnes optare debemus: quid faciat, tamen non habet: ita se cum multis [12] colligavit. Sed longiùs progredior: scribo enim [13] ad te. hoc tamen scito, non modò me, qui consiliis non interessim, sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit. [14] nos enim illi servimus, ipse temporibus. ita nec ille, quid tempora postulatura sint, nec nos, quid ille cogitet, scire possumus. Hæc tibi anteà non rescripsi, [15] non quòd cessator esse solerem, præsertim in literis: sed, cùm explorati nihil haberem, nec tibi solicitudinem ex dubitatione meâ, nec spem ex affirmatione afferre volui. Illud tamen adscribam, quod est verissimum, me his temporibus adhuc [d] de isto

INTERPRETATIO.

[a] *primùm, quia quòd ab annis quatuor vivo, id appono lucro.*

[b] *Cæsarem.*

[c] *non quòd solerem piger esse, præsertim in scribendis litteris.*

[d] *de periculosâ istâ agrorum divisione.*

NOTÆ.

geri cœptum est, id pono in lucro, si tamen lucrum est, aut si vita appellanda est, eversâ republicâ vivere. deinde quia, vel si non scribas, præsentire videro quid futurum sit.

6. *Valebunt autem*] Sententia est; valebunt semper armati, ut constet illa constructio; fiet enim quodcumque volent, qui valebunt.

7. *Mori debuit*] Ut multi, qui vel in acie occisi sunt, vel post Pompeii necem se ipsi interemerunt.

8. *Veientem*] Veii, Hetruriæ urbs antiquissima, non procul à Tiberi, Romam inter & Fescenniam posita: Camillus longâ decem annorum obsidione captam funditùs evertit.

9. *Capenatem*] Hetruriæ quoque oppidum, unde Capenates Italiæ populi.

10. *Nihil tamen*] Non timeo, ne dati à Cæsare arbitri Tusculanum agrum metiantur, & militibus dividant.

11. *Quando ego vir fortis*] Quandoquidem ego idem vir fortis, idemque Philosophus, contra virorum fortium, ac Philosophorum sententiam, pulcherrimum judicavi vivere eversâ Republicâ, cùm & viri fortes, & sapientissimi Philosophi pulcherrimum ducant ruinis patriæ non superesse.

12. *Colligavit*] Tam arctam societatem habet Cæsar cum suis militibus, ut restituere Rempublicam, vel si velit maximè, vix tamen possit: multa enim, ut idem alibi dicit, victori, eorum arbitrio per quos vicit, facienda sunt.

13. *Ad te*] Qui hæc meliùs, quàm ego ipse, nosti.

14. *Nos enim illi*] Nos enim servimus Cæsari, ipse verò Cæsar temporibus servit, quibus se accommodet, necesse est.

15. *Cessator*] Piger, otii plus satis cupidus.

Digitized by Google

periculo nihil audisse. tu tamen pro tuâ sapientiâ debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Tres Papirio causas affert, quare Hirtium & Dolabellam in arte eloquentiæ doceat: Primùm, ut Cæsarem sibi per eos conciliet, deinde ut recuperet valetudinem; postremò, ut artem illam suam non intermittat. Sub finem epistolæ jocis perpetuis indulget. Eodem anno, revertente ex Africâ Cæsare.

Cicero s. d. Papirio Pæto.

CUM essem otiosus in Tusculano, propterea quòd [1] discipulos [2] obviam miseram, ut iidem me quàmmaximè conciliarent familiari suo, accepi tuas literas plenissimas suavitatis: ex quibus intellexi, probari tibi meum consilium, quòd, ut [3] Dionysius Tyrannus, cùm Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur [a] ludum aperuisse: sic ego sublatis judiciis, amisso [4] regno forensi, [a] ludum quasi habere cœperim. quid quæris? me quoque delectat consilium. [5] multa enim consequor. primùm, id quod maximè nunc opus est, [6] munio me ad hæc tempora. [b] id cujusmodi sit, nescio: tantùm video, nullius adhuc consilia me huic anteponere. nisi fortè mori melius fuit: [7] in lectulo, fateor: sed non accidit. in acie non fui. cæteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius [8] fœdè perierunt: at Cato præclarè. Jam istuc quidem, cùm volemus, licebit: demus modò operam, ne tam necesse nobis sit, [9] quàm illi fuit: id quod agimus.

Interpretatio.

[a] *aperire scholam cœperim.* [b] *an optimum sit illud* meum consilium, *nescio.*

Notæ.

1. *Discipulos*] Hirtium, & Dolabellam: epist. 16. *Hirtium ego & Dolabellam discendi discipulos habeo, canendi magistros.*

2. *Obviam miseram*] Cæsari ex Africano bello redeunti, cui sunt valdè familiares.

3. *Dionysius*] Dionysius minor, majoris filius, ob summam crudelitatem expulsus Syracusis, Corinthum venit, ubi ludum aperuit, ut imaginem regni aliquam, inquit Cicero, pueris imperando, conservaret.

4. *Regno forensi*] Florente Republicâ, regnabat in foro Tullius eloquentiâ suâ.

5. *Multa enim*] Multiplicem enim ex hac vivendi ratione fructum percipio.

6. *Munio me*] Amicos mihi, Cæsaris familiares jungo, ut eorum amicitiâ munitus, Cæsare infesto non utar.

7. *In lectulo*] Objecerat sibi, at fortè melius fuerat mori; objectionem diluit; in lectulo, &c. in acie aberam; tùm enim, cùm ad Pharsalum dimicatum est, eram Dyrrachii.

8. *Fœdè*] Scipionis mors aliter videtur perlata ad Ciceronem, ac re ipsâ contigit; non enim fœdâ morte interiit, sed honestâ; sibi enim ipse, quemadmodùm Cato, necem consivit, sed de his omnibus consule indicem historicum.

9. *Quàm illi fuit*] Majores intercesserant inimicitiæ Cæsari cum Catone, quàm cum Cicerone; quare Catoni Cæsar victor

Digitized by Google

[10] Ergo hoc primùm. sequitur illud : ipse melior fio, primùm valetudine, quam intermissis exercitationibus, amiseram : [c] deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. [d] Extremum illud est, quod tu nescio [11] an primùm putes : [e] plures jam pavones confeci, quàm tu pullos columbinos. [f] tu istic te Atteriano jure delectato, ego me hîc Hirtiano. veni igitur, si vir es, & disce jam [12] προλεγόμενα, quæ quæris : [g] etsi [13] sus Minervam. [h] sed quando, ut video, [14] æstimationes tuas vendere non potes, neque ollam [15] denariorum implere : Romam tibi remigrandum est. [i] satius est hîc [16] cruditate, quàm istic fame. video te bona perdidisse : [17] spero idem istuc familiares tuos. Actum igitur de te est, nisi provides. [k] potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, [l] quando cantherium comedisti, Romam pervehi. [m] sella tibi erit in ludo, tanquam hypodidascalo, proxima : eam [18] pulvinus sequetur. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *deinde illa ipsa facultas dicendi, si quam habui*, in me, *quasi exaruisset, nisi me ad illas* umbratiles *exercitationes retulissem.*

[d] *postrema illa ratio est, quam fortè omnium optimam judicabis.*

[e] *ego plures consumpsi pavones, quàm tu consumpsisti pullos columbinos.*

[f] *tu Neapoli oblectâ te jusculo Atterii; ego me Roma oblectabo jusculo Hirtii.*

[g] *quanquam peritiorem me doceo.*

[h] *sed quoniam, ut video, non potes vendere bona* debitorum tuorum, *quæ æstimata sunt.*

[i] *præstat Roma* mori *ex abundantiâ inimicâ, quàm ex fame Neapoli.*

[k] veni *poteris mulo isto, quem tibi dicis superesse.*

[l] *si quidem equum tuum vendidisti*, ut cibos tibi parares.

[m] *sellam habebis in meâ scholâ mea proximam, tanquàm magister mihi secundus.*

NOTÆ.

magis erat timendus, quàm Ciceroni.

10. *Ergo hoc primùm*] Ergo hæc me prima ratio impulit ad aperiendum quasi ludum, in quo familiares Cæsaris eloquentiæ præceptis imbuerem; nempè ut mihi ad Cæsaris amicitiam per illos aditum munirem. Altera ratio fuit valetudinis cura: his enim exercitationibus fit melior mea valetudo; postrema, facultas ipsa dicendi, quæ mihi assiduâ tractatione excolenda est, ne arescat.

11. *An primùm putes?*] Ironia, quâ Pætum notat tanquam exquisitarum epularum cupidum.

12. Προλεγόμενα] Vocantur ea quæ libris præponuntur, & iis, quæ posteà dicuntur, veluti facem præferunt : hîc Προλεγόμενα intelligit cœnas Hirtii, in quibus tot pavones convivæ confeceram, & quæ Pætum admonebant, quàm lautus deberet esse.

13. *Sus Minervam*] Proverbium in eos qui alios se peritiores docere conantur.

14. *Æstimationes tuas*] Vide epistolæ 16, notam vigesimam tertiam.

15. *Denariorum*] Verisimile est Pætum Ciceroni significasse rediturum se Romam, cùm ollam denariorum, venditis debitorum æstimationibus, implevisset.

16. *Cruditate*] Cruditatem efficit ciborum multitudo, quos concoquere stomachus non potest.

17. *Spero*] Timeo ne tui familiares sua pariter bona perdant.

18. *Pulvinus*] Et habebis, ut commodiùs sedeas, pulvinum.

Digitized by Google

EPISTOLA XIX.

Scripserat Pætus ad se Balbum divertisse, ac pertenui apparatu contentum fuisse. Id Cicero malitiosè interpretatur, quasi significare velit Pætus Ciceroni, Balbi frugalitatem, cùm ad se Neapolim veniet, imitandam. Eodem anno.

Cicero s. d. Papirio Pæto.

[1] TAMEN à malitiâ non discedis: tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum. [2] hoc videris dicere, cùm reges tam sint continentes, multò magis consulares esse oportere. [a] Nescis me ab illo omnia expiscatum: rectà enim à portâ domum meam [3] venisse. neque hoc admiror, quòd non ad tuam potiùs: sed illud, quòd nec [b] ad suam. ego autem tribus primis verbis, [c] Quid noster Pætus? At ille adjurans, nusquam se unquam libentiùs. [4] Hoc si verbis assecutus es, aures ad te afferam non minùs elegantes: sin autem obsonio, peto à te, ne pluris esse Balbos, quàm disertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. sed, si me expediero, ut in ista loca venire possim, non committam, ut te serò à me certiorem factum putes. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *nescis me à Balbo omnia indagando cognovisse, rectà enim domum meam venit.*
[b] *nec ad suam venerit.*
[c] *ego autem tribus primis verbis* interrogavi, *quid noster Pætus? at ille jurans*, dixit, *nusquam se unquam libentiùs divertisse.*

NOTÆ.

1. *Tamen*] Nunquam ne, licet toties monitus, desistes malitiosè agere?

2. *Hoc videris*] Videris hoc dicere: si reges, id est Balbus, qui regiam propè dignitatem adeptus est ob amicitiam Cæsaris, apud quem perquàm est gratiosus, tantam continentiam & frugalitatem in epulis amant; multò magis amare debent Consulares, id est Cicero. jam Consulatum gesserat ab annis septemdecim.

3. *Venisse*] *Venisse* pro *venit*, vel referri debet ad *nescis*.

4. *Hoc si verbis*] Si sermonis tui elegantiâ hoc assecutus es, ut nusquam libentiùs Balbus, quàm domi tuæ maneret, afferam ad te aures non minùs elegantes; sin id obsonio, & exquisitis epulis assecutus es, peto à te, ut ne pluris Balbos, quàm disertos facias, id est, æquè lautè me excipias ac Balbum; jocus in nomen Balbi, quem ideò sic appellatum volunt, quòd minùs expeditè loqueretur. Se autem disertum nuncupat, ut ludat in nomine, seque Balbo opponat: disertos enim docet esse Cicero, qui genus orationis habent expeditum, liquidum, profluens.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

Significat se vitam priori vitæ dissimilem vivere, & abjectâ Reipublicæ curâ, magnam diei partem in curandâ cute consumere. Eodem anno.

Cicero s. d. Papirio Pæto.

DUPLICITER delectatus sum tuis literis, & quòd ipse risi, & quòd te intellexi jam posse ridere. me autem à te, ut [1] scurram velitem, malis oneratum esse, non molestè tuli. Illud doleo, in ista loca venire me, ut constitueram, non potuisse. habuisses enim non hospitem, [2] sed contubernalem: [3] at quem virum? non eum, [a] quem tu es solitus promulside conficere. integram famem [4] ad ovum affero: [b] itaque ad assum vitulinum opera perducitur. [c] illa mea, quæ solebas anteà laudare, ô hominem facilem! ô hospitem non gravem, abierunt. nam omnem nostram de republicâ curam, cogitationem de dicendâ in senatu sententiâ, commentationem causarum abjecimus: [d] in Epicuri nos, [5] adversarii nostri, castra conjecimus. [e] nec tamen ad hanc [6] insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam: veterem, dico, cùm in sumptum habebas: [7] etsi nunquam plura prædia habuisti: pro-

INTERPRETATIO.

[a] *quem solebas satiare potione mulsa condità.* [b] *& ita ferèmè comeditur usque ad vitulinum assum*, qui finis cœnæ.

[c] *illud meæ vitæ genus, quod solebas anteà laudare* his verbis, *ô hominem frugalem! ô hospitem commodum! præteriit*; aliter nunc vivo.

[d] *secutus sum doctrinam Epicuri, quem habuimus adversarium.*

[e] *nec tamen ita secutus sum, ut velim* imitari *immoderatos* Epicureorum *sumptus, sed lautitiam duntaxat tuam, veterem scilicet, & cùm rem habebas ad sumptus faciendos.*

NOTÆ.

1. *Scurram velitem*] Sic explica, ut Manutius tradit: non molestè fero, me ut scurram tyronem neque valdè utilem, farcinis, pomisque tuis oneratum esse; (fortè miserat ad Ciceronem poma;) vel ut innuere videtur Stephanus in voce *veles*, patienter fero me à te contemptum, & conviciis oneratum, tanquam scurram nimis levem, qui nimis leviter jocis uteretur.

2. *Sed contubernalem*] Hospites apud eos, ad quos divertunt, non diù manent; non ita contubernales; terrere videtur velle Pætum, & istuc jocosè, quasi magnum ex adventu Ciceronis damnum, res sua passura fuisset.

3. *At quem virum!*] Similis constructio Terentii in Eunucho. *at quem deum! qui templa cæli summo sonitu concutit.*

4. *Ad ovum*] Ovum initium erat cœnæ, finis verò mala. Horatius de Tigellio canendi peritissimo:

Si collibuisset ab ovo, usque ad mala citaret.

ætate tamen, finis mensæ erat vitulina caro assa; unde additur, *usque ad vitulinum assum.*

5. *Adversarii nostri*] In libris Philosophicis sæpè exagitat Epicurum, qui summum bonum in voluptatibus ponebat; nunc mutatâ sententiâ, simulat se ad eum convolasse.

6. *Insolentiam*] Nimios ac profusos sumptus. Pro Sexto Roscio: *Qui in fundo fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in alieno.*

7. *Etsi nunquam*] Cùm dixisset se imitari lautitiam Pæti, non hanc recentem, quæ rebus accisis, perquàm tenuis erat, sed illam

Digitized by Google

inde te para : cum homine edaci tibi res est, & qui jam aliquid intelligat. f 8 ὀψιμαθεῖς autem homines scis quàm insolentes sint. g dediscendæ tibi sunt 9 sportellæ, & 10 artolagani tui. h nos jam artis tantùm habemus, ut Verrium tuum, & Camillum, quâ munditiâ homines? quâ elegantiâ? vocare sæpiùs audeamus. sed vide 11 audaciam: etiam Hirtio cœnam dedi, sine pavone tamen. in eâ cœnâ coquus meus, præter jus fervens, 12 nihil potuit imitari. Hæc igitur est nunc vita nostra. 13 manè salutamus domi & bonos viros multos, sed tristes, & hos lætos victores: 14 qui me quidem perofficiosè, & peramanter observant. i ubi salutatio defluxit, literis me involvo: aut scribo, aut lego. Veniunt etiam, qui me audiant, quasi doctum hominem, quia paulò sum, quàm ipsi, doctior. inde corpori omne tempus datur. patriam k eluxi jam & gravius, & diutius, quàm ulla mater unicum filium, sed cura, si me amas, ut valeas: ne ego, te l jacente, bona tua comedam. 15 statui enim tibi ne ægroto quidem parcere. Vale.

INTERPRETATIO.

f *scis quàm superbi sint ii, qui serò* artem aliquam *discunt.*

g *oblivisci debes* tua illa *bellaria, & placentas, quas mihi solebas apponere.*

h *ego jam tantùm scientia affectus sum in* extruendis cœnis, *ut invitare audeam sapiùs* ad cœnam *Verrium tuum, & Camillum, homines* in cœnis *maximè elegantes & lautos.*

i *postquam salutationis tempus præteriit, studeo.*

k *flevi.* l *ægrotante.*

NOTÆ.

illam veterem, cùm res suppetebat in sumptus, mirari videtur, cur non Pætus eidem lautitiæ nunc quoque indulgeat, cùm plura quàm olim prædia habeat: festivus jocus; nam tametsi plura habebat prædia, non erat propterea opulentior, immò ut diximus, quarta pars bonorum ipsi deperierat: prædia enim illa invitus acceperat à debitoribus pro pecuniâ quam illis crediderat. Vide notam in hanc vocem, *æstimationes*, epist. 16. hujus libri.

8. Ὀψιμαθεῖς] Serò didicerat Cicero artem magnificas cœnas extruendi; didicit verò ab Hirtio & Dolabellâ, apud quos cœnabat.

9. *Sportellæ*] Sportellæ, sive sportulæ, in secundis mensis apponebantur: erant autem genera bellariorum; sportula sub aliâ acceptione frequenter sumitur pro cibis qui in populum erogabantur.

10. *Artolagani*] Panis genus ad delicias confecti, cujusmodi sunt placentæ.

11. *Audaciam*] Qui scilicet Hirtium, quo nemo alius in arte extruendi convivii, peritior, vocaverim ad cœnam, cui tamen pavones defuerunt, quibus nunquam carent Hirtianæ cœnæ.

12. *Nihil potuit*] Hæc per jocum dicit, propterea enim coquus non potuit imitari lautitiam, quæ in cœnis Hirtii elucebat, nisi fortè in jusculo ferventi, quia sumptibus pepercit Cicero; culpam autem suam in coquum festivè conjicit.

13. *Manè salutamus*] Matutinas horas damus salutandis, tum bonis viris, Pompeianis scilicet, qui tristes sunt ob amissam Rempublicam, deinde salutandis Cæsarianis lætis, ac victoribus.

14 *Qui me*] Refer ad Cæsarianos; non enim mirum si observetur à Pompeianis.

15. *Statui enim*] Nulli impensæ lautitiæve domi tuæ parcere, ne siquidem ægrotet.

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

Scripserat duo Pætus; primùm, se, cùm imitari esset conatus fulmina Ciceronis, non potuisse: alterum, Papyrios omnes majores suos plebeios fuisse; ad utramque epistolæ partem Cicero rescribit, & Pætum honorificè confutat. Incertus hujus epistolæ annus; omnes tamen ad Pætum litteras post Pharsalicam, pleraſque post Africanam victoriam scripsisse Cicero videtur.

M. Cicero s. d. Papirio Pæto.

[a] AIN tandem? insanire tibi videris, quòd imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina? tùm insanires, si consequi non posses: cùm verò etiam vincas me, priùs irrideas, quàm te, oportet. quare [1] nihil tibi opus est illud à Trabeâ, sed potiùs [b] ἀποτυγμα meum. veruntamen quid tibi ego videor in epistolis? nonne [c a] plebeio sermone agere tecum? nec enim semper [3] eodem modo. quid enim simile habet epistola aut judicio, aut concioni? quin ipsa judicia non solemus omnia tractare uno modo. privatas causas, & eas tenues, agimus subtiliùs: capitis, aut famæ, scilicet ornatiùs. epistolas verò quotidianis verbis texere solemus. Sed tamen, mi Pæte, quî tibi venit in mentem negare, Papirium quenquam unquam nisi plebeium fuisse? fuerunt enim [4] patricii minorum gentium: quorum princeps [5] L. Papirius Mugillanus: qui Consul cum L. Sempronio Atrati-

INTERPRETATIO.

[a] *aisne tu verò?* [b] *aberratio.* [c] *humili.*

NOTÆ.

1. *Nihil tibi opus est*] Noli dicere locum quem adduxisti ex Trabeâ Poëtâ in te convenire, qui in me magis convenit: tu enim potiùs habes verborum fulmina, Trabeæque sententia ad me tota pertinet; totum meum est ἀποτυγμα, id est, ego in eloquentiâ, quod cupio, non assequor. ἀποτυγχάνω, aberrare, seu non assequi, quod intenditur: Pætus autem ostenderat Trabeæ ipsius verbis, se non posse exprimere aut assequi fulmina Ciceronis.

2. *Plebeio*] Non quòd insulsus, sed quia familiaris, neque elatus est sententiis à plebeio sermone abhorrentibus.

3. *Eodem modo*] Aliter scribitur epistola, aliter oratio: quid enim epistola simile habet orationi, quæ coram Judicibus, aut coram populo habetur? immò ne ipsas quidem causas, quæ coram Judicibus perorantur, eodem tractamus modo; privatas causas subtiliùs, id est limatiùs, accuratiùs, minuta quæque persequendo; capitis verò causas, aut famæ, majori copiâ, aut eloquentiâ, majori verborum ac sententiarum ornatu. Causæ privatæ de controversiis, publicæ de criminibus constitutæ erant. Nota illud *scilicet* vim quamdam & elegantiam addens.

4. *Patricii minorum gentium*] Romulus initio regni sui centum creavit Senatores, qui honoris causâ, patres appellati sunt; eorum verò filii dicti sunt Patricii: Patricii verò minorum gentium vocabantur, quorum patres è plebe admittebantur in Senatum; quamquam Manutius ait minorum gentium Patricios fuisse, quos Tarquinius Priscus in curiam allegit.

5. *L. Papirius Mugillanus*] Ubi legis *Consul*, lege *Censor*, & viciſſim; præposterè enim hæc Librarius descripsit: certè ex

no fuit, cùm anteà censor cum eodem fuisset, annis post R. C. cccxii. sed tùm [6] Papisii dicebamini. post hunc xiii. fuerunt, [7] sellâ curuli, ante L. Papirium Crassum, qui primus Papisius [d] est vocari desitus. is dictator cum L. Papirio Cursore magistro equitum factus est: annis post R. C. ccccxv. & quadriennio pòst consul cum C. Duilio. hunc secutus est cursor, homo [8] valdè honoratus: deinde [9] L. Masso ædilitius: inde multi Massones: quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habeas volo. deinde Carbones, & Turdi insequuntur. hi plebeii fuerunt, quos contemnas, censeo. nam, præter hunc Cn. Carbonem, quem [10] Damasippus occidit, civis è repub. Carbonum nemo fuit. cognovimus Cn. Carbonem, & ejus fratrem scurram: quid his improbius? de hoc amico meo, Rubriæ filio, nihil dico. tres illi fratres fuêre, C. Cn. M. Marcus, P. Flacco accusante, condemnatus, [11] fur magnus ex Siciliâ. Caius accusante L. Crasso, [12] cantharidas sumpsisse dicitur. is & tribunus plebis seditiosus, & [13] P. Africano vim attulisse existimatus est. [14] hoc verò, qui Lilybæi à Pompeio nostro interfectus est, improbior nemo, meo judicio fuit. jam pater ejus, accusatus à M. Antonio [e] [15] sutorio atramento absolutus putatur. [16] Quare ad patres, censeo, revertare. plebeii [17] quàm fuerint importuni, vides. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *desiit.* [e] du Vitriol.

NOTÆ.

Livio constat, Consulatum prius Mugillanum, quàm Censuram gessisse: ubi autem est *annis trecentis, & duodecim*, refer ad tempus Censuræ, non ad tempus Consulatûs.

6. *Papisii*] Non in hac unâ voce facta est mutatio litteræ *s* in *r*, sed in aliis quibusdam Valesii postea *Valerii*, & Fusii *Furii* dicti sunt.

7. *Sellâ curuli*] In quâ sedebant majores Magistratus, ut Consul, Prætor, Tribunus militum, &c. ebore constabat, Hor.

Cui libet hic fasces dabit, eripietque curule,
Cùm volet importunus ebur.

8. *Valdè honoratus*] Hunc cursorem tradit Livius Alexandro Magno bellicâ virtute æquatum.

9. *L. Masso Ædilitius*] Masso, quartum cognomen gentis Papiriorum; primum enim posuit Mugillanum, deinde Crassum, tùm Cursorem. Ædilitius is est qui Ædilis tantùm fuit, nec altiores honoris gradus adeptus est. Cura annonæ, ludorum, ædium sacrarum, ad Ædiles pertinebat.

10. *Damasippus*] Damasippus Prætor urbanus multos optimates, inter quos erat hic Cneius Carbo, jussu C. Marii, qui Prænestæ obsidebatur, necavit.

11. *Fur magnus*] Legendum, *fugit Marcus è Siciliâ.*

12. *Cantharidas*] Succus Cantharidis vermis graveolentis epotus necat. Ovid.

Cantharidum succos, dante parente, bibas.

13. *P. Africano*] P. Africanus Semproniæ uxoris insidiis occisus est, conscio sceleris C. Carbone, qui propterea vim Africano dicitur attulisse. Vide lib. 2. de Oratore.

14. *Hoc verò*] Cneio scilicet Carbone, qui ter Consul fuit, acerrimèque cum Syllâ conflixit. Is demùm Lilybæi in Siciliâ à Pompeio interfectus est.

15. *Sutorio atramento*] Quod vim necandi habet; sumpsit autem, ut se à severitate Judicum voluntariâ morte liberaret.

16. *Quare ad Patres*] Quare censeo, ut ad Papirios qui Patricii fuerunt, originem tuam referas.

17. *Quàm importuni*] Quàm fuerint improbi, nihilque Romano cive dignum egerint, in lib. xii. ep. 12. *importunissimi latrones*, id est improbissimi.

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

Stoïcorum de libertate loquendi sententiam exponit. Incertus annus.

Cicero S. D. Papirio Pæto.

AMO verecundiam, [1] vel potiùs libertatem loquendi. atque hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto: etsi [2] Academiæ nostræ cum eo magna rixa est. sed, ut dico, placet Stoïcis suo quamque rem nomine appellare. sic enim disserunt: nihil esse obscenum, nihil turpe dictu: nam, si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse, aut in verbo: nihil esse tertium. in re non est: itaque non modò in comœdiis res ipsa narratur, [3] ut ille in [4] Demiurgo modo, (fortè nosti canticum: meministi Roscium) Ita me destituit nudum: totus est sermo verbis tectus, re impudentior: sed etiam in tragœdiis. quid est enim illud? Quæ mulier una? quid, inquam, est? [5] Usurpata duplex cubile. quid illud? Pheræi hic cubile inire est ausus. Quid est? Virginem me quondam invitam per vim violat. Jupiter bone, violat: atqui idem significat, sed alterum nemo tulisset. Vides igitur, cùm eadem res sit, quia verba non sint, nihil videri turpe. ergo in re non est: multò minùs in verbis. si enim, quod verbo significatur, id turpe non est: verbum quod significat, turpe esse non potest. Anum appellas alieno nomine: cur non suo potiùs? si turpe est, ne alieno quidem: si non est, suo potiùs. Caudam antiqui penem vocabant, ex quo est propter similitudinem peniculus: at hodie penis est in obscenis. at verò Piso ille Frugi in annalibus suis queritur adolescentes penî deditos esse. quod tu in epistolâ appellas suo nomine, ille tectius penem. sed quia multi, factum est tam obscenum, quàm id verbum, quo tu usus es. Quid, quod vulgò dicitur, cùm nos te volumus convenire, num obscenum est? memini in senatu disertum consularem ita eloqui, Hanc culpam majorem, an illam dicam? potuit obscenius? non, inquis: non enim ita sensit. non ergo in verbo est. docui autem in re non esse: nusquam igitur est. Liberis dare operam, quàm honestè dicitur. etiam patres rogant filios: ejus operæ nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen. is Connus vocitatus est. num id obscenum putas? Cùm loquimur, terni, nihil flagitii dicimus: at, cùm bini, obscenum

NOTÆ.

1. *Vel potiùs*] Pugnare secum videtur, nisi si hæc assentandi causâ Pæto, & jocosè dicit: legi mallet Manutius pro *vel potiùs*, *alii verò*: ego si quid mutarem, sic legerem: Amo verecundiam, tu verò libertatem loquendi, quâ in litteris tuis usus es, cùm obscœnam vocem adhibuisti.

2. *Academiæ*] Negabant Academici suo quamque rem nomine appellari debere: aiebat Zeno Stoïcorum princeps.

3. *Ut ille*] Ut Roscius Histrio in tragœdiâ Demiurgo dicebat, fortè nosti, ô Pæte, quo modo caneretur in illâ Tragœdiâ, meministi quomodò loqueretur Roscius: *modo*, inquit, *ita me destituit nudum.*

4. *Demiurgo*] Tragœdiâ, quam scripsit Turpilius.

5. *Usurpata*] Quæ usurpavit: est & apud Macrobium exemplum simile verbi.

Digitized by Google

est. Græcis quidem, inquies. nihil est ergo in verbo, quando & ego græcè scio: & tamen tibi dico, bini, idque tu facis, quasi ego græcè, non latinè, dixerim. Ruta, & menta, rectè utrumque. volo montam pusillam ita appellare, ut rutulam: non licet. Bella tectoriola dicis: dic ergo etiam pavimenta isto modo: non potes. Vides igitur nihil esse, nisi ineptias, turpitudinem nec in verbo esse, nec in re, itaque nusquam esse. Ergo in verbis honestis obscena ponimus. quid enim, non honestum verbum est divisio? at inest obscenum. cui respondet intercapedo. num hæc ergo obscena sunt? nos autem ridiculè, si dicimus, ille patrem strangulavit, honorem non præfamur: sin de Aureliâ aliquid, aut Lolliâ, honos præfandus est. Et quidem jam non etiam obscena verba pro obscenis sunt. batuit, inquit, impudenter: depsit, multò impudentiùs. atqui neutrum est obscenum. STULTORUM plena sunt omnia. Testes, verbum honestissimum in judicio, alio loco non nimis. at honesti Colei Lanuini, Cliternini non honesti. Quid? ipsa res modò honesta, modò turpis. suppedit, flagitium est: jam erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes scholam Stoïcam. [a] ὁ σοφὸς εὐθυρρήμων ἔσῃ. quàm multa ex uno verbo tuo? Te adversus me omnia audere, gratum est. ego servo, & servabo (sic enim assuevi) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quæ apertissimis agunt Stoïci. sed illi etiam crepitus aiunt æquè liberos ac ructus esse oportere. [b] honorem igitur [6] Kalendis Martiis. Tu me diliges, & valebis.

INTERPRETATIO.

[a] *sapiens rectiloquus eris.* [b] *honorem igitur Kalendis Martiis* habendum putavi.

NOTÆ.

usurper tanquam deponentis.

6. *Kalendis*] Kalendæ Martiæ colebantur à matronis summâ cum religione, propterea quòd sacra Junoni esset illa dies: si quis causam roget, quamobrem integram hanc epistolam non interpretor, Tullii ipsius verbis respondeo: *amo verecundiam.*

EPISTOLA XXIII.

Audivisse se ait de articulari morbo quo Pætus laborabat; se tamen ad eum venturum, & cum eo cœnaturum, modò coquus valeat, nec sit arthriticus. Cæsare tertium, & Lepido Consulibus anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

Cicero S. D. Papirio Pæto.

HERI veni in Cumanum: cras ad te fortasse: sed, cùm certum sciam, faciam te paulò antè certiorem. etsi M. Ceparius, cùm mihi [1] in silvâ Gallinariâ obviam venisset, quæsissemque, quid ageres, dixit te in lecto esse,

NOTA.

1. *In silvâ Gallinariâ*] Silva Gallinaria sita est inter ostia Vulturni, & Literni, juxta

quod [a] ex pedibus laborares : tuli scilicet molestè ut debui : sed tamen constitui ad te venire, ut & viderem te, & viserem, & cœnarem etiam. non enim arbitror coquum etiam te [b] arthriticum habere. expecta igitur hospitem cùm minimè edacem, tùm inimicum cœnis sumptuosis. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *podagrâ laborares.* [b] *articulari morbo laborantem.*

NOTA.

littus in Campaniâ : est & insula Gallinaria in mari Ligustico, quæ vulgò nunc dicitur, *l'Isola d'Arbenga*, quam nonnulli cum silvâ Gallinariâ perperàm hic confundunt.

EPISTOLA XXIV.

Magnæ sibi curæ promittit fore Rufum, quem Pætus commendaverat; deinde hortatur Pætum ad cœnas, & amicorum convictum repetendum; denique summum erga Rempublicam studium profitetur. Post Cæsaris necem, Hirtio & Pansâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo decimo.

Cicero S. D. Papirio Pæto.

RUFUM istum, amicum tuum, de quo iterum jam ad me scribis, adjuvarem quantùm possem, etiam si ab eo læsus essem, cùm te tantoperè viderem ejus causâ laborare : cùm verò & ex tuis literis, & illius ad me missis, intelligam & judicem, magnæ curæ ei salutem meam fuisse, non possum ei non amicus esse : neque solùm tuâ commendatione, quæ apud me, ut debet, valet plurimùm, sed etiam voluntate, ac judicio meo. Volo enim te scire, mi Pæte, initium mihi suspicionis, & cautionis, & diligentiæ fuisse [1] literas tuas. quibus literis congruentes fuerunt aliæ postèa multorum. Nam & [2] Aquini, & [3] Fabrateriæ consilia sunt inita [a] de me quæ te video inaudisse, & [4] quasi divinarent, quàm his molestus essem futurus, nihil

INTERPRETATIO.

[a] *de me* opprimendo.

NOTÆ.

1. *Litteras tuas*] Scripserat Pætus, Antonium iniisse consilium opprimendi Ciceronis : id autem ad Pætum Rufus, is qui hac epistolâ commendatur, detulerat.

2. *Aquini*] Fuit apud Volscos colonia, & municipium, tenue nunc oppidum, vulgò *Aquino* in Aprutio *l'Abruzzo*, regni Neapolitani provincia.

3. *Fabrateriæ*] Volscorum quoque oppidum fuit, ad Trerum fluvium, qui in Lirim labitur : hodie *Falvatera & Falvaterra*.

4. *Quasi divinarent*] Quasi Antonius cum suis præsentiret, quàm eos acerbè in

aliud egerunt, nisi, me ut opprimerent. quod ego non suspicans, incautior fuissem, nisi à te admonitus essem. Quamobrem iste tuus amicus apud me commendatione non eget. utinam ea fortuna reipublicæ sit, ut ille me quam gratissimum possit cognoscere. Sed hæc hactenùs. Te ad cœnas itare desisse, molestè fero. magnâ enim te delectatione, & voluptate privasti: deindè etiam vereor, (licet enim verum dicere) ne nescio quid illud, quod solebas, dediscas, & obliviscare cœnulas facere. nam [5] si tùm, cùm habebas quos imitarere, non multùm proficiebas, quid nunc te facturum putem? Spurina quidem, cùm ei rem demonstrassem, & vitam tuam superiorem exposuissem, [6] magnum periculum summæ reipublicæ demonstrabat, [7] nisi ad superiorem consuetudinem [b] tùm, cùm Favonius flaret, revertisses: [c] hoc tempore ferri posse, si fortè tu frigus ferre non posses. Sed mehercule, mi Pæte, extra jocum, moneo te, quod pertinere ad beatè vivendum arbitror, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas nihil est aptius vitæ, nihil ad beatè vivendum accommodatius. nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victûs, remissionemque animorum, quæ maximè sermone efficitur familiari, qui est in conviviis dulcissimus: [d] ut sapientiùs nostri, quàm Græci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id est compotationes, aut concœnationes: nos convivia, quòd tùm maximè simul vivitur. Vides, ut te philosophando revocare coner ad cœnas? Cura ut valeas. id, [e] foris cœnitando, facillimè consequere. Sed cave, si me amas, existimes me, quòd jocosius scribam, abjecisse curam reipublicæ. Sic tibi, mi Pæte, persuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, [8] nisi ut mei cives salvi, liberique sint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, providendi. hoc denique animo sum, ut si in hac curâ, atque administratione vita mihi ponenda sit, præclarè actum mecum putem. Etiam atque etiam vale.

INTERPRETATIO.

[b] *tùm, cùm Zephirus flans* ver reduceret.

[c] *hoc tempore* perfrigido *ignoscit tibi posse*, si ad cœnas non itares, *quia fortè frigus ferre non potes.*

[d] *ut sapientiùs Latinâ linguâ exprimitur, quàm Græcâ.*

[e] *apud amicos frequenter cœnando.*

NOTÆ.

Senatu essem exagitaturus (indicat orationes Philippicas) de me opprimendo cogitarunt.

5. *Si tùm cùm habebas*] Si tùm cùm habebas Hirtium & Dolabellam, quos imitari posses, non sumptuosas cœnas apparabas, quid nunc mortuo Cæsare, adeóque Hirtio & Dolabellâ Cæsaris familiaribus nostram societatem fugientibus, putem te facturum?

6. *Magnum periculum*] Ironia.

7. *Nisi ad*] Nisi ad pristinam consuetudinem cum amicis cœnandi redires.

8. *Nisi ut mei*] Occiso Cæsare, sperabat posse libertatem Reipublicæ restitui: rectè suos cives vocat, appellatus est enim *Parens patriæ.*

Digitized by Google

EPISTOLA XXV.

Ostentat Pæto suam in arte militari scientiam; administrabat enim tùm cum hæc scriberet Ciliciam Proconsul: sub finem M. Fabium commendat. L. Paulo, & C. Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

M. Cicero Imp. s. d. Papirio Pæto.

SUMMUM me ducem literæ tuæ reddidêre. planè nesciebam te tam peritum esse rei militaris. [a] Pyrrhi te libros, & Cyneæ video lectitasse, itaque obtemperare cogito præceptis tuis; [a] hoc amplius, navicularum habere aliquid in ora maritima. contra equitem [3] Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri posse. Sed quid ludimus? nescis, quo cum imperatore tibi negotium sit [b] Κύρου παιδίαν, quam contriveram legendo, totam [4] in hoc imperio explicavi. Sed jocabimur aliàs coram, &, ut spero, brevi. nunc [c] ades ad imperandum, vel ad parendum potiùs: [5] sic enim antiqui loquebantur. Cum M. Fabio, quod scire te arbitror, summus mihi est usus: valdéque eum diligo, cùm propter summam probitatem ejus, ac singularem modestiam, tùm quòd in iis controversiis, quas habeo cum tuis combibonibus [6] Epicureis, optima opera ejus uti soleo. is cùm ad me Laodiceam veniisset, mecumque eum ego esse vellem, repentè percussus est atrocissimis literis, in quibus scriptum erat, fundum Herculanensem à Q. Fabio fratre [d] proscriptum esse, qui fundus cum eo communis esset. Id M. Fabius pergraviter tulit, existimavitque, fratrem suum, hominem non sapientem, impulsu inimicorum suorum eò progressum esse. nunc, si me amas, mi Pæte, negotium totum suscipe, molestiâ Fabium libera. auctoritate tuâ nobis opus est, & consilio, & etiam gratiâ. noli pati litigare fratres, & judiciis

INTERPRETATIO.

[a] *præterea cogito habere naves aliquot in orâ maritimâ.* [b] *Cyri institutionem.* [c] *veni ut tibi imperetur.* [d] *propositum esse venalem.*

NOTÆ.

1. *Summum*] Præcepta enim de re militari præclara tradidisti.

2. *Pyrrhi*] Pyrrhus Epirotarum Rex, qui cum Romanis bellum gessit, ejusque legatus Cineas, libros de re bellicâ conscripserunt, quos perlegisse Pætum, & inde sua illa præcepta hausisse per jocum ait Cicero.

3. *Parthum*] Ironia: neque enim navalibus, sed equestribus ut plurimum præliis, & quidem fugiendo rem Parthi gerebant.

4. *In hoc imperio*] Ego præcepta quæ Xenophon libris de institutione Cyri Persarum Regis complexus est, in administratione Proconsulari Ciliciæ exercui sum.

5. *Sic enim*] Antiqui dicebant *ad imperandum* passivè.

6. *Epicureis*] Tres maximè insignes controversiæ fuerunt de summo bono; alii quippe summum bonum in virtute soli, alii in virtute conjunctâ cum divitiis, honestisque voluptatibus ponebant; primam tuebantur

7 turpibus conflictari. Mathonem, & Pollionem inimicos habet Fabius. quid multa? non mehercule tam perscribere possum, quàm mihi gratum feceris, si e otiosum Fabium reddideris. id ille in te positum esse putat, mihique persuadet. Vale.

INTERPRETATIO.

e *securum.*

NOTÆ.

cuebantur Stoïci, secundam Epicurei, tertiam Academici, quos Cicero sequebatur.

7. *Turpibus*] Quia turpe est fratres litibus inter se dissidere. Sic Horatius:

——*indigni fraternum rumpere fœdus.*

EPISTOLA XXVI.

Describit hilarem cœnam in quâ interfuit, apparatam à Volumnio Eutrapelo. Eodem anno.

Cicero s. d. Papirio Pæto.

ACCUBUERAM 1 horâ nonâ, cùm ad te 2 harùm exemplum a in codicillis exaravi. dices, ubi? apud Volumnium 3 Eutrapelum: & quidem 4 supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. Miraris tam exhilaratam esse severitatem nostram? quid ergo faciam? te consulo, qui 5 philosophum audis. 6 angar? excruciémne me? quid assequar? deinde, quem ad finem? Vivas, inquis, in literis. an quidquam me aliud agere censes? haud possem vivere, nisi in literis viverem: sed est earum etiam non satietas, sed quidam modus. à quibus cùm discessi, 7 etsi minimum mihi est in cœnâ, quod tu unum ζήτημα Dioni philosopho posuisti: tamen, 8 quid potiùs fa-

INTERPRETATIO.

a *in pugillaribus raptim scripsi.*

NOTÆ.

1. *Horâ nonâ*] Cœnæ apud veteres tempus erat.

2. *Harum exemplum*] Absens, primùm in codicillis scripsi, deinde eosdem domi in chartam transtuli.

3. *Eutrapelum*] Ita dictus est Volumnius, quia festivo ingenio.

4. *Supra me*] Describit dispositionem accumbentium: medius accumbebat Cicero, quæ sedes honoratior erat; secundus à Cicerone Atticus suprà, id est in summo lecto; tertius in inferiori parte lecti Verrius; reliqui convivæ in imo lecto accumbebant.

5. *Philosophum*] Dionem, ita infrà nominatur.

6. *Angar*] Noli dividere, quasi opponantur, *angar & excruciem*: sed potiùs conjunge, quasi *egone angar, & me excrucior*?

7. *Etsi minimum*] Etsi cœnulas minimè omnium curo, contra quàm tu facis, qui Dioni petenti quâ de re velles disserere, respondisti te nihil aliud, nisi ut cœnæ à manè inciperent, nullamque aliam quæstionem posuisti Philosopho.

8. *Quid potiùs faciam*] Postquam diù libris meis ac litteris me involvi, non re-

ciam, priùs quàm me dormitum conferam, non reperio. Audi reliqua. infra Entrapelum Cyteris accubuit. 9 In eo igitur, inquis, convivio Cicero ille, Quem adſpectabant, cujus ob os Graii ora obvertebant ſua? non mehercule ſuſpicatus ſum illam affore: ſed tamen ne Ariſtippus quidem ille
5 [b] Socraticus erubuit, cùm eſſet objectum, 10 habere eum Laida: Habeo, inquit, non habeor à Laïde. græcè hoc melius. tu, ſi voles, interpretabere. [c] Me verò nihil iſtorum ne juvenem quidem movit unquam, ne nunc ſenem. convivio delector. ibi loquor aliquid, 11 quod in ſolum, ut dicitur, & gemitum etiam in riſus maximos [d] transfero. an tu id melius, qui etiam phi-
10 loſophum irriſeris? [e] cùm ille, 12 ſi quis quid quæreret, dixiſſet, cœnam te quærere à mane dixeris? 13 ille Baro te putabat quæſiturum, [f] unum cælum eſſet, an innumerabilia. 14 quid ad te? at hercule cœna nunquid ad te? ibi præſertim? Sic igitur vivitur: quotidie aliquid legitur, aut ſcribitur: deinde ne amicis nihil tribuamus, epulamur unà 15 non modò non contra legem,
15 ſi ulla nunc lex eſt, ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto. Quare nihil eſt, quòd adventum noſtrum extimeſcas. [g] non multi cibi hoſpitem accipies, ſed multi joci. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *Socratis diſcipulus.*

[c] *ego verò nunquam ejuſmodi voluptatum amore captus ſum etiam juvenis, multò minùs nunc ſenex.* [d] *converto.*

[e] *cùm ille* Philoſophus *petiiſſet, utrùm aliquis aliquid quæreret,* tu verò Philoſophum irridens *dixeris, te cœnam quærere* longiſſimam, *quæ à manè inciperet.*

[f] utrùm *unum cœlum eſſet, aut innumerabiles cœli.*

[g] *accipies hoſpitem non edacem, ſed jocis amantem.*

NOTÆ.

perio quid potiùs faciam, me ut honeſtè oblectem, quàm ſi cœnatum eam cum amicis.

9. *In eo igitur*] Objectio. Potuitne intereſſe convivio cum meretriculâ Cicero ille quem aſpectabant, cujus ob os Græci ora obvertebant ſua; quaſi diceret, hiccine ille Cicero, vir Conſularis, qui tantam in civitate Romanâ gravitatem præ ſe tulit? Sequitur Ennianus verſus ex Telamone Tragœdiâ, ubi hæc de Telamone patriâ ejecto habentur: *Hiccine Telamon ille eſt, modo quem gloria ad cælum extulit, quem expectabant, &c.*

10. *Habere eum*] Eum conſuetudinem habere cum Laïde meretrice; reſponſum Ariſtippi fuit, ἔχω, ἀ οὐκ ἔχομαι, *habeo, non habeor*; ita quidem interpretor, inquit Cicero, tu ſi voles interpretare meliùs quàm interpretatus ſum.

11. *Quod in ſolum*] Quod in ſolum venit, id eſt, quidquid temerè menti occurrit.

12. *Si quis quid*] Solebant Græculi homines de quacumque propoſitâ ex tempore diſſerere; talis fuit ille Dio, qui petiit, ſi quis quid à ſe quæreret, reſpondit Patus cœnam ſe longiorem quærere, nihil aliud.

13. *Ille Baro*] Id eſt, fatuus ille Philoſophus.

14. *Quid ad te*] Quid tuâ refert, ſit unum cœlum, an innumerabilia? tum addit jocans; at hercule cœna, quam te quærere, & amare dixiſti, nunquid ad te pertinet? certè multùm, præſertim ſi tuis non inſtruatur ſumptibus, ſed ab amicis tibi detur.

15. *Non modò non contrà*] Lex ſumptuaria certos fines impenſis cœnarum præſcripſerat; hanc à ſe legem ait Cicero adeò non violari, ut aliquantò intra legem ſumptus faciat, ac minores quàm qui lege permiſſi ſunt.

Digitized by Google

LIBER X.

AD PLANCUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Hortatur Plancum ad Rempublicam contra arma Antonii defendendam. Antonio & Dolabellâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Cicero s. d. [1] L. Munatio Planco Imp. Cos. des.

ET abfui, [2] proficiscens in Græciam : & posteaquam de medio cursu, reipublicæ sum voce revocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui: cujus tanta est non insolentia, (nam id quidem vulgare vitium est) sed immanitas, non modò ut vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cujusquam. Itaque mihi maximæ curæ est, non de meâ quidem vitâ, cui satisfeci, vel [3] ætate, vel factis, vel, si quid etiam hoc ad rem pertinet, gloriâ : sed me patria solicitat, in primisque, mi Plance, expectatio consulatûs tui : quæ [4] ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus reipublicæ spiritum ducere. Quæ potest enim spes esse in eâ republicâ, in quâ hominis impotentissimi, atque intemperantissimi armis oppressa sunt omnia ? & in quâ nec senatus, nec populus vim habet ullam ? nec leges ullæ sunt, nec judicia, nec omninò simulacrum aliquod, aut vestigium civitatis ? Sed, quando [5] acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem à tuâ pueritiâ susceptum non servavi solùm, sed etiam auxi, monere te, atque hortari, ut in rempublicam omni cogitatione, curâque incumberes. quæ [6] si ad tuum

NOTÆ.

1. *L. Munatio Planco*] Quæ de Planco scitu digna sunt, index historicus ea continet.

2. *Proficiscens*] Cùm unius Antonii nutu Romæ omnia gererentur, ex urbe discessit Cicero, & Athenas cogitans, jam mare conscenderat ; sed ab Austro in Italiam rejectus est, & Romam, patriæ ipsius, ut ait, voce revocatus.

3. *Ætate*] Erat tùm natus annos duos, & sexaginta ; factis, oppresso Catilinâ ; gloriâ, cùm appellatus est patriæ parens: *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

4. *Ita longa*] Cur longa ? designatus enim erat Consul, ut epistolæ ostendit inscriptio ; verùm istuc, sed non in annum proximum : Cæsar enim ad expeditionem Parthicam profecturus, Consules in triennium designavit ; primo anno Consules fuêre Antonius, & loco Cæsaris, qui hoc eodem anno interfectus est, Dolabella ; his altero anno successuri erant Hirtius, & Pansa ; tertio, Brutus & Plancus : ad hæc Planci Consulis tempora non pervenit Cicero.

5. *Acta omnia*] Id est, quæ singulis diebus Romæ geruntur.

6. *Si ad tuum*] Si non funditus periit

tempus perducitur, facilis gubernatio est: ut perducatur autem, magnæ tùm diligentiæ est, tùm etiam fortunæ. sed & te aliquantò antè, ut spero, 7 habebimus: &, præterquam quòd reipublicæ consulere debemus, tamen tuæ dignitati ita favemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam conferamus. ita facillimè & reipublicæ, quæ mihi carissima est, & amicitiæ nostræ, quam sanctissimè nobis colendam puto, me intelligo satisfacturum. Furnium nostrum tanti à te fieri, quantùm ipsius humanitas & dignitas postulat, nec miror, & gaudeo: teque hoc existimare volo, quidquid in eum [a] judicii, officiique contuleris, id ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *bonæ opinionis.*

NOTÆ.

Respublica ante tuum Consulatum.

7. *Habebimus*] Visuri te Romæ sumus.

Administrabat Plancus, cùm hæc scribit Cicero, Transalpinam Galliam.

EPISTOLA II.

Excusat se Planco, quòd in senatum, cùm res & honor Planci ageretur, non venerit; causa autem fuit, Antonii nimia potentia. Eodem anno.

Cicero s. d. Planco Imp. Cos. des.

MEUM studium honori tuo pro necessitudine nostrâ non defuisset, si aut tutò in senatum, aut honestè venire potuissem. sed nec sine periculo quisquam, liberè de republicâ sentiens, versari potest in summâ impunitate gladiorum: nec nostræ dignitatis videtur esse, ibi sententiam de republicâ dicere, ubi me & meliùs, & propiùs audiant [a] armati, quàm senatores. Quapropter in privatis rebus nullum neque officium, neque studium meum desiderabis: ne [b] in publicis quidem, si quid erit, in quo me interesse necesse sit, unquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuæ. In iis autem rebus, [c] quæ nihilo minus, ut ego absim, confici possunt, peto à te, ut me rationem habere velis & salutis, & dignitatis meæ. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *milites* Antonii. [b] *ne in publicis quidem rebus unquam deero dignitati tuæ, vel cum periculo meo, si quid erit, propter quod adesse me oporteat in senatu.*
[c] *quæ, etiamsi absim à senatu, æquè tamen possunt confici.*

Digitized by Google

EPISTOLA III.

Cohortatur Plancum ad Rempublicam tuendam. Hirtio & Pansâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo decimo.

Cicero s. d. Planco Imp, Cos. des.

CUM ipsum [1] Furnium per se vidi libentissimè, tùm hoc libentiùs, quòd illum audiens, te videbar audire. nam & in re militari virtutem & in administrandâ provinciâ justitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit: & præterea mihi non ignotam in consuetudine, & familiaritate suavitatem tuam adjunxit: præterea, summam erga se liberalitatem. quæ omnia mihi [2] jucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestrâ antè aliquantò, quàm tu natus es, amorem autem erga te ab ineunte pueritiâ tuâ, confirmatâ jam ætate familiaritatem, cùm studio meo, tùm [3] judicio tuo constitutam. his de causis mirabiliter faveo dignitati tuæ: quam mihi tecum statuo esse communem. Omnia summa consecutus es, VIRTUTE duce, comite fortunâ: eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos ingenio, industriâque [a] fregisti. nunc me, amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis [b] potior possit esse, si audies: omnem tibi reliquæ vitæ dignitatem ex optimo reipublicæ statu acquires. Scis profectò, (nihil enim te [c] fugere potuit) fuisse quoddam tempus, cùm homines existimarent, te nimis [4] servire temporibus. quod ego quoque existimarem, si te ea, quæ patiebare, [5] probasse etiam arbitrarer. sed, cùm intelligerem, quid sentires, [6] prudenter te arbitrabar videre, quid posses nunc alia ratio est omnium rerum. tuum judicium est, idque liberum. consul es designatus, optimâ ætate, summâ eloquentiâ, [d] maximâ [7] orbitate reipublicæ virorum

INTERPRETATIO.

[a] *vitiis.* [b] *carior.* [c] *latere.* [d] *Republicâ maximè spoliatâ talibus viris.*

NOTÆ.

1. *Furnium*] Planci legatum.

2. *Jucunda*] Sæpè vocabula hæc duo *jucundum & gratum* opponit Cicero; hoc verò utriusque videtur esse discrimen, gratum illud est, de quo grates referendæ sunt: sic officium, quo quis alterum in calamitate consolatur, gratum quidem est, sed non jucundum.

3. *Judicio tuo*] Judicabat Plancus sibi perutilem & gloriosam esse Ciceronis amicitiam.

4. *Servire temporibus*] Nimirùm favere Cæsari. Fuit Plancus in Galliâ, in Hispaniâ, & in Africâ Cæsaris legatus.

5. *Probasse*] Multa patimur, quæ non probamus, epist. 6. lib. 9. *Non enim est idem ferre, si quid ferendum est; & probare, si quid probandum non est.*

6. *Prudenter*] Videbas te, Cæsare rerum potiente, nihil facere posse Reipublicæ causâ; nunc verò, eo mortuo, alia est ratio rerum, & jam subvenire patriæ potes contra Antonium.

7. *Orbitate*] Extinctis Pompeio, Catone, &c.

Digitized by Google

talium. incumbe, per deos immortales, in eam curam, & cogitationem, quæ tibi ſummam dignitatem & gloriam afferat. unus autem eſt, hoc præſertim tempore, per tot annos republicâ devexatâ, reipublicæ benè gerendæ curſus ad gloriam. Hæc amore magis impulſus ſcribenda ad te putavi, quàm quòd arbitrarer te monitis, & præceptis meis egere. ſciebam enim, ex iiſdem te hæc, [8] haurire fontibus, ex quibus ipſe hauſeram. quare modum faciam. hoc tantùm ſignificandum putavi, ut potiùs amorem tibi oſtenderem meum, quàm oſtentarem prudentiam. Interea quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudiosè, diligenterque curabo. Vale.

NOTÆ.

8. *Haurire fontibus*] Ex Græcorum libris, ex quibus, quaſi ex fontibus, præclara vivendi, ac parandæ laudis præcepta hauſiſti.

EPISTOLA IV.

Propenſam Ciceroni voluntatem oſtendit Reipublicæ benè gerendæ, & tuendæ. Eodem anno.

Plancus s. d. Ciceroni.

GRATISSIMÆ mihi tuæ literæ fuerunt, quas ex Furnii ſermone [a] te ſcripſiſſe animadverti. [b] ego autem præteriti temporis excuſationem affero, quòd te profectum audieram, nec multò antè rediiſſe ſcivi, quàm ex epiſtolâ tuâ cognovi. nullum enim in te officium, ne minimum quidem, ſine maximâ culpâ videor poſſe præterire. in quo tuendo habeo cauſas plurimas, vel paternæ neceſſitudinis, vel meæ à pueritiâ obſervantiæ, vel tui erga me mutui amoris. quare, mi Cicero, [1] quod mea, tuaque patitur ætas, perſuade tibi te unum eſſe, in quo ego colendo patriam mihi conſtituerim, ſanctitatem. omnia igitur tua conſilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ ſumma eſt, videntur, quàm fidelitatis, [c] quam ego ex meâ conſcientiâ metior. Quare, ſi aut aliter ſentirem, certè admonitio tua me reprimere: aut, ſi dubitarem, hortatio impellere poſſet, ut id ſequerer, quod tu optimum putares. Nunc verò quid eſt, quod me [2] in aliam partem trahere poſſit? quæcunque in me bona ſunt, aut fortunæ beneficio tributa, aut meo labore parta,

INTERPRETATIO.

a tuâ manu ſcripſiſſe. b propterea non ſcripſi ante hoc tempus, quia acceperam te in Græciam *profectum eſſe, nec multò antè quàm accepi tuas literas, te rediiſſe cognovi. c de quâ judico ex meâ ipſius erga te fidelitate.*

NOTÆ.

1. *Quod mea, tuaque*] Perſuade tibi (patitur enim ita me loqui ætas tua maturior, meaque non ita provecta) te unum eſſe, quem colere velim pari pietate, ac parentes meos, quibus nihil nobis ſanctius.

2. *In aliam partem*] Quem ego fructum deficiens à Republicâ ſperare queam! cùm nihil jam deſiderare poſſim, etiam inimi-

Digitized by Google

etsi à te propter amorem 3 cariùs sunt æstimata, tamen vel inimicissimi judicio tanta sunt, ut præter bonam famam, nihil desiderare videantur. Quare hoc unum tibi persuade, quantùm viribus eniti, consilio providere, auctoritate movere potuero, hoc omne reipublicæ semper futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus: neque, [d] si facultas, optabilis mihi quidem, tui præsentis esset, unquam à tuis consiliis discreparem: nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere jure possis. Sum in expectatione omnium rerum, 4 quid in Galliâ citeriore, quid in urbe Januario mense geratur, ut sciam. interim maximam hîc solicitudinem, curamque sustineo, ne inter aliena vitia [e] hæ gentes nostra mala suam putent occasionem. quòd si proinde, ut ipse mereor, mihi successerit: certè & tibi, cui maximè cupio, & omnibus viris bonis satisfaciam. Fac valeas, méque mutuò diligas.

INTERPRETATIO.

[d] *si te præsentem habere possem, quod optabile mihi esset.* [e] *ne Galli nostras dissensiones putent esse occasionem* se jugo nostro eripiendi.

NOTÆ.

cissimorum judicio, præter bonam famam, quæ amore, ac defensione patriæ comparari debet.

3. *Cariùs sunt æstimata*] Dixerat Cicero epist. sup. *Omnia summa consecutus es virtute duce, comite fortunâ.*

4. *Quid in Galliâ citeriore*] Primùm, quid in Galliâ Cisalpinâ geratur ad Mutinam quæ obsidetur à Marco Antonio, à D. verò Bruto defenditur; deinde quid Romæ à novis Coss. Hirtio & Pansâ.

EPISTOLA V.

Adhortatur pariter Plancum ad suscipiendam patriæ suæ contra Antonium defensionem. Eodem anno.

Cicero S. D. Planco Imp. Cos. des.

BINAS à te accepi literas eodem exemplo: quod ipsum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ. Intellexi enim te laborare, ut ad me tuæ expectatissimæ literæ perferrentur: ex quibus cepi fructum duplicem, mihique in comparatione difficilem ad judicandum, amoremne erga me tuum, an animum in rempublicam pluris æstimandum putarem. EST omninò patriæ caritas, meo quidem judicio, maxima: sed amor, voluntatisque conjunctio plus certè habet suavitatis. Itaque commemoratio tua paternæ necessitudinis, benevolentiæque ejus, quam erga me à pueritiâ contulisses, cæterarumque rerum, quæ ad eam sententiam pertinebant, incredibilem mihi lætitiam 1 attulerunt. Rursus declaratio animi tui, quem haberes de republicâ, quemque

NOTÆ.

1. *Attulerunt*] Videretur dicendum, *attulit*, sed verbum hoc referendum ad paternam necessitudinem, benevolentiam, cæteraque res; quasi diceret: Paterna necessitudo, benevolentia, cæteraque omnia quæ litteris tuis commemorasti, incredibilem

habiturus esses, mihi erat jucundissima: eoque major erat hæc lætitia, quòd ad illa superiora accedebat. Itaque te non hortor solùm, mi Plance, sed planè etiam oro, quod feci iis literis, quibus tu humanissimè respondisti, ut totâ mente, omnique animi impetu in rempublicam incumbas. nihil est quod tibi majori fructui, gloriæque esse possit: NEC quidquam ex omnibus rebus humanis est præclarius, aut præstantius, quàm de republica benè mereri. adhuc enim patitur tua summa humanitas & sapientia, me, quod sentiam, liberè dicere. Fortunâ suffragante videris res maximas consecutus. quod quanquam sine virtute non potuisses: tamen ex maximâ parte ea, quæ es adeptus, [2] fortunæ, temporibusque tribuuntur. his temporibus difficillimis, reipublicæ quidquid subveneris, id erit totum, & proprium tuum. Incredibile est omnium, [3] latronibus exceptis, odium in Antonium, magna spes in te, & in tuo exercitu, magna expectatio. cujus, per deos, gratiæ, gloriæque cave tempus [4] amittas. sic moneo, ut filium, sic faveo, ut mihi: sic hortor, ut & pro patriâ, & amicissimum. Vale.

NOTÆ.

mihi lætitiam attulèrunt.

2. *Fortunæ*] Quæ te cum Cæsare conjunxit, & ejusdem sortis participem te fecit.

3. *Latronibus*] Antonii sociis.

4. *Amittas*] Abire sinas, è manibus elabi patiare.

EPISTOLA VI.

Idem argumentum. Eodem anno.

Cicero S. D. Planco Imp. Cos. des.

QUÆ locutus est Furnius noster de animo tuo in rempublicam, ea gratissima fuerunt senatui, populoque Romano probatissima. quæ autem recitatæ sunt literæ in senatu, nequaquam consentire cum Furnii oratione visæ sunt. [1] pacis enim auctor eras, cùm collega tuus, vir clarissimus à fœdissimis latronibus obsideretur. qui aut, positis armis, pacem petere debent. aut, si pugnantes eam postulant, victoriâ pax, non pactione, parienda est. sed de pace literæ vel [2] Lepidi, vel tuæ, quam in partem acceptæ sint, ex viro optimo, [3] fratre tuo, & C. Furnio poteris cognoscere. me autem impulit tui caritas, ut, quanquam nec tibi ipsi consilium deesset, & fratris, Furniique benevolentia, fideliſque prudentia tibi præsto esset futura, vellem

NOTÆ.

1. *Pacis enim*] Suadebas faciendam pacem cum Antonio, quo tempore collega tuus D. Brutus obsidebatur Mutinæ ab eodem Antonio, fœdissimisque Antonii sociis: quis autem cum iis pacem facere velit, nisi aut ipsi sponte arma deponant, aut arma deponere cogantur?

2. *Lepidi*] Qui postea Triumvir fuit cum Octavio, & M. Antonio.

3. *Fratre tuo*] Plancus fratres habuit duos; alterum virum optimum, salutisque publicæ studiosum, cujus hîc fit mentio: alterum T. Plancum Bursam stantem ab Antonio contra Rempublicam.

4. *Adhuc*

tamen meæ quoque auctoritatis pro plurimis noſtris neceſſitudinibus præceptum ad te aliquod pervenire. Crede igitur mihi, Plance, omnes, quos [4] adhuc gradus dignitatis conſecutus ſis, (es autem adeptus ampliſſimos) eos honorum vocabula habituros, non dignitatis inſignia, niſi te cum libertate populi Romani, & cum ſenatûs auctoritate conjunxeris. Sejunge te, quæſo, aliquando ab iis, cum quibus te non tuum judicium, ſed [5] temporum vincula conjunxerunt. Complures in perturbatione reipublicæ Conſules dicti: quorum nemo conſularis habitus, niſi qui animo extitit in rempublicam conſulari. Talem igitur te eſſe oportet, qui primùm te ab impiorum civium, tui diſſimillimorum, ſocietate ſejungas, deinde, te ſenatui, boniſque omnibus [6] auctorem, principem, ducem præbeas: poſtremò, ut pacem eſſe judices, non in armis poſitis, ſed in abjecto armorum, & ſervitutis metu. Hæc ſi ages, & ſenties, tùm eris non modò conſul, & conſularis, ſed magnus etiam conſul, & conſularis, ſin aliter: tùm in iſtis ampliſſimis nominibus honorum non modò dignitas nulla erit, ſed erit ſumma deformitas. Hæc impulſus benevolentiâ ſcripſi paulò ſeveriùs: quæ tu in experiendo, [7] eâ ratione, quæ te digna eſt, vera eſſe cognoſces. XIII. Kalend. April.

NOTÆ.

4. *Adhuc*] Nota Ciceronem iis locis ponere *adhuc* ubi nos poneremus *hactenus*: *ad hunc diem*: & certè dubium eſt utrùm ea vis inſit huic vocabulo, *hactenus* quam illi tribuimus; videtur enim ſumendum pro *ad hunc locum*.

5. *Temporum vincula*] Cæſari primùm adhæſiſti, nunc Antonio obſcurè favere videris.

6. *Auctorem*] Gradatio; auctor conſilio juvat, dux etiam manu.

7. *Eâ ratione*] Iis rebus agendis, quæ te ſunt dignæ, nempè defendendâ Republicâ.

EPISTOLA VII.

Excuſat primò brevitatem litterarum ſuarum, deinde ſtudium in Rempublicam ſuum profitetur; tùm dignitatem ſuam Ciceroni commendat. Eodem anno.

Plancus Imp. Coſ. deſ. Cic. s. d.

PLURA tibi de meis conſiliis ſcriberem, rationemque omnium rerum redderem verboſius, quo magis judicares omnia me reipublicæ præſtitiſſe, quæ & tuâ exhortatione excepi, & meâ affirmatione tibi [a] recepi: (non minùs enim à te probari, quàm diligi, ſemper volui: nec te magis in culpâ defenſorem mihi paravi, quàm prædicatorem meritorum meorum eſſe volui) ſed breviorem me duæ res faciunt: una, quòd [1] publicis literis omnia ſum [b] perſecutus: altera, quòd M. Variſidium, equitem Romanum, fa-

INTERPRETATIO.

[a] *promiſi.* [b] *expoſui.*

NOTÆ.

1. *Publicis litteris*] Epiſtolâ ſequenti, quam populo Romano miſit.

Digitized by Google

miliarem meum, ad te ipsum transire jussi, ex quo omnia cognoscere poſſes. Non meditùs fidius mediocri dolore afficiebar, [2] cùm alii occupare poſſeſſionem laudis viderentur: [c] sed usque mihi temperavi, dùm perducerem eò rem, ut dignum aliquid & [3] consulatu meo, & vestrâ expectatione efficerem. quod spero, si me fortuna non fefellerit, me consecuturum: ut, maximo præsidio reipublicæ nos fuisse, & nunc sentiant homines, & in posterum memoriâ teneant. A te peto, ut dignitati meæ suffrageris: &, [4] quarum rerum spe ad laudem me vocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. non minùs posse te, quàm velle, exploratum mihi est. Fac valeas, meque mutuò diligas.

INTERPRETATIO.

[c] *tandiù nolui explicare consilium meum, donec, &c.*

NOTÆ.

2. *Cùm alii occupare*] Quòd aliis defensæ Reipublicæ laus tribueretur, non mihi.

3. *Consulatu*] Non præsenti, Consules enim erant hoc anno Hirtius & Pansa: sed sequenti.

4. *Quarum rerum*] Fac, ut non tantùm spe honorum me incendas, sed etiam ipsâ eorumdem honorum consecutione, me alacriorem ad defendendam Rempublicam facias.

EPISTOLA VIII.

Causas explicat, cur tardiùs apertam Reipublicæ defensionem professus sit; simulque, quid virium ad oppugnandum Antonium habeat, exponit. Eodem anno.

Plancus Imp. Cos. des. S. D. Cos. Prætor. Trib. pl. S. P. PL. Q. R.

SI cui fortè videor, diutiùs & hominum expectationem, & spem reipublicæ de meâ voluntate tenuisse suspensam, huic priùs excusandum me esse arbitror, quàm de insequenti officio quidquam ulli pollicendum. non enim præteritam culpam videri volo [1] redemisse, sed optimæ mentis cogitata jampridem, maturo tempore enuntiare. Non me præteribat, in tantâ solicitudine hominum, & tam perturbato statu civitatis fructuosissimam esse professionem bonæ voluntatis: magnosque honores ex eâ re complures consecutos videbam. sed, cùm in eum casum me fortuna demisisset, ut aut celeriter pollicendo, [2] magnâ in spe ad proficiendum impedimenta opponerem: aut, si in eo [3] mihi temperavissem, majores occasiones ad opitulandum

NOTÆ.

1. *Redemisse*] Præclarè factis emendasse; quòd enim incertos ac suspensos animos de meâ voluntate tenui, nihil mihi peccasse videor, sed consilia mea suo loco enuncianda distulisse.

2. *Magnâ in spe*] Sperabam Reipublicæ me profuturum, at verebar, si maturiùs auxilium ei meum pollicerer, ne huic spei impedimenta opponerem.

3. *Mihi temperavissem*] Si tardiùs præ-

Digitized by Google

haberem: expeditius iter communis salutis, [4] quàm meæ laudis, esse voluit. [5] Nam quis in eâ fortunâ, quæ mea est, & ab eâ vitâ, quam in me cognitam hominibus arbitror, & cum eâ spe, quam in manibus habeo, aut sordidum quidquam pati, aut pernicioſum concupiscere potest? sed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multæ impensæ opus fuit, ut quæ reipublicæ, bonisque operibus polliceremur, exitu præstaremus: neque ad auxilium patriæ nudi cum bonâ voluntate, sed cum facultatibus accederemus. confirmandus erat exercitus nobis, magnis sæpè præmiis solicitatus, ut ab republicâ potiùs [6] moderata, quàm ab uno infinita, speraret. confirmandæ complures civitates, quæ superiore anno largitionibus, concessionibusque præmiorum erant obligatæ: ut & [7] illa vana putarent, & eadem à melioribus auctoribus petenda existimarent. eliciendæ etiam voluntates reliquorum, qui finitimis provinciis, exercitibusque præfuerunt: ut potiùs cum pluribus societatem defendendæ libertatis iniremus, quàm cum paucioribus funestam orbi terrarum victoriam pareremus. Muniendi verò nosmet ipsi fuimus, aucto exercitu, auxiliisque multiplicatis, [8] ut, cùm præferremus sensus apertè, tùm etiam invitis quibusdam, sciri quid defensuri essemus, non esset periculosum. Itaque nunquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum consiliorum pervenirem, & [9] simulasse invitum, & dissimulasse cum dolore: quòd præmatura denuntiatio boni civis imparati quàm periculosa esset, ex casu [10] collegæ videbam. Quo nomine etiam C. Furnio legato, viro forti, atque strenuo, plura etiam verbo, quàm scriptura, mandata dedimus, ut & tectiùs ad vos perferrentur, & nos essemus tutiores: quibusque rebus & communem salutem muniri, & nos armari conveniret, præcepimus. ex quo intelligi potest, curam reipublicæ summæ defendendæ jampridem apud nos excubare. nunc, cùm deûm benignitate ab omni re simus paratiores, non solùm benè sperare de nobis homines, sed exploratè judicare volumus. Legiones habeo quinque sub signis, & suâ fide, virtuteque reipublicæ conjunctissimas, & nostrâ liberalitate nobis obsequentes: provinciam omnium civitatum consensu paratissimam, & summâ contentione

NOTÆ.

studium Reipublicæ pollicitus essem.

4. *Quam meæ laudis*] Si enim expeditam ac facilem viam ad laudem quæsissem, statim & apertè defensorem me libertatis essem professus, sed eâ ratione impedimenta ad salutem ac libertatem Reipublicæ opponebam.

5. *Nam quis*] Ostendit non fuisse pertimescendum, ne ipse sese cum Antonio ad evertendam Rempublicam conjungeret, sive ante acta vita, sive præsens fortuna, quæ erat florentissima, sive futuri honores spectarentur; erat enim designatus Consul.

6. *Moderata*] Moderatam mercedem potiùs à Republicâ, quàm ab Antonio immensa præmia speraret.

7. *Illa vana*] Antonii præmia vana putarent, & eadem à melioribus authoribus, id est, à senatu expectarent.

8. *Ut cùm præferremus*] Ut cùm inciperem apertè profiteri defensionem libertatis, non esset periculosum sciri, &c.

9. *Simulasse*] Finxisse amicum me esse Antonio, cui revera sum infensus, & meum erga Rempublicam studium occultasse, quanquam & sincerum est, & maximum.

10. *Collegæ*] D. Bruti, qui, quòd statim patriæ defensorem se palàm præbuit,

Digitized by Google

* ad officia certantem : equitatus, auxiliorumque tantas copias, quantas * hæ gentes ad defendendam suam salutem, libertatemque conficere possunt. Ipse ita sum animo paratus vel provinciam tueri, vel ire quò respublica vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque, ut vel omnem impetum belli in me convertere non recusem : si modò meo casu aut confirmare patriæ salutem, aut periculum morari possim. 11 Hæc si jam expeditis omnibus rebus, tranquilloque statu civitatis polliceor, in damno meæ laudis, reipublicæ commodo lætabor. sin ad societatem integerrimorum & maximorum periculorum accedam : consilia mea æquis judicibus ab obtrectatione invidorum defendenda commendo. mihi quidem ipsi fructus meritorum meorum in reipublicæ incolumitate satis magnus est paratus. Eos verò, qui, meam auctoritatem, & multò magis vestram fidem secuti, nec ullâ spe decipi, nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos vobis habeatis, petendum videtur. Vale.

NOTÆ.

ab Antonio Mutinæ obsessus est.

* *Ad officia certantem*] Id est, ut suo erga Rempublicam officio satisfaciat.

11. *Hæ gentes*] Galli Transalpini.

12. *Hæc si jam*] Et quamvis hæc mea promissa jacturam mihi laudis allatura essent, bono tamen Reipublicæ lætabor, sin &c.

EPISTOLA IX.

Propensum in Rempublicam animum profitetur; dignitatem suam modeste commendat; monet in copiis suis, quæ firmissimæ sunt, magnam spem reponendam. Eodem anno.

Plancus Imp. Cos. del. s. d. Ciceroni.

NIHIL me tibi temerè scripsisse, aut te cæteris de me frustrà [a] recepisse, lætor : certè hoc majus habes testimonium amoris mei, quo maturiùs tibi, quàm cæteris, consilia mea volui esse nota. [b] in dies verò, meritorum meorum fieri accessiones, pervidere te spero, cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet, mi Cicero, (1 ita ab imminentibus malis respublica me adjuvante, liberetur) [c] sic honores, præmiaque vestra suspicio, conferenda certè cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio, perseverantiaque sim remissurus. Nisi in multitudine optimorum civium impetus animi mei fuerit

INTERPRETATIO.

[a] *promisisse.* [b] *existimo te perspicere merita mea in Rempublicam in dies crescere*

[c] *sic admiror honores & præmia vestra, quæ comparari possunt cum immortalitate, ut tamen, si mihi non* tribuerentur, *parem perseverantiam, & curam* Reipublicæ *habiturus essem.*

NOTÆ.

1. *Ita ab imminentibus*] Modus affirmandi, ac jurandi Virg. *equidem de te nil tale verebar, nec fas: non, ita me referat tibi magnus ovantem Jupiter*; eleganter

ſingularis, & opera præcipua, nihil ad meam dignitatem accedere volo ſuffragatione veſtrâ. [2] concupiſco autem nihil mihi, contrà quàm ipſe pugno. ſed [3] & temporis, & rei te moderatorem facilè patior eſſe. [a] NIHIL aut ſerò, aut exiguè à patriâ civi tributum poteſt videri. Exercitum ad VI. Kal. Maias [4] Rhodanum traject. magnis itineribus [5] Viennâ equites mille viâ breviore præmiſi. ipſe, ſi à [6] Lepido non impediar, celeritate ſatisfaciam: ſin autem in itinere meo ſe oppoſuerit, ad tempus conſilium capiam. copias adduco & [c] genere, & numero, & fidelitate firmiſſimas. Te, ut diligas me, ſi [7] mutuò te facturum ſcis, rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *nulla merces, aut ſera, aut parva videri debet, quæ civi à Republicâ tribuitur.* [c] *fortitudine.*

NOTÆ.

cum *ita* jungitur particula *ut*; in Catilinam, *nam ita mihi ſalvâ Republicâ vobiſcum perfrui liceat, ut ego, &c.*

2. *Concupiſco*] Locus corruptus; alii legunt, *contrà quam*; alii, *contrà quod*; alii, *contraque*; quomodo verò cúmque legatur, hæret aqua, niſi ſi dicat Plancus non tàm privatum meum bonum concupiſco, quàm publicum: legendumque putarem, *contraque*, cui particulæ vis hæc ſubeſſet; nihil mihi concupiſco, ſed ipſe ſemper pugno ſecurus futuri, ſeu nihil magnoperè de futuro honore ſollicitus.

3. *Temporis & rei*] Volo te decernere, quos mihi honores conferendos putes, quove tempore.

4. *Rhodanum*] Maximus Galliæ Narbonenſis fluvius; ex Adula monte, *mons S. Gothard*, è regione Rheni oritur, ac Sedunos in occaſum præterlapſus, egreſſuſque Lemano lacu, ad Lugdunum Ararim excipit; deinde Viennam, Valentiam, Avenionem, & Arelatem urbes irrigat; celeritate ſuâ nobilis; unde Tibullus,

Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna.

Auſonius:

Quà rapitur præceps Rhodanus, &c.

5. *Viennâ*] An ex urbe Viennâ, an per urbem Viennam; poſtremum magis placet: porrò præmittebantur illi equites ut Mutinam venirent ab Antonio obſeſſam; Vienna, Allobrogum Metropolis in Delphinatu, urbs antiquiſſima, olimque celeberrima, ad Rhodanum, *Vienne en Dauphiné.*

6. *Lepido*] Nondùm apertè ſe conjunxerat Lepidus cum Antonio, & ita Plancus dubitabat, ſibine in itinere reſtiturus eſſet Lepidus.

7. *Mutuò te*] Multi legunt, *mutuò me*, idem eſt ſenſus; ſive enim Plancus mutuò amat, ſive Cicero, & amabit uterque, & uterque amabitur.

EPISTOLA X.

Plancum ad Rempublicam copiis ſuis adjuvandam hortatur, eidemque maximæ virtutis ſuæ præmia proponit. Eodem anno.

Cicero S. D. Planco Imp. Coſ. deſ.

ETSI ſatis ex Furnio noſtro cognoveram, quæ tua voluntas, quod conſilium de republicâ eſſet, tamen, lectis tuis literis, [a] liquidiùs de toto

INTERPRETATIO.

[a] *clariùs ſententiam tuam cognovi.*

ſenſu tuo judicavi. quamobrem, quanquam in uno [1] prælio omnis fortuna reipublicæ diſceptat, (quod quidem, cùm hæc legeres, jam [b] decretum arbitrabar fore) tamen ipsâ famâ, quæ de tuâ voluntate percrebuit, magnam es laudem conſecutus. Itaque ſi [2] conſulem Romæ habuiſſemus, declaratum eſſet à ſenatu cum tuis magnis honoribus, quàm gratus eſſet conatus, & apparatus tuus. cujus rei non modò non præteriit tempus, ſed ne [3] maturum quidem etiam nunc, meo quidem judicio, fuit. IS ENIM denique honos mihi videri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficii, ſed propter magna merita claris viris defertur, & datur. Quare, ſit modò aliqua reſpublica, in quâ honos elucere poſſit: omnibus, mihi crede, ampliſſimis honoribus abundabis. IS AUTEM, qui verè appellari poteſt honos, non [4] invitamentum ad tempus, ſed perpetuæ virtutis eſt præmium. Quamobrem, mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem: ſubveni patriæ: opitulare [5] collegæ: omnium gentium conſenſum, & incredibilem conſpirationem adjuva. me tuorum conſiliorum adjutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amiciſſimum, fideliſſimumque cognoſces. ad eas enim cauſas, quibus inter nos amore ſumus, officiis, vetuſtate conjuncti, patriæ caritas acceſſit: eaque effecit, ut tuam vitam anteferrem meæ. IV. Kalend. April.

INTERPRETATIO.

[b] *confectum putabam fore.*

NOTÆ.

1. *Prælio*] Mutinenſi.

2. *Conſulem*] Alterutrum; nam neque Hirtius, neque Panſa Romæ aderant, ſed Mutinam, ad liberandam obſidione civitatem, ambo erant profecti.

3. *Maturum quidem*] Non enim, ut infrà explicat, verus honos decernitur, niſi rectè factis; tu ſolam adhuc voluntatem juvandæ Reipublicæ præ te tuliſti; adhuc conatus audiuntur, expectatur ipſa res.

4. *Invitamentum*] Non eſt conferendus honos alicui, ut invitetur ad benè agendum, ſed rei benè geſtæ præmium eſſe debet.

5. *Collega*] D. Bruto, quem Antonius Mutinæ obſeſſum tenet.

EPISTOLA XI.

Gratias agit Ciceroni pro ipſius erga ſe officiis; narrat de Mutinenſi ſolutâ obſidione, fugatoque Antonio. Eodem anno.

Plancus s. D. Ciceroni.

IMMORTALES ago tibi gratias, agamque dum vivam: nam, [1] relaturum me, affirmare non poſſum. tantis enim tuis officiis non videor mihi

NOTÆ.

1. *Relaturum*] Agere gratias minus eſt quàm referre, is agit gratias, qui alteri de ſe benè merito gratum animum oſtendit, beneficium prædicat, &c. ille verò gratias refert, qui par pari refert, facta factis remuneratur.

Digitized by Google

respondere posse : nisi fortè, ut tu gravissimè, disertissiméque scripsisti, ita fensurus es, ut me referre gratiam putes, cùm memoriâ tenebo. Si de filii tui dignitate esset actum, amabilius certè nihil facere potuisses. [2] Primæ tuæ sententiæ infinitis cum muneribus, posteriores ad tempus arbitriumque amicorum meorum compositæ, oratio assidua & perpetua de me, jurgia cum obtrectatoribus propter me, notissima mihi sunt. non mediocris adhibenda mihi est cura, ut reipublicæ me civem dignum tuis laudibus præstem, in amicitiâ tuâ memorem, atque gratum. Quod reliquum est, tuum munus tuere, & me, * si, quem esse voluisti, eum exitu, rebusque cognoscis, defende ac fuscipe. Cùm Rhodanum copias trajecissem, fratremque cum tribus millibus equitum præmisissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem : in itinere de prælio facto, Brutoque & Mutina obsidione liberatis audivi. animadverti * nullum alium receptum Antonium, reliquiasque, quæ cum eo essent, habere, nisi in his partibus : duasque ei spes esse propositas, unam Lepidi, ipsius alteram exercitus : quod quædam pars exercitûs non minùs [3] furiosa est, quàm qui cum Antonio fuerunt. equitatum revocavi : ipse in [4] Allobrogibus constiti, [b] ut proinde ad omnia paratus essem, ac res me moneret. Si [c] nudus huc se Antonius conferet : facilè mihi videor per me sustinere posse, remque publicam ex vestrâ sententiâ administrare, quamvis ab exercitu Lepidi recipiatur. si verò copiarum aliquid secum adducet, & si [5] decima legio veterana, quæ nostra opera revocata cum reliquis est, [d] ad eundem furorem redierit : tamen, ne quid detrimenti fiat, dabitur opera à me : idque me præstiturum spero, dùm istinc copiæ trajiciantur, conjunctæque nobiscum facilius perditos opprimant. Hoc tibi spondeo, mi Cicero, neque animum, neque diligentiam mihi defuturam cupio mehercules nullam residuam solicitudinem esse : sed, si fuerit, nec animo, nec benevolentiæ, nec patientiæ cujusquam pro vobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad hujus rei societatem incitem : omniaque ei obsequia polliceor,

INTERPRETATIO.

* *si reipsâ talem me esse cognoscis, qualem me esse voluisti.*

* *nusquam posse Antonium se recipere cum reliquis copiarum suarum, nisi in hanc partem Gallia.* [b] *ut ad omnia paratus essem, statim atque rei me moneret.*

[c] *spoliatus copiis.* [d] *ad eundem furorem* deficiendi à Republicâ *redierit.*

NOTÆ.

2. *Primæ tuæ sententiæ*] Notæ mihi sunt primæ sententiæ, quæ in meâ causâ dictæ sunt in senatu, quarum auctor fuisti, & quibus mihi amplissima munera decernebas ; novi etiam posteriores, quarum auctores amici mei, jurgia etiam nota, quæ à te, & ab amicis meâ causâ susceptæ sunt.

3. *Furiosa*] Furiosos milites vocat, qui ab Republicâ desciverant, Antonioque se conjunxerant.

4. *Allobrogibus*] Allobroges, populi Galliæ Narbonensis, inter Isaram fluvium, lacum Lemanum, & Rhodanum fluvium contenti, quorum caput est Vienna.

5. *Decima legio veterana*] Hæc legio olim sub Cæsare Imperatore magnam adepta erat in Gallis fortitudinis laudem ; tùm verò parebat Lepido.

Digitized by Google

si modò rempublicam respicere volet. utor in hac re adjutoribus, [6] interpretibusque fratre meo, & Laterense, & Furnio nostro. non me impedient privatæ offensiones, quominùs pro reipublicæ salute etiam cum [7] inimicissimo consentiam. Quòd si nihil profecero, nihilominùs maximo sum animo, & majore fortasse cum meâ gloriâ vobis satisfaciam. Fac valeas, meque mutuò diligas.

NOTÆ.

6. *Interpretibusque*] Utar adjutoribus in hac re, & interpretibus fratre meo, & M. Juventio Laterensi, Lepidi legato. Interpres is est qui obscura, & linguam peregrinam interpretatur, & qui in aliâ quavis re sequester est, & conciliator, ut pacis interpres; hîc sume posteriori sensu.

7. *Inimicissimo*] Lepido.

EPISTOLA XII.

Gratulatur de scriptis ad Senatum litteris, quas ait omnibus mirum in modum placuisse, quòd summum præferrent Reipublicæ amorem; tùm eumdem ad rem urgendam, patriamque liberandam vehementer hortatur. Eodem anno.

Cicero s. d. Planco Imp. Cos. des.

ETSI reipublicæ causâ maximè gaudere debeo, tantum ei te præsidii, tantum opis attulisse [a] extremis penè temporibus: tamen, [1] ita te victorem complectar republicâ recuperatâ, ut magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas afferat: quam & esse jam, & futuram amplissimam intelligo. Cave enim putes ullas literas unquam gratiores, quàm tuas, in senatu esse recitatas. Idque contigit tum meritorum tuorum in rempublicam eximiâ quadam magnitudine, tum verborum, sententiarumque gravitate. quod mihi quidem minimè novum: qui & te nossem, & tuarum literarum ad me missarum promissa meminissem, & haberem à Furnio nostro tua penitùs consilia cognita: sed senatui majora visa sunt, quàm erant expectata: non quòd unquam de tuâ voluntate dubitasset: sed nec, quantùm facere posses, [2] nec, quò progredi velles, exploratum satis habebat. Itaque cùm ad VII. id. April. manè mihi tuas literas M. Varisidius reddidisset, easque legissem, incredibili gaudio sum elatus. cúmque magna multitudo optimorum virorum, & ci-

INTERPRETATIO.

[a] *desperatâ propè Reipublicæ salute.*

NOTÆ.

1. *Ita te victorem*] *Complectar* est in subjunctivo, estque hæc sententia: ita mihi detur te complecti victorem recuperatâ Repub. ut mihi nulla resplus lætitiæ attulit quàm dignitas tua. Ejusdem constructionis aliud exemplum subjicio: Ita me servet Jupiter, ut propior illi quàm ego sum, ac tu, nemo est.

2. *Nec quò progredi*] Exploratum senatus non habebat, quò esses copias tuas ducturus.

3. *Nam*

Digitized by Google

vium [b] me de domo deduceret, feci continuò omnes participes meæ voluptatis. Interim ad me venit Munatius noſter, ut conſueverat : & ego ei literas tuas oſtendi. nihil dum enim ſciebat : [3] nam ad me primùm Variſidius : idque ſibi à te mandatum eſſe dicebat. paulò pòſt idem mihi Munatius eas literas legendas dedit, quas ipſi miſeras, & eas, quas publicè. placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutum [4] prætorem urbanum literas deferremus, qui, quòd conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more majorum. Senatus eſt continuò convocatus, frequenſque convenit propter famam, atque expectationem tuarum literarum. recitatis literis, [c] oblata religio Cornuto eſt, [5] pullariorum admonitu, non ſatis diligenter eum auſpiciis operam dediſſe : idque à [6] noſtro collegio comprobatum eſt : itaque res dilata eſt in poſterum. Eo autem die magna mihi fuit pro tuâ dignitate contentio cum [7] Servilio. qui cùm gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronuntiaretur : [d] frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit : meæque ſententiæ, quæ ſecunda pronuntiata erat, cùm frequens aſſentiretur ſenatus, rogatu Servilii [8] P. Titius [e] interceſſit. Res in poſterum dilata. venit paratus Servilius, [9] Jovi ipſi iniquus, cujus in templo res agebatur. hunc quemadmodum fregerim, quantaque contentione Titium interceſſorem abjecerim, ex aliorum te literis malo cognoſcere : unum hoc ex meis : ſenatus gravior, conſtantior, amicior tuis laudibus eſſe non potuit, quàm tùm fuit. nec verò tibi ſenatus amicior, quàm cuncta civitas. mirabiliter enim populus Romanus univerſus, & omnium generum, ordinumque conſenſus ad liberandam rempublicam conſpiravit. Perge igitur, ut agis, nomenque tuum commenda immortalitati : atque hæc omnia, quæ habent ſpeciem gloriæ, [f] collecta inaniſſimis ſplendoris inſignibus, contemne, brevia, fugacia, caduca exiſtima. Verum DECUS in virtute poſitum eſt, quæ maximè illuſtratur magnis in rempublicam meritis. [10] eam facultatem habes maximam : quam quando complexus es, tene, & perfice ut ne minùs [11] reſpublica tibi, quàm tu reipublicæ debeas.

INTERPRETATIO.

[b] *me exeuntem domo comitaretur.*
[c] *objecta eſt difficultas ex parte religionis, admonentibus pullariis, eum non ſatis diligenter operam dediſſe auſpiciis.*
[d] *plerique Senatores ab eo diſſenſerunt, & aliam omninò ſententiam ſecuti ſunt.*
[e] *ſe oppoſuit.* [f] *quæ ſcilicet colligi ſolent ex vanis dignitatum titulis.*

NOTÆ.

3. *Nam ad me*] Nam domum meam primùm Variſidius venit.

4. *Prætorem urb.*] Erat Prætoris urbani civibus Romanis jus dicere, & cùm aberant Conſules, Conſulare munus ſuſtinere.

5. *Pullariorum*] Qui è pullorum tripudio auguria captabant.

6. *Noſtro collegio*] Augurum collegio.

7. *Servilio*] P. Servilio Iſaurici filio, qui collega Cæſaris in Conſulatu fuit.

8. *P. Titius*] Tribunus plebis.

9. *Jovi ipſi*] Injurioſus in ipſum Jovem, cujus in templo (Capitolino) res agebatur. Habebatur ſenatus in deorum templis.

10. *Eam facultatem*] Acquirendæ veræ gloriæ.

11. *Reſp.*] Quæ tanta jam in te beneficia contulit.

Digitized by Google

me tuæ dignitatis non modò fautorem, sed etiam amplificatorem cognosces; id tùm reipublicæ, quæ mihi est meâ vitâ carior, tùm nostræ necessitudini debere me judico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem, quòd benè cognitam mihi T. Munatii prudentiam, & fidem, magis etiam perspexi in ejus incredibili erga te benevolentiâ, & diligentiâ. III. id. April. Vale.

EPISTOLA XIII.

Scribit de senatusconsulto ad augendam Planci dignitatem perscripto; hortaturque ad belli reliquias persequendas. Eodem anno.

Cicero s. d. Planco Imp. Cos. des.

UT primùm potestas data est augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermisi in te ornando, quod positum esset [a] aut in præmio virtutis, aut in honore verborum. id ex ipso s. c. poteris cognoscere: ita enim est perscriptum, [1] ut à me de scripto dicta sententia est: quam senatus frequens secutus est summo studio, magnoque consensu. Ego, quanquam ex tuis literis, quas mihi misisti, perspexeram te magis judicio bonorum, [b] quàm insignibus gloriæ delectari: tamen considerandum nobis existimavi, etiam si tu nihil postulares, quantum tibi à republicâ deberetur. Tu [2] contexes extrema cum primis: qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. itaque Homerus non [3] Ajacem, nec Achillem, sed Ulyssem appellavit ἀνδρεπόρθον. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *vel in honoribus tibi decernendis, vel in exsollendâ tuâ fide.*

[b] *quàm honoribus à Senatu delatis.*

NOTÆ.

1. *Ut à me de scripto.*] Fortè, ut à me dicta est sententia quam scripseram, & quam recitabam.

2. *Contexes.*] Conjunges belli finem cum initio belli, efficies ut ultima primis consentiant, affectum jam bellum, magnaque ex parte operâ Octavii profligatum, confecies.

3. *Ajacem.*] Etsi Ajax & Achilles bellicâ virtute præstantiores essent Ulysse, neuter tamen dictus est ab Homero Ἀνδρεπόρθος, *everfor urbis*, solus Ulysses ita appellatus est, quia bello Trojano, incensâ urbe, finem fecit.

EPISTOLA XIV.

Pergit Plancum adhortari, ut belli Antoniani reliquias penitus extinguat. Eodem anno.

Cicero s. d. Planco Imp. Cos. des.

OGRATAM famam [1] biduo antè victoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis. atqui, etiam hostibus fusis, spes omnis

NOTÆ.

2. *Biduo antè.*] Biduo antequam ad Mutinam vinceretur Antonius, allatæ ad nos

Digitized by Google

in te est. fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi [2] latronum duces. EST autem non minus gratum extrema delere, quàm prima depellere. Equidem expectabam jam tuas literas, idque cum multis: sperabamque etiam Lepidum [3] temporibus admonitum, [4] tecum & reipublicæ satis esse facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne qua scintilla 5
reterrimi belli relinquatur. quod si erit factum, & rempublicam divino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam consequere. III. id. Maii. Vale.

NOTÆ.

litteræ de subsidio, quod Reipublicæ ferre parabas, de tuo in patriam studio, &c.

2. *Latronum*] Hostium patriæ: ità ferè semper Antonium, ejusque socios appellat.

3. *Temporibus*] Admonitum: utrùm, quia periclitabatur salus patriæ, ejusque quasi opem implorabat, an potiùs quia superato ad Mutinam Antonio, pertimescere debebat eventum similem, si à Republicâ desciscceret; sic temporibus, id est Antonii clade admonebatur ut patriæ succurreret.

4. *Tecum & Reip.*] Corruptus videtur hic locus, nisi malimus hæc verba sic interpretari, sperabam Lepidum tecum factu:um, & satis Reipublicæ esse facturum; 7
tecum facturum, id est in tuam sententiam iturum.

EPISTOLA XV.

Quid paret ad opprimendum Antonium, exponit. Eodem anno.

Plancus [1] D. Imp. Ciceroni.

HIS literis scriptis, quæ posteà accidissent, scire te, ad rempublicam putavi pertinere. Sedulitas mea, ut spero, & mihi, & reipublicæ 10
tulit fructum. namque assiduis [2] internuntiis cum Lepido egi, ut [a] omissâ omni contentione, reconciliatâque voluntate nostrâ, communi consilio reipublicæ succurreret: se, liberos, urbem pluris, quàm unum perditum, [3] abjectumque latronem, putaret: obsequioque meo, si ita faceret, ad omnes
res [4] abuteretur. profeci itaque per Laterensem internuntium: fidem mihi 15
dedit, se Antonium, si prohibere [b] sua provincia non potuisset, bello persecuturum: me, ut venirem, copiasque conjungerem, rogavit, eóque magis, quòd & Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur, & Lepidus ne me-

INTERPRETATIO.

[a] *ut simultate omni depositâ.* [b] *Hispaniâ.*

NOTÆ.

1. *His literis*] Undecimam hujusce libri epistolam designat.

2. *Internuntiis*] Laterense, & Furnio.

3. *Abjectum latronem*] M. Antonium acceptâ Mutinensi clade jam ex parte profligatum.

4. *Abuteretur*] Quoquo modo uteretur, modò ad Reipublicæ commodum.

Digitized by Google

diocrem quidem equitatum habebat. [c] nam etiam ex paucitate ejus, non multis antè diebus, decem, qui optimi fuerant, ad me transierunt. Quibus rebus ego cognitis, cunctatus non sum, [d] in cursu bonorum consiliorum Lepidum adjuvandum putavi. adventus meus quid profecturus esset, vidi: vel quòd equitatu meo persequi, atque opprimere equitatum ejus possem: [f] vel quòd exercitûs Lepidi eam partem, quæ corrupta est, & ab republicâ alienata, & corrigere, & coërcere præsentiâ mei exercitûs possem. Itaque [6] in Isarâ, flumine maximo, quod in finibus est Allobrogum, ponte uno die facto, exercitum ad III. id. Maii traduxi. Cùm verò mihi nuntiatum esset, [7] L. Antonium, præmissum cum equitibus, & cohortibus, [8] ad Forum Julii venisse: fratrem cum equitum quatuor millibus, ut occurreret ei, misi ad prid. id. Maii: ipse maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu subsequar. si nos mediocris modò fortuna reipublicæ adjuverit: & audaciæ perditorum, & nostræ solicitudinis hic finem reperiemus. [e] quòd si latrò, præcognito nostro adventu, rursùs in Italiam se recipere cœperit: Bruti erit officium occurrere ei: cui scio nec consilium, nec animum defuturum. ego tamen, si id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui sequatur, Italiam à vastatione defendat. Fac valeas, meque mutuò diligas.

INTERPRETATIO.

[c] *nam ex paucis equitibus, quos Lepidus habebat, decem optimi, &c.* | [d] *quandiù Lepidus in Rempublicam bene animatus erat.* [e] *quòd si M. Antonius.*

NOTÆ.

5. *Vel quòd exercitûs*] Vel quia videbam futurum, ut exercitus mei præsentiâ coërcere possem eos Lepidi milites, qui à Republicâ deficere cogitabant.

6. *In Isarâ*] Isara, l'Isere, ou *la Lizere*, oritur in Sabaudiæ Ducatu, ac paulò supra Valentiam in Rhodanum se exonerat.

7. *L. Antonium*] M. Antonii fratrem.

8. *Ad forum Julii*] Forum Julii, *Frejus*, urbs est Provinciæ, *la Provence*, dimidiâ circiter leucâ ab littore maris Mediterranei.

EPISTOLA XVI.

Quàm gratæ fuerint & opportunæ Planci litteræ, significat: eique auctor est, ut consilia Senatûs deinceps non expectato, se ipse in rebus subitis consulat. Eodem anno.

Cicero S. D. Planco.

NIHIL post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere vidi, quàm tuas, Plance, literas. redditæ sunt enim, frequenti senatu, Cornuto, cùm is [1] frigidas sanè,

NOTÆ.

1. *Frigidas*] Quia pacem cum Antonio suadebat; inconstantes autem, quia modò Reipublicæ, modò Antonii partibus favere videbatur.

Digitized by Google

& inconstantes recitassent literas Lepidi. sub eas statim recitatæ sunt tuæ, [a] non sine magnis quidem clamoribus. cùm rebus enim ipsis essent, & studiis, beneficiisque in rempublicam gratissimæ, tùm erant gravissimis verbis, & sententiis. Flagitare senatus institit Cornutum, [b] ut referret statim de tuis literis. ille se considerare ait velle. cùm ei magnum convitium fieret cuncto à senatu, quinque Tribuni plebis retulerunt. Servilius rogatus rem distulit. ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum: ea quæ fuerit, ex senatusconsulto cognosces. Tu quanquàm consilio non eges, vel abundas potiùs, tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc rejicias, néve in rebus tam subitis, [c] tamque angustis à senatu consilium petendum putes. ipse tibi sis senatus, quocunque te ratio reipublicæ ducet, sequare. cures, ut antè factum aliquid à te egregium audiamus, quàm futurum putarimus. Illud tibi promitto, quidquid erit à te factum, id senatum, non modò ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum, comprobaturum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *haud sine magno plausu.* [b] *ut statim proponeret, quid de tuis literis* esset sententiendum. [c] *quæque spatium consulendi senatus non concederunt.*

EPISTOLA XVII.

Præsentem belli statum describit; se excusat de fratre à se Romam dimisso; suam demùm Ciceroni dignitatem commendat. Eodem anno.

Plancus Imp. s. d. Ciceroni.

[1] ANTONIUS idib. Maii ad forum Julii cum primis copiis venit. [2] Ventidius bidui spatio abest ab eo. Lepidus [3] ad forum Voconii castra habet: qui locus à Foro Julii quatuor & viginti millia passuum abest: ibique me expectare constituit, quemadmodum ipse mihi scripsit. [4] quòd si omnia mihi integra & ipse, & fortuna servaverit: [a] recipio vobis, celeriter me negotium ex sententiâ confecturum. Fratrem meum, assiduis laboribus, concursationibusque confectum, graviter se habuisse, anteà tibi scripsi. sed

INTERPRETATIO.

[a] *promitto.*

NOTÆ.

1. *Antonius*] Antonius victus in Mutinensi prælio in Galliam profugit, sperans Lepidi & Planci copiás ad se traducturum; quod ei consilium feliciter cessit.

2. *Ventidius*] Antonii legatus. Vide indicem historicum.

3. *Ad forum Voconii*] Oppidum Galliæ Narbonensis in Provinciâ, *le Provence*, nunc dicitur aliis *Draguignan*, aliis *le Luc*. Vide Honoratum Bouge, libro tertio hist. Provinciæ, tom. 1. p. 150.

4. *Quòd si omnia*] Quòd si Lepidus pergat Rempublicam tueri, mihique fortuna faverit.

Digitized by Google

tamen, cùm primùm posse ingredi cœpit, non magis sibi, quàm reipublicæ convaluisse se existimans, ad omnia pericula princeps esse non recusabat. sed ego eum non solùm hortatus sum, verumetiam coëgi [b] istò proficisci: quòd illâ valetudine magis conficere se, quàm me tueri posset in castris: & quòd acerbissimo interitu [5] consulum rempublicam nudatam, [6] tali cive prætore in urbanis officiis indigere existimabam. quod si quis vestrûm non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tandem, quod ego desiderabam, fecit, ut [7] Appellam ad me mitteret, quo obside [8] fide illius, & societatis in republicâ administrandâ uterer. [9] studium in eâ re suum mihi L. Gellius; de tribus fratribus Segaviano probavit: quo ego interprete novissimè ad Lepidum sum usus. [c] amicum eum reipublicæ cognoscere videor: [d] libenterque ei sum testimonio, & omnibus ero, qui benè merentur. Fac valeas, meque mutuò diligas, dignitatemque meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc singulari cum benevolentiâ fecisti. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *Romam.* [c] *mihi videtur amicus esse Reipublicæ.* [d] *& ei libenter testimonium illud tribuam, & tribuam omnibus, &c.*

NOTÆ.

5. *Consulum*] Hirtii & Pansæ, qui ad Mutinam interierant.

6. *Tali cive Prætore*] Cneius Munatius Plancus, Lucii frater, urbanam Præturam hoc anno gerebat: Prætoribus autem urbanis extra pomœrium, non nisi concedente Senatu, Reipublicæ causâ licebat egredi.

7. *Appellam*] Vel erat ille legatus Lepidi, vel ei in primis amicus.

8. *Fide*] Pro *fidei.*

9. *Studium in eâ re suum*] Gellius in re suum erga me studium indicavit, quod dederit operam, ut Appella ad me mitteretur; in negotio autem trium fratrum (quòd quale sit ignoratur) suam Segaviano, vel ut vult Manutius, Sexto Gaviano benevolentiam probavit.

EPISTOLA XVIII.

Causas explicat, quamobrem ad Lepidum, cujus fidem suspectam habebat, proficiscatur. Eodem anno.

Plancus S. D. Ciceroni

QUID in animo habuerim, cùm Lævus, Nervaque discesserunt à me, & ex literis, quas eis dedi, & ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus, consiliisque meis interfuerunt. Accidit mihi, quod homini [a] pudenti & cupido satisfaciendi reipublicæ, bonisque omnibus accidere solet, ut consilium sequerer [1] periculosum magis, [b] dum me probarem, quàm tutum,

INTERPRETATIO.

[a] *infamiam timenti.* [b] *dummodò* civem *me* bonum *ostenderem.*

NOTÆ.

1. *Periculosum*] Ob dubiam Lepidi fidem.

Digitized by Google

quod habere posset [c] obtrectationem. Itaque, post discessum [2] legatorum, cùm binis continuis literis & Lepidus me, ut venirem, rogaret, & Laterensis multò etiam magis propè implorans, obtestaretur, non ullam rem aliam extimescens, quàm eandem, quæ mihi quoque facit timorem, varietatem, atque infidelitatem exercitûs ejus: non dubitandum putavi quin succurrerem, meque communi periculo offerrem. [d] sciebam enim: & cautius illud erat consilium, expectare me ad Isaram, dum Brutus trajiceret exercitum, [3] & cum collegâ consentiente, sicut milites faciunt, hostibus obviam ire: tamen, si quid Lepidus [4] benè sentiens detrimenti cepisset, hoc omne assignatum iri aut pertinaciæ meæ, aut timori videbam, si aut hominem [e] offensum mihi, conjunctum cum republicâ non sublevassem, aut ipse à certamine belli tam necessarii me removissem. [f] Itaque potiùs periclitari volui, si possem meâ præsentiâ & Lepidum tueri, & [5] exercitum facere meliorem, quàm nimis cautus videri. [h] Sollicitiorem certè hominem non suis contractis neminem puto fuisse. nam quæ res nullam habebat dubitationem, si [5] exercitus Lepidi absit, ea nunc magnam affert solicitudinem, [i] magnumque habet casum mihi enim si contigisset, ut prior occurrerem Antonio, [k] non mehercule horam constitisset: tantum ego & mihi confido, & sic perculsas illius copias, Ventidiique [6] mulionis castra despicio. Sed non possum non exhorrescere, si [l] quid intra cutem subest vulneris, quod priùs nocere potest, quàm sciri, curarique possit. sed certè, [m] nisi uno loto metaremur, magnum periculum ipse Lepidus, magnum ea pars exercitûs adiret, quæ benè de republicâ sentit, magnam etiam perditi hostes accessionem sibi fecissent, si quas copias à Lepido abstraxissent. quæ si adventus meus repressérit, agam gratias fortunæ, constantiæque meæ, quæ me ad hanc experientiam excitavit. Itaque ad XII. Kal. Jun. ab Isarâ castra movi: pontem tamen, quem in Isarâ feceram, castellis duobus ad capita positis, reliqui, præsidiaque ibi firma posui: ut venienti Bruto, exercituique ejus sine morâ transitus esset pa-

INTERPRETATIO.

[c] *reprehensionem.*
[d] *sciebam utique multò esse cautius expellere me, &c*
[e] *mihi inimicum.*
[f] *itaque malui cum periculo experiri.*
[5] *& ejus exercitum* Reipublicæ *magis fidelem reddere.*
[h] *puto neminem sollicitiorem fuisse*, quàm ego sum *alienâ culpâ.*
[i] *dubiumque habet exitum.*
[k] *certè intra horæ spatium profligatus esset.*
[l] *si* Lepidus *à Republicâ deficere clàm meditatur.*
[m] *nisi eundem ad locum* ego & Lepidus *haberemus castra.*

NOTÆ.

2. *Legatorum*] Lævi & Nervæ.
3. *Et cum collegâ*] Et cum Decimo Bruto, qui mecum in Republicâ defendenda consentit, sicut ipsius milites, & mei in eadem defensione consentiunt, &c.
4. *Benè sentiens*] Vel certè simulans se de Republicâ benè sentire.
5. *Si exercitus*] Cujus infidelitas, & inconstantia mihi timorem affert.
6. *Mulionis*] Consule Procœmium in Ven[illegible]

ratus. Ipse, ut spero, [a] diebus octo, quibus has literas dabam, cùm Lepidi copiis me conjungam. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *intra octo dies post hasce litteras scriptas.*

EPISTOLA XIX.

Planci gratiarum actiones sibi gratissimas fuisse dicit; eundem hortatur, ut opprimendo Antonium, bello civili finem imponat. Eodem anno.

Cicero S. D. Planco Imp.

QUANQUAM gratiarum actionem à te non desiderabam, cùm re ipsâ, atque animo scirem esse gratissimum: tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi perjucunda. sic enim vidi, quasi ea, quæ oculis cernuntur, me à te amari. dices, * Quid anteà? Semper quidem, sed nunquam illustrius. Literæ tuæ mirabiliter gratæ sunt senatui cum rebus ipsis, quæ erant gravissimæ, & maximæ, fortissimi animi, summique consilii, tùm etiam gravitate sententiarum, atque verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. in hoc erit summa [1] & gratia, & gloria. Cupio omnia reipublicæ causâ: sed mehercule, in eâ conservandâ jam defatigatus, non multò plus faveo patriæ, quàm tuæ gloriæ: [2] cujus maximam facultatem tibi dii immortales, ut spero, dedêre. quam complectere, obsecro. qui enim Antonium oppresserit, is hoc teterrimum bellum, periculosissimumque confecerit. Vale.

NOTÆ.

* *Quid anteà*] Nunquid non anteà vidisti te à me amari?

1. *Et gratia*] Si bellum conficias, summam inde tibi & authoritatem, & gloriam conciliabis.

2. *Cujus*] Cujus & stabiliendæ, & amplificandæ.

EPISTOLA XX.

Petit ut de fide Lepidi, quid certò sit credendum, scribat, utrùm à reipublicâ stet, an se cum Antonio conjunxerit; deinde hortatur, ut ultimam bello manum imponat. Eodem anno.

Cicero S. D. Planco.

ITA erant omnia, quæ istinc afferebantur, incerta, ut, quid ad te scriberem, non occurreret. [a] modò enim, quæ vellemus, de Lepido, modò contrà nuntiabuntur. De te tamen constans fama, nec decipi posse, nec

INTERPRETATIO.

[a] *modò enim*, Lepidum *non esse conjunctum cum Antonio, modò contrà nuntiabatur.*

1. *Sed*

vinci. quorum alterius fortuna partem habet quandam : alterum proprium est prudentiæ tuæ. Sed accepi literas à collegâ tuo datas idibus Maii: in quibus erat, te ad se scripsisse, à Lepido non recipi Antonium. quod erit certius, si tu ad nos idem scripseris. [1] sed minùs audes fortasse propter inanem lætitiam literarum superiorum. [2] Verùm ut errare, mi Plance, potuisti: (quis enim id effugerit?) sic, decipi te non potuisse, quis non videt? [3] nunc verò etiam erroris causâ sublata est. culpa enim illa, BIS ad eundem, vulgari reprehensa proverbio est. sin, ut scripsisti ad collegam, [4] ita se res habet: omni curâ liberati sumus, nec tamen erimus priùs, quàm, ita esse, tu nos feceris certiores. Mea quidem, ut ad te sæpiùs scripsi, hæc sententia est: qui reliquias hujus belli oppresserit, eum totius confectorem fore: quem te & opto esse, & confido futurum. Studia mea erga te, quibus certè nulla esse majora potuerunt, tibi tam grata esse, quàm ego putavi fore, minimè miror, vehementerque lætor: quæ quidem tu, [5] si rectè istic erit, majora, & graviora cognosces. IV. Kal. Jun.

NOTÆ.

1. *Sed minùs*] Sed fortasse non audes nobis significare, Lepidum nunc adhærere Antonio, quoniam antè cum lætitiâ scripsisti eundem in tuas & Reipublicæ partes inclinare.

2. *Verùm ut errare*] At nihil est, quòd istuc te sollicitet: amor enim patriæ fecit ut errares, dùm ea de Lepidi fide credere voluisti, quæ vera esse cupiebas, teipse volens decepisti, nemo alter invitum te fefellit; nota quòd errare multò sit levius, quàm decipi, hoc imprudentis, illud hominis cujuscumque est.

3. *Nunc verò etiam erroris*] Jam verò, quoniam semel errasti, ne quidem errare tibi licet deinceps, nisi velis vulgari proverbio reprehendi, *bis ad eundem lapidem offendit*; quod incauti hominis vitium est.

4. *Ita se res habet*] Non se conjunxit cum Antonio Lepidus.

5. *Si rectè istic erit*] Id est, si Antonium opprimas.

EPISTOLA XXI.

Lepidi perfidiam, & ejus cum Antonio conjunctionem nuntiat; novas sibi copias auxilio mitti postulat; suam commendat dignitatem. Eodem anno.

Plancus s. d. Ciceroni.

PUDERET me [1] inconstantiæ mearum literarum, si non hæc, ex [a] alienâ levitate penderent. Omnia feci, quare, Lepido conjuncto ad rempublicam defendendam, minore solicitudine vestrâ [b] perditis resisterem. om-

INTERPRETATIO.

[a] *Lepidi.* [b] *Antonianis.*

NOTÆ.

1. *Inconstantiæ*] Quia cùm scripsisset se de Lepidi fide benè sperare, nunc ejus perfidiam nuntiare cogebatur.

nia ei & petenti recepi, & ultrò pollicitus sum; scripsique tibi biduo antè, confidere me bono Lepido esse usurum; communique consilio bellum administraturum. Credidi [2] chirographis ejus, affirmationi præsentis Laterensis, qui tùm apud me erat, reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem, orabat. Non licuit diutiùs benè de eo sperare: illud certè cavi, & cavebo, ne meâ credulitate *reipublicæ summa fallatur. Cùm Isaram flumen, uno die ponte confecto, exercitum traduxissem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quòd petierat per literas ipse, ut maturarem venire: præsto mihi fuit [3] stator ejus cum literis, quibus, ne venirem, denunciabat: se posse [c] conficere per se negotium: intereà ad Isaram expectarem. Indicabo temerarium meum consilium tibi: nihilominùs ire decreveram, existimans eum socium gloriæ vitare. putabam posse me nec de laude [d] jejuni hominis delibare quidquam, & subesse tamen propinquis locis, [e] ut, si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. [f] Ego non malus homo hoc suspicabar. at Laterensis, vir sanctissimus, suo chirographo mittit mihi literas: in eisque, desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide, querensque se destitutum, apertè denuntiat, videam ne fallar: [g] suam fidem solutam esse, reipublicæ ne desim. exemplar ejus chirographi Titio dedi. ipsa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea, quibus fidem non habendam putavi, Lævo Cispio dato perferenda, qui omnibus his interfuit rebus. Accessit eò, ut milites ejus, cùm Lepidus concionaretur, improbi per se, corrupti etiam per eos, qui præsunt, Canidios, Rufrenosque, & cæteros, quos, cùm opus erit, scietis, conclamarint viri boni, pacem se velle, neque esse cum ullis pugnaturos, duobus jam consulibus singularibus occisis, tot civibus pro patriâ amissis, hostibus denique omnibus judicatis, bonisque publicatis. [h] neque hoc aut vindicarat Lepidus, aut sanarat. [4] Huc me venire, & duobus exercitibus conjunctis objicere exercitum fidelissimum, maxima auxilia, principes Galliæ, provinciam cunctam, summæ dementiæ, & temeritatis esse vidi: mihique, si ita oppressus essem, remque publicam mecum perdidissem, mortuo non modò honorem, sed misericordiam quoque defuturam. Itaque rediturus sum, [5] nec tanta munera perditis hominibus dari posse sinam. Exercitum locis ut habeam opportunis, provinciam tuear, etiamsi [i] ille exercitus defici-

INTERPRETATIO.

* *ne Resp. in ultimum discrimen veniat.*
[c] *Antonium per se vincere.*
[d] *gloriam appetentis.*
[e] *ut, si periculum adiret Lepidus, &c.*
[f] *ego minimè astutus.*
[g] *suis deinceps promissis non tenerit.*
[h] *neque hanc* suorum militum audaciam *punierat Lepidus, aut correxerat.* [i] *Lepidi.*

NOTÆ.

2. *Chirographis*] Litteris propriâ ejus manu scriptis.

3. *Stator*] Per statorem intelligitur vel Tabellarius, vel Lictor.

4. *Huc*] Ubi sunt Antonius & Lepidus.

5. *Nec tanta munera*] Nec patiar à sceleratis hominibus tanta percipi commoda, qualia sunt exercitum fidelissimum, maxima auxilia, &c. aut perdere, aut ad suas partes allicere.

Digitized by Google

verit, [k] omnia ut integra servem, dabo operam, quoad exercitus huc summittatis, [6] parique fœlicitate rempublicam hîc vindicetis. nec depugnare, si occasio tulerit: nec obsideri, si necesse fuerit: nec mori, si casus inciderit, pro vobis paratior fuerit quisquam. Quare hortor te, mi Cicero, exercitum huc trajiciendum quamprimum cures, & matures priùs, quàm hostes magis corroborentur, & nostri perturbentur. in quo si celeritas erit adhibita, resp. in possessione victoriæ, deletis sceleratis, permanebit. Fac valeas, meque diligas. Fratrem meum tibi, fortissimum civem, & ad omnia paratissimum, [l] excusem literis? qui ex labore in febriculam incidit assiduam, & satis molestam. cùm primùm poterit istuc recurrere, non dubitabit, ne quo loco reipublicæ desit. Meam dignitatem commendatam habeas, rogo. concupiscere me nihil oportet. habeo te & amantissimum mei, &, quod optavi, summæ auctoritatis. tu videris, quantum, & [m] quando tuum munus apud me velis esse. Tantùm te rogo, [n] in Hirtii locum me subdas, & [o] ad tuum amorem, & ad meam observantiam. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *nihil ut damni patiar.* [l] *nihil opus est excusare tibi litteris, &c.*
[m] *& quo tempore vis de me benè mereri.*
[n] *cures me fieri Consulem in locum Hirtii.*
[o] *& quia me amas, & quia te colo.*

NOTÆ.

6. *Parique felicitate*] Támque fœliciter hîc, quàm Mutinæ injurias Reipublicæ ulciscamini.

EPISTOLA XXII.

Agrorum sibi divisionem demandari Plancus cupiebat, militum ut gratiam colligeret. Super hoc respondet Cicero. Eodem anno.

Cicero s. d. Planco.

IN te, & [a] in collegâ omnis spes est diis approbantibus. concordia vestra, quæ senatui declarata literis vestris est, mirificè & senatus, & cuncta civitas delectata est. Quòd ad me scripseras [b] de re agrariâ: si [c] consultus senatus esset, [d] ut quisque de te honorificentissimam sententiam dixisset, eam secutus essem: [e] qui certè ego fuissem: sed, propter tarditatem sententiarum, moramque rerum, cùm ea, [f] quæ consulebantur, ad exitum non pervenirent, commodissimum mihi, Plancoque fratri visum est, [g] uti eo, quod

INTERPRETATIO.

[a] *in Decimo Bruto.* [b] *de agrorum divisione tibi demandandâ.*
[c] *si rem hanc Senatus in deliberationem vocasset.*
[d] *assensus essem ei, qui sententiam de te honorificentissimam dixisset.*
[e] *quin ego de te primus* honorificè *pronunciassem.*
[f] *de quibus in senatu fiebat deliberatio.*
[g] *uti eo* senatusconsulto, *quod quidem arbitratu nostro compositum non est, sed quia fuerit impedimento, &c.*

Digitized by Google

ne nostro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planco literis cognovisse. sed sive in S. C. sive in cæteris rebus desideras aliquid, sic tibi persuade, tantam esse apud omnes bonos tui caritatem, ut nullum genus amplissimæ dignitatis excogitari possit, quod tibi non paratum sit. Literas tuas vehementer expecto, & quidem tales, quales maximè opto. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Excusat se, quòd Lepido fidem habuerit; suam diligentiam declarat in conservandis copiis, acceptâ Lepidi cum Antonio conjunctione; subsidium Cæsariani exercitûs efflagitat. Eodem anno.

Plancus s. d. Ciceroni.

NUNQUAM mehercule, mi Cicero, me pœnitebit maxima periculà pro patriâ subire, dùm, si quid acciderit mihi, à reprehensione temeritatis absim. Confiterer imprudentiâ me lapsum, si unquam Lepido ex animo credidissem. CREDULITAS enim error est magis, quàm culpa, & quidem in optimi cujusque mentem facillimè irrepit. sed ego non [a] hoc vitio penè sum deceptus: Lepidum enim pulchrè noram. Quid ergo est? [b] pudor me, qui in bello maximè est periculosus, [c] hunc casum coëgit subire. [d] nam, si uno loco essem, verebar ne cui obtrectatorum viderer & nimiùm pertinaciter Lepido offensus, & mea [1] patientia etiam alere bellum. Itaque copias propè in aspectum Lepidi, Antoniique adduxi, quadragintaque millium passuum spatio relicto, consedi, eo consilio, ut vel celeriter accedere, vel salutariter recipere me possem. adjunxi hæc in loco eligendo, flumen oppositum, ut haberem [*] in quo mora transitus esset: [2] Vocontii sub manu ut essent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus, desperato adventu meo, quem non mediocriter [f] captabat, se cum Antonio conjunxit ad IV. Kal. Jun. eodemque die ad me castra moverunt. viginti millia passuum cùm abessent, res mihi nuntiata est: dedi operam deûm benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic discessus nihil fugæ simile haberet: non miles ullus, non eques, non quicquam impedimentorum amitteretur, aut ab illis ferventibus latronibus interciperetur. Itaque pridie non. Jun. omnes copias Isaram trajeci, pontesque, quos feceram, [g] interrupi, ut & [h] spatium ad se

INTERPRETATIO.

[a] *credulitate.* [b] *infamiæ metus.*
[c] *coëgit me Lepido credere.*
[d] *si enim à* Lepido *longiùs abfuissem.*
[*] *quod transitum retardaret.*
[e] *propè ut essent.*
[f] *insidiosè quærebat.* [g] *disjeci.*
[h] *& milites mei spatium haberent ad animum recipiendum.*

NOTÆ.

1. *Patientiâ*] Iis lubens assentiar, qui *pertinaciâ* pro *patientiâ* reponunt.

2. *Vocontii*] Populi fuêre Galliæ Narbonensis, ubi hodie diœcesis Diensis in

colligendum homines haberent, & ego me interea cum collegâ conjungerem, quem triduo, cùm has dabam literas, expectabam. [3] Laterenſis noſtri & fidem, & animum ſingularem in rempublicam ſemper fatebor. ſed certè nimia ejus indulgentia in Lepidum, ad hæc pericula perſpicienda fecit eum minùs ſagacem. qui quidem cùm in fraudem ſe deductum videret, manus, quas juſtiùs in Lepidi perniciem armaſſet, ſibi afferre conatus eſt. in quo caſu tamen interpellatus, adhuc vivit, & [4] dicitur victurus. Sed tamen de hoc mihi parum certum eſt: & magno cum dolore parricidarum [5] elapſus ſum iis. veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati: [i] iracundias autem harum rerum recentes habebant, quòd Lepidum [k] caſtigare non deſiteram, ut extingueret bellum: quòd [6] colloquia facta improbabam: quòd legatos, [7] fide Lepidi miſſos ad me, in conſpectum venire vetueram: quòd C. Catinium Veſtinum trib. mil. miſſum ab Antonio ad eum cum literis [l], exceperam. in quo hanc capio voluptatem, quòd certè, quò magis me petiverunt, tamò majorem iis fruſtratio dolorem attulit. Tu, mi Cicero, quod adhuc feciſti, idem præſta, [m] ut vigilanter, nervoséque nos, qui ſtamus in acie, ſubornes. veniat [8] Cæſar cum copiis, quas habet firmiſſimas, aut, ſi ipſum aliqua res impedit, exercitus ejus mittatur: cujus ipſius [9] magnum periculum agitur. [n] quidquid aliquando futurum fuit in caſtris perditorum contra patriam, hoc omne jam convenit. Pro urbis verò ſalute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? quòd ſi vos illic [o] non defueritis, profectò, quod ad me attinet, omnibus rebus abundè reipublicæ ſatisfaciam. Te quidem, mi Cicero, in dies mehercule habeo cariorem: ſolicitudineſque meas quotidie magis tua merita [p] exacuunt, ne quid aut ex amore, aut ex judicio tuo perdam. Opto, ut mihi liceat jam [q] præſenti

INTERPRETATIO.

i *idcirco autem mihi nuperrimè iraſcebantur.* k *objurgare.*
l *interceperam.*
m *nervoſque omnes in hoc intende, ut nos omnibus ad bellum neceſſariis inſtruas.*
n *quidquid ſceleratorum in caſtris* Antonii & Lepidi *aliquando futurum erat, huc omnes jam convenerunt.*
o *Romæ.* p *excitant.*
q *officiis, qua piè* Reipublicæ *exhibeo.*

NOTÆ.

Delphinatu, & diœceſis Vaſionenſis in Comitatu Vindaxino.

3. *Laterenſis*] Qui Lepidi legatus erat.

4. *Dicitur victurus*] Non vixit: ſic enim Velleius libro ſecundo: *ſub Antonii ingreſſum, Juventius Laterenſis, vir vitâ ac morte conſentaneus, cùm acerrimè ſuaſiſſet Lepido, ne ſe cum Antonio, hoſte judicato, jungeret, irritus conſilii, gladio ſe ipſe tranſfixit.*

5. *Elapſus ſum iis*] Elapſus ſum è manibus Antonii & Lepidi, patriæ parricidarum: quidam pro *iis* ſcriptum eſſe volunt *bis*, quod mihi quoque ſimile vero videtur.

6. *Colloquia*] Vel cum Antonio; vel cum Antonii legatis contra Rempublicam facta.

7. *Fide Lepidi*] Antonio Lepidus promiſerat, fore ut ejus legati honorificè à Planco tractarentur.

8. *Cæſar*] Octavianus, ab Julio Cæſare adoptatus eſt, & poſt Auguſtus Imperator appellatus.

9. *Magnum periculum*] Ob inimicitias quas cum Antonio tùm gerebat.

Digitized by Google

ne noſtro arbitratu componeretur; quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planco literis cognoviſſe. ſed ſive in S. C. ſive in cæteris rebus deſideras aliquid, ſic tibi perſuade, tantam eſſe apud omnes bonos tui caritatem, ut nullum genus ampliſſimæ dignitatis excogitari poſſit, quod tibi non paratum ſit. Literas tuas vehementer expecto, & quidem tales, quales maximè opto. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Excuſat ſe, quòd Lepido fidem habuerit; ſuam diligentiam declarat in conſervandis copiis, acceptâ Lepidi cum Antonio conjunctione; ſubſidium Cæſariani exercitûs efflagitat. Eodem anno.

Plancus S. D. Ciceroni.

NUNQUAM mehercule, mi Cicero, me pœnitebit maxima periculà pro patriâ ſubire, dùm, ſi quid acciderit mihi, à repreheníione temeritatis abſim. Confiterer imprudentiâ me lapſum, ſi unquam Lepido ex animo credidiſſem. CREDULITAS enim error eſt magis, quàm culpa, & quidem in optimi cujuſque mentem facillimè irrepit. ſed ego non [a] hoc vitio penè ſum deceptus: Lepidum enim pulchrè noram. Quid ergo eſt? [b] pudor me, qui in bello maximè eſt periculoſus, [c] hunc caſum coëgit ſubire. [d] nam, ſi uno loco eſſem, verebar ne cui obtrectatorum viderer & nimiùm pertinaciter Lepido offenſus, & mea [1] patientia etiam alere bellum. Itaque copias propè in aſpectum Lepidi, Antoniique adduxi, quadragintaque millium paſſuum ſpatio relicto, conſedi, eo conſilio, ut vel celeriter accedere, vel ſalutariter recipere me poſſem. adjunxi hæc in loco eligendo, flumen oppoſitum, ut haberem * in quo mora tranſitus eſſet: [2] Vocontii ſub manu ut eſſent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus, deſperato adventu meo, quem non mediocriter [f] captabat, ſe cum Antonio conjunxit ad IV. *Kal.* Jun. eodemque die ad me caſtra moverunt. viginti millia paſſuum cùm abeſſent, res mihi nuntiata eſt: dedi operam deûm benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic diſceſſus nihil fugæ ſimile haberet: non miles ullus, non eques, non quicquam impedimentorum amitteretur, aut ab illis ferventibus latronibus interciperetur. Itaque pridie non. Jun. omnes copias Iſaram trajeci, ponteſque, quos feceram, [g] interrupi, ut & [h] ſpatium ad ſe

INTERPRETATIO.

[a] *credulitate.* [b] *infamiæ metus.*
[c] *coëgit me Lepido credere.*
[d] *ſi enim à* Lepido *longiùs abfuiſſem.*
* *quod tranſitum retardaret.*
[e] *propè ut eſſent.*
[f] inſidiosè *quærebat.* [g] *disjeci.*
[h] *& milites mei ſpatium haberent ad animum recipiendum.*

NOTÆ.

1. *Patientiâ*] Iis lubens aſſentiar, qui *pertinaciâ* pro *patientiâ* reponunt.

2. *Vocontii*] Populi fuêre Galliæ Narbonenſis, ubi hodie diœceſis Dienſis in

colligendum homines haberent, & ego me interea cum collegâ conjungerem, quem triduo, cùm has dabam literas, expectabam. [3] Laterensis noſtri & fidem, & animum ſingularem in rempublicam ſemper fatebor. ſed certè nimia ejus indulgentia in Lepidum, ad hæc pericula perſpicienda fecit eum minùs ſagacem. qui quidem cùm in fraudem ſe deductum videret, manus, quas juſtiùs in Lepidi perniciem armaſſet, ſibi afferre conatus eſt. in quo caſu tamen interpellatus, adhuc vivit, & [4] dicitur victurus. Sed tamen de hoc mihi parum certum eſt: & magno cum dolore parricidarum [5] elapſus ſum iis. veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati: [i] iracundias autem harum rerum recentes habebant, quòd Lepidum [k] caſtigare non deſiteram, ut extingueret bellum: quòd [6] colloquia facta improbabam: quòd legatos, [7] fide Lepidi miſſos ad me, in conſpectum venire vetueram: quòd C. Catinium Veſtinum trib. mil. miſſum ab Antonio ad eum cum literis[l], exceperam. in quo hanc capio voluptatem, quòd certè, quò magis me petiverunt, tamtò majorem iis fruſtratio dolorem attulit. Tu, mi Cicero, quod adhuc feciſti, idem præſta, [m] ut vigilanter, nervoſéque nos, qui ſtamus in acie, ſubornes. veniat [8] Cæſar cum copiis, quas habet firmiſſimas, aut, ſi ipſum aliqua res impedit, exercitus ejus mittatur: cujus ipſius [9] magnum periculum agitur. [n] quidquid aliquando futurum fuit in caſtris perditorum contra patriam, hoc omne jam convenit. Pro urbis verò ſalute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? quòd ſi vos iſtic [o] non defueritis, profectò, quod ad me attinet, omnibus rebus abundè reipublicæ ſatisfaciam. Te quidem, mi Cicero, in dies mehercule habeo cariorem: ſolicitudineſque meas quotidie magis tua merita [p] exacuunt, ne quid aut ex amore, aut ex judicio tuo perdam. Opto, ut mihi liceat jam [q] præſenti

INTERPRETATIO.

[i] *idcircò autem mihi nuperrimè iraſcebantur.* [k] *objurgare.*
[l] *interceperam.*
[m] *nerveſque omnes in hoc intende, ut nos omnibus ad bellum neceſſariis inſtruas.*
[n] *quidquid ſceleratorum in caſtris* Antonii & Lepidi *aliquando futurum erat, huc omnes jam convenerunt.*
[o] *Romæ.* [p] *excitant.*
[q] *officiis, quæ piè* Reipublicæ *exhibeo.*

NOTÆ.

Delphinatu, & diœceſi Vaſionenſis in Comitatu Vindaxino.

3. *Laterenſis*] Qui Lepidi legatus erat.

4. *Dicitur victurus*] Non vixit: ſic enim Velleius libro ſecundo: *ſub Antonii ingreſſum, Juventius Laterenſis, vir vitâ ac morte conſentaneus, cùm acerrimè ſuaſiſſet Lepido, ne ſe cum Antonio, hoſte judicato, jungeret, irritus conſilii, gladio ſe ipſe transfixit.*

5. *Elapſus ſum iis*] Elapſus ſum è manibus Antonii & Lepidi, patriæ parricidarum: quidam pro *iis* ſcriptum eſſe volunt *bis*, quod mihi quoque ſimile vero videtur.

6. *Colloquia*] Vel cum Antonio, vel cum Antonii legatis contra Rempublicam facta.

7. *Fide Lepidi*] Antonio Lepidus promiſerat, fore ut ejus legati honorificè à Planco tractarentur.

8. *Cæſar*] Octavianus, ab Julio Cæſare adoptatus eſt, & poſt Auguſtus Imperator appellatus.

9. *Magnum periculum*] Ob inimicitias quas cum Antonio tùm gerebat.

Digitized by Google

pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere jucundiora. Vale. VIII. idus Jun. [10] Civarone, ex finibus Allobrogum.

NOTÆ.

10. *Civarone*] Manutius, & Sirmundus in notis ad Sidonium putant legi oportere *Culârone*, quæ Gratianopolis est. Negat id Honoratus Bouge, lib. 3. hist. Provinciæ, c. 7. p. 145. & rectè negat; vide ibi quibus argumentis, existimantque nonnulli, castrum esse in Sabaudiâ ad Isaram, quod vocatur hodie *Civron*.

EPISTOLA XXIV.

Memorem se fore beneficiorum pollicetur; præsentem exercitûs sui statum describit; auxiliares copias postulat; Octavianum in Republicâ tuendâ negligentem accusat. Eodem anno.

Plancus Imp. Cos. des. s. D. Ciceroni.

FACERE non possum, quin in singulas res meritaque tua tibi gratias agam: sed mehercule facio cum pudore. neque enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionem: neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis: & malo præsens observantiâ, indulgentiâ, assiduitate memorem me tibi probare. Quòd si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam [a] pias propinquitates in tuâ observantiâ, indulgentiâ, assiduitate vincam. amor enim tuus, ac judicium de me utrùm mihi [1] plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie sit allaturus, non facilè dixerim. [b] De militum commodis fuit tibi curæ: quos ego non potentiæ meæ causâ (nihil enim me [c] non salutariter cogitare scio) ornati volui à senatu, sed primùm, quòd ita meritos judicabam: deinde, quòd ad omnes casus conjunctiores reipublicæ esse volebam: novissimè, ut ab omni omnium [2] sollicitatione aversos eos [3] tales vobis præstare possem, quales adhuc fuerunt. [d] Nos adhuc hîc omnia integra sustinuimus. * quod consilium nostrum, etsi, quanta sit aviditas hominum, non sine causâ, talis victoriæ, scio: tamen vobis probari spero. [e] non enim, si quid in his exercitibus sit offensum, magna subsidia respublica habet expedita, quibus subitò impetui, ac latrocinio parricidarum

INTERPRETATIO.

[a] *pia propinquorum obsequia.* [b] *de militum meorum.* [c] *non* Reipublicæ *salutare.*
[d] *Rempublicam*, vitato prælio, *in discrimen nondùm adduximus.*
* *quod consilium*, *vobis*, *ut spero*, *probabitur*, *licet scio*, *quàm ardenter homines cupiant*, Antonium *à me* commisso prælio *vinci.*
[e] *si quam enim*, *præliando*, *gravem inituram facerem*, *non magna subsidia*, &c.

NOTÆ.

1. *Plus dignitatis*] Dignitas ad judicium, voluptas ad amorem pertinet.
2. *Sollicitatione aversos*] Planci milites Antonius & spe & præmio sollicitabat.
3. *Tales*] Id est, Reipublicæ semper fidelissimos.

Digitized by Google

resistat. copias verò nostras notas tibi esse arbitror. in castris meis legiones sunt veteranæ tres, tironum vel luculentissima ex omnibus una, in castris Bruti una veterana legio, altera [4] bima, octo tironum. ita universus exercitus numero amplissimus est, [5] firmitate exiguus. quantum autem in acie tironi fit committendum, nimium sæpè [6] expertum habemus. ad hoc robur nostrorum exercituum sive Africanus exercitus, qui est veteranus, sive Cæsaris accessisset, æquo animo [f] summam rempublicam in discrimen deduceremus. aliquanto autem [g] propius esse, quod ad Cæsarem attinet, videbamus. nihil destiti eum literis hortari: neque ille intermisit affirmare, se sine morâ venire. cùm interim aversum illum ab hac cogitatione, [7] ad alia consilia video se contulisse. ego tamen ad eum Furnium nostrum cum mandatis, literisque misi, si quid fortè proficere posset. Scis tu, mi Cicero, [h] quod ad Cæsaris amorem attinet, societatem mihi esse tecum: [i] vel quòd in familiaritate Cæsaris, vivo illo, jam tueri eum, & diligere mihi fuit necesse: vel quòd [k] ipse, quoad ego nosse potui, moderatissimi, atque humanissimi fuit sensus: [l] vel quòd ex tam insigni amicitiâ meâ, atque Cæsaris, hunc, filii loco & illius, & [8] vestro judicio substitutum, non perinde habere mihi turpe videtur. sed [m] quidquid tibi scribo, dolenter mehercule magis, quàm inimicè facio. Quòd vivit Antonius, hodie quòd Lepidus unà est, quòd exercitus habent non contemnendos, quòd sperant, quòd audent, [9] id omne Cæsari acceptum referre possunt. neque ego superiora repetam: sed ex eo tempore, quo ipse mihi professus est se venire, si venire voluisset, aut oppressum jam bellum esset, aut in adversissimam illis Hispaniam cum detrimento eorum maximo [n] extrusum. Quæ mens eum, aut quorum consilia à tantâ gloriâ, sibi verò etiam necessaria, ac salutari avocarint,

INTERPRETATIO.

[f] *sortem Reipublica certamini committeremus.*

[g] *propiorem esse exercitum Octavii*, quàm Africanum.

[h] *id mihi tecum esse commune, quòd Octavium amem.*

[i] *primò quia cùm Julio Cæsari, dùm viveret, essem familiaris, mihi necesse fuit tueri filium ejus, ac diligere.*

[k] *Octavius.*

[l] *vel quia turpe mihi esset eum non insigniter amare, quem Julius Cæsar, & suo, & vestro judicio adoptavit.*

[m] *quare, si quid durius* in eum *scribo, dolore magis, quàm odio ductus id facio.*

[n] *amandatum.*

NOTÆ.

4. *Bima*] Quæ duos tantùm annos militavit.

5. *Firmitate exiguus*] Quia Tironum numerus multò major, quàm veteranorum erat.

6. *Expertum habemus*] In Pharsalicâ maximè pugnâ; idcircò enim Cæsaris exercitus superior discessit, quod ex veterano milite constaret.

7. *Ad alia consilia*] Ad petitionem consulatûs.

8. *Vestro judicio*] Quoniam Octavii adoptionem Cæsaris testamento factam, Senatus comprobarat.

9. *Id omne Cæsari*] Id omne debetur Octavio, qui nec Decimo Bruto reconciliari vult, nec Antonium fugientem persequi.

Digitized by Google

& ad cogitationem [10] consulatus [11] bimestris, summo cum terrore [12] hominum, & [13] insulsa cum efflagitatione transtulerint, [o] exputare non possum. Multùm in hac re mihi videntur necessarii ejus, & reipublicæ, & ipsius causâ [14] proficere posse: plurimùm, ut puto, tu quoque: [p] cujus ille [15] tanta merita habet, quanta nemo, præter me. nunquam enim obliviscar, maxima ac plurima me tibi debere. De his rebus, ut [q] exigeret cum eo, Furnio mandavi. quòd si quantam debeo, habuero apud eum auctoritatem, plurimùm [16] ipsum juvero. Nos intereà duriori conditione bellum sustinemus, [17] quòd neque expeditissimam dimicationem putamus: neque tamen refugiendo commissuri sumus, ut majus detrimentum respublica accipere possit. Quòd si aut Cæsar [18] se respexerit, aut Africanæ legiones celeriter venerint: securos vos ab hac parte reddemus. Tu, ut instituisti, me diligas, rogo, [r] propriéque tuum esse, tibi persuadeas. v. Kal. Sext. ex castris.

INTERPRETATIO.

[o] *divinare.* [p] *qui tantis illum beneficiis, quantis neminem unquam, ornasti, me ex-* | *cepto.* [q] *tractaret.* [r] *meque tui juris omninò esse.*

NOTÆ.

10. *Consulatus*] Ut in locum Hirtii, aut Pansæ sufficeretur.

11. *Bimestris*] Fortè legendum *quinquemestris*: illud enim spatium supererat ad exitum anni, nisi si dicamus cum Manutio, *bimestris* poni pro *exigui temporis*.

12. *Hominum*] Eorum scilicet qui percussorum Cæsaris amici erant, vel propinqui: nihil enim ab eo timendum non erat, qui Consul factus, patris necem ulciscì posset.

13. *Insulsa*] Vel quia cum uno Cicerone, de Consulatu obtinendo agebat; vel quòd hanc dignitatem contra leges, id est ante præfinitam ætatem, postularet.

14. *Proficere posse*] Dando operam, ut à Consulatûs petitione desistat, & Antonium armis persequatur.

15. *Tanta merita habet*] Tanta fuerunt, ut M. Brutus Ciceronem ipsum objurgaverit, ob nimiam ejus in Octavium indulgentiam, quæ Reipublicæ multùm perniciosa, & Tullio fuit inutilis.

16. *Ipsum juvero*] Illius enim interest, ut Antonius quîcum inimicitias exercet, pereat.

17. *Quod neque*] Quia puto non expedire, ut cum duobus, Antonio scilicet & Lepido, prælio dimicem.

18. *Se respexerit*] Nihil ut ab dignitate suâ alienum faciat, sed Rempublicam potiùs mecum tueatur.

EPISTOLA XXV.

Modestè arguit Furnium, quòd Præturam nimiùm celeriter adipisci vellet.

Cicero s. d. C. Furnio.

SI interest, id quod homines arbitrantur, reipublicæ te, [a] ut instituisti, atque fecisti, navare operam, rebusque maximis, quæ ad extinguendas

INTERPRETATIO.

[a] *cœpisti.*

reliquias [1] belli pertinent, [b] intereſſe: nihil videris melius, neque laudabilius, neque honeſtius facere poſſe: iſtamque operam tuam, [c] navitatem, animum in rempublicam [2] celeritati præturæ anteponendam cenſeo. Nolo enim te ignorare, quantam laudem conſecutus ſis: mihi crede, [d] proximam Planco, idque ipſius Planci teſtimonio, prætereà famâ, * ſcientiâque omnium. Quamobrem, ſi quid operis tibi etiam nunc reſtat, id maximoperè cenſeo perſequendum. Quid enim honeſtius? aut quid honeſto anteponendum? ſin autem ſatisfactum reipublicæ putas: celeriter ad [3] comitia, quando maturè futura ſunt, veniendum cenſeo: dummodo ne quid hæc ambitioſa feſtinatio imminuat ejus gloriæ quam [e] conſecuti ſumus. Multi clariſſimi viri, cùm reipublicæ [4] darent operam, [5] annum petitionis ſuæ non obierunt. [f] quod eò facilius nobis eſt, quòd non eſt annus hic tibi deſtinatus: ut, ſi Ædilis fuiſſes, [g] poſt biennium tuus annus eſſet. [h] nunc nihil prætermittere videbere uſitati, & quaſi legitimi temporis ad petendum. Video autem, [6] Planco conſule, [i] etſi etiam ſine eo rationes expeditas haberes, tamen ſplendidiorem petitionem tuam fore, [k] ſi modò iſta ex ſententiâ confecta eſſent. Omninò plura me ſcribere, [l] cùm tuum tantum conſilium, judiciumque ſit, non ita neceſſe arbitrabar: ſed tamen ſententiam meam tibi ignotam eſſe nolebam, cujus eſt hæc ſumma, ut omnia te metiri dignitate malim, quàm ambitione, majoremque fructum ponere [7] in perpetuitate laudis, quàm in celeritate prætura. Hæc eadem locutus ſum domi meæ, adhibito Quinto fratre meo, & Cæcinâ, & Calviſio, ſtudioſiſſimis tui, cùm Dardanus, libertus tuus, intereſſet. omnibus probari videbatur oratio mea: ſed tu optimè judicabis. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *te* præſentem *adeſſe.* [c] *induſtriam.*

[d] *maximam poſt Planeum laudem* in bello *adeptus es.* * *ſententiâque.*

[a] *conſecutus es.*

[f] *eò facilius Praturæ petitionem nunc potes omittere.*

[g] *non niſi tamen poſt biennium petere Praturam poſſes.*

[h] *nunc autem,* ſi omiſſâ petitione remanes in provinciâ tuâ, *legitimum ad petendum tempus ſervare videberis.*

[i] *etſi poſſes ſine Planco facile Praturam adipiſci.*

[k] *ſi modò bellum Antonianum fœliciter confectum eſſet.*

[l] *cùm ſingulari prudentiâ valeas.*

NOTÆ.

1. *Belli*] Contra Antonium ſuſcepti.

2. *Celeritati*] Decreverat petere Præturam, cùm nondùm Ædilis fuiſſet.

3. *Comitia*] Prætoria; in ſequentem enim annum deſignati jam erant Conſules.

4. *Darent operam*] Bello foris impediti.

5. *Annum*] Romam non venerunt, ut vel anno legitimo magiſtratus peterent; quia Reipublicæ ſalutem ambitioni ſuæ anteponebant.

6. *Planco*] Qui Conſul in ſequentem annum deſignatus erat.

7. *In perpetuitate laudis*] Perpetuam aſſequêris laudem, ſi pergis, ut cœpiſti, Rempublicam armis tueri.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVI.

Scripserat Furnius ad comitia Prætoria se venturum; Cicero dissuadet, & comitia in mensem Januarium rejicienda significat. Eodem anno.

Cicero S. D. Furnio.

LECTIS tuis literis, quibus declarabas aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandum, illud magis [1] timui, quod vitatum, non molestè fero. Quod de Planci & Bruti concordiâ scribis, in eo vel maximam spem pono victoriæ. [2] De Gallorum studio, nos aliquando cognoscemus, ut scribis, cujus id opera maximè excitatum sit: sed etiam, mihi crede, [3] cognovimus. Itaque jucundissimis tuis literis stomachatus sum in extremo. scribis enim, si in Sextilem [4] comitia, [5] citò te: si jam [6] confecta, [7] citiùs, [8] ne diutiùs cum periculo fatuus fis. O mi Furni, quàm tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facilè [9] discas. [10] tu nunc candidatum te putas, & id cogitas, ut aut ad comitia curas: aut, si jam confecta, domi tuæ sis, scilicet ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis. non arbitror te ita sentire. omnes enim tuos ad laudem impetus novi. quòd si, ut scribis, ita sentis: non magis te, quàm de te judicium reprehendo meum. Te adipiscendi magistratus [11] levissimi, & divulgatissimi, si ita adipiscare, ut plerique, præpropera festinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omnes in cœlum jure, & verè ferunt? [12] Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima prætor fias, non ut ita de republicâ mereare, omni honore ut dignissimus judicere. Utrum nescis, [13] quàm altè ascenderis: an pro nihilo id putas? si nescis, [14] tibi ignosco: nos [15] in culpâ sumus. [16] sin intelligis,

NOTÆ.

1. *Timui*] Ne cum periculò dimicares.

2. *De Gallorum*] De Galliâ ulteriori loquitur, quam Plancus cum tribus legionibus à Cæsare obtinuerat.

3. *Cognovimus*] Tuâ industriâ factum esse, ut Galli Reipublicæ faverent.

4. *Comitia*] Indicta sint.

5. *Citò te*] Romam, relicto exercitu, advolaturum.

6. *Confecta*] sint comitia, & nulla Prætura obtinendæ spes sit reliqua.

7. *Citiùs*] Romam te venturum, nec Reipublicæ deinceps navaturum operam.

8. *Ne diutiùs*] Ne diutiùs cum periculo pro Republicâ dimices nullo tuo emolumento, quod existimas dementis esse.

9. *Discas*] Aliorum causas defendere solitus erat.

10. *Tu nunc*] Tu putas esse jam legitimum ad petendum tempus, cùm revera non sit. Vidè proximè sup. epist. aut si confecta sunt comitia, nec Prætor designatus es, cogitas domi latere, depositâ Reipublicæ administratione, ne diutiùs, ut ais, pro Republicâ periclar subeas, nullo tuo fructu, quod dementis est.

11. *Levissimi*] Prætura, levis est & vulgaris dignitas, hanc si præproperè, & Reipublicæ damno adipiscaris, eaque festinatio privabit te tantis laudibus, &c.

12. *Scilicet*] Ironia, cujus hic sensus est: *non jam agitur, utrùm, &c. agitur id potiùs, ut ita de, &c.*

13. *Quàm altè*] Quanta sit hominum de te existimatio.

14. *Tibi ignosco*] Quia errore tantùm, non malitiâ peccas.

15. *In culpâ sumus*] Peccavi ego, qui nondum id tibi significavi.

16. *Sin intelligis*] Nomen tuum ab om-

Digitized by Google

ulla tibi est prætura vel officio, quod pauci, vel gloria, quàm omnes sequantur, dulcior? Hac de re & ego, & Calvisius, homo magni judicii, tuique amantissimus, te accusamus quotidie: comitia tamen, [a] [17] quando ex his pendes, quantum facere possumus, quòd multis de causis reipublicæ [18] arbitramur conducere, in Januarium mensem [b] protrudimus. Vince igitur, & Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quandoquidem illa expectas.* [b] *rejecimus.*

NOTÆ.

ribus celebrari; an ulla Prætura est tibi, vel officio tuo, vel gloriâ dulcior.

17. *Quando*] Quandoquidem hæc animo habes infixa.

18. *Arbitramur conducere*] Ut, qui pro Republicâ dimicant, spe comitiorum, ac dignitatum diutiùs excitentur.

EPISTOLA XXVII.

Lepidum parcè & molliter increpat, quòd amplissimis honoribus à Senatu ornatus, nondùm ei gratias egisset; tùm hortatur, ut pacis, Antonium inter & bonos cives conciliandæ animum deponat. Eodem anno.

Cicero S. D. M. Lepido.

QUOD mihi pro meâ summâ erga te benevolentiâ magnæ curæ est, ut quam amplissimâ dignitate sis, molestè tuli, te senatui gratias non egisse, cùm esses ab eo ordine ornatus [1] summis honoribus Pacis inter cives conciliandæ te cupidum esse, lætor. pacem eam si à servitute sejungis, consules & reipublicæ, & dignitati tuæ. sin ista pax [a] perditum hominem in [2] possessionem [3] impotentissimi dominatûs restitutura est: hoc animo scito esse omne, [b] sanos, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientiùs, meo quidem judicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neque senatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex aliis, aut certior fies literis. Tu pro tuâ prudentiâ, quid optimum factu sit, videbis.

INTERPRETATIO.

[a] *Antonium.* [b] *sapientes viros.*

NOTÆ.

1. *Summis honoribus*] Equestrem ei statuam inauratam decreverat Senatus cum inscriptione præclarâ, & absenti triumphum. Sic Tullius in epist. ad Brutum: *In Lepido reprehendimur, cui, cùm statuam in Rostris statuissemus, iidem illam evertimus.*

2. *In possessionem*] Quam Mutinensi clade amiserat.

3. *Impotentissimi dominatûs*] In quo nihil jure, vi omnia, & scelere geruntur.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVI.

Scripserat Furnius ad comitia Prætoria se venturum; Cicero dissuadet, & comitia in mensem Januarium rejicienda significat. Eodem anno.

Cicero s. d. Furnio.

LECTIS tuis literis, quibus declarabas aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandum, illud magis [1] timui, quod vitatum, non molestè fero. Quod de Planci & Bruti concordiâ scribis, in eo vel maximam spem pono victoriæ. [2] De Gallorum studio, nos aliquando cognoscemus, ut scribis, cujus id opera maximè excitatum sit: sed etiam, mihi crede, [3] cognovimus. Itaque jucundissimis tuis literis stomachatus sum in extremo. scribis enim, si in Sextilem [4] comitia, [5] citò te: si jam [6] confecta, [7] citiùs, [8] ne diutiùs cum periculo fatuus fis. O mi Furni, quàm tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facilè [9] discas. [10] tu nunc candidatum te putas, & id cogitas, ut aut ad comitia curas: aut, si jam confecta, domi tuæ sis, scilicet ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis. non arbitror te ita sentire. omnes enim tuos ad laudem impetus novi. quòd si, ut scribis, ita sentis: non magis te, quàm de te judicium reprehendo meum. Te adipiscendi magistratus [11] levissimi, & divulgatissimi, si ita adipiscare, ut plerique, præpropera festinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omnes in cœlum jure, & verè ferunt? [12] Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima prætor fias, non ut ita de republicâ mereare, omni honore ut dignissimus judicere. Utrum nescis, [13] quàm altè ascenderis: an pro nihilo id putas? si nescis, [14] tibi ignosco: nos [15] in culpâ fumus. [16] sin intelligis,

NOTÆ.

1. *Timui*] Ne cum periculò dimicares.

2. *De Gallorum*] De Galliâ ulteriori loquitur, quam Plancus cum tribus legionibus à Cæsare obtinuerat.

3. *Cognovimus*] Tuâ industriâ factum esse, ut Galli Reipublicæ faverent.

4. *Comitia*] Indicta sint.

5. *Citò te*] Romam, relicto exercitu, advolaturum.

6. *Confecta*] sint comitia, & nulla Prætoræ obtinendæ spes sit reliqua.

7. *Citiùs*] Romam te venturum, nec Reipublicæ deinceps navaturum operam.

8. *Ne diutiùs*] Ne diutiùs cum periculo pro Republicâ dimices nullo tuo emolumento, quod existimas dementis esse.

9. *Discas*] Aliorum causas defendere solitus erat.

10. *Tu nunc*] Tu putas esse jam legitimum ad petendum tempus, cùm revera non sit. Vidè proximè sup. epist. aut si confecta sunt comitia, nec Prætor designatus es, cogitas domi latere, depositâ Reipublicæ administratione, ne diutiùs, ut ais, pro Republicâ periculæ subeas, nullo tuo fructu, quod dementis est.

11. *Levissimi*] Prætura, levis est & vulgaris dignitas, hanc si præproperè, & Reipublicæ damno adipiscaris, eaque festinatio privabit te tantis laudibus, &c.

12. *Scilicet*] Ironia, cujus hic sensus est: *non jam agitur, utrùm, &c. agitur id potiùs, ut ita de, &c.*

13. *Quàm altè*] Quanta sit hominum de te existimatio.

14. *Tibi ignosco*] Quia errore tantùm, non malitiâ peccas.

15. *In culpâ sumus*] Peccavi ego, qui nondum id tibi significavi.

16. *Sin intelligis*] Nomen tuum ab om-

Digitized by Google

ulla tibi est prætura vel officio, quod pauci, vel gloria, quàm omnes sequantur, dulcior? Hac de re & ego, & Calvisius, homo magni judicii, tuique amantissimus, te accusamus quotidie: comitia tamen, [a] 17 quando ex his pendes, quantum facere possumus, quòd multis de causis reipublicæ [18] arbitramur conducere, in Januarium mensem [b] protrudimus. Vince igitur, & Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quandoquidem illa expectas.* [b] *rejecimus.*

NOTÆ.

nibus celebrari; an ulla Prætura est tibi, vel officio tuo, vel gloriâ dulcior.

17. *Quando*] Quandoquidem hæc animo habes infixa.

18. *Arbitramur conducere*] Ut, qui pro Republicâ dimicant, spe comitiorum, ac dignitatum diutiùs excitentur.

EPISTOLA XXVII.

Lepidum parcè & molliter increpat, quòd amplissimis honoribus à Senatu ornatus, nondùm ei gratias egisset; tùm hortatur, ut pacis, Antonium inter & bonos cives conciliandæ animum deponat. Eodem anno.

Cicero s. d. M. Lepido.

QUOD mihi pro meâ summâ erga te benevolentiâ magnæ curæ est, ut quam amplissimâ dignitate sis, molestè tuli, te senatui gratias non egisse, cùm esses ab eo ordine ornatus [1] summis honoribus Pacis inter cives conciliandæ te cupidum esse, lætor. pacem eam si à servitute sejungis, consules & reipublicæ, & dignitati tuæ. sin ista pax [a] perditum hominem in [2] possessionem [3] impotentissimi dominatûs restitutura est: hoc animo scito esse omnes, [b] sanos, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientiùs, meo quidem judicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neque senatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex aliis, aut certior fies literis. Tu pro tuâ prudentiâ, quid optimum factu sit, videbis.

INTERPRETATIO.

[a] *Antonium.* [b] *sapientes viros.*

NOTÆ.

1. *Summis honoribus*] Equestrem ei statuam inauratam decreverat Senatus cum inscriptione præclarâ, & absenti triumphum. Sic Tullius in epist. ad Brutum: *In Lepido reprehendimur, cui, cùm statuam in Rostris statuissemus, iidem illam evertimus.*

2. *In possessionem*] Quam Mutinensi clade amiserat.

3. *Impotentissimi dominatûs*] In quo nihil jure; vi omnia, & scelere geruntur.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVIII.

Subiraſcitur Trebonio, quòd Antonium incolumem ſervaverit eo die quo Cæſar occiſus eſt; ſuum deinde libertatis recuperandæ ſtudium ſignificat. Eodem anno.

Cicero S. D. C. Trebonio.

QUAM vellem [a] ad illas pulcherrimas epulas me idibus Mart. invitaſſes! [b] reliquiarum nihil haberemus at nunc [c] cum his tantum negotii eſt, ut [d] veſtrum illud divinum in rempublicam beneficium nonnullam habeat [3] querelam. quòd verò à te, viro optimo, [4] ſeductus eſt, tuoque beneficio adhuc vivit [e] hæc peſtis: interdum, quod mihi [5] vix fas eſt, tibi ſubiraſcor. mihi enim negotii plus reliquiſti [6] uni, quàm, præter me, omnibus. Ut enim primùm poſt Antonii fœdiſſimum [7] diſceſſum ſenatus haberi liberè potuit, [f] ad illum animum meum reverti priſtinum, quem tu cum cive acerrimo, patre tuo, in ore & amore ſemper habuiſti. Nam, cùm ſenatum ad XIII. Kalend. Jan. tribuni plebis vocaviſſent, deque aliâ re referrent, totam rempublicam ſum complexus, egique acerrimè, ſenatumque jam languentem, & defeſſum, ad priſtinam virtutem, conſuetudinemque revocavi, magis animi, quàm ingenii viribus. Hic dies, meaque contentio, atque actio ſpem primùm populo Romano attulit libertatis recuperandæ. nec verò ipſe poſteà tempus ullum intermiſi de republicâ non cogitandi ſolùm, ſed etiam agendi. Quòd niſi res urbanas, actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipſe perſcriberem quanquam eram maximis occupationibus impeditus. ſed illa cognoſces ex aliis, à me pauca, & ea ſummatim. Habemus fortem ſenatum, conſulares partim timidos, partim malè ſentientes.

INTERPRETATIO.

[a] *ad eadem Cæſaris.* [b] *non jam ſuperſtes viveret Antonius.*
[c] *cum Antonianis.*
[d] *mors illata Cæſari.*
[e] *Antonius.*
[f] *ad priſtinum illud* tuendæ libertatis *ſtudium redii, quod tu & pater tuus ſemper & laudaſtis, & amaſtis.*

NOTÆ.

1. *Trebonio*] Conſule indicem hiſtoricum à nobis huic operi præfixum; ubi quæ conferunt ad hujus libri intelligentiam paucis deſcripta leges.

2. *Ad illas pulcherrimas*] Cædem Cæſaris vocat egregium facinus, quòd ex eo ſpes affulſerit libertatis recipiendæ; ſed opinione Cicero falſus eſt.

3. *Querelam*] Ob conſervatum Antonium.

4. *Seductus eſt*] Sejunctus ab aliis, & à Trebonio ante fores curiæ detentus, uſque donec Cæſar interficeretur; hoc paulò fuſiùs in tabulis hiſtoricis Bruti, Planci, Lepidi, Trebonii, &c.

5. *Vix fas eſt*] Propter mutuam neceſſitudinem.

6. *Uni*] Capitali quippè odio diffidebant inter ſe Antonius, & Cicero.

7. *Diſceſſum*] Ex urbe, ut Decimo Bruto, & Reipublicæ bellum inferret.

Digitized by Google

magnum damnum factum est in [8] Servio. [9] L. Cæsar optimè sentit: sed, quòd avunculus est, non acerrimas dicit sententias. [10] consules egregii: præclarus D. [11] Brutus: egregius [12] puer Cæsar. de quo spero equidem reliqua: hoc verò certum habeto, nisi [g] ille [13] veteranos celeriter conscripsisset, legionesque duæ de exercitu Antonii ad ejus se auctoritatem contulissent, atque is oppositus esset terror Antonio, nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis præteriturum fuisse. Hæc tibi etsi audita esse arbitrabar, volui tamen notiora esse. plura scribam, si plus otii habuero. Vale.

INTERPRETATIO.

[g] *Octavius Cæsar.*

NOTÆ.

8. *In Servio*] In Servio Sulpitio, qui mortem obierat.
9. *L. Cæsar*] Avunculus Antonii.
10. *Consules*] Hirtius & Pansa.
11. *Decimus Brutus*] Galliæ Cisalpinæ à Senatu præpositus.
12. *Puer Cæsar*] Octavius, annos tùm natus novemdecim.
13. *Veteranos*] Qui Julio Cæsari militaverant.

EPISTOLA XXIX.

Suum erga salutem Ampii studium significat, bonoque animo esse jubet. Incertus annus: probabile est scriptam esse Cæsare tertium, & Lepido Coss. anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

Cicero s. d. [1] Ampio Balbo.

DE meo studio erga salutem, & incolumitatem tuam credo te cognosse ex literis tuorum: quibus me cumulatissimè satisfeciisse, certò scio. nec iis concedo, quanquam sunt singulari in te benevolentiâ, ut te salvum malint, quàm ego. illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus, quàm ipsi, hoc tempore [2] prodesse possim. quod quidem nec destiti facere, nec desistam, & jam in maximâ re feci, & fundamenta jeci salutis tuæ. Tu fac bono animo, magnoque sis, meque tibi nullâ re defuturum esse confidas. Pridie non. Quint. Vale.

NOTÆ.

1. *Ampio Balbo*] Vide indicem historicum.
2. *Prodesse possim*] Quia Cæsaris familiares, quorum summa erat authoritas, Ciceronem unicè diligebant. Id clariùs indicat in epistolâ 13. libri 6. ad eumdem scriptâ.

Digitized by Google

EPISTOLA XXX.

Pugnam, victoriamque Mutinensem de Antonio relatam describit. Hirtio & Pansâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo decimo.

[a] Ser. Galba s. d. Ciceroni.

DECIMO septimo Kalendas Maii, quo die Pansa in castris Hirtii erat futurus, cum quo ego eram, (nam ei obviam processeram millia passuum centum, quò maturiùs veniret) Antonius legiones eduxit duas, secundam, & quintam trigesimam, & [2] cohortes prætorias duas, unam suam, alteram Silani, & [3] evocatorum partem. Ita obviam venit nobis, quòd nos quatuor legiones tironum habere solùm arbitrabatur. sed noctu, quò tutiùs venire in castra possemus, [4] legionem Martiam, cui ego præesse solebam, & duas cohortes prætorias miserat Hirtius nobis. Cùm equites Antonii apparuissent, contineri, neque legio Martia, neque cohortes prætoriæ potuerunt: quas sequi cœpimus coacti, quando eas retinere non poteramus. Antonius [5] ad Forum Gallorum suas copias continebat: neque sciri volebat, se legiones habere: tantùm equitatum, & [6] levem armaturam ostendebat. Postea quàm vidit se invito legionem ire Pansa, sequi se duas legiones jussit tironum. posteà quàm angustias paludis, & silvarum transivimus, acies est instructa à nobis duodecim cohortium. nondum venerant legiones duæ, cùm repentè Antonius in aciem suas copias de vico produxit, & sine morâ concurrit. Primò ita pugnatum est, ut acriùs non posset ex utraque parte pugnari. sed dexterius cornu, in quo ego eram cum Martiæ legionis cohortibus octo, impetu primo fugaverat legionem trigesimam quintam Antonii, ut ampliùs passus quingentos ultra aciem, quo loco steterat, processerit. Itaque, cùm equites nostrum cornu circuire vellent, recipere me cœpi, & [6] levem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne aversos nostros aggrederentur. Interim video me esse inter Antonianos, Antoniumque post me esse aliquanto. repentè equum immisi ad eam legionem tironum, quæ veniebat ex castris scuto rejecto. Antoniani me insequi: nostri pila conjicere velle. ita nescio quo fato sum servatus, quòd citò sum

NOTÆ.

1. *Ser. Galba*] Vide indicem historicum.

2. *Cohortes Prætorias*] Cohors Prætoria ducem ubique sequebatur; ab ipso vel ex familiaribus, vel ex fortissimis delecta. Cohortes Prætorias novem ad corporis custodiam Augustus adhibuit, quæ quidem primùm Imperii robur, & decus extitêre; posteà verò Imperatorum ac Reipublicæ pernicies.

3. *Evocatorum*] Vide epistolam sextam libri tertii.

4. *Legionem Martiam*] Quæ relicto Antonio ad Octavianum transierat.

5. *Ad forum Gallorum*] Vicus in Flaminiâ, quæ nunc *Romandiola*, situs: hodie vocatur *Castel Franco*.

6. *Levem armaturam*] Levis armaturæ milites, quæ minimæ fiduciæ manus erat; alii aliis temporibus fuêre: primùm quidem Ferentarii, &c. Consule Cantelium nostrum in suo de Romanâ militiâ tractatu.

Digitized by Google

à noſtris cognitus. 7 In ipsâ Æmiliâ, ubi cohors Cæſaris prætoria erat, diù pugnatum eſt. cornu ſiniſterius, quod erat infirmius, ubi Martiæ legionis duæ cohortes erant, & cohors prætoria, pedem referre cœperunt, quòd ab equitatu circuibantur, quo vel plurimum valet Antonius. cùm omnes ſe recepiſſent noſtri ordines, recipere me noviſſimus cœpi ad caſtra. Antonius, tanquam victor, caſtra putavit ſe poſſe capere. quò cùm venit, complures ibi amiſit, nec egit quidquam. Auditâ re Hirtius cum cohortibus viginti veteranis redeunti Antonio in ſua caſtra occurrit, copiaſque omnes ejus delevit, fugavitque eodem loco, ubi erat pugnatum, ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus horâ noctis quartâ ſe in caſtra ſua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea caſtra rediit, unde Panſa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quæ ab Antonio erant oppugnatæ. ſic partem majorem ſuarum copiarum Antonius amiſit veteranarum: nec id tamen ſine aliquâ jacturâ cohortium prætoriarum noſtrarum, & legionis Martiæ fieri potuit. 8 aquilæ duæ, ſigna ſexaginta ſunt relata Antonii. res benè geſta eſt. Ad XII. Kal. Maii, ex caſtris. Vale.

NOTÆ.

7. *In ipsâ Æmiliâ*] In viâ Æmiliâ, quam ſtravit in primo Conſulatu Marcus Æmilius Lepidus, is qui Pontifex maximus, Conſul, Cenſorque fuit, & Princeps Senatûs ſexies lectus; perducta eſt Arimino, ubi Flaminiæ committebatur, Aquileiam uſque. Ita Manutius.

8. *Aquilæ duæ*] Signa alia peditum fuerunt, alia equitum, alia legionis, alia manipulorum: primùm quidem *Aquila*, *Bupus*, *Minotaurus* ex Vegetio, *Equus* & *Aper* ex Plinio: tùm præ cæteris principatum obtinuit *Aquila*, ita ut aliis, in caſtris relictis, ſola in acie ordines anteiret: quam denique C. Marius ſecundùm Conſul, tanquam fœlix victoriarum omen, repudiatis aliis, legionibus Romanis conſecravit; tria ſignorum genera poſterioribus temporibus uſurpata; Elephas, Sphinx, & Draco; Elephas à Caio Cæſare, quòd quinta legio Elephantas viciſſet: ita Cantelius in eodem tractatu ſuprà citato.

EPISTOLA XXXI.

Excuſat ſe, quòd ſuum erga Rempublicam ſtudium litteris nondùm expreſſerit; ſeque libertatis fore defenſorem, teſtatur. Eodem anno.

C. Aſinius Pollio S. D. Ciceroni.

MINIME mirum debet tibi videri, nihil me ſcripſiſſe de republicâ, 2 poſteà quàm itum eſt ad arma: nam 1 ſaltus Caſtulonenſis, qui ſem-

INTERPRETATIO.

2 *poſtquam* Antonio, interfecto Cæſare, *bellum indictum eſt*.

NOTÆ.

1. *Saltus Caſtulonenſis*] Caſtulo fuit quondam Oretanorum in Bæticæ finibus, verſus Orientem urbs, quondam inter primas Hiſpaniæ nobilis. Saltui Caſtulonenſi nomen dedit.

per tenuit noſtros tabellarios, etſi nunc frequentioribus latrociniis infeſtior factus eſt, tamen nequaquam tantâ in morâ eſt, quanta qui locis omnibus diſpoſiti ab utraque parte ſcrutantur tabellarios, & retinent. itaque, niſi nave perlatæ literæ eſſent, omninò neſcirem, quid [b] iſtic fieret. nunc verò nactus occaſionem, poſteà quàm navigari cœptum eſt, cupidiſſimè, & quàm creberrimè potero, ſcribam ad te. [c] Ne movear [a] ejus ſermonibus, quem tametſi nemo eſt qui videre velit, tamen nequaquam proinde, ac dignus eſt, oderunt homines, periculum non eſt. adeò eſt enim [3] inviſus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo ſit. natura autem mea, & ſtudia trahunt me ad pacis & [4] libertatis cupiditatem. itaque illud initium [5] civilis belli ſæpè deflevi. Cùm verò non liceret mihi [d] nullius partis eſſe, quia utrobique magnos inimicos habebam, [e] ea caſtra fugi, in quibus planè tutum me ab inſidiis [6] inimici ſciebam non futurum. compulſus [f] eò, [7] quò minimè volebam, [g] ne in extremis eſſem, planè pericula non dubitanter adii. [h] Cæſarem verò, quòd me in tantâ fortunâ, modò cognitum, vetuſtiſſimorum familiarium loco habuit, dilexi ſummâ cum pietate, & fide. quæ mea ſententia gerere mihi licuit, [i] ita feci, ut optimus quiſque maximè probarit: [k] quod juſſus ſum, eo tempore atque ita feci, ut appareret, invito imperatum eſſe. Cujus facti injuſtiſſima invidia erudire me potuit, quàm jucunda libertas, & quàm miſera ſub dominatione vita eſſet. Ita, ſi id agitur, ut rurſus in poteſtate omnia [8] unius ſint: quicunque is eſt, ei me profiteor inimicum: nec periculum eſt ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. Sed conſules neque ſenatuſconſulto neque literis ſuis præceperant mihi, quid facerem. unas enim poſt idus Mart. de-

INTERPRETATIO.

[b] *in Italiâ.* [c] *timendum non eſt, ne movear, &c.*
[d] *nec Cæſarem, nec Pompeium ſequi.*
[e] *Pompeiana.*
[f] *ad Cæſaris exercitum.*
[g] *& ne inter infimos* Cæſariani exercitûs *eſſem, planè, &c.*
[h] *Cæſarem autem dilexi, quia licet in ſummâ fortunâ collocatus erat, me tamen recens cognitum, &c.* [i] *eâ moderatione.*
[k] *quod juſſus ſum à* Cæſare, *ſic egò perfeci, &c.*

NOTÆ.

2. *Ejus*] Id putat Manutius de Antonio dici jam Mutinam obſidente, & Aſinium ad ſuas partes forſan invitante. Alii de Lepido; nonnulli etiam de Balbo intelligunt, qui diſcordiarum cupidus, non bonos de Pollione, cujus erat Quæſtor, rumores ſpargebat. Vide ſequentem epiſtolam; Manutii tamen ſententia mihi præ cæteris probatur.

3. *Inviſus*] Antonius, ex quo Reſpublicam armis oppugnare aggreditur, cùm anteà amicus illi eſſem.

4. *Libertatis*] Quam, renovato bello civili, Antonius neſſundit.

5. *Civilis belli*] Pompeium inter & Cæſarem.

6 *Inimici*] Vel Catonis, ab Aſinio quondam accuſati, vel Labieni, qui Aſinium in jus vocaverat.

7 *Quo minimè volebam*] Hæc addit, ut palàm faciat, ſe Cæſari adhæſiſſe, non quòd Cæſarem amaret; ſed quia Pompeii caſtra, ob Catonis & Labieni præſentiam timebat.

8. *Unius*] Ad Antonium maximè reſpicit;

mùm à [9] Pansâ literas accepi, in quibus hortatur me, ut senatui scribam, me & exercitum in potestate ejus futurum. [m] quod, cùm Lepidus concionaretur, atque omnibus scriberet, se consentire cum Antonio, maximè contrarium fuit. [n] nam quibus commeatibus, invito illo, per illius provinciam legiones ducerem? aut, si cætera transissem, num etiam Alpes poteram transvolare, quæ præsidio illius tenentur? Adde huc, quòd perferri literæ nullâ conditione potuerunt. sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur à Lepido rabellarii. Illud me [10] Cordubæ pro concione dixisse, nemo vocabit in dubium, provinciam me nulli, nisi qui à senatu missus veniisset, traditurum. [o] nam de legione trigesimâ tradendâ quantas habuerim contentiones, quid ego scribam? quâ traditâ, quantò pro republicâ infirmior futurus fuerim, quis ignorat? hac enim legione nobis acrius, aut pugnacius quidquam putare esse. quare me eum existima esse, qui primùm pacis cupidissimus sim, (omnes enim cives planè studeo esse salvos) deinde qui & me, & rempublicam vindicare in libertatem paratus sim. Quòd [11] familiarem meum in tuo numero habes, opinione tuâ mihi gratus est: invideo illi tamen, quòd ambulat, & jocatur tecum. Quæres, [12] quanti æstimem, si unquam licuerit vivere in otio, experieris. nullum enim vestigium abs te discessurus sum. Illud vehementer admiror, non scripsisse te mihi, manendo in provinciâne, an ducendo exercitum in Italiam, reipublicæ magis satisfacere possim. Ego quidem, etsi mihi tutius, ac minùs laboriosum est manere, tamen, quia video tali tempore multò magis legionibus opus esse, quàm provinciis, quæ præsertim recuperari nullo negotio possunt, constitui, [p] ut nunc est, cum exercitu proficisci. deinde ex literis, quas Pansæ misi, cognosces omnia. nam earum tibi exemplar misi. XVII. Kal. April. Cordubæ.

INTERPRETATIO.

[m] *quod vix fieri poterat, quoniam Lepidus palàm prædicabat, &c.*

[n] *quomodo enim invito Lepido per Hispaniam exteriorem, quam obtinet, legiones, quæ commeatibus indigent, ducerem?*

[o] *quàm importunè fuerim sollicitatus, ut legionem trigesimam traderem, &c.*

[p] *pro* præsenti *rerum statu.*

NOTÆ.

9. *A Pansâ*] Consule, qui cum Hirtio collegâ in Mutinensi bello cecidit.

10. *Cordubæ*] Hispaniæ Baticæ urbs nobilis ad fluvium Bætim, magnorum ingeniorum mater, Senecarum & Lucani patria: *Cordoüe.* Strabo à Marco Marcello fundatam ait, anno ab urbe conditâ quingentesimo octogesimo quinto: Silius Annibalis ætate Cordubæ mentionem facit; quòd si verum est, ex eo M. Marcellus eam laudem tulit, quòd eam urbem ædificiorum elegantiâ & majestate exornatam municipii jure donavit.

11. *Familiarem*] Quis ille sit Asinii familiaris non constat, nisi dicamus cum Manutio, esse Cornelium Gallum, quem in sequenti epistolâ idem Asinius familiarem suum nominat.

12. *Quanti æstimem*] Ambulare tecum & jocari.

EPISTOLA XXXII.

Balbi furta, rapinas, immanitatem describit; deinde significat, quâ moderatione sit usus, ut exercitum & provinciam in Reipublicæ potestate conservaret. Eodem anno.

Asinius Pollio S. D. Ciceroni.

[1] BALBUS quæstor, magnâ numeratâ pecuniâ, magno pondere auri, majore argenti coacto, [2] de publicis exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito, [a] duxit se à [3] Gadibus, & triduum tempestate retentus [4] ad Calpen, Kal. Junii trajecit sese [5] in regnum Bogudis, [b] planè benè peculiatus. [c] His rumoribus utrùm Gades referatur, an Romam, (ad singulos enim nuntios turpissimè consilia mutat) nondum scio. sed, præter furta, & rapinas, & virgis cæsos socios, hæc quoque fecit, ut ipse gloriari solet, [d] eadem, quæ C. Cæsar: ludis, quos Gadibus fecit, [6] Herennium Gallum histrionem, [e] summo ludorum die [7] annulo aureo donatum, [f] in quatuordecim sessum deduxit: [8] tot enim fecerat ordines equestris loci.

INTERPRETATIO.

[a] *recessit à Gadibus.* [b] *magno instructus peculio.*

[c] *nondùm scio, utrùm auditâ* Antonii ad Mutinam *clade, Gades an Romam se referat.* [d] *fecit* Gadibus in patriâ suâ, *eadem quæ* Romæ *Cæsar.*

[e] *ultimo.*

[f] *inter equites locum dedit.*

NOTÆ.

1. *Balbus*] Gaditanus, filius fratris Lucii Cornelii Balbi, qui Gadibus in Hispaniâ natus, ac bello Sertoriano Imperatoribus Romanis probatus, bello confecto à Cnæio Pompeio civitate Romanâ donatus est, & quia per Lucium Cornelium, hoc ille beneficium obtinuit, Lucius Cornelius Balbus vocatus est: is de quo nunc agimus, *Minor* appellatur, ut à patre distingui possit.

2. *De publicis exactionibus*] Quibus præesse Quæstoris erat.

3. *A Gadibus*] Gades, Pœnis *Gadir*, quæ vox eorum linguâ idem significat quod *spes*; hîc olim duæ fuerunt ejusdem nominis insulæ, authoribus Strabone & Plinio: Major, & Minor; hodie unica tantùm extat cum urbe cognomine, nunc *Gadix*, portus Hispaniæ nobilissimus, inde fretum Gaditanum, *le détroit de Gibraltar.*

4. *Ad Calpen*] Montem Hispaniæ præaltum in littore freti Gaditani, nunc *le mont Tarif*, cui in Africâ respondet *Abyla*, fuisse Herculis columnas, vulgaris opinio est.

5. *In regnum Bogudis*] In Mauritaniam: Bogudem Cæsar commilitonem suum vocabat, eumdemque pluribus ornabat beneficiis: bello, post mortem Cæsaris, Antonium inter & Octavianum orto, Antonii partibus adhæsit, & Methonæ tandem, ab Agrippa, qui hanc urbem expugnavit, interfectus est.

6. *Herennium*] Balbus Herennium Histrionem in Equestrem ordinem Gadibus admisit, quemadmodum Cæsar Romæ, Laberium.

7. *Annulo aureo*] Quem Romani equites gestabant, suæ dignitatis insigne.

8. *Tot enim fecerat*] Ut Romani theatri consuetudinem exprimeret; Equites enim Romani in quatuordecim proximis gradibus lege Roscia sedebant.

Digitized by Google

[9] quatuorviratum sibi [10] prorogavit : & [11] comitia [12] biennii biduo habuit, hoc est, renuntiavit [13] quos ei visum est : [14] exules reduxit, [15] non horum temporum, sed illorum, quibus à seditiosis [h] [16] senatus trucidatus, aut expulsus est Scx. Varo [17] proconsul. [i] Illa verò jam ne Cæsaris quidem exemplo, [k] quòd ludis [18] prætextam de suo itinere ad L. [19] Lentulum proconsulem. solicitandum posuit : & quidem, cùm ageretur, [20] flevit, memoria rerum gestarum commotus. [l] [21] gladiatoribus autem Fadium quendam, [22] militem Pompeianum, quia, cùm [m] depressus in ludum, [23] bis gratis depugnasset, [n] auctore sese nolebat, & ad populum confugerat, primùm Gallos equites [24] immisit in populum, (conjecti enim sunt lapides [o] in eum cùm arriperetur Fadius) deinde abstractum [25] defodit in ludo, & vivum combussit.

INTERPRETATIO.

[9] *duorum dierum spatio, magistratus in biennium designavit, id est, creavit quos, &c.*

[h] *Senatus* Gaditanus.

[i] *quæ sequuntur, ne Cæsaris quidem exemplo* fecit.

[k] *comœdiam exhibuit, quæ suum repræsentaret iter ad Lentulum, &c.*

[l] *quo die gladiatores pugnabant.*

[m] *compulsus.*

[n] *pugnare amplius nolebat, ipso* quamvis Balbo *jubente.* [o] *in Balbum.*

NOTÆ.

9. *Quatuorviratum*] Quæ dignitas in municipiis, Romanorum Consulatui respondebat.

10. *Prorogavit*] Sicut Cæsar Dictaturam sibi prorogaverat.

11. *Comitia*] Gaditanorum.

12. *Biennii*] Cæsaris exemplo, qui ad expeditionem Parthicam profecturus, Consules Romæ in triennium designaverat.

13. *Quos ei visum est*] Id quoque fecerat Cæsar, à quo renuntiati sunt Consules Hirtius & Pansa, Plancus, & D. Brutus.

14. *Exules reduxit*] Haud secùs atque Cæsar, qui Pompeiâ lege damnatos omnes, præter Milonem, urbi restituit.

15. *Non horum temporum*] Qui exules culpâ fortè vacant, atque adeò justè revocari possunt.

16. *Senatus*] Decuriones Gaditani, sic enim appellabantur municipiorum Senatores.

17. *Proconsul*] Consulatum tamen non gesserat. Vide epistolam primam libri primi, pag. 2.

18. *Prætextam*] Comœdiæ genus, in quo, ut ait Manutius, argumento Romano, prætextati viri, id est magistratus inducebantur. Horatius in arte Poeticâ :

Et qui prætextas, & qui docuere togatas.

19. *Ad L. Lentulum*] Hic erat Consul primo belli civilis anno, & cum Pompeio in Græciam abiit. Balbus minor ad eum, Italiâ priùs quàm cederet, missus est, Cæsarisque nomine invitavit, ut Romam relicto Pompeio, reverteretur.

20. *Flevit*] Cùm exhiberetur illa fabula : quare autem hoc Balbo crimini vertit Asinius ? quoniam his lacrymis Balbus indicabat, quanto Cæsaris, atque adeò tyrannidis desiderio teneretur.

21. *Gladiatoribus autem*] Locutio per se obscura, sed quam paucis in interpretatione expositimus.

22. *Militem Pompeianum*] Quem propterea oderat Balbus, Cæsarianorum partium defensor.

23. *Bis gratis*] Fortè quòd nullo tunc vitæ discrimine, sed animi tantùm gratiâ dimicasset ; sed quia jubebatur à Balbo, cum gladiatoribus periculosè, & seriò congredi, noluit, & ad populum confugit, ut ejus ope liber evaderet.

24. *Immisit*] Balbus.

25. *Defodit in ludo*] In loco, ubi gladiatorum certamen exhibebat.

Digitized by Google

cùm quidem pransus, [26] nudis pedibus, [27] tunicâ solutâ, [28] manibus ad tergum rejectis, inambularet, & illi misero [29] quiritanti, [30] civis Romanus sum, responderet, [31] Abi nunc, populi fidem implora. Bestiis verò cives Romanos, in his [q] circulatorem quendam auctionum, notissimum hominem [32] Hispali, quia deformis erat, objecit. [r] Cum hujusmodi portento res mihi fuit. sed de illo plura coram [s] Nunc, quod præstat, quid me velitis facere, constituite. tres legiones firmas habeo, quarum unam vigesimam octavam cùm ad se initio belli arcessisset Antonius hac pollicitatione, quo die in castra venisset, [33] denarios quingenos singulis militibus daturum, in victoriâ verò eadem præmia, quæ suis legionibus: ([t] quorum quis ullum finem, aut modum futurum putavit?) [u] incitatissimam retinui, ægrè mehercule: nec retinuissem, si [34] uno loco habuissem, utpote cùm singulæ quædam cohortes seditionem fecerint. Reliquas quoque legiones non destitit literis, atque infinitis pollicitationibus incitare. nec verò minus Lepidus ursit me & suis Antonii literis, ut legionem trigesimam mitterem sibi. Itaque, quem exercitum neque vendere ullis præmiis volui, nec eorum periculorum metu, quæ, victoribus illis, portendebantur, diminuere, debetis existimare retentum, & conservatum reipublicæ esse, atque ita credere, quodcunque imperassetis, facturum fuisse, si, [x] quod jussistis, feci. Nam & provinciam in otio, & exercitum in meâ potestate tenui: finibus meæ provinciæ nusquam excessi: militem non modò legionarium, sed ne auxi-

INTERPRETATIO.

[p] *clamanti.* [q] *qui in circulis solebat auctionari*, vendre à l'encan.

[r] *hic ille est homo barbarus, quicum mihi agendum fuit.*

[s] *quod majoris momenti est*, quàm de Balbo loqui.

[t] *quibus* præmiis, *nullum, ut opinor, finem aut modum posuisset.*

[u] *advolantem* ad Antonii castra.

[x] *si quidem jam feci quod jussistis.*

NOTÆ.

26. *Nudis pedibus*] Indecorè, & contra Romanorum consuetudinem, qui calceis in publico, domi soleis utebantur.

27. *Tunicâ solutâ*] Zonâ depositâ, vel furiosi, vel sacrificantis more, quasi uti sadium immolasset, ut Virg. de Didone, lib. 4.

Unum exuta pedem vinclis, in veste recinctâ,
Testatur moritura deos, &c.

28. *Manibus*] Quod inurbanum vulgò habetur, & superbiæ nonnunquam argumentum est. Hæc autem omnia in Balbo, & cive Romano & Quæstore meritò culpat Asinius.

29. *Quiritanti*] Is quiritare dicitur, inquit Varro, qui Quiritum fidem clamans implorat.

30. *Civis Romanus sum*] In quem non licet tali supplicio sævire.

31. *Abi nunc*] Vox insultantis in altercatione miserâ.

32. *Hispali*] Hispaniæ Bæticæ caput, ad fluvium Bætim: urbs nobilis, & opulenta, mœnium firmitate, armis, viriisque munita; ædificia publica & privata regiarum instar, & magno numero, ager præcipuâ bonitate est: emporium celebre, nunc *Seville*; de quâ urbe sic Hispani, *Cui Deus favet, ei dat domum Hispali.*

33. *Denarios quingenos*] Hæc summa valet monetæ Gallicæ circiter ducentas libras.

34. *Si uno loco*] Quoniam tres simul legio Asinii imperium excussisset.

Digitized by Google

liarium quidem ullum quoquam misi, &, si quos equites decedentes nactus sum, supplicio affeci. quarum rerum fructum satis magnum, republicâ salvâ, tulisse me putabo. sed respublica si me satis novisset, & major pars senatûs, majores ex me fructus tulisset. Epistolam, quam Balbo, cùm etiam nunc in provinciâ esset, scripsi, legendam tibi misi. y etiam prætextam, si voles legere, 35 Gallum Cornelium, familiarem meum, poscito. VI. id. Jun. Cordubæ. Vale.

INTERPRETATIO.

y *comœdiam quoque si vules legere, hanc pete à Cornelio Gallo.*

NOTÆ.

35. *Gallum Cornelium*] Hunc putat Manutius esse Cornelium Gallum Poëtam, de quo Virgilius in Bucolicis, & Dio lib. 53. De hoc & Ammianus Marcellinus, lib. 27. his verbis: *Cornelius Balbus, Octaviano res tenente Romanas, Ægypti Procurator exhausit civitatem; reversusque cùm furtorum arcesseretur, & depopulata provincia, motu nobilitatis acriter indignata, cui negotium dederat Imperator, stricto incubuit ferro.*

EPISTOLA XXXIII.

Deplorat casum Reipublicæ, quæ Mutinensi prælio & Consules, & militum robur amiserat; additque, se venturum in Italiam, ut publicæ saluti succurrat. Eodem anno.

Asinius Pollio S. D. Ciceroni.

QUò tardiùs certior fierem de præliis apud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios novem dies retinuit: tametsi, tantam calamitatem reipublicæ quamtardissimè audire, optandum est, sed illis, a qui prodesse nihil possunt, neque mederi. Atque utinam eodem senatusconsulto, quo Plancum, & Lepidum in Italiam accersistis, me quoque jussissetis venire. profectò non accepisset respublica b hoc vulnus. c quo si qui lætantur in præsentiâ, quia videntur & duces, & veterani Cæsaris partium interiisse:

INTERPRETATIO.

a non mihi *qui prodesse possum, & mederi.*

NOTÆ.

b. *Hoc vulnus*] Vel quia Reipublicæ copiis novum addidisset robur, vel quia conciliandæ pacis author extitisset.

c. *Quo si qui*] Quod si ex Pompeianis aliqui eo Reipublicæ vulnere nunc lætantur, quia Hirtius & Pansa amici anteà Cæsaris, & veterani ejusdem milites, occubuerunt. Pompeiani sic Cæsarem oderant, ut, quamvis uterque Consul, pro Republicâ dimicans cecidisset, utrumque tamen interiisse gauderent, quoniam Cæsari familiares fuerant. Nota hîc, Antonium in Mutinensi prælio victum quidem ac fugatum fuisse, sed non mediocri exercitûs Reipublicæ damno.

Digitized by Google

tamen postmodum necesse est doleant, cùm vastitatem Italiæ respexerint. nam & robur, & soboles militum interiit: si [b] quidem, quæ nuntiantur, ullâ ex parte vera sunt. Neque ego non videbam, quanto usui reipublicæ essem futurus, si ad Lepidum venissem. [c] omnem enim cunctationem ejus discussissem, præsertim adjutore Planco. sed [d] scribenti ad me ejusmodi literas, quas leges, & [e] concionibus videlicet, quas [f] Narbone habuisse dicitur, similes, [g] palpare necesse erat, si vellem [h] commeatum, per provinciam ejus iter faciens, habere. Prætereà verebar, ne, si antè, quàm ego incepta perficerem, prælium confectum esset, [i] pium meum consilium [k] raperent in contrariam partem obtrectatores mei, propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio, [l] [6] non major tamen quàm Planco, fuit. itaque [7] à Gadibus mense Aprili binos tabellarios in duas naves imposui, & tibi, & consulibus, & Octaviano scripsi, ut me faceretis certiorem, quonam modo plurimùm possem prodesse reipublicæ. [i] Sed, ut rationem ineo, quo die prælium Pansa commisit, eodem à Gadibus naves profectæ sunt. nulla enim post hiemem fuit ante eam diem navigatio. & hercule, longè remotus ab omni suspicione futuri civilis tumultus, penitùs in [8] Lusitaniâ legiones in hibernis collocaram. Ita porrò festinavit [k] uterque confligere, tanquam nihil pejus timerent, quàm ne sine maximo reipublicæ detrimento bellum [*] componeretur. sed si properandum fuit, nihil non summi ducis consilio gessisse

INTERPRETATIO.

[b] *si modò quæ nuntiantur, aliquâ ex parte vera sunt.*

[c] *effeciſſem, ut Lepidus Reipublicæ defenſionem ſine morâ ſuſciperet.*

[d] *ſed cùm ad me* Lepidus *litteras ſcriberet.*

[e] *neceſſe erat blandiri me* Lepido, *ut per ejus provinciam iter faciens, haberem cibaria* ad exercitum alendum.

[f] in Rempublicam *officioſum.*

[g] *peſſimam in partem interpretarentur, dicerentque, me in Italiam veniſſe,* ut Antonio ſuccurrerem.

[h] *quanquam non major fuit mea, quàm Planci cum Antonio amicitia.*

[i] *ſed quantùm conjicio.*

[k] *Hirtius & Panſa.* [*] *finiretur.*

NOTÆ.

3. *Concionibus*] Quibus dictitabat se cum Antonio consentire. Vide epistolam trigesimam primam.

4. *Narbone*] Narbo Marcius Tectosagum in Narbonensi provinciâ civitas; quò prima Romanorum deducta est colonia à Quinto Marcio Rege Consule, anno urbis conditæ sexcentesimo trigesimo quinto. Unde autem dicta sit Narbo Marcius, vide Honoratum Bouge, lib. 2 hist. Provinciæ, to. 1. pag. 415. & Pighium in Romanis Annalibus ad eundem annum, ubi ambo rectè probant scribendum esse, *Marcius*, non *Martius*; à Marcio enim Consule sic appellata est, non à Martiâ legione Cæsaris: longè enim antè Cæsarem hæc colonia condita est, & Marcia nominata.

5. *Commeatum*] Quem mihi non nisi ægrè dedisset, cunctanti contra Antonium, quicum se consentire palàm prædicabat.

6. *Non major*] Indignari videtur Pollio, quòd cùm non magis dilexerit Antonium, quàm Plancus, Planco tamen magis quàm sibi, Senatus confideret, eo simul cum Lepido arcessito in Italiam, ut Antonium persequeretur; sed horum nemini fidendum fuit: nam hi tres relictis non multò pòst Reipublicæ partibus, Antonio adhæserunt.

7. *A Gadibus*] Epist. 32.

8. *In Lusitaniâ*] Hispaniæ regione ac

Hirtium video. Nam hæc mihi scribuntur [9] ex Galliâ Lepidi, & nuntiantur: Pansæ exercitum concisum esse: Pansam ex vulneribus [10] mortuum: eodem prælio Martiam legionem interiisse, & L. Fabatum, & C. Pæduceum, & [11] D. Carfulenum: Hirtiano autem prælio & quartam legionem, & omnes peræquè Antonii cæsas: item Hirtii quartam, cùm castra quoque Antonii cepisset, à quintâ legione concisam esse: ibi Hirtium quoque periisse, & [12] Pontium Aquilam: dici etiam, Octavianum cecidisse: (quæ si, quod dii prohibeant, vera sunt, non mediocriter doleo) Antonium turpiter Mutinæ obsessionem reliquisse, sed habere equitatum, ac legiones sub signis armatas tres, & P. Vagieni unam, inermes benè multos: [13] Ventidium quoque se cum legione septimâ, octavâ, nonâ conjunxisse: [l] si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema, & non modò nationes, sed etiam servitia concitaturum: [14] Parmam direptam: L. Antonium Alpes occupasse. Quæ si vera sunt, nemini nostrûm cessandum est, neque expectandum, quid decernat senatus. res enim cogit huic tanto incendio succurrere omnes, qui aut imperium, aut nomen denique populi Romani salvum esse volunt. Brutum enim XVII. cohortes, & duas [m] non frequentes tironum legiones, quas conscripserat Antonius, habere audio. neque tamen dubito, quin omnes, qui supersint de Hirtii exercitu, confluant [n] ad eum. [o] nam in delectu non multum spei puto esse, præsertim cùm nihil sit periculosius, quàm spatium confirmandi sese Antonio dari. anni autem tempus libertatem majorem mihi dat: propterea quia frumenta aut in agris, aut in villis sunt: [p] itaque proximis literis consilium meum expedietur. nam neque decesse, [q] neque superesse reipublicæ volo. maximè tamen doleo, adeò & longo, & infesto itinere ad me veniri, ut die quadragesimo post, aut ultra etiam, quàm facta sunt, omnia nuntientur. Vale.

INTERPRETATIO.

[l] *si videt Antonius Lepidum non posse corrumpi.* [m] *non integras.*
[n] *ad Decimum Brutum.*
[o] *in conscribendis navis militibus.*
[p] *itaque ex litteris, quæ ad me proximè perferentur, statuam quid sit mihi consilii capiendum.*
[q] *neque vivere post interitum Reipublicæ.*

NOTÆ.

mini incognitâ, *le Portugal.*

9. *Ex Galliâ Lepidi*] Narbonensi, quam tum Lepidus tenebat.

10. *Mortuum*] Bononiæ mortuus est.

11. *Et D. Carfulenum*] Qui omnes in exercitu Reipublicæ pugnaverant.

12. *Pontium Aquilam*] Unum ex percussoribus Cæsaris, qui Decimi Bruti tunc legatus hoc prælio cecidit.

13. *Ventidium*] Epist. 17. 18. 34. & lib. undec. epist. 10.

14. *Parmam direptam*] A L. Antonio Marci fratre. Parma, Galliæ Cispadanæ urbs, nunc Ducatûs caput, in Farnesiorum familiâ, *Parme.*

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIV.

Victus ad Mutinam Antonius, in Transalpinam Galliam venerat, sperans Lepidi copias ad se traducturum; significat Lepidus, in Antonii adventu quid egerit; deinde sibi gratum aut fuisse, quòd iniquis de se rumoribus Cicero non crediderit. Eodem anno.

[1] M. Lepidus [2] Imperator iterùm, [3] Pontifex maximus S. D. Ciceroni.

SI vales, bene est: ego quoque valeo. Cùm audissem, Antonium cum suis copiis, præmisso [4] L. Antonio cum parte equitatûs, [5] in provinciam meam venire, cum exercitu meo [a] à confluente [6] Rhodano castra movi, ac contra eos venire institui. Itaque continuis itineribus [7] ad Forum Vocontium veni, & ultra castra [8] ad flumen Argenteum contra [b] Antonios feci. [9] P. Ventidius suas legiones tres conjunxit cum eo, & ultra me castra posuit. habebat anteà legionem secundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem, sed inermium. equitatum habet magnum. nam omnis [10] ex prælio integer discessit, ita ut sint amplius equitum [11] xxx. itaque ad me complures milites, & equites ab eo transierunt: & in dies singulos ejus copiæ minuuntur. [12] Silanus, & [13] Culeo ab eo discesserunt. nos, & si gravi-

INTERPRETATIO.

[a] *ab eo loco ubi* Arar *in Rhodanum incidit.* [b] *Antonianos.*

NOTÆ.

1. *M. Lepidus*] Consulatur index historicus.

2. *Imperator iterum*] Inde fit conjectura bis ab exercitu, ob duas victorias, salutarum Imperatorem.

3. *Pontifex maximus*] In locum Cæsaris, Antonii operâ, furtim creatus.

4. *L. Antonio*] Marci fratre.

5. *In provinciam meam*] In Galliam Narbonensem, ipsi à Cæsare cum citeriore Hispaniâ concessam.

6. *Rhodano*] Vide epistolam nonam.

7. *Ad forum Vocontium*] Lege potiùs, *ad forum Voconii*; de quo suprà.

8. *Ad flumen Argenteum*] Nunc *Argens*, Galliæ Narbonensis fluvius, qui in mare Mediterraneum labitur; non procul ab ostio situm est forum Julii, nunc *Frejus*.

9. *P. Ventidius*] Antonii legatus, de quo in indice historico.

10. *Ex prælio*] Mutinensi, ubi superatus Antonius.

11. *xxx.*] De hoc numero quid statuendum sit, non constat: plerique addunt, *millia*, sed huic ego sententiæ vix assenserim: aliter enim de equitatu Antonii scriptum est à Planco, longè secùs etiam à Plutarcho, qui ait, Antonium, postquam cum Lepido & Planco conjunctus est, secum in Italiam duxisse peditum septemdecim integras legiones, & decem millia equitum. Adducor ut credam, id à Lepido, ostentationis causâ, dici, ut sibi plus laudis conciliet, Antonium si vincat; invidiæ minùs, si vincatur, aut certè si Antonium in castra sua cogatur admittere, quem re ipsâ pòst admisit. ex superioribus autem tùm Planci, tùm Asinii litteris perspicitur dubia Lepidi fides, & propensa semper in Antonium voluntas, per quem ampliffima à Cæsare consecutus erat.

12. *Silanus*] Tribunus militum in exercitu Lepidi.

13. *Culeo*] Qui Alpium custodiæ à Lepido præpositus, ad Antonium transierat.

14. *Contra*

Digitized by Google

ter ab his læsi eramus, quòd [14] contra noſtram voluntatem ad Antonium ierant, tamen, noſtræ humanitatis, & [15] neceſſitudinis causâ, eorum ſalutis rationem habuimus. nec tamen eorum [16] operâ utimur, neque in caſtris habemus, neque ulli negotio præfecimus. Quod ad bellum hoc attinet, nec ſenatui, nec reipublicæ deerimus. quæ poſteà egerimus, faciam te certiorem. [a] Etſi omni tempore ſumma ſtudia officii mutuò inter nos certatim conſtiterunt pro noſtrâ inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab utroque conſervata ſunt: tamen non dubito, in tanto & tam repentino motu reipublicæ, quin nonnulla [17] de me falſis rumoribus à meis obtrectatoribus, me indigna ad te delata ſint, quæ tuum animum magnoperè moverent pro tuo amore in rempublicam: ea te moderatè accepiſſe, neque temerè credendum judicaſſe, à meis procuratoribus certior ſum factus: quæ mihi, ut debent, gratiſſima ſunt. Memini autem & [18] illa ſuperiora, quæ abs tuâ voluntate profecta ſunt ad meam dignitatem augendam, & ornandam: quæ perpetuò animo meo fixa manebunt. Abs te, mi Cicero, magnoperè peto, ſi meam vitam, ſtudium diligentiſſimè ſuperioribus temporibus in republicâ adminiſtrandâ, quæ Lepido digna ſunt, perſpecta habes, [19] ut paria, aut eo ampliora reliquo tempore expectes, & [d] proinde tuâ auctoritate me tuendum exiſtimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. XII. Kal. Jun. ex caſtris, ex Ponte Argenteo.

INTERPRETATIO.

[a] *quamvis pro noſtrâ familiaritate, mutuis inter nos officiis conſtanter certavimus,* ut neuter de altero queri poſſit.

[d] *quapropter exiſtimes, eò me diligentiùs à te defendendum eſſe, quò plura in me beneficia contuliſti.*

NOTÆ.

14. *Contra noſtram voluntatem*] Immò ex ipſius voluntate: neque enim dubium quin jam cum Antonio conſentiret, quidquid ſecùs Ciceroni ſcribat.

15. *Neceſſitudinis*] Quam Imperator cum ſuis militibus habet, maximè ſi aliquam in exercitu dignitatem obtineant.

16. *Operâ utimur*] Ut ſuam cum Antonio ſocietatem tegeret, hîc obſervaſſe non pigebit, Aſinium & Ciceronem à Lepido, diſſimili ratione fuiſſe deluſos. Lepidus Narbone palàm dictitabat ſibi cum Antonio convenire, ne Pollio, qui tùm Hiſpaniam ulteriorem regebat, in Italiam cum exercitu contra Antonium tranſmitteret; idem Lepidus ad Ciceronem ſcribens, aſſerit, velle ſe Antonium, velut hoſtem patriæ, bello perſequi, ut novos, Tullii operâ, honorum gradus Romæ aſſequatur; quanquam credibile eſt unum Ciceronem deluſum fuiſſe, Lepidumque, Pollionem, & Plancum ejuſdem in Rempublicam perfidiæ jam tùm fuiſſe conſcios.

17. *De me*] De meâ cum Antonio ſocietate.

18. *Illa ſuperiora*] Triumphus abſenti Lepido decretus, ſtatua equeſtris inaurata, aliaque id genus honorum inſignia, eidem, operâ Ciceronis, à Senatu conceſſa, ut in Reipublicæ defenſione perſeveraret.

19. *Ut paria*] Pro certo habeas, me deinceps eâdem Reipublicæ, & majora, ſi poſſim, officia præſtiturum: longè aliter, ac loquitur, ſenſiſſe comprobavit eventus.

EPISTOLA XXXV.

Lepidus culpam suæ cum Antonio conjunctionis in Antonium confert. Eodem anno.

Lepidus Imperator iterùm, Pontifex Maximus s. d. s. p. pl. q. r.

SI vos, liberique vestri valetis, bene est : ego quidem valeo. Deos hominesque testor, Patres conscripti, quâ mente, & quo animo semper in Rempublicam fuerim, & [1] quàm nihil antiquius communi salute, ac libertate judicarim, quod vobis brevi probassem, nisi mihi [2] fortuna proprium [3] consilium extorsisset. [a] Nam exercitus cunctus [4] consuetudinem suam in civibus conservandis, communique pace, seditione factâ, retinuit, [b] meque tantæ multitudinis civium Romanorum salutis, atque incolumitatis causam suscipere, ut verè dicam, coëgit. In quâ re ego vos, Patres conscripti, oro, atque obsecro, ut, [c] privatis offensionibus omissis, summæ reipublicæ consulatis, [d] ne misericordiam nostram, exercitúsque nostri in civili dissensione sceleris loco ponatis. quòd si salutis omnium, ac dignitatis rationem habueritis : melius & vobis, & reipublicæ consuletis. Data IV. Kal. Jun. à Ponte Argenteo. Valete.

INTERPRETATIO.

[a] *totus enim meus exercitus, seditione factâ, palàm professus est, velle se pro more suo, civium consulere saluti, & pacem facere.*

[b] *meque coëgit tot conservare cives, qui periissent, si cum Antonio dimicassem.*

[c] *ut, si vestrûm aliqui ab Antonio offensi sunt, privatis offensionibus omissis, &c.*

[d] *& quod exercitus meus fecit humanitate adductus, & misericordiâ, ne sceleris, &c.*

NOTÆ.

1. *Et quàm nihil antiquius*] Id simulatè dictum existima.

2. *Fortuna*] Antonius, qui ab exercitu Lepidi ex improviso receptus est : ingressus castra, rerumque potitus, humaniter egit cum Lepido, eumque salutando, patrem appellavit; & quamvis pro nutu omnia regeret, titulum illi tamen, & honorem Imperatoris conservare non destitit; quæ humanitas, inquit Plutarchus, adjunxit ei quoque Munatium Plancum, qui non procul cum magnis copiis considebat.

3. *Consilium*] Contrà Antonium pro Republicâ pugnandi.

4. *Consuetudinem suam*] Consuetudinis hujusce videbantur obliti, tot siquidem Romanorum millia, Romano gladio occubuerant.

Digitized by Google

LIBER XI.

AD BRUTUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Occiso Cæsare, cùm Antonius seditionem excitasset, ad ulciscendam mortem Cæsaris, conjurati ex urbe fugerunt, ducibus M. Bruto & Cassio; Brutus scribit de rerum statu, authorque est, ut ex Italiâ migrent. M. Antonio, & Dolabellâ Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo nono.

[1] D. Brutus S. D. M. Bruto, & C. Cassio.

QUO in statu simus, cognoscite. Heri vesperi apud me [2] Hirtius fuit: quâ mente esset Antonius, demonstravit, pessimâ scilicet, & [3] infidelissimâ. nam se, neque mihi [4] provinciam dare posse aiebat, neque arbitrari tutò in urbe esse quenquam nostrûm: adeò esse militum concitatos animos, & plebis. quod utrumque esse falsum, puto vos animadvertere, atque illud esse verum, quod Hirtius demonstrabat. [a] timere eum, ne, si mediocre auxilium dignitatis nostræ habuissemus, nullæ partes [5] iis in republicâ relinquerentur. Cùm in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem [6] legationem liberam mihi, [b] reliquisque nostris, ut aliqua

INTERPRETATIO.

[a] *timere Antonium, ne, si nostram aliquâ ex parte dignitatem in urbe retinemus, neminem Cæsariani reperiant, qui suas partes tueatur.* [b] *Cæsaris percussoribus.*

NOTÆ.

1. *D. Brutus*] Consule indicem historicum.

2. *Hirtius*] Consul designatus.

3. *Infidelissimâ*] Nam occiso Cæsare, cùm in Capitolium recessissent conjurati, eos inde retraxerat Antonius, dato etiam obside filio, & de obliterandâ injuriarum memoriâ ad Senatum retulerat; sed mutato mox consilio, ad seditionem populum impulit, & percussores cœpit insectari.

4. *Provinciam*] Citeriorem Galliam Bruto decreverat Cæsar, eoque interfecto, decretum confirmarat Senatus; sed Antonius id negabat fieri posse: hanc enim sibi provinciam, ad conflandum bellum civile, reservabat.

5. *Iis*] Qui Cæsaris ulciscì mortem habebant in animo.

6. *Legationem liberam*] Libera legatio, privatorum, non Reipublicæ negotia spectabat: hanc dari mos erat à Senatoribus, ut is quem legabant, honorificentiùs ab exteris exciperetur, palámque esset, hunc annuente Senatu, in provinciam venisse: neque enim aliter ex urbe egredi licebat. Brutus eò redactus loci, ut assignatam sibi provinciam obtinere non posset, nec Ro-

Digitized by Google

causa proficiscendi [7] honesta quæreretur. hoc se [8] impetraturum pollicitus est: nec tamen impetraturum confido: tanta est [c] hominum insolentia, [d] & nostri insectatio. [e] ac, si dederint [9] quod petimus, tamen paulò pòst futurum puto ut hostes judicemur, aut [10] aquâ & igni nobis interdicatur. [f] Quid ergo est, inquis, tui consilii? [g] Dandus est locus fortunæ: cedendum ex Italiâ, migrandum Rhodum, aut aliquò terrarum arbitror. si melior casus fuerit, revertemur Romam: si mediocris, in exilio vivemus: si pessimus, [11] ad novissima auxilia descendemus. [h] Succurret fortasse hoc loco alicui vestrûm, cur novissimum tempus expectemus potiùs, quàm nunc aliquid moliamur. Quia ubi consistamus, non habemus, præter [12] Sext. Pompeium, & [13] Bassum Cæcilium, qui mihi videntur, hoc nuntio [i] de Cæsare allato, [14] firmiores futuri. satis in tempore ad eos accedemus, ubi, quid valeant, scierimus. [k] Pro Cassio, & te si quid velitis me recipere, recipiam. postulat enim hoc Hirtius ut faciam. Rogo vos, quamprimùm mihi rescribatis. nam non dubito, quin de his rebus ante horam quartam Hirtius me certiorem sit facturus. quem in locum convenire possimus, quò me velitis venire, rescribite. Post novissimum Hirtii sermonem, placitum est mihi postulare, ut liceret nobis esse Romæ [l] publico præsidio: quod [m] illos nobis concessuros non puto. magnam enim [15] invidiam iis faceremus. nihil tamen non postulandum putavi, quod æquum esse statuerem. Valete.

INTERPRETATIO

c Cæsarianorum.
d ita furiosè nos persequuntur.
e quòd si liberam nobis legationem concesserint.
f quid igitur censes faciendum esse.
g cedendum adversæ *fortunæ.*
h fortassè vestrûm aliquis objiciet.
i de Cæsare occiso.
k si velitis, ut tuo, & Cassii nomine fidem meam obligem, obligabo.
l concessis à Republicâ ad nostram custodiam militibus.
m Cæsaris amicos.

NOTÆ

mæ tutò versari, hujusmodi liberam legationem sibi expetendam censebat.

7. *Honestæ*] Ne fugisse ex urbe, vel in exilium proficisci viderentur.

8. *Se impetraturum*] Promiserat Hirtius futurum, ut ab Antonio liberam legationem Bruto impetraret, ut omni procul infamiæ notâ, Româ proficisceretur.

9. *Quod petimus*] Legationem nempe liberam.

10. *Aquâ & igni interdicant*] Quâ pœnâ solebant exules affici.

11. *Ad novissima*] Experiemur ultima auxilia, ergastula solvemus, mancipia, et nationes exteras concitabimus.

12. *Sextum Pompeium*] Pompeii Magni filium, qui tùm in Hispaniâ versabatur.

13. *Bassum*] Qui tùm erat in Syriâ.

14. *Firmiores*] In conservandâ libertate.

15. *Invidiam*] Timerent enim, ne sibi indignaretur populus, si videret percussores Cæsaris, id est suæ libertatis vindices, non posse tutò in urbe sine præsidio publico versari.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

Quærunt ab Antonio Consule Brutus & Cassius, tutos ne se Romæ in tantâ veteranorum frequentiâ fore censeat. Eodem anno.

M. Brutus, & C. Cassius Prætor s. d. M. Antonio Cos.

DE tuâ fide, & benevolentiâ in nos nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus hæc tibi: quæ profecto, [a] quando istum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis, magnam veteranorum multitudinem Romam convenisse jam, & [1] ad Kal. Jun. futuram multò majorem. [b] De te si dubitemus, aut vereamur, [c] simus [2] nostri dissimiles. sed certè, cùm ipsi [3] in tuâ potestate fuerimus, tuoque adducti consilio dimiserimus ex municipiis [4] nostros necessarios, neque solùm edicto, sed etiam literis id fecerimus: digni sumus, quos habeas tui consilii participes. in eâ præsertim re, quæ ad nos pertinet. Quare petimus à te, facias nos certiores tuæ voluntatis in nos, putesne nos tutos fore in tantâ frequentiâ veteranorum: quos etiam [6] de reponendâ arâ cogitare audimus? [d] quod velle te, probare vix quisquam posse videtur, [7] qui nos salvos, & honestos velit. Nos [e] ab

INTERPRETATIO.

[a] *quandoquidem nobis es fidelis amicus.*
[b] *si suspecta nobis esset fides tua.*
[c] *contra indolem, & consuetudinem nostram ageremus.*
[d] *quòd si velis* Aram Cæsaris reponi, consilium illud tuum *probare*, &c.
[e] *in Cæsaris inventu.*

NOTÆ.

1. *Ad Kalendas Jun.*] In hunc diem Senatum Antonius indixerat Phil. primâ: *Ecce Kalendis Juniis, quibus ut adessemus, ediderat, mutata omnia, nihil per Senatum, multa, & magna per populum, & absente populo, & invito. Veterani qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissimè caverat, non ad conservationem earum rerum quas habebant, sed ad spem novarum prædarum excitabuntur.*

2. *Nostri dissimiles*] Sic erant à naturâ facti Brutus & Cassius, ut optimo cuique confiderent; Antonium autem optimâ fide virum esse vel credebant, vel credere se simulabant, ut eum sibi devincirent.

3. *In tuâ potestate fuerimus*] Brutus & Cassius, uti dictum est anteà, in Capitolium interfecto Cæsare confugerant; unde cùm descendissent, hospitio accepti sunt, Brutus quidem à Lepido, ab Antonio verò Cassius.

4. *Nostros necessarios*] Conjuratorum affines, una cum clientibus & servis, Romam frequentes advenerant, ut iis essent contra Cæsarianos præsidio; sed hæc præsidia conjurati, quæ post acceptam ab Antonio fidem, minimè sibi necessaria ducebant, ultrò dimiserunt.

5. *Neque edicto*] Idque fecerant, non expectato Consulis jubentis edicto, sed ejus duntaxat literis admoniti; unde colligi potuit, quantùm Antonii benevolentiæ & fidei tribuerent.

6. *De reponendâ arâ*] Quam Cæsari mortuo erectam Dolabella Consul everterat.

7. *Qui nos salvos*] Arâ quippe Cæsaris iterùm erectâ, videbantur Brutus & Cassius non jam tyrannum, sed deum percussisse.

initio ſpectaſſe otium, nec quidquam [g] aliud à [f] libertate communi quæſiſſe, exitus declarat. fallere nemo nos poteſt, niſi tu: quod certè abeſt à virtute tuâ, & fide. ſed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. tibi enim uni credidimus, & crediturí ſumus. Maximo [g] de nobis timore afficiuntur amici noſtri. quibus etſi tua fides explorata eſt, tamen illud in mentem venit multitudinem veteranorum facilius impelli [h] ab alio quolibet, quàm à te retineri [i] poſſe. Reſcribas nobis ad omnia, rogamus. [k] Nam illud valdè leve eſt, ac nugatorium, eâ de re nuntiatum eſſe veteranis, quod de commodis eorum menſe Junio laturus eſſes. quem enim impedimento futurum putas, [l] cùm de nobis certum ſit nos quieturos? Non debemus cuiquam videri nimiùm vitæ cupidi, cùm accidere nobis nihil poſſit ſine pernicie, & confuſione omnium rerum. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *præter libertatem.*
[g] *noſtrâ causâ.*
[h] *ab aliis Cæſarianis impelli poſſe ad vim inferendam.*
[i] ne vim nobis inferant.
[k] *non enim ſit ulli veriſimile, ideò denuntiatum eſſe veteranis, ut in urbem convenirent, quia referre ad Senatum de eorum præmiis cogitabas; cùm enim conſtet nos quieturos, neminemque noſtrum huic rei impedimento fore,* nihil neceſſe erat tantam convocare multitudinem.

NOTÆ.

2. *Aliud à libertate*] Græca locutio in Latium invecta; ſic & Horatius:

Ne ve putes alium ſapiente, bonoque beatum:

id eſt, Noli putare quemquam beatum eſſe præter ſapientem & bonum.

9. *Cùm de nobis certum ſit*] His verbis indicant Caſſius & Brutus, intelligere ſe veteranos Romam contra percuſſores Cæſaris vocari.

EPISTOLA III.

Queruntur cum Antonio de contumelioſis ejus litteris, parumque ſe illius minas extimeſcere ſignificant; immò pertimeſcendum ipſi Antonio Cæſaris exitum, ſi, ut ille, tyrannidem occupare conetur. Eodem anno.

Brutus & Caſſius Præt. s. d. Antonio coſ.

LIteras tuas legimus ſimillimas [1] edicti tui, [2] contumelioſas, [3] minaces, minimè dignas, quæ à te nobis mitterentur. nos, Antoni, te nullâ laceſſivimus injuriâ: [a] neque miraturum credidimus, ſi [4] prætores, & eâ di-

INTERPRETATIO.

[a] *neque credidimus mirum tibi fore, ſi nos, cùm ſimus Prætores, &c.*

NOTÆ.

1. *Edicti tui*] Quid contineret edictum illud Antonii, non conſtat: putat Corradus minatum eſſe optimis civibus idem ſupplicium, quod de ſceleratis in conjuratione Catilinariâ Cicero ſumpſerat.

2. *Contumelioſas*] In quibus parricidæ nominabantur.

3. *Minaces*] Quia Cæſaris ulturum ſe necem declarabat.

4. *Si Prætores*] Brutus erat Prætor urbanus, cæteris Prætoribus dignitate major, quique, dùm aberant Conſules, Conſulare munus in urbe ſuſtinebat.

Digitized by Google

gnitate homines, aliquid [5] edicto postulassemus à consule. quòd si indignaris ausos esse id facere: concede nobis ut doleamus, [6] ne hoc quidem abs te Bruto, & Cassio tribui. [b] Nam de delectibus habitis, & pecuniis imperatis, exercitibus solicitatis, & nuntiis [7] trans mare missis, quòd te questum esse negas: [c] nos quidem tibi credimus, optimo animo te seciſſe: [d] sed tamen neque agnoscimus quidquam eorum, & [e] te miramur, cùm hæc reticueris, non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Cæsaris objiceres. [f] Illud verò quemadmodum ferendum sit, tutè cogita: non licere Prætoribus, [8] concordiæ, ac libertatis causâ, per edictum [9] de suo jure decedere, quin consul arma minetur. quorum fiducia, nihil est, quòd nos terreas. neque enim decet, aut convenit [10] nobis, periculo ulli submittere animum nostrum: [g] neque est Antonio postulandum, ut iis imperet, quorum operâ liber est. [h] nos si alia hortarentur, ut bellum civile suscitare vellemus, literæ tuæ nihil proficerent. NULLA enim minantis auctoritas apud

INTERPRETATIO.

[b] *nam quòd ais te questum non esse de delectibus militum à nobis habitis, de, &c.*

[c] *nos quidem credimus te id optimo animo feciſſe*, & amore nostri.

[d] *sed tamen & negamus habitos esse à nobis militum delectus.*

[e] *& miramur te, cùm de* delectibus habitis, & pecuniis imperatis *questus non sis, tamen objeciſſe nobis litteris tuis necem Cæsaris.*

[f] *tu verò cogita, quomodo ferre hoc possimus, non licere Prætoribus, vitandæ seditionis causâ, postulare à Consule*, ut edicto sibi concedatur abesse Româ, *quod nihil aliud est, quàm jus suum minuere.*

[g] *neque postulare debet Antonius, ut iis dominetur, quibus*, occiso tyranno, *libertatem suam debet.*

[h] *si aliis de causis ad bellum civile excitandum impelleremur, littera tuæ* quantumvis minaces, *nos à proposito non deterrerent.*

NOTÆ.

5. *Edicto*] Hîc discrepant Manutius, & Hubertinus: ille intelligit, *edicto nostro*; hic, *edicto tuo*; ego libentiùs assentior Hubertino, & sic explico: Mirari non debes, si nos Prætores, in eoque dignitatis gradu constituti, postulemus, ut edictum aliquod facias nobis honorificum, & commodum, quo possimus, absque ullâ dedecoris labe, & salvis legibus [a] abesse Româ.

6. *Ne hoc quidem*] Quasi uti dicat: Id si negas Prætoribus, & tantâ dignitate viris, deberes concedere amicis Bruto & Cassio; si nullam habes dignitatis nostræ rationem, aliquam saltem habere te decet mutuæ necessitudinis, & datæ ultrò citróque fidei; quod cùm non facias, saltem patere ut repulsam hanc molestè feramus.

7. *Trans mare missis*] Præsertim ad Trebonium in Asiam, & in Bithyniam ad Tullium Cimbrum, qui ambo conjurationis in Cæsarem participes fuerant.

8. *Concordiæ*] Ideò petierunt à Consule, ut sibi liceret per edictum abesse Româ, ne qua fortè, propter interfectum Cæsarem seditio moveretur; sibi verò maximè timebant à veteranis.

9. *De suo jure decedere*] Quia ultra decem dies ab urbe Prætor abesse non poterat, quin maximam authoritatis suæ partem amitteret: plena igitur erat æquitatis illa Bruti & Cassii postulatio, quandoquidem de suo jure decedere, quàm civitatem & rempublicam turbare, malebant.

10. *Nobis*] Neque enim convenit nobis, qui patriam à Cæsaris tyrannide servavimus, pericula declinare.

Digitized by Google

liberos est. sed pulchrè intelligis, [i] non posse nos quoquam impelli : & fortassis eâ re minaciter agis, [k] [11] ut judicium nostrum metus videatur. Nos in hac sententiâ sumus, ut te cupiamus etiam in liberâ republicâ magnum, atque [l] honestum esse : [m] vocemus te ad nullas inimicitias : sed tamen pluris nostram libertatem, quàm tuam amicitiam, æstimemus. Tu etiam atque etiam vide, quid suscipias, quid sustinere possis : neque quàm diù vixerit Cæsar, sed [12] quàm non diù regnarit, fac cogites. Deos quæsumus, consilia tua reipublicæ salutaria sint, ac tibi : si minus, ut salvâ, atque honestâ republicâ tibi quamminimùm noceant, optamus. Pridie non. Sext.

INTERPRETATIO.

[i] *non posse nos ad perturbandam Rempublicam impelli.*
[k] *ut quod judicio nostro decrevimus, metu armorum tuorum facere videamur.*
[l] *honoratum.*
[m] *non te provocemus ad discordiam.*

NOTÆ.

11. *Ut judicium nostrum*] Consilium nostrum de non movendis in Republicâ turbis.

12. *Quàm non diù regnarit*] Nam profligatis ad Mundam Pompeii liberis, menses tantùm quinque regnavit Cæsar : rediit enim Octobri mense ex Hispaniâ, idibus verò Martiis occisus est.

EPISTOLA IV.

Petit Brutus à Cicerone, ut suam dignitatem defendat, sibique pro re benè gestâ supplicationes decernat. Eodem anno.

D. Brutus [1] Imperator [2] cos. des. s. d. Ciceroni.

SI de tuâ in me voluntate dubitarem, multis à te verbis peterem, [a] ut dignitatem meam tuerere : sed profectò est ita, ut mihi persuasi, me tibi esse curæ. Progressus sum ad [b] inalpinos cum exercitu, [c] non tam nomen captans imperatorium, quàm cupiens militibus satisfacere, firmosque eos [d] ad tuendas nostras res efficere : quod mihi videor consecutus. nam & liberalitatem nostram, & animum sunt experti. cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa castella cepi, multa vastavi : non sine causâ ad senatum literas

INTERPRETATIO.

[a] *ut supplicationem mihi decerneres.*
[b] *Alpium incolas.*
[c] *non tam quærens Imperator appellari.*
[d] *ad libertatem defendendam.*

NOTÆ.

1. *Imperator*] Sic à militibus appellatus erat ; epist. 10. lib. 2. pag. 47. not. 15.

2. *Consul design.*] Cum L. Planco in annum septingentesimum undecimum ; ep. 1. libri decimi.

3. *Tuâ*

Digitized by Google

miſi. Adjuva nos [3] tuâ ſententiâ. quod cùm facies, ex magnâ parte [c] communi commodo inſervieris.

INTERPRETATIO.

[c] *ipſi reipublicæ inſervies.*

NOTÆ.

3. *Tuâ ſententiâ*] Ad hanc ſupplicationem obtinendam, quam litteris à Senatu peto.

EPISTOLA V.

Brutum, ad perſequendum Antonium, tollendamque tyrannidem, hortatur. Eodem anno.

Cicero S. D. Bruto Imp.

LUPUS, familiaris noſter, cùm à te veniſſet, cúmque Romæ quoſdam dies commoraretur, ego eram in iis locis, in quibus maximè [1] me tutò eſſe arbitrabar. [a] eò factum eſt, ut ad te Lupus ſine meis literis rediret, cùm tamen curaſſet tuas ad me perferendas. Romam autem veni ad v. id. Decemb. nec habui quidquam antiquius, [2] quàm ut Panſam ſtatim convenirem: ex quo ea de te cognovi, [3] quæ maximè optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, ſi ne [b] illâ quidem in re, quæ à te geſta eſt poſt hominum memoriam maxima, hortatorem deſideraſti: illud tamen breviter ſignificandum videtur, populum Romanum omnia à te expectare, atque in te aliquando recuperandæ libertatis omnem ſpem ponere. Tu, ſi dies, noctesque memineris, quod te facere certò ſcio, [4] quantam rem geſſeris: non obliviſcêre profectò, quantæ tibi etiam nunc gerendæ ſint. ſi enim [c] [5] iſte [6] provinciam nactus erit, cui quidem ego ſemper amicus fui antè quàm illum intellexi non modò apertè, ſed etiam libenter cum republicâ bellum gerere: ſpem reliquam nullam video ſalutis. Quamobrem te obſecro iiſdem precibus, quibus ſenatus populuſque Romanus, [d] ut in perpetuum rempublicam [7] dominatu regio liberes: [8] ut principiis conſentiant exitus. tuum eſt

INTERPRETATIO.

[a] *propterea.* [b] *in cade Cæſaris.* [c] *Antonius.* [d] te precatur *ut* ſcilicet *in perpetuum, &c.*

NOTÆ.

1. *Me tutò*] Româ diſceſſerat, ab Antonio Conſule ſibi timens; ſed paulò pòſt rediit: epiſt. 1. libri 10.

2. *Quam ut Panſam*] Conſulem deſignatum cum Hirtio in annum ſequentem. Vide epiſtolam 1. libri 10.

3. *Quæ de te optabam*] Te optimo in Rempublicam animo eſſe, & in Antonium infenſiſſimo.

4. *Quantam rem geſſeris*] Interficiendo Cæſarem.

5. *Iſte*] Vox contemptûs.

6. *Provinciam*] Galliam Ciſalpinam; tibi à Senatu decretam; de quâ in epiſtolâ primâ hujus libri.

7. *Dominatu regio*] Extincto enim Cæſare, regius adhuc in Antonio dominatus manebat.

8. *Ut principiis conſentiant, &c.*] Regem unum, occiſo Cæſare, ſuſtulerat Bru-

hoc munus, tuæ partes: à te hoc civitas, vel omnes potiùs gentes non expectant solùm, sed etiam postulant. Quanquam, cum hortatione non egeas, ut suprà scripsi, [c] non utar eâ pluribus verbis: faciam illud, quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad
5 tuam laudem & gloriam pertinebunt. Quamobrem velim tibi ita persuadeas, me tùm reipublicæ causâ, quæ mihi vitâ meâ carior est, tùm, quò tibi ipsi faveam, tuamque dignitatem amplificari velim, tuis optimis consiliis, amplitudini, gloriæ nullo loco defuturum. Vale.

INTERPRETATIO

[c] *non te hortabor.*

NOTÆ.

tus: hortatur jam Cicero, ut Antonium, Cæsaris exemplo dignitatem regiam occupantem opprimat.

9. *Optimis consiliis*] De opprimendo Antonio, & Republicâ in libertatem vindicandâ.

EPISTOLA VI.

Pollicetur nullo se loco Bruti laudibus defuturum: idque satis jam in curiâ declaratum esse significat. Eodem anno.

Cicero S. D. Bruto Imp.

10 LUPUS noster cùm Romam sexto die Mutinâ venisset, postridie mane convenit, tuaque mihi mandata diligentissimè exposuit, & literas reddidit. Quòd mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore existimo te mihi meam dignitatem commendare, quam mehercule non habeo tuâ cariorem. Quare mihi gratissimum facies, si exploratum habebis, tuis laudi-
15 bus nullo loco nec consilium, nec studium meum defuturum. [a] Cùm tribuni plebis edixissent, senatus adesset [1] ad XIII. Kal. Jan. [b] haberentque in animo de præsidio [2] consulum designatorum referre: quanquam statueram in senatum ante Kalend. Jan. non venire: tamen, cum eo die ipso [3] edictum

INTERPRETATIO.

[a] *edicto senatum convocassent, ad, &c.*
[b] *vellentque proponere, ut Consulibus designatis præsidium* militare ad sui tutelam contra Cæsarianos tribueretur.

NOTÆ.

1. *Ad decimum tertium Kal.*] Quâ die Cicero Philippicam tertiam in Antonium pronunciavit.

2. *Consulum designatorum*] Hirtii & Pansæ; epist. sup.

3. *Edictum*] Quo promittebat Brutus, se Galliam citeriorem cum exercitu suo in Senatus, populique Romani potestate retenturum. Consule Phil. tertiam & quartam.

Digitized by Google

tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis rempublicam meritis sileretur, quod factum esset, nisi ego veniſſem. aut, etiam si quid honorificè de te diceretur, me non adesse. Itaque in senatum veni mane. quod cùm esset animadversum, frequentissimi senatores convenerunt. quæ de te in senatu egerim, quæ [4] in concione maximâ dixerim, aliorum te literis malo cognoscere. illud tibi persuadeas velim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ est per se amplissima, summo semper studio suscepturum & defensurum. [c] quod quanquam intelligo me cum multis esse facturum: tamen appetam hujus rei principatum. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] & licet intelligo defensionem tuam mihi cum multis esse communem, volo tamen in eâ suscipiendâ principem locum tenere.

NOTÆ.

4. *In concione*] Ad populum frequentem de te habitâ.

EPISTOLA VII.

Suadet Bruto, in iis quæ è Republicâ forent, authoritatem Senatûs ne expectet, sed unam Senatûs voluntatem intueatur. Eodem anno.

Cicero S. D. Bruto Imperatori.

[a] CUM [1] adhibuisset domi meæ Lupus me, & Libonem, & Servium consobrinum tuum: quæ mea fuerit sententia, cognosse te ex C. Seio arbitror, qui nostro sermoni interfuit. reliqua, quanquam statim Seium Græceius est subsecutus, tamen ex Græceio poteris cognoscere. Caput autem est hoc, quod te diligentissimè percipere, & meminisse velim, ut ne in libertate, & salute populi Romani conservandâ auctoritatem senatûs expectes [2] nondum liberi: ne & [3] tuum factum condemnes, ([4] nullo enim publico consilio rempublicam liberasti: quo est etiam res illa major, & clarior) &

INTERPRETATIO.

[a] cùm Lupus me, & Libonem, & Servium consuluisset;

NOTÆ.

1. *Adhibuisset*] In consilium, ut unà statuerent, utrùm à Bruto, non expectatâ Senatûs authoritate, Antonius Consul oppugnandus esset.

2. *Nondum liberi*] Neque enim poterat Senatus liberè, propter Antonii amicos, quæ vellet, decernere.

3. *Tuum factum*] Cæsem Cæsaris tyranni.

4. *Nullo enim publico consilio*] Nullâ enim Senatûs authoritate, aut decreto, Cæsarem tyrannum sustulisti, quo major est hujus facti gloria, quidni pollis absque Senatûs authoritate manifestâ Antonium oppugnare.

[b] 5 adoleſcentem, vel puerum potiùs Cæſarem judices temerè feciſſe, qui tantam cauſam publicam privato conſilio ſuſceperit: denique homines [6] ruſticos, ſed fortiſſimos viros, civeſque optimos, dementes fuiſſe judices, primùm milites veteranos, [7] commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem Quartam, quæ [8] ſuum conſulem hoſtem judicaverunt, ſeque ad ſalutem reipublicæ defendendam contulerunt. Voluntas ſenatûs pro auctoritate haberi debet, cùm auctoritas impeditur metu. poſtremò ſuſcepta tibi cauſa jam [9] bis eſt, [10] ut non ſit integrum: primùm idibus Mart. deinde proximè, exercitu novo, & copiis comparatis. Quamobrem ad omnia ita paratus, atque animatus eſſe debes, non, ut nihil facias, niſi juſſus, ſed ut ea geras, quæ ab omnibus ſummâ cum admiratione laudentur. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *& ne videaris Octavium reprehendere, qui Reipublicæ* contra Antonium *defenſionem privato conſilio ſuſcepit.*

NOTÆ.

5. *Adoleſcentem*] Octavianum Cæſarem, qui tùm natus erat annos 19. de cujus animo ſic Velleius: *C. Cæſar decimum nonum annum ingreſſus, mira auſus, ac mira conſecutus privato conſilio, majorem Senatu pro Republicâ animum habuit, primumque à Calatiâ, mox à Caſilino, veteranos excivit paternos, quorum exemplum ſecuti alii, brevi in formam juſti cœere exercitûs.*

6. *Homines ruſticos*] Veteranos milites, quibus agros aſſignaverat Cæſar, laborum præmia.

7. *Commilitones*] Qui tecum, Caio Cæſare duce, militarunt in Galliâ.

8. *Suum conſulem*] Antonium hoſtem patriæ pronuntiarunt, ſeque conjunxerunt Octaviano, ut cum eo ſaluti Reipublicæ providerent.

9. *Bis eſt*] Primùm idibus Martiis cùm Cæſarem occidiſti, deinde cùm nuperrimè exercitum novum contra Antonium comparaſti, ne Galliam Ciſalpinam occuparet.

10. *Ut non ſit integrum*] Retrò pedem referre, & Reipublicæ curam deinceps omittere.

EPISTOLA VIII.

Significat expectari Romæ legatos, quos ad Antonium, de pace Senatus miſerat; additque, ſpem recuperandæ libertatis in Bruto poſitam eſſe. Hirtio & Pansâ Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingenteſimo decimo.

Cicero s. d. Bruto Imp.

EO tempore [1] Polla tua miſit, ut ad te, ſi quid vellem, darem literarum, cùm, quid ſcriberem, non habebam. omnia enim erant ſuſpenſa propter expectationem [2] legatorum: qui quid egiſſent, nihil dum nuntia-

NOTÆ.

1. *Polla tua*] Sive Paula, ut alibi nominatur, Bruti uxor.

2. *Legatorum*] Piſonis, & Philippi, qui Antonium convenerant.

Digitized by Google

batur. hæc tamen ſcribenda exiſtimavi : primùm, ſenatum, populumque Romanum de te laborare ; non ſolùm ſalutis ſuæ causâ, ſed etiam dignitatis tuæ. [a] admirabilis eſt enim quædam tui nominis caritas, amorque in te ſingularis omnium civium. Ita enim ſperant, atque confidunt, ut antè [b] rege, ſic hoc tempore [c] regno te rempublicam [4] liberaturum. Romæ delectus habetur, totâque Italiâ : ſi hic delectus appellandus eſt, cùm ultrò ſe offerunt omnes : tantus ardor animos hominum occupavit deſiderio libertatis, odioque diutinæ ſervitutis. De reliquis rebus à te jam expectare literas debemus, quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Cæſar meus : quos ſpero brevi tempore ſocietate victoriæ tecum copulatos fore. Reliquum eſt, ut de me id ſcribam, quod te ex tuorum literis & ſpero, & malo cognoſcere, me neque ullâ in re, neque unquam defuturum dignitati tuæ. Fac valeas.

INTERPRETATIO.

[a] *mirum eſt enim, quantùm nominis tui memoria ſit omnibus chara.*

[b] *Cæſare.*

[c] *regiâ poteſtate* Antonium ſi opprimas.

NOTÆ.

3. *Non ſolùm ſalutis*] Tunc Brutus obſidebatur Mutinæ ab Antonio, cui Ciſalpinæ Galliæ adminiſtrationem concedere noluerat.

4. *Liberaturum*] Sperant enim omnes futurum, profligato penitùs Antonio, ut nemo deinceps Regem ſe profiteri audeat.

EPISTOLA IX.

Hortatur Ciceronem, ut amiſſo ad Mutinam utroque Conſule, operam det, ne hoſtes Reipublicæ convaleſcant; Lepidum in libertatis defenſione confirmet; tùm quid ipſe contra Antonium facturus ſit, exponit. Eodem anno.

Brutus S. D. Ciceroni.

[1] PANSA amiſſo, quantum detrimenti reſpublica acceperit, non te præterit. nunc auctoritate, & prudentiâ tuâ proſpicias oportet; ne inimici noſtri, conſulibus ſublatis, ſperent ſe convaleſcere poſſe. Ego, ne conſiſtere poſſit in Italiâ Antonius, dabo operam. ſequar eum confeſtim, utrumque me præſtaturum ſpero, ne aut [2] Ventidius elabatur, aut Antonius in Italiâ moretur. in primis rogo te, ad hominem [3] ventoſiſſimum Le-

NOTÆ.

1. *Panſa*] Non Panſa modò, ſed & Hirtius alter Conſul ad Mutinam ceciderat, priorem nihilominùs tantùm nominat, quòd majori valeret authoritate, quamquam in Prælio Mutinenſi præſtantiorem Hirtius ſe ducem præſtiterat.

2. *Ventidius*] Qui tùm elapſus eſt, facto trans Apenninum itinere difficillimo; de Ventidio, & aliis qui in hac epiſtolâ nominantur, conſule indicem hiſtoricum.

3. *Ventoſiſſimum*] Verſatili in primis

pidum mittas, ne nobis bellum redintegrare possit, Antonio sibi conjuncto. Nam [4] de Pollione Asinio, [a] puto te perspicere, quid sit facturus. multæ, & bonæ, & firmæ sunt legiones Lepidi, & Asinii. Neque hæc idcirco tibi scribo, quòd te non eadem animadvertere sciam, [b] sed quòd mihi persuasissimum est, Lepidum [5] rectè facturum nunquam, si fortè vobis id de hoc dubium est. [6] Plancum quoque confirmetis, oro, quem spero, pulso Antonio, Reipublicæ non defuturum. Si se Alpes Antonius trajecerit, constitui præsidium in [7] Alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem. IV. Kalendas Maii, ex castris, Rhegii.

INTERPRETATIO.

[a] *sed quia pro certo habeo, si fortè adhuc eâ de re dubitas, Lepidum nunquam in Reipublicæ fide permansurum.*

[b] *non dubito, quin sua tibi, propter amicitiam mutuam, consilia aperiat.*

NOTÆ.

ingenio, & perspectâ levitate virum.

4. *De Pollione Asinio*] Qui partem Hispaniæ à Cæsare Proconsul acceperat. epist. 31. lib. 10.

5. *Rectè facturum*] Favebat Antonio, duplici præcipuè de causâ; primùm, quia Antonius filiam suam Lepidi filio in matrimonium collocarat; deinde quia Lepidus, interfecto Cæsare, pontificatum, operâ Antonii, obtinuerat.

6. *Plancum*] Consulem designatum, cujus erat dubia quoque in remp. fides. Vide decimum librum.

7. *In Alpibus*] Ut in Italiam redeundi spes illi nulla superet.

EPISTOLA X.

Scribit de nonnullorum erga se malevolentiâ, de Antonii consiliis, deque periculis Reipublicæ. Eodem anno.

Brutus S. D. Ciceroni.

NON mihi rempublicam [1] plus debere arbitror, quàm me tibi gratiorem me esse in te posse, quàm isti [2] perversi sint in me, exploratum habes: si tamen hæc temporis videantur dici causa, [3] malle me tuum judicium, quàm ex alterâ parte omnium istorum. [a] tu enim à certo sensu, & vero judicas de nobis: quod isti ne faciant, summâ malevolentiâ,

INTERPRETATIO.

[a] *tu enim sincerè, ut res est, de me judicas.*

NOTÆ.

1. *Plus debere*] Quæ mihi tamen plurimùm debet ob sublatum Cæsarem.

2. *Perversi*] Antoniani, qui Cæsaris perversores oderant.

3. *Malle me*] Secuti sumus editionem Manutii; neque enim eodem modo legitur hic locus, qui fortè mendo non caret; illud autem, *malle me*, refer ad *explora-*

Digitized by Google

& [b]livore impediuntur. [c] interpellent me, quo minus honoratus sim dum ne interpellent, quo minus respublica à me commodè administrari possit: quæ quanto sit in periculo, quàm potero brevissimè exponam. Primùm omnium, quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus [4] consulum, [d] quantamque cupiditatem hominibus injiciat [5] vacuitas, non te fugit. Satis me multa scripsisse, quæ literis commendari possint, arbitror. Scio enim, cui scribam. Revertor nunc ad Antonium: qui [6] ex fugâ cùm parvulam manum peditum haberet inermium, [7] ergastula solvendo, omneque genus hominum arripiendo, satis magnum numerum videtur effecisse. Huc accessit manus Ventidii: quæ trans Apenninum itinere facto difficillimo, [8] ad Vada pervenit, atque se ibi cum Antonio conjunxit. est numerus veteranorum, & armatorum satis frequens cum Ventidio. consilia Antonii hæc sint necesse est: aut ad Lepidum ut se conferat, si recipitur: aut [9] Apennino, Alpibusque se teneat, & [e] decursionibus per equites, quos habet, multos, vastet ea loca, in quæ incurrerit: aut [10] rursus se in Etruriam referat, quòd ea pars Italiæ sine exercitu est. Quòd si me Cæsar audisset, atque Apenninum transisset: in tantas angustias Antonium compulissem, ut inopiâ potiùs quàm ferro, conficeretur. sed [11] neque Cæsari imperari potest: [12] nec Cæsar exercitui suo. quod utrumque pessimum est. Cùm hæc talia sint:

INTERPRETATIO.

[b] *Invidiâ.* [c] *nihil curo utrùm impediant quominùs honores* in Republicâ *assequar, modò non impediant, quominùs Rempublicam ab* Antonii *tyrannide liberem.*

[d] *& quantam* rerum novarum *cupiditatem vacua, & spoliata* Consulibus *Respublica afferat.*

[e] *invasionibus subitis.*

NOTÆ.

tum habeo: Sin autem, inquit Brutus, aliqui putant hæc à me dici, gratiam à te ut ineam, & quia servio temporibus, exploratum habes, me unius tui judicium & approbationem omnium approbationi & judicio anteponere.

4. *Consulum*] Hirtii, & Pansæ.

5. *Vacuitas*] Notat eos qui mortuorum Consulum in locum substitui volebant, & in primis Octavianum, qui non suo tempore Consulatum peteret, id est, multò antè quàm ætatem legibus præscriptam attigisset.

6. *Ex fugâ*] Quâ sibi consuluit victus in prælio ad Mutinam commisso.

7. *Ergastula*] Libertando servos, & mancipia vinculis: ergastulum sumitur & pro mancipiorum carcere, & pro ipsis mancipiis, ut hîc.

8. *Ad Vada*] Nempe *Sabatia*, vel *Sabatium*. *Vadum* autem *Sabatium* jacet inter Apenninum, & Alpes, in orâ maritimâ Genuensi, nec longè Savonâ distat; impeditissimus locus ad iter faciendum ob paludes campos, qui *Vada* dicuntur.

9. *Apennino*] Mons Apenninus in partes duas Italiam secat, alteram ad mare Inferum, sive Tuscum, alteram ad mare superum, sive Sinum Adriaticum.

10. *Rursus se in Etruriam*] Quid ait, *rursùs in Etruriam?* quò nondùm copias Antonius duxerat: sic explica, rursùs in Italiam, cujus Etruria pars est. Etruria, *la Toscane.*

11. *Imperari potest*] Ob nimiam ejus potentiam.

12. *Nec Cæsar exercitui*] Hæc odio Cæsaris dicta sunt: nam si fidem habemus Historicis, milites habuit ad nutum promptissimos: quòd si verum loquitur Brutus,

quo minus [f] quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut suprà scripsi, non impedio : [13] hæc quemadmodum explicari possint, aut à te cùm explicabuntur, ne impediantur, timeo. alere jam milites non possum. cùm ad rempublicam liberandam accessi, [14] H-S mihi fuit pecuniæ CD ampliùs. tantùm abest ut meæ rei familiaris liberum sit quidquam, ut meos jam omnes amicos ære alieno obstrinxerim. [g] septenum numerum legionum alo, quâ difficultate, tu arbitrare. non, si [15] Varronis thesauros haberem, [h] subsistere sumptui possem. Cùm primùm de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis, ita, [i] si hoc idem me in te facere senseris. III. non. Maii, ex castris, [16] Dertonâ. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *quo minùs prohibeam, ne dignitatem ego assequar.* [g] *septem legiones.* [h] *par esse possem sumptui faciendo.* [i] *si modò te à me amari intellexeris.*

NOTÆ.

dicendum cum Seb. Corrado, veteranos, qui erant in Octaviani exercitu, quoniam percussores Cæsaris oderant, adduci non potuisse, ut cum illis se conjungerent.

13. *Hæc quemadmodum*] Hæc quæ modò dicturus sum de summâ rerum inopiâ, vereor primùm, quemadmodum in senatu explicari, & exponi possint; deinde cùm à te explicabuntur, vereor ne malevoli homines impediant, quominùs res ex voto succedat.

14. *H-S.*] Hæc summa efficit quatuor milliones librarum Gallicarum, *quatre millions.*

15. *Varronis*] Hîc hærent Interpretes; neque enim Varro inter opulentos numeratus est, nisi alter extiterit nobis incognitus. Corradus putat factam hîc Varronis mentionem, quia scripsit librum, Περὶ πλούτου; suspicatur Manutius per Varronem adumbrari, hominem nequam, & dissolutum, Antonium scilicet, qui thesauros Cæsaris ad opis ædem positos expilavit.

16. *Dertonâ*] Romanorum coloniâ, quam Genuam inter & Placentiam Strabo collocat, *Tortona.* Cluverius locum hunc appellans scripsit, *ex castris Dertonæ.*

EPISTOLA XI.

Scribit de fugâ Antonii post prælium Mutinense, de ejus ad Lepidum profectione, deque dubiâ Planci fide. Eodem anno.

Brutus Imp. cos. des. s. D. Ciceroni.

[a] EODEM exemplo literæ à te mihi redditæ sunt, quo pueri mei attulerunt. Tantùm me tibi debere existimo, quantùm persolvere difficile est. Scripsi tibi, quæ hîc gererentur. in itinere est [1] Antonius, ad

INTERPRETATIO.

[a] *similes iis litteris, quas pueri mei, &c.*

NOTÆ.

1. *Antonius*] Victus in Mutinensi prælio, ad Lepidum se contulit, ut ab exercitu receptus, afflictam posset fortunam restituere.

2. *Libellis*

Lepidum proficiscitur : [b] ne de Planco quidem spem adhuc abjecit, ut [2] ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt : in quibus, quos ad [3] Asinium, [4] quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat. [c] ego tamen non habui ambiguum, & statim ad Plancum misi, & [d] biduo [5] ab Allobrogibus, & [e] totius Galliæ legatos expecto, quos [6] confirmatos domum remittam. Tu, [f] quæ istic opus erunt administrari, prospicies, ut ex tuâ voluntate, reique publicæ commodo fiant. malevolentiæ hominum in me, si poteris, [g] occurres : si non poteris, hoc te consolabere, quòd me [h] de statu meo nullis contumeliis deterrere possunt. Pridie non. Maii, ex castris, [i] finibus [7] Statiellensium.

INTERPRETATIO.

[b] *nondum desperat posse sibi Plancum adjungere.*
[c] *non fui incertus animi* quid facerem, *sed statim, &c.*
[d] *& intra duos dies.*
[e] *& Gallia Cisalpinæ.*
[f] *quæ Romæ fieri oporteat.*
[g] *resistes.*
[h] *à proposito defendendæ Reipublicæ.*
[i] *in finibus.*

NOTÆ.

2. *Ex libellis*] Libelli differunt ab epistolis, quòd breviores epistolis essent, & dissimili modo complicarentur.

3. *Ad Asinium, &c.*] Hi tres amici Cæsaris olim extiterant, & tùm exercitui quisque suo præerat; spem ideò maximam in iis collocabat Antonius, ab iisdemque vicissim cavendum sibi Brutus existimabat : neuter erravit, à Republicâ quippe defecerunt, ut Antonio faverent.

4. *Quos*] Quosnam occultos nuncios.

5. *Ab Allobrogibus*] Quos in provinciâ suâ habebat Brutus.

6. *Quos confirmatos*] In consilio juvandæ Reipublicæ.

7. *Statiellensium*] *Aquæ Statiellorum*, urbs Liguriæ, inter Vada Sabata, & Dertonam; hodie vocatur *Acqui*.

EPISTOLA XII.

Occultè queritur de Bruti tarditate in persequendo Antonio, qui, si adhibita celeritas esset, facilè opprimi poterat. Eodem anno.

Cicero s. d. Bruto Imp. Cos. des.

TRES uno die à te accepi epistolas; unam brevem, quam Flacco Volumnio dederas; duas [a] pleniores, quarum alteram Tabellarius T. Vibii [a] tulit, alteram ad me misit Lupus. Ex tuis literis, & ex Græceii oratione non modò non restinctum bellum, sed etiam inflammatum videtur. Non dubito autem pro tuâ singulari prudentiâ, quin perspicias, [b] si aliquid firmitatis nactus sit Antonius, [1] omnia illa tua præclara in rempublicam me-

INTERPRETATIO.

[a] *longiores.* [b] *si vires resumpserit Antonius.*

NOTÆ.

1. *Omnia illa*] Duo potissimùm, necem Cæsaris, & victoriam Mutinensem;

rita ad nihilum esse ventura. Ita enim Romam erat nuntiatum, ita persuasum omnibus, cum paucis inermibus, perterritis metu, facto animo fugisse Antonium. [c] qui si ita se habet, ut quemadmodum audiebam de Græceio, confligi cum eo sine periculo non possit: non ille mihi fugisse à Mutinâ videtur, sed locum belli gerendi mutasse. [d] Itaque homines [a] alii facti sunt. nonnulli etiam queruntur, quòd persecuti non [e] sitis.. opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant. [f] Omninò est hoc populi, maximéque nostri, [g] in eo potissimùm abuti libertate, [b] per quem eam consecutus sit. sed tamen providendum est, [h] ne quæ justa querela esse possit. Res sic se habet. is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit. hoc [4] quam habeat vim, te existimare malo, quàm [5] me apertiùs scribere. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *quòd si nunne in eo statu est, ut, &c*

[d] *milites itaque tui non iidem jam sunt, qui erant antè*, nempe fortes, & invicti.

[e] Antonium.

[f] *hic mos est populi.*

[g] *in eum præ cæteris liberrimè loqui, per quem libertatem, &c.*

[h] *ne de te populus Romanus justè queri possit.*

NOTÆ.

2. *Alii facti sunt*] Nostra si non placet interpretatio, locum hunc sic explica: Romani qui sperabant per te profligatum iri Antonium, de suâ spe propè jam dejecti sunt.

3. *Per quem*] Populus Romanus liberè Brutum accusat negligentiæ, quamquam, occiso Cæsare, libertatem per Brutum obtinuerat: his tamen verbis obiter illum monet, ne committat, ut rei malè gestæ culpam in eum jure conferre possint.

4. *Quam habeat vim*] Iis verbis indicat, fore ut, oppresso Antonio, plus adæquatur laudis, quam cæteri Reipublicæ liberatores; spes autem tantæ gloriæ vim habere debebat maximam ad permovendum Brutum.

5. *Me apertiùs*] Ne fortè alios, qui suam quoque operam in Republicâ servandâ posuerant, offendat.

EPISTOLA XII.

Excusat tarditatem suam in persequendo Antonio; præsentem rerum statum declarat, ac fœlicem belli exitum pollicetur. Eodem anno.

Brutus Imp. cos. des. s. d. Ciceroni.

JAM non ago tibi gratias. [a] cui enim re vix referre possum, huic verbis non patitur satisfieri. Attendere te volo, [b] quæ in manibus sunt quâ enim prudentiâ es, nihil te fugiet, si meas literas diligenter legeris. Sequi confestim Antonium his de causis, Cicero, non potui. eram sine equitibus.

INTERPRETATIO.

[a] *quomodo enim tuæ in me merita verbo æquarem, qua nullis obsequiis possem æquare.*

[b] *quod in potestate meâ positum est. sequi.*

Digitized by Google

ſine jumentis : Hirtium periiſſe neſciebam : Cæſari [1] non credebam [2] priùs quàm conveniſſem, & collocutus eſſem. hic dies hoc modo abiit. poſtridie mane à Pansâ ſum arcerſitus [3] Bononiam. cùm in itinere eſſem, nuntiatum mihi eſt, eum mortuum eſſe. recurri ad meas copiolas. ſic enim verè eas appellare poſſum. ſunt extenuatiſſimæ, & inopiâ omnium rerum peſſimè ac ceptæ. Biduo me Antonius anteceſſit, itinera fecit multò majora fugiens, quàm ego ſequens. ille enim [4] iit [c] paſſim ego ordinatim. quacunque ivit, ergaſtula ſolvit, homines arripuit : conſtitit nuſquam priùs, quàm [5] ad Vada venit: quem locum volo tibi eſſe notum. jacet inter Apenninum, & Alpes, impeditiſſimus ad iter faciendum, cùm abeſſem ab eo millia paſſuum triginta, & ſe jam Ventidio conjunxiſſet, concio ejus ad me eſt allata, in quâ petere cœpit à militibus, ut ſe trans Alpes ſequerentur : ſibi cum M. Lepido [6] convenire. Succlamatum eſt, & frequenter à militibus Ventidianis, (nam ſuos valdequam [7] paucos habet) ſibi aut in Italiâ pereundum eſſe, aut vincendum. etiam orare cœperunt, ut [8] Pollentiam iter facerent. cùm [d] ſuſtinere eos non poſſet, in poſterum diem [e] iter ſuum contulit. Hac re mihi nuntiatâ, ſtatim quinque cohortes Pollentiam præmiſi, meumque iter eò contulit : [f] horâ ante præſidium meum Pollentiam venit, quàm [9] Trebellius cum equitibus. ſanequam ſum gaviſus : in hoc enim victoriam puto conſiſtere. [10] In ſpem venerant, quòd neque Planci quatuor legiones omnibus ſuis copiis pares arbitrabantur, neque ex Italiâ tam celeriter exercitum trajici poſſe credebant. quos ipſi adhuc ſatis [g] arroganter Allobroges, equitatuſque omnis, qui eò præmiſſus erat à nobis, ſuſtinebant, noſtroque adventu ſuſtineri faciliùs poſſe confidimus. tamen, ſi quo etiam caſu

INTERPRETATIO.

[c] *ſine ordine.* [d] *retinere.*
[e] Pollentiam *contendit.*
[f] *mei milites Pollentiam venerunt horâ antè quàm Trebellius veniret cum equitibus* Antonii.
[g] *audacter.*

NOTÆ.

1. *Non credebam*] Quia Cæſaris ille filius, ego Cæſaris percuſſor.

2. *Priùſquam conveniſſem*] An ſtatim convenerint, dubium eſt, poſt victoriam certè Mutinenſem adduci nunquam potuit Octavianus, ut cum Bruto colloqueretur, quem ob necem Cæſaris capitaliter oderat.

3. *Bononiam*] Quò ſe receperat poſt prælium Mutinenſe, & ubi ex vulneribus obiit. Bononia Galliæ Togatæ urbs, dicta à Plinio *Felſina*, Academia celebris, *Boulogne*.

4. *Iit paſſim*] Atque adeò velociùs; timor præterea fugienti alas addebat.

5. *Ad Vada*] Vide epiſtolam decimam.

6. *Convenire*] Ultrò citróque datâ & acceptâ fide.

7. *Paucos*] Quia plerique ad Mutinam cecidemant.

8. *Pollentiam*] Urbem Liguriæ, ubi Tanarus & Stura confluunt, veterum monumentis celebratiſſimam, cujus exigua nunc etiam veſtigia manent, cum vulgari vocabulo *Polenza*, ſive *Polenzo*.

9. *Trebellius*] Quem fraudatorem creditorum Cicero in Philippicis vocat.

10. *In ſpem venerant*] In Galliam ulteriorem trajiciendi, quoniam neque, &c.

Digitized by Google

11 Isaram se trajecerint, ne quid detrimenti reipublicæ injungant, summa à nobis dabitur opera. Vos magnum animum, optimamque spem de summâ republicâ habere volumus, 12 cùm & nos, & exercitus nostros, singulari concordiâ conjunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos. sed tamen nihil de diligentiâ remittere debetis, dareque operam, ut quamparatissimi ab exercitu, reliquisque rebus pro vestrâ salute contra sceleratissimam conspirationem hostium confligamus. qui quidem eas copias, quas diù [h] simulatione reipublicæ comparabant, subitò ad patriæ periculum converterunt.

INTERPRETATIO.

[h] *ad speciem, ut Respublica providerent.*

NOTÆ.

11. *Isaram*] Epist. 15. lib. 10.
12. *Cùm & nos*] Brutum scilicet, & Plancum, qui ad Antonium nondum defecerat.

EPISTOLA XIV.

Rescribit ad Bruti litteras, de creandis Decemviris, de ornando Octaviano, & ad Italiæ præsidium retinendo; de arcessendo M. Bruto in Italiam: sub finem hortatur ad extinguendas belli reliquias. Eodem anno.

Cicero s. d. Bruto Imperatori.

MIRABILITER, mi Brute, lætor mea consilia, measque sententias à te probari [1] de decemviris, [2] de adornando adolescente. sed quid refert? mihi crede, homini [a] non glorioso, [b] planè jam, Brute, frigeo: ὄργανον enim erat meum senatus: id [d] jam est dissolutum. [e] tantam spem

INTERPRETATIO.

[a] *qui me ostentare non soleo.*
[b] *Languidior jam sum factus.*
[c] *instrumentum enim meum erat Senatus,* qui me in Antonium incitabat.
[d] *jam Senatus*, auditâ Antonii clade, *de suâ in eum indignatione* plurimùm remisit.
[e] *adeò tua præclara à Mutinensi urbe eruptio, & Antonii fuga, certam victoriæ spem attulerant.*

NOTÆ.

1. *De Decemviris*] Creatis, aut creandis, ut in Consulatum ab Antonio gestum inquirerent, vel ut præessent divisioni agrorum, quos veteranis Senatus assignaverat.
2. *De adornando*] Octaviano, quem ad suam, & libertatis perniciem adornasse Tullium exitus declaravit: Consulatum, opinor, intelligit, quem sibi in locum Hirtii aut Pansæ Octavianus deposcebat.
3. Ὄργανον] Aptissima metaphora: alibi comparat Oratorem cum tibicine, sicut fidicen sine tibiis canere, sic Orator absque Senatu loqui non potest.

Digitized by Google

attulerat exploratæ victoriæ tua præclara Mutina eruptio, fuga Antonii, conciso exercitu, [4] ut omnium animi relaxati sint, meæque illæ vehementes contentiones tanquam σκιαμαχίαι, esse videantur. Sed, ut ad rem redeam: [f] legionem Martiam, & quartam negant, qui illas norunt, ullâ conditione ad te posse perduci. Pecuniæ, quam desideras, ratio potest haberi, eaque habebitur. De Bruto [5] accersendo, Cæsareque ad Italiæ præsidium tenendo, valdè tibi assentior: sed, ut scribis, habes obtrectatores: quos equidem facillimè sustineo, sed impediunt tamen. Ex Africâ legiones expectantur: sed bellum ibi renatum homines mirantur. nihil tam præter spem unquam. nam, die tuo natali, victoriâ nuntiatâ, in multa sæcula videbamus rempublicam liberatam. novi timores [6] retexunt superiora. Scripsisti autem ad me iis, quas idibus Maii dedisti, modò te accepisse à Planco literas, non recipi à Lepido Antonium. id si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnum negotium: cujus exitum ne extimescam, tuæ partes sunt. ego plus, quàm feci, [7] facere non possum. te tamen, id quod spero, [8] omnium maximum, & clarissimum videre cupio. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *qui norunt legionem Martiam & Quartam, aiunt non posse illas perduci ad te sequendum*, quia Cæsarem, sub quo diù militaverunt, & quem adhuc colunt, occidisti.

NOTÆ.

4. *Ut omnium animi*] Ut omnium animi metu jam soluti sint & liberi, meæque illæ vehementes in Antonium contentiones, tanquam umbratiles pugnæ, id est, pugnæ sine periculo ullo, & animi tantùm causâ susceptæ jam videantur: de Philippicis orationibus sermo est, quas devicto Antonio, fallendi duntaxat temporis causâ, pronuntiare se ait: vocavit Philippicas, imitatus eas, quas in Philippum Macedoniæ Regem habuerat Demosthenes.

5. *Accersendo*] Marco Bruto in Italiam, unde cum Cassio discesserat, tùm Antonianorum metu, tùm ut exercitum pro libertatis defensione colligeret.

6. *Retexunt*] Retexere, est quasi novam telam ordiri; ordiri de integro opus, quasi nihil fecisses: novi, inquit, timores retexunt superiora, id est, irrita reddunt quæcumque contra Antonium gessimus; bellum renatum, præterita mala, & pericula revocat.

7. *Facere non possum*] Verissimè: nihil enim non molitus est, ut Antonium perderet.

8. *Omnium*] Qui Antonium oderunt.

EPISTOLA XV.

Adhortatur ad Rempublicam tuendam. Eodem anno.

Cicero s. d. Bruto Imperatori.

ET si mihi tuæ literæ jucundissimæ sunt, tamen jucundius fuit, quòd in summâ occupatione tuâ Planco collegæ mandasti, ut te mihi per literas excusaret. quod fecit ille diligenter. mihi autem nihil amabilius officio

Digitized by Google

tuo, & diligentiâ. Conjunctio tua [1] cum collegâ, concordiaque vestra, quæ literis communibus declarata est, senatui, populoque Romano [2] gratissima accidit. Quod superest, perge, mi Brute, & jam non cum aliis, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, præsertim ad te, [a] quo magistro brevitatis uti cogito. Literas tuas vehementer expecto, & quidem [3] tales, quales maximè opto.

INTERPRETATIO.

[a] *cujus brevitatem* in scribendis literis *imitari volo.*

NOTÆ.

1. *Cum collegâ*] Planco: ambo enim in eumdem annum designati fuerant à Cæsare Consules.

2. *Gratissima accidit*] Non diù; Plancus enim, uberat homo dubiæ fidei, postea secutus est Antonium.

3. *Tales*] Quæ nuncient oppressum Antonium, & liberatam Rempublicam.

EPISTOLA XVI.

Rogat Brutum, ut L. Lamiam adjuvet in petitione Præturæ. Antonio & Dolabellâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Cicero S. D. Bruto Imperatori.

PERMAGNI interest, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit, utrùm, cùm solicitudinis aliquid haberes, an, cùm ab omni molestiâ vacuus esses. Itaque ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolæ tibi reddendæ. nam quemadmodùm coràm, qui ad nos intempestivè adeunt, molesti sæpè sunt: sic epistolæ offendunt, [1] non loco redditæ. si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit, & ille, cui mandavi, satis scitè, & commodè tempus ad te cepit adeundi: confido me, quod velim, à te facilè impetraturum. [2] L. Lamia præturam petit. hoc ego utor uno omnium plurimùm. magna vetustas, magna consuetudo intercedit: quódque plurimùm valet, nihil mihi ejus est familiaritate jucundius. magno præterea beneficio ejus, magnoque merito sum obligatus. nam [a] Clodianis temporibus, [b] cùm equestris ordinis princeps esset, proque meâ sa-

INTERPRETATIO.

[a] *quando enim Clodius Tribunus plebis me exagitabat.*

[b] *cum* Lamia *equestris, & uterque contenderet, ne in exilium abirem.*

NOTÆ.

1. *Non loco*] Non loco, nec tempore redditæ. Sic Horatius epist. 13. lib. 1.

Augusto reddes signata volumina Vinni,
Si validus, si lætus eris, si denique poscet.
&c.

2. *Lucius Lamia*] Nobili Æliorum è gente, cujus auctor antiquissimus fuisse Lamus creditur. Ita Horatius Od. XVII. lib. III

Æli vetusto nobilis ab Lamo

Digitized by Google

lute acerrimè propugnaret. [c] à Gabinio cos. relegatus est: quod ante id tempus civi Romano contigit nemini. hoc cùm populus Romanus meminerit, me ipsum non meminisse turpissimum est. Quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere præturam. quanquam enim Lamia [d] summo splendore, summa gratia est, [e] usus magnificentissimo munere ædilitio: tamen, quasi ea ita non essent, ego suscepi totum negotium. Nunc, si me tanti facis, quanti certè facis, [f] quando equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis centurias conficiat. Non tenebo te pluribus: ponam in extremo, quod sentio. nihil est, Brute, cùm omnia à te expectem, quod mihi gratiùs facere possis. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *ipse à Gabinio Consule*, amico Clodii, *in exilium* meâ causâ *pulsus est.*
[d] *clarissimo genere oriundus est, summamque authoritatem habet.*
[e] *populumque sibi, ludorum magnificentiâ, in Ædilitate devinxit.*
[f] *quandoquidem summa est tua apud equites authoritas, significa Lupo nostro, ut ad Centuriata Comitia eos mittat*, qui Præturam Lamiæ defetant.

EPISTOLA XVII.

Idem Argumentum. Eodem anno.

Cicero S. D. Bruto Imperatori.

LAMIA unus omnium familiarissimè utor. Magna ejus in me non dico officia, sed merita, eaque sunt populo Romano notissima. [a] is, magnificentissimo munere ædilitatis [1] perfunctus, petit præturam: omnesque intelligunt, nec dignitatem ei deesse, [2] nec gratiam. [b] sed is ambitus extare videtur, ut ego omnia pertimescam, totamque petitionem Lamiæ mihi sustinendam putem. In eâ re quantùm me possis adjuvare, facilè perspicio: nec verò, [c] quantùm meâ causâ velis, dubito. velim igitur, mi Brute, tibi persuadeas, nihil me majore studio à te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quàm si omnibus tuis opibus, [d] omni studio Lamiam in petitione juveris. quod ut facias, vehementer te rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *postquam is Ædilitiam dignitatem magnificentissimè obiit.*
[b] *sed tantus est* petentium Præturam *ambitus*: la brigue est si forte.
[c] *quantùm mihi faveas.*
[d] *omni curâ.*

NOTÆ.

1. *Perfunctus*] Quo tempore Cæsar cum Pompeii liberis in Hispaniâ bellum gerebat, id est biennio antè; quod legitimum erat spatium inter Ædilitatem & Præturam.

2. *Nec gratiam*] Apud populum. Vide epist. proximè sup.

EPISTOLA XVIII.

Brutum leviter reprehendit, quòd profligato ad Mutinam Antonio, tamen timere se significasset. Post interfectos Hirtium & Pansam Consules, anno urbis conditæ septingentesimo decimo.

Cicero s. D. Bruto Imperatori.

ETsi ex mandatis, quæ Galbæ, Volumnioque ad senatum dedisti, [1] quid timendum, suspicandumque putares, suspicabamur: tamen timidiora mandata videbantur, quàm erat dignum tuâ, populique Romani [2] victoriâ. senatus autem, mi Brute, fortis est, & habet fortes [3] duces. Itaque molestè ferebat, se à te, quem omnium, quicunque fuissent, fortissimum judicaret, timidum atque ignavum judicari. etenim cùm, [a] te incluso, spem maximam omnes habuissent in tuâ virtute, [4] florente Antonio; quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec verò Lepidum timebamus. quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissimâ pace bellum reipublicæ indiceret? Nec dubito, quin tu plus provideas. sed tamen, [5] tam recenti gratulatione, quam [6] tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renovatio timoris magnam molestiam afferebat. Quare velim equidem, id quod spero, ut planè abjectus, & fractus sit Antonius: sin aliquid virium fortè collegerit, sentiet, nec senatui consilium, nec populo Romano virtutem deesse, nec reipublicæ, te vivo, imperatorem. XIV. Kalendas Junii. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *te obsesso* Mutinæ.

NOTÆ.

1. *Quid timendum*] Timebat, ne Antonius ad Lepidum se conferret, cum eoque conjunctus, Reipublicæ bellum rursus indiceret, quod re ipsâ contigit.

2. *Victoriâ*] De Antonio ad Mutinam relatâ.

3. *Duces*] Se ipsum occultè significat Cicero, qui suis contrà Antonium orationibus senatores in Antonium excitabat.

4. *Florente*] Ante cladem acceptam, cùm florentem adhuc exercitum haberet.

5. *Tam recenti gratulatione*] Indicat supplicationem, quæ decreta est Decimo Bruto ob Mutinensem victoriam.

6. *Tuo nomine*] Ob liberatam obsidione Mutinam, tuumque felicem ex illâ urbe discessum.

EPISTOLA XIX.

Suam, reique publicæ vicem timet; rogat ne quid Vicetinis injuriæ fiat. Eodem anno.

Brutus s. D. Ciceroni.

AD senatum quas literas misi, velim priùs perlegas, & si qua tibi videbuntur, commutes. necessariò me scripsisse ipse animadvertes. nam cùm

cùm putarem quartam & Martiam legiones [1] mecum futuras, ut [2] Druso [3] Pauloque placuerat, vobis assentientibus, minus [4] de reliquis rebus laborandum existimavi. nunc verò cùm sim cum tironibus egentissimis, valdè & [a] meam, & vestram vicem timeam necesse est. [7] Vicetini me, & M. Brutum præcipuè [b] observant. his, ne quam patiare injuriam fieri in senatu [c] vernarum causâ, à te peto. causam habent optimam, officium in rempublicam summum, [d] genus hominum adversariorum seditiosum, & inertissimum. XII. Kal. Jun. [7] Vercellis. §

INTERPRETATIO.

[a] *meum ac vestrum periculum.* [b] *honorant.* [c] *abjectissimorum hominum causâ.* [d] *habentque adversarios seditiosos & inertes.*

NOTÆ.

1. *Mecum futuras*] Post obitum Consulum Hirtii & Pansæ. Vide interpretationem quintam epistolæ 14.

2. *Druso*] Senatori ex Liviâ gente.

3. *Pauloque*] Lucio Æmilio Paulo, qui à Lepido fratre Triumviro proscriptus est.

4. *Reliquis rebus*] Quas à Senatu petierat Brutus, nec fortè impetrarat.

5. *Vicetini*] Seu Vicentini. Vicentia urbs Venetæ ditionis Mediterranea, nobilis juxta & antiqua; vulgò nunc *Vicenza*.

6. *Vernarum*] Per contemptum Vernas appellat Vicetinorum adversarios.

7 *Vercellis*] Vercellæ, Galliæ Circumpadanæ civitas, Libicorum caput, juxta Insubriam, seu Ducatum Mediolanensem; hodie *Vercelli*.

EPISTOLA XX.

Timet Brutus, ne Octavianum Cicero vaculâ offenderit; monet ut sibi veteranorum animos quovis modo reconciliet. Eodem anno.

Brutus Imperator S. D. Ciceroni.

QUOD pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaque officia cogunt, ut timeam. sæpè enim mihi cùm esset dictum, [a] neque à me contemptum, noviſsimè Labeo Segulius, [b] homo sui simillimus, narravit mihi, apud Cæsarem se fuisse, multúmque sermonem de te habitum esse: ipsum Cæsarem nihil sanè de te quæstum, [c] [1] nisi dictum, quòd diceret te dixisse laudandum [d] adolescentem, ornandum, [2] tollendum, [c] se non

INTERPRETATIO.

[a] *neque negotiosum id quod mihi* dictum erat. [b] *homo nequam & vafer.* [c] *nisi de vaculâ, quam è te pronunciatam dicebat.* [d] *Octavianum.* [c] *se non permissurum ut possit interfici.*

NOTÆ.

1. *Nisi dictum*] Substantivum est, sumiturque pro brevi & acutâ sententiâ.

2. *Tollendum*] Ambigua vox, nunc honorem, nunc mortem significat: tollere

esse commissurum, ut tolli possit. [f] hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum. Veteranos verò pessimè [g] loqui, volebat Labeo me credere, & tibi ab iis instare periculum, maximéque indignari, quòd [h] in Decemviris neque Cæsar, neque ego habiti
5 essemus, atque omnia [4] ad vestrum arbitrium essent collata. Hæc cùm audissem, & jam [5] in itinere essem, committendum non putavi, priùs ut Alpes transgrederer, quàm, quid [h] istic ageretur, scirem: [i] nam de tuo periculo, crede mihi, jactatione verborum, & denuntiatione periculi sperare eos, te perterrefacto, adolescente [6] impulso, posse magna consequi præmia,
10 & totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quamplurimùm lucri faciant. [k] neque tamen non te cautum esse volo, & insidias vitantem. nihil enim tuâ mihi vitâ potest esse jucundius, neque carius. Illud vide, ne, timendo, magis timere cogare: &, [l] quibus rebus potest occurri veteranis, occurras: [m] primùm, quòd desiderant de Decemviris; facias: [n] deinde de præmiis, si
15 tibi videtur, agros militum eorum, qui cum Antonio veterani fuerunt, his dandos censeas ab utrisque nostrûm, [o] de nummis, lentè, ac ratione habitâ pecuniæ: senatum de eâ re constituturum. quatuor legionibus iis, quibus agros dandos censuistis, [p] video facultatem fore ex agris Syllanis & agro Cam-

INTERPRETATIO

[f] *puto ego Octavianum Cæsarem de te id quæstum non esse, sed Labeonem finxisse hanc voculam*, quasi à te pronuntiata esset, *& Cæsari retulisse.*

[g] de te.

[h] *Roma.*

[i] *quòd enim ad periculum tuum spectat, crede mihi, hæc omnia quæ jactant, crebrisque sermonibus, velut cantilenam usurpant, eo consilio ab illis jactantur, ut te perterrefacto, & irritato Cæsare, quàm maximum quæstum inde faciant.*

[k] *volo tamen ut tibi caveas, periculumque declines.*

[l] *& placa veteranos, eâ ratione quâ placari possunt.*

[m] *primùm* me & Cæsarem *Decemviros creari cures.*

[n] *deinde, quòd ad præmia* veteranorum attinet, *censeas, veteranis, qui offenso in te animo sunt, dividendos à me, & à Cæsare agros militum eorum, qui Antonio adhæserunt.*

[o] *de pecuniâ* quam veterani appetunt, *non facilè largiaris*, ne ab eâ tantis in periculis imparati simus, *tantúmque dicas, senatum, quid opus facto sit, constituturum.*

[p] *Video posse commodè agros, quos Syllæ militibus suis assignavere, & partem agri Campani*, quam Cæsar primo suo Consulatu non diviserat, *assignari quatuor legionibus, quibus agros dandos judicastis.*

NOTÆ.

enim modò est extollere, & ornare, modò interficere, in malam partem Cæsar interpretatus est.

3. *In Decemviris*] In quibus erat Cicero, quique creati fuerant, ut ab Antonio Consulatûs rationem reposcerent, vel agros veteranis distribuendi curam susciperent.

4. *Ad vestrum arbitrium*] His neglectis, qui pro salute patriæ, & cum vitæ periculo extra Romam dimicant.

5. *In itinere*] Ad prosequendum Antonium.

6. *Impulso*] Exulcerato Octaviani animo, propter illam tuam voculam, *tollendum Cæsarem.*

Digitized by Google

pano. q æqualiter, aut ſorte agros legionibus aſſignari puto oportere. r Hæc me tibi ſcribere non prudentia mea hortatur, ſed amor in te, & f cupiditas otii, quod ſine te conſiſtere non poteſt. Ego, niſi valdè neceſſe fuerit, ex Italiâ non excedam. legiones armo, paro: ſpero me non peſſimum exercitum habiturum ad omnes caſus, & impetus hominum. de exercitu, quem Panſa habuit, legionem mihi Cæſar non remittit. Ad has literas ſtatim mihi reſcribe, tuorumque aliquem mitte, ſi quid reconditum magis erit, meque ſcire opus eſſe putaris. Vale. VIII. Kal. Jun. 7 Eporædia.

INTERPRETATIO.

q *puto æqualiter dividendos militibus agros, ſive ductis ſortibus, diſtribuendos.*
r *hæc tibi non ſcribo, quaſi exiſtimem pluris me videre*, quàm tu videas.
f *amor pacis, qua, &c.*

NOTÆ.

7. *Eporadiâ*] Salaſſorum urbs, in Galliâ Tranſpadanâ, non procul à Vercellis: hodie appellatur *Jurea* & *Inurea*.

EPISTOLA XXI.

Reſcribit ad ſuperiorem Bruti epiſtolam.

Cicero S. D. Bruro Imperatori.

Dii iſti 1 Segulio malè faciant, homini nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt. quid? a tu illum tecum ſolum, aut cum Cæſare, qui neminem prætermiſerit, quî cum loqui potuerit, cui non eadem iſta dixerit? te tamen, mi Brute, ſic amo, ut debeo, quòd iſtud, quidquid eſſet, 2 nugarum me ſcire voluiſti: ſignum enim magnum amoris dediſti. Nam quòd idem Segulius ait veteranos queri, quòd tu & Cæſar in Decemviris non eſſetis: utinam ne ego quidem eſſem: b quid enim 3 moleſtius? ſed tamen, cùm ego ſenſiſſem, c de iis, qui exercitus haberent, ſententiam ferri oportere: d iidem illi qui ſolent, reclamarunt: e itaque excepti etiam eſtis, me vehementer repugnante. Quocirca Segulium negligamus, qui f 4 res novas quærit: non quò veterem comederit (nullam enim habuit) ſed

INTERPRETATIO.

a *tune illum* Segulium *tecum ſolùm, aut cum Cæſare* locutum *contra me putas? qui, &c.*
b creatus Decemvir, *quid enim* hoc magiſtratu *nunc moleſtius?*
c *te, & Cæſarem Decemviros eſſe creandos.*
d *obtrectatores tui reſtiterunt.*
e *excluſi eſtis à decemviratu.*
f *rerum perturbationem.*

NOTÆ.

1. *Iſti Segulio*] De quo poſtremis tuis litteris ſcripſiſti: *iſti*, per contemptum & indignationem.

2. *Nugarum*] Nugas appellat ſermones, quos Segulius Labeo cum Cæſare, & Bruto habebat. Vide ſup. epiſt.

3. *Moleſtius*] In tantâ rerum perturbatione.

4. *Res novas*] Ambigua vox; vult autem Cicero intelligi patrimonium, *non quòd veterem comederit*, id eſt, non quòd patrimonium aliquod ſuum vetus, ablumſe-

hanc ipsam, [f] recentem novam devoravit. Quod autem scribis, te, quod pro te ipso non facias, id pro me facere, ut de me timeas aliquid: omnia, vir optime, mihique carissime Brute, de me metu libero. Ego enim, quæ provideri poterunt, non fallar in iis: [g] quæ cautionem non habebunt, de iis
§ non ita valdè laboro. * sim etenim impudens, si plus postulem, quàm homini à rerum naturâ [6] tribui potest. Quod mihi præcipis, ut caveam, ne, timendo, magis timere cogar: & sapienter, & amicissimè præcipis: sed velim tibi persuadeas, cùm te constet excellere hoc genere virtutis, ut nunquam extimescas, nunquam perturbere, me huic tuæ virtuti proximè accedere.
10 [h] Quamobrem neque metuam quidquam, & cavebo omnia. sed vide, ne tua jam, mi Brute, [7] culpa futura sit, si ego quidquam timeam. tuis enim opibus, & [8] consulatu tuo, etiamsi timidi essemus, tamen omnem timorem abjiceremus, præsertim cùm persuasum omnibus esset, mihique maximè,
15 nos à te unicè diligi. Consiliis tuis, quæ scribis, [9] de quatuor legionibus, deque agris assignandis ab [i] utrisque vestrûm, vehementer assentior. itaque, [k] cùm quidam de collegis nostris agrariam curationem [10] ligurirent, disturbavi rem, totamque vobis integram reservavi. si quid erit occultius, &, ut scribis, reconditum, meorum aliquem mittam, quo fideliùs ad te literæ
20 perferantur. Vale. Pridie non. Jun.

INTERPRETATIO.

[f] *quæ caveri non poterunt.* * *essem enim impudens, si plus postularem, &c.*
[g] *sic cavebo ab inimicis meis, ut nihil tamen eos extimescam.* [i] *à te & ab Octaviano.*
[k] *cùm aliqui de Decemviris collegis mei vehementer cuperent agros assignare militibus; ego perfeci, ut tibi & Octaviano integrum id relinqueretur.*

NOTÆ.

rit, quod nullum ei fuit, sed hanc ipsam rem, (fortè bona aliqua ei à Cæsare attributa) devoravit.

5. *Recentem novam*] Recentem, quia nuperrimè hæreditatem illam, quæcunque tandem illa sit, & unde illa sit, acceperat: novam, quia nullam unquam anteà: novum enim ad rem, recens ad tempus pertinet: novum est, quod nunc primùm habemus; recens, quod nuper.

6. *Tribui potest*] Natura autem non dedit homini, ut omnia cavere & providere possit, cùm sapientissimus quisque non rarò cæcutiat.

7. *Tuâ culpâ*] Quòd victum Antonium non oppresseris, cujus tamen unius furorem extimesco.

8. *Consulatu tuo*] Non tùm erat Consul Brutus, cùm hæc Tullius scriberet, sed designatus in annum sequentem.

9. *De quatuor legionibus*] Vide epistolam superiorem.

10. *Ligurirent*] Id est, appeterent, ambirent, nisi malis cum Budæo sic explicare, cùm legis Agrariæ mentionem tenuem tentarent, & cum magnâ suavitate in animo versarent.

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

Commendat Bruto Appium Claudium. Eodem anno.

Cicero s. d. Bruto Imperatori.

CUM Ap. Claudio [a] C. F. summa mihi necessitudo est, multis ejus officiis, & meis mutuis constituta. peto à te majorem in modum, vel humanitatis tuæ, vel meâ causâ, ut cum auctoritate tuâ, quæ plurimùm valet, [1] conservatum velis. volo te, cùm [2] fortissimus vir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum. [b] cujus quidem causa hoc melior debet esse, quòd, pietate adductus, [3] propter patris restitutionem se cum Antonio conjunxit. quare etsi [4] minùs veram causam habebis, tamen vel probabilem aliquam poteris inducere. [c] mutus tuus potest hominem summo loco natum, summo ingenio, summâ virtute, officiosissimum præterea, & gravissimum, incolumem in civitate retinere. quod ut facias, ita à te peto, ut majore studio, magisve ex animo petere non possim. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *Caii filio.* [b] *cui quidem eò libentiùs favere debes, quòd, &c.* [c] *si velis, potes, &c.*

NOTÆ.

1. *Conservatum*] Facias, ne judicetur hostis patriæ, quia post Cæsaris necem se cum Antonio conjunxit.

2. *Fortissimus*] Et in cæde Cæsaris, & in Mutinensi prælio.

3. *Propter patris restitutionem*] Indicare videtur, patrem Appii Claudii exulem in patriam ab Antonio Consule revocatum esse; cujus beneficii in patrem collati, ut memorem se Appius exhiberet, Antonii signa sequutus erat.

4. *Minùs veram*] Quia reverà Appius contra patriam arma tulit.

EPISTOLA XXIII.

Bono jubet esse animo Ciceronem, benèque de Republicâ sperare. Eodem anno.

Brutus s. d. Ciceroni.

NOS hîc valemus rectè, & quo meliùs valeamus, operam dabimus. Lepidus [a] commodè de nobis sentire videtur. omni timore depositò, debemus liberè reipublicæ consulere. [b] quòd si omnia essent aliena, tamen [1] tribus tantis exercitibus, [c] propriis reipublicæ valentibus, magnum ani-

INTERPRETATIO.

[a] *in Rempublicam optimè affectus.* [b] *& quamvis Lepidus à Republicâ alienus esset.* [c] *addictis Reipublicæ, & fortissimis.*

NOTÆ.

1. *Tribus*] Quibus præsunt Octavianus, Plancus, & Decimus Brutus.

mum habere debebas, quem & ſemper habuiſti, & nunc, [d] fortunâ adjuvante augere potes. Quæ tibi ſuperioribus literis meâ manu ſcripſi, terrendi tui causâ [2] homines loquuntur. [3] ſi [e] frænum momorderis, [4] peream, ſi te omnes, quotquot ſunt, conantem loqui ferre poterunt. Ego, tibi ut antè ſcripſi, dùm mihi à te literæ veniant, in Italiâ morabor. Vale. VIII. Kal. Jun. Eporædia.

INTERPRETATIO.

[d] *victoriâ Mutinenſi.* [e] *eorum minas ſi neglexeris.*

NOTÆ.

2. *Homines*] Malevoli, qualis eſt Segulius Labeo. Conſule epiſt. 20.

3. *Si frænum momorderis*] Tranſlatio ducta ab equis, qui poſtquam momorderunt frænum, contemnunt ſeſſores ſuos, & excutiunt; ſic tu, ſi malevolos homines contempſeris, ſuſtinere te, mihi crede, vel conantem loqui, multò minùs loquentem, poterunt.

4. *Peream*] Modus affirmandi, id eſt, non recuſo mortem.

EPISTOLA XXIV.

Ademptum ait ſibi timorem omnem Bruti litteris, optimèque jam de Republicâ ſperare. Eodem anno.

Cicero S. D. Bruto.

[a] NARRO tibi: anteà ſubiraſcebar brevitati tuarum literarum: [b] nunc mihi loquax eſſe videor. te igitur imitabor. [c] Quàm multa quàm paucis! Te rectè valere, operamque dare, [1] ut quotidie [d] meliùs: [2] Lepidum commodè ſentire: tribus exercitibus, [e] quidvis nos oportere conſidere. ſi timidus eſſem, tamen iſtâ epiſtolâ mihi omnem metum abſterſiſſes: ſed, ut mones, [f] [3] frænum momordi. etenim, [g] qui, te incluſo, omnem ſpem habuerim in te, quid nunc putas? [h] cupio [4] jam vigiliam meam, Brute,

INTERPRETATIO.

[a] *fateor ingenuè.* [b] *nunc mihi* penè ſubiraſcor, *quia videor loquax.*

[c] *quàm multa paucis* verbis complexus es! *te rectè, &c.* [d] *meliùs valeas.*

[e] *rem quamlibet ſperandam nobis eſſe, cùm tres exercitus habeamus.*

[f] *malevolos contempſiſſe.*

[g] *ſi, te obſeſſo* Mutinæ, *tamen in te ſpem omnem habui, multò nunc magis te liberato.*

[h] *curam Reipublicæ, pro quâ hucuſque vigilavi, in te transferre.*

NOTÆ.

1. *Ut quotidie meliùs*] Multa quoque paucis complectitur Cicero, ut amici brevitatem imitetur. Nullam patitur hæc epiſtola difficultatem, ſi vigeſima tertia priùs lecta fuerit.

2. *Lepidum*] Conſule ſuperiorem epiſtolam.

3. *Frænum momordi*] Vide ſuperiorem epiſtolam.

4. *Vigiliam meam*] Tranſlatio petita ab

tibi tradere, [i] sed ita ut ne desim constantiæ meæ. Quod scribis, in Italiâ te moraturum, dum tibi literæ meæ veniant: si per hostem licet, [k] non erraris. [s] multa enim Romæ. [l] sin adventu tuo bellum confici potest, nihil sit antiquius. Pecunia, [m] expeditissima quæ erat, tibi decreta est. Habes amantissimum Servilium. nos non desumus. Vale. VIII. id. Jun.

INTERPRETATIO.

[i] *sic tamen, ut ejus defensionem non deseram.* [k] *rectè facies.*
[l] *sin verò adventus tuus in urbem bello finem impositurus est, nihil tibi sit antiquius* quàm ocius redire.
[m] *quæ paratissimæ erat.*

NOTÆ.

excubiis militum: noctem in quatuor vigilias Veteres distribuebant.
5. *Multa enim Romæ*] Dicuntur, quamobrem in Italiâ diutiùs morandum non sit. Laconismus. Vide notam 3. seq. epistolæ.

EPISTOLA XXV.

Scribit, omnem Reipublicæ spem positam esse in Bruto, & in Planco ejusdem Bruti collegâ. Eodem anno.

Cicero S. D. Bruto Imperatori.

EXPECTANTI mihi tuas quotidie literas Lupus noster subitò denuntiavit, ut ad te scriberem, si quid vellem. ego autem, etsi, quid scriberem, non habebam, (acta enim ad te mitti sciebam: [a] inanem autem sermonem literarum tibi injucundum esse audiebam) brevitatem secutus sum te magistro. scito igitur in te, & [1] in collegâ spem omnem esse. [b] De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum præcipis, privatis literis ad bellum commune vocare non desino. qui utinam jam adesset: [2] [c] intestinum urbis malum, quod est non mediocre, minùs timeremus. Sed quid ago? non imitor [d] λακωνισμὸν tuum. [e] altera jam pagella procedit. Vince, & vale. XIV. Kal. Quint.

INTERPRETATIO.

[a] *sciebam autem displicere tibi litteras, quæ rerum essent inanes.*
[b] *de Marco Bruto.*
[c] *domesticam civium dissensionem.*
[d] *tuam Laconicam brevitatem.*
[e] *jam complevi primam paginam.*

NOTÆ.

1. *In collegâ*] In Planco; ambo, ut anteà jam dictum, designati erant Consules.
2. *Intestinum*] Ortum ex ambitione Octaviani Cæsaris, quem ad petitionem Consulatûs, nonnulli maximo Reipublicæ detrimento impellebant.
3. Λακωνισμὸν] Lacones Peloponesi populi; qui summam in loquendo brevitatem affectabant.

EPISTOLA XXVI.

Timet Reipublicæ, ob Lepidi cum Antonio conjunctionem; legiones ac stipendium petit. Eadem anno, sed ante superiorem.

Brutus Imperator S. D. Ciceroni.

IN maximo meo dolore hoc solatio utor, quòd intelligunt homines, non sine causâ me timuisse ista, [1] quæ acciderunt. [2] Deliberent, utrùm trajiciant legiones ex Africâ, necne, & ex Sardiniâ: [3] Brutum accersant, necne: mihi stipendium dent, an non, decernant. ad senatum literas misi. crede mihi, [4] nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo, [5] magnum nos omnes adituros periculum. Rogo te, videte, quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant, & fide opus est, & celeritate. Vale. III. non. Jun. ex castris.

NOTÆ.

1. *Quæ acciderunt*] Lepidi cum Antonio conjunctionem.

2. *Deliberent*] Hæc ironicè, & cum stomacho dicta sunt; quasi verò in tanto rerum discrimine cunctationi locus esse deberet. Non consulto, sed facto jam opus est. Sic 2. Æneidos Turnus appropinquantibus hostibus:

Cogite consilium, & pacem laudate sedentes,
Illi armis in regna ruunt.

3. *Brutum*] Ex Macedoniâ.

4. *Nisi ista omnia fiant*] Nisi ad me legiones & stipendium mittantur.

5. *Periculum*] Quod futurum erat, prævidit; libertas enim diù luctata cum hostibus suis, tandem initâ inter Octavianum, Lepidum, & Antonium societate, solo afflicta est, ejusque defensores perierunt.

EPISTOLA XXVII.

Querelas quasdam Matii diluit, prolixâ & accuratâ commemoratione operis utriusque necessitudinis, Antonio & Dolabellâ Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo nono, quo Cæsar interfectus est.

Cicero S. D. C. Matio.

NONDUM satis constituì, molestiæne plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo tum plenus officii, tum utriusque nostrûm amantissimus. Nam cùm in Tusculanum vesperi venissem, postridie ille ad me, non dum satis firmo corpore cùm esset, mane venit. quem cùm objurgatem, quòd patùm valetudini parceret: tùm ille, nihil sibi fuisse [1] longius, quàm ut me videret. Nunquidnam, inquam, novi? detulit ad me querelam tuam: de quâ priùs quàm respondeo, pauca præponam. Quantùm memoriâ repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior,

INTERPRETATIO.

[1] optatius.

sed

ſed VETUSTAS habet aliquid commune cum multis, amor non habet. dilexi te, quo die cognovi, meque à te diligi judicavi. Tuus deinde [1] diſceſſus, iſque diuturnus, [2] ambitio noſtra, & [3] vitæ diſſimilitudo [b] non eſt paſſa voluntates noſtras conſuetudine conglutinari. tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, cùm Cæſar eſſet in Galliâ. quod enim vehementer mihi utile eſſe putabas, nec inutile eſſe Cæſari, perfeciſti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in ſuis. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiariſſimè dicta, ſcripta, communicata ſunt. graviora enim ſunt conſecuta. Et initio belli civilis, cùm Brunduſium verſus ires [4] ad Cæſarem, veniſti ad me [5] in Formianum, primùm, hoc ipſum [6] quanti, [7] temporibus illis? deinde, [c] oblitum me putas [8] conſilii, ſermonis, humanitatis tuæ? quibus rebus intereſſe memini Trebatium. Nec verò oblitus ſum literarum tuarum, quas ad me miſiſti, cùm [9] Cæſari obviam veniſſem in agro, ut arbitror, [10] Trebulano. Secutum illud tempus eſt, cùm me ad Pompeium proficiſci ſive [11] pudor meus coëgit, [12] ſive officium, ſive [13] fortuna. quod officium tuum, quod ſtudium vel in abſentem me, vel in præſentes meos defuit? quem porrò omnes mei & mihi, & ſibi te amiciorem judicaverunt? Veni [14] Brunduſium: oblitumne me putas, quâ celeritate, ut primùm audieris, ad me [15] Tarento advolaris, quæ [d] tua fuerit aſſeſſio, oratio, confirmatio animi mei fracti communium miſeriarum metu? [e]

INTERPRETATIO.

[b] *ſummam illam noſtram conſuetudinem aliquantulùm interpellarunt.*

[c] *putaſne me oblitum, &c.*

[d] *tua apud me commoratio.*

[e] *quomodò confirmaris animum meum fractum, &c.*

NOTÆ.

1. *Diſceſſus*] In Galliam, ubi novem & amplius annos ſub Cæſare ſtipendia fecit.

2. *Ambitio noſtra*] Honorum cupiditas, quâ qui ſtimulantur, amicitiæ leges nihil admodùm curare ſolent.

3. *Vita diſſimilitudo*] Tullius in foro, Matius in caſtris verſatus eſt.

4. *Ad Cæſarem*] Quando fugientem ex Italiâ Pompeium inſequebatur.

5. *In Formianum*] Formiani agri villam in Campaniâ.

6. *Quanti?*] Quanti faciendum ſcilicet, quòd ab recto deflexeris itinere, ut me amicum tuum inviſeres.

7. *Temporibus illis*] Perturbatiſſimis, cùm nulla fidei, amicitiæ nulla habetur ratio, ſed vi & armis geruntur omnia.

8. *Conſilii*] Ciceroni Matius author exciterat, ut nullam belli civilis partem attingeret; idipſum ei ſuaſerat Cæſar, neutri Tullius hac parte credidit.

9. *Cùm Cæſari*] Brunduſio redeunti, poſt ejectum ex Italiâ Pompeium.

10. *In agro Trebulano*] Trebulam in Campaniâ collocant Ptolemæus & Livius *Monte Leone*, ut quidam exiſtimant.

11. *Sive pudor*] Quia Reipublicæ ſuſtinere partes putabatur Pompeius; Reipublicæ autem deeſſe Tullius non poterat.

12. *Officium*] Pompeii nempe operâ, fuerat ab exilio revocatus: poſtulabant autem officii leges, ut ſe beneficii memorem exhiberet.

13. *Fortuna*] Quæ nos ſæpè vel reluctantes in ultima pericula impellit.

14. *Brunduſium*] Profligato in campis Pharſalicis Pompeio.

15. *Tarento*] Urbe Calabriæ. Vide indicem Geographicum.

Digitized by Google

EPISTOLA XVIII.

Brutum leviter reprehendit, quòd profligato ad Mutinam Antonio, tamen timere se significasset. Post interfectos Hirtium & Pansam Consules, anno urbis conditæ septingentesimo decimo.

Cicero s. d. Bruto Imperatori.

ETsi ex mandatis, quæ Galbæ, Volumnioque ad senatum dedisti, [1] quid timendum, suspicandumque putares, suspicabamur: tamen timidiora mandata videbantur, quàm erat dignum tuâ, populique Romani [2] victoriâ. senatus autem, mi Brute, fortis est, & habet fortes [3] duces. Itaque molestè ferebat, se à te, quem omnium, quicunque fuissent, fortissimum judicaret, timidum atque ignavum judicari. etenim cùm, [a] te incluso, spem maximam omnes habuissent in tuâ virtute, [4] florente Antonio; quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec verò Lepidum timebamus. quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissimâ pace bellum reipublicæ indiceret? Nec dubito, quin tu plus provideas. sed tamen, [5] tam recenti gratulatione, quam [6] tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renovatio timoris magnam molestiam afferebat. Quare velim equidem, id quod spero, ut planè abjectus, & fractus sit Antonius: sin aliquid virium fortè collegerit, sentiet, nec senatui consilium, nec populo Romano virtutem deesse, nec reipublicæ, te vivo, imperatorem. XIV. Kalendas Junii. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *te obsesso* Mutinæ.

NOTÆ.

1. *Quid timendum*] Timebat, ne Antonius ad Lepidum se conferret, cum eoque conjunctus, Reipublicæ bellum rursus indiceret, quod re ipsâ contigit.

2. *Victoriâ*] De Antonio ad Mutinam relatâ.

3. *Duces*] Se ipsum occultè significat Cicero, qui suis contrà Antonium orationibus senatores in Antonium excitabat.

4. *Florente*] Ante cladem acceptam; cùm florentem adhuc exercitum haberet.

5. *Tam recenti gratulatione*] Indicat supplicationem, quæ decreta est Decimo Bruto ob Mutinensem victoriam.

6. *Tuo nomine*] Ob liberatam obsidione Mutinam, tuumque felicem ex illâ urbe discessum.

EPISTOLA XIX.

Suam, reique publicæ vicem timet; rogat ne quid Vicetinis injuriæ fiat. Eodem anno.

Brutus s. d. Ciceroni.

AD senatum quas literas misi, velim priùs perlegas, & si qua tibi videbuntur, commutes. necessariò me scripsisse ipse animadvertes. nam cùm

cùm putarem quartam & Martiam legiones [1] mecum futuras, ut [2] Druſo [3] Pauloque placuerat, vobis aſſentientibus, minus [4] de reliquis rebus laborandum exiſtimavi. nunc verò cùm ſim cum tironibus egentiſſimis, valdè & [a] meam, & veſtram vicem timeam neceſſe eſt. [7] Vicetini me, & M. Brutum præcipuè [b] obſervant. his, ne quam patiare injuriam fieri in ſenatu [c] vernarum causâ, à te peto. cauſam habent optimam, officium in rempublicam ſummum, [d] genus hominum adverſariorum ſeditioſum, & inertiſſimum. XII. Kal. Jun. [7] Vercellis.

INTERPRETATIO.

[a] *meum ac veſtrum periculum.* [b] *honorant.* [c] *abjectiſſimorum hominum causâ.* [d] *habentque adverſarios ſeditioſos & inertes.*

NOTÆ.

1. *Mecum futuras*] Poſt obitum Conſulum Hirtii & Panſæ. Vide interpretationem quintam epiſtolæ 14.

2. *Druſo*] Senatori ex Livia gente.

3. *Pauloque*] Lucio Æmilio Paulo, qui à Lepido fratre Triumviro proſcriptus eſt.

4. *Reliquis rebus*] Quas à Senatu petierat Brutus, nec fortè impetrarat.

5. *Vicetini*] Seu Vicentini. Vicentia urbs Venetæ ditionis Mediterranea, nobilis juxta & antiqua; vulgò nunc *Vicenza*.

6. *Vernarum*] Per contemptum Vernas appellat Vicetinorum adverſarios.

7. *Vercellis*] Vercellæ, Galliæ Circumpadanæ civitas, Libicorum caput, juxta Inſubriam, ſeu Ducatum Mediolanenſem, hodie *Vercelli*.

EPISTOLA XX.

Timet Brutus, ne Octavianum Cicero vaculâ offenderit; monet ut ſibi veteranorum animos quovis modo reconciliet. Eodem anno.

Brutus Imperator S. D. Ciceroni.

QUOD pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaque officia cogunt, ut timeam. ſæpè enim mihi cùm eſſet dictum, [a] neque à me contemptum, noviſſimè Labeo Segulius, [b] homo ſui ſimillimus, narravit mihi, apud Cæſarem ſe fuiſſe, multúmque ſermonem de te habitum eſſe: ipſum Cæſarem nihil ſanè de te queſtum, [c] [1] niſi dictum, quòd diceret te dixiſſe laudandum [d] adoleſcentem, ornandum, [2] tollendum, [e] ſe non

INTERPRETATIO.

[a] *neque neglexiſſem id quod mihi* dictum erat. [b] *homo nequam & vafer.* [c] *niſi de vaculâ, quam è te prenumerabam.* [d] *Octavianum.* [e] *ſe non permiſſurum ut poſſit interfici.*

NOTÆ.

1. *Niſi dictum*] Subſtantivum eſt, ſumiturque pro brevi & acuta ſententiâ.

2. *Tollendum*] Ambigua vox, nunc honorem, nunc mortem ſignificat: tollere

esse commissurum, ut tolli possit. [f] hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum. Veteranos verò pessimè [g] loqui, volebat Labeo me credere, & tibi ab iis instare periculum, maximéque indignari, quòd [h] in Decemviris neque Cæsar, neque ego habiti
3 essemus, atque omnia [4] ad vestrum arbitrium essent collata. Hæc cùm audissem, & jam [5] in itinere essem, committendum non putavi, priùs ut Alpes transgrederer, quàm, quid [h] istic ageretur, scirem: [i] nam de tuo periculo, crede mihi, jactatione verborum, & denuntiatione periculi spectare eos, te perterrefacto, adolescente [6] impulso, posse magna consequi præmia,
10 & totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quamplurimùm lucri faciant. [k] neque tamen non te cautum esse volo, & insidias vitantem. nihil enim tuâ mihi vitâ potest esse jucundius, neque carius. Illud vide, ne, timendo, magis timere cogare: &, [l] quibus rebus potest occurri veteranis, occurras: [m] primùm, quòd desiderant de Decemviris; facias: [n] deinde de præmiis, si
15 tibi videtur, agros militum eorum, qui cum Antonio veterani fuerunt, his dandos censeas ab utrisque nostrûm, [o] de nummis, lentè, ac ratione habitâ pecuniæ: senatum de eâ re constituturum. quatuor legionibus iis, quibus agros dandos censuistis, [p] video facultatem fore ex agris Syllanis & agro Cam-

INTERPRETATIO

[f] *puto ego Octavianum Cæsarem de te id quæstum non esse, sed Labeonem finxisse hanc voculam*, quasi à te pronuntiata esset, *& Cæsari retulisse.*

[g] de te.

[h] *Roma.*

[i] *quòd enim ad periculum tuum spectat, crede mihi, hæc omnia quæ jactant, crebrisque sermonibus, velut cantilenam usurpant, eo consilio ab illis jactantur, ut te perterrefacto, & irritato Cæsare, quàm maximum quæstum inde faciant.*

[k] *volo tamen ut tibi caveas, periculumque declines.*

[l] *& placa veteranos, eâ ratione quâ placari possunt.*

[m] *primùm* me & Cæsarem *Decemviros creari cures.*

[n] *deinde, quòd ad præmia* veteranorum attinet, *censeas, veteranis, qui offenso in te animo sunt, dividendos à me, & à Cæsare agros militum eorum, qui Antonio adhæserunt.*

[o] *de pecuniâ* quam veterani appetunt, *non facilè largiaris*, ne ab eâ tantis in periculis imparati simus, *tantúmque dicas, senatum, quid opus facto sit, constituturum.*

[p] *Video posse commodè agros, quos Sylla militibus suis assignaverat, & partem agri Campani*, quam Cæsar primo suo Consulatu non diviserat, *assignari quatuor legionibus, quibus agros dandos judicastis.*

NOTÆ.

enim modò est extollere, & ornare, modò interficere, in malam partem Cæsar interpretatus est.

3. *In Decemviris*] In quibus erat Cicero, quique creati fuerant, ut ab Antonio Consulatûs rationem reposcerent, vel agros veteranis distribuendi curam susciperent.

4. *Ad vestrum arbitrium*] His neglectis, qui pro salute patriæ, & cum vitæ periculo extra Romam dimicant.

5. *In itinere*] Ad prosequendum Antonium.

6. *Impulso*] Exulcerato Octaviani animo, propter illam tuam voculam, *tollendum Cæsarem.*

Digitized by Google

pano. q æqualiter, aut ſorte agros legionibus aſſignari puto oportere. r Hæc me tibi ſcribere non prudentia mea hortatur, ſed amor in te, & s cupiditas otii, quod ſine te conſiſtere non poteſt. Ego, niſi valdè neceſſe fuerit, ex Italiâ non excedam. legiones armo, paro: ſpero me non peſſimum exercitum habiturum ad omnes caſus, & impetus hominum. de exercitu, quem Panſa habuit, legionem mihi Cæſar non remittit. Ad has literas ſtatim mihi reſcribe, tuorumque aliquem mitte, ſi quid reconditum magis erit, meque ſcire opus eſſe putaris. Vale. VIII. Kal. Jun. 7 Eporædia.

INTERPRETATIO.

q *puto æqualiter dividendos militibus agros, ſive ductis ſortibus, diſtribuendos.*
r *hæc tibi non ſcribo, quaſi exiſtimem plura me videre, quàm tu videas.*
s *amor pacis, qua, &c.*

NOTÆ.

7. *Eporadiâ*] Salaſſorum urbs, in Galliâ Tranſpadanâ, non procul à Vercellis: hodie appellatur *Jurea* & *Inurea*.

EPISTOLA XXI.

Reſcribit ad ſuperiorem Bruti epiſtolam.

Cicero s. D. Bruro Imperatori.

Dii iſti 1 Segulio malè faciant, homini nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt. quid? a tu illum tecum ſolum, aut cum Cæſare, qui neminem prætermiſerit, quî cum loqui potuerit, cui non eadem iſta dixerit? te tamen, mi Brute, ſic amo, ut debeo, quòd iſtud, quidquid eſſet, 2 nugarum me ſcire voluiſti: ſignum enim magnum amoris dediſti. Nam quòd idem Segulius ait veteranos queri, quòd tu & Cæſar in Decemviris non eſſetis: utinam ne ego quidem eſſem: b quid enim 3 moleſtius? ſed tamen, cùm ego ſenſiſſem, c de iis, qui exercitus haberent, ſententiam ferri oportere: d iidem illi qui ſolent, reclamarunt: e itaque excepti etiam eſtis, me vehementer repugnante. Quocirca Segulium negligamus, qui f 4 res novas quærit: non quò veterem comederit (nullam enim habuit) ſed

INTERPRETATIO.

a *tune illum* Segulium *tecum ſolùm, aut cum Cæſare* locutum *contra me putas? qui, &c.*
b creatus Decemvir, *quid enim* hoc magiſtratu *nunc moleſtius?*
c *te, & Cæſarem Decemviros eſſe creandos.*
d *obtrectatores tui reſtiterunt.*
e *excluſi eſtis à decemviratu.*
f *rerum perturbationem.*

NOTÆ.

1. *Iſti Segulio*] De quo poſtremis tuis litteris ſcripſiſti: *iſti*, per contemptum & indignationem.

2. *Nugarum*] Nugas appellat ſermones, quos Segulius Labeo cum Cæſare, & Bruto habebat. Vide ſup. epiſt.

3. *Moleſtius*] In tantâ rerum perturbatione.

4. *Res novas*] Ambigua vox; vult autem Cicero intelligi patrimonium, *non quò veterem comederit*, id eſt, non quòd patrimonium aliquod ſuum vetus, ablumpſe-

hanc ipsam, [5] recentem novam devoravit. Quod autem scribis, te, quod pro te ipso non facias, id pro me facere, ut de me timeas aliquid: omitte, vir optime, mihique carissime Brute, de me metu libero. Ego enim, quæ provideri poterunt, non fallar in iis: [5] quæ cautionem non habebunt, de iis non ita valdè laboro. [*] sim etenim impudens, si plus postulem, quàm homini à rerum naturâ [6] tribui potest. Quod mihi præcipis, ut caveam, ne, timendo, magis timere cogar: & sapienter, & amicissimè præcipis: sed velim tibi persuadeas, cùm te constet excellere hoc genere virtutis, ut nunquam extimescas, nunquam perturbere, me huic tuæ virtuti proximè accedere. [a] Quamobrem neque metuam quidquam, & cavebo omnia. sed vide, ne tua jam, mi Brute, [7] culpa futura sit, si ego quidquam timeam. tuis enim opibus, & [8] consulatu tuo, etiamsi timidi essemus, tamen omnem timorem abjiceremus, præsertim cùm persuasum omnibus esset, mihique maximè, nos à te unicè diligi. Consiliis tuis, quæ scribis, [9] de quatuor legionibus, deque agris assignandis ab [i] utrisque vestrûm, vehementer assentior. itaque, [k] cùm quidam de collegis nostris agrariam curationem [10] ligurirent, disturbavi rem, totamque vobis integram reservavi. si quid erit occultius, &, ut scribis, reconditum, meorum aliquem mittam, quo fideliùs ad te literæ perferantur. Valè. Pridie non. Jun.

INTERPRETATIO.

[5] *quæ caveri non poterunt.* [*] *essem enim impudens, si plus postularem, &c.*

[a] *sic cavebo ab inimicis meis, ut nihil tamen eos extimescam.* [i] *à te & ab Octaviano.*

[k] *cùm aliqui de Decemviris collegis mei vehementer cuperent agros assignare militibus; ego perfeci, ut tibi & Octaviano integrum id relinqueretur.*

NOTÆ.

rit, quod nullum ei fuit, sed hanc ipsam rem, (fortè bona aliqua ei à Cæsare attributa) devoravit.

5. *Recentem novam*] Recentem, quia nuperrimè hæreditatem illam, quæcunque tandem illa sit, & unde illa sit, acceperat: novam, quia nullam unquam anteà: novum enim ad rem, recens ad tempus pertinet: novum est, quod nunc primùm habemus; recens, quod nuper.

6. *Tribui potest*] Natura autem non dedit homini, ut omnia cavere & providere possit, cùm sapientissimus quisque non rarò cæcutiat.

7. *Tuâ culpâ*] Quòd victum Antonium non oppresseris, cujus tamen unius furorem extimesco.

8. *Consulatu tuo*] Non tàm erat Consul Brutus, cùm hæc Tullius scribebat, sed designatus in annum sequentem.

9. *De quatuor legionibus*] Vide epistolam superiorem.

10. *Ligurirent*] Id est, appeterent, ambirent, nisi malis cum Budæo sic explicare, cùm legis Agrariæ mentionem sensim tentarent, & cum magnâ suavitate in animo versarent.

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

Commendat Bruto Appium Claudium. Eodem anno.

Cicero s. d. Bruto Imperatori.

CUM Ap. Claudio [a] C. F. summa mihi necessitudo est, multis ejus officiis, & meis mutuis constituta. peto à te majorem in modum, vel humanitatis tuæ, vel meâ causâ, ut cum auctoritate tuâ, quæ plurimùm valet, [1] conservatum velis. volo te, cùm [2] fortissimus vir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum. [b] cujus quidem causa hoc melior debet esse, quòd, pietate adductus, [3] propter patris restitutionem se cum Antonio conjunxit. quare etsi [4] minùs veram causam habebis, tamen vel probabilem aliquam poteris inducere. [c] mutus tuus potest hominem summo loco natum, summo ingenio, summâ virtute, officiosissimum præterea, & gravissimum, incolumem in civitate retinere. quod ut facias, ita à te peto, ut majore studio, magisve ex animo petere non possim. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *Caii filio.* [b] *cui quidem eò libentiùs favere debes, quòd, &c.* [c] *si velis, potes, &c.*

NOTÆ.

1. *Conservatum*] Facias, ne judicetur hostis patriæ, quia post Cæsaris necem se cum Antonio conjunxit.

2. *Fortissimus*] Et in cæde Cæsaris, & in Mutinensi prælio.

3. *Propter patris restitutionem*] Indicare videtur, patrem Appii Claudii exulem in patriam ab Antonio Consule revocatum esse; cujus beneficii in patrem collati, ut memorem se Appius exhiberet, Antonii signa secutus erat.

4. *Minùs veram*] Quia reverà Appius contra patriam arma tulit.

EPISTOLA XXIII.

Bono jubet esse animo Ciceronem, benèque de Republicâ sperare. Eodem anno.

Brutus s. d. Ciceroni.

NOS hîc valemus rectè, & quo melius valeamus, operam dabimus. Lepidus [a] commodè de nobis sentire videtur. omni timore depositò, debemus liberè reipublicæ consulere. [b] quòd si omnia essent aliena, tamen [1] tribus tantis exercitibus, [c] propriis reipublicæ valentibus, magnum ani-

INTERPRETATIO.

[a] *in Rempublicam optimè affectus.* [b] *& quamvis Lepidus à Republicâ alienus esset.* [c] *addictis Reipublicæ, & fortissimis.*

NOTÆ.

1. *Tribus*] Quibus præsunt Octavianus, Plancus, & Decimus Brutus.

mum habere debebas, quem & ſemper habuiſti, & nunc, [d] fortunâ adjuvante augere potes. Quæ tibi ſuperioribus literis meâ manu ſcripſi, terrendi tui causâ [2] homines loquuntur. [3] ſi [e] frænum momorderis, [4] peream, ſi te omnes, quotquot ſunt, conantem loqui ferre poterunt. Ego, tibi ut antè ſcripſi, dùm mihi à te literæ veniant, in Italiâ morabor. Vale. VIII. Kal. Jun. Eporædiæ.

INTERPRETATIO.

[d] *victoriâ Mutinenſi.* [e] *eorum minas ſi neglexeris.*

NOTÆ.

2. *Homines*] Malevoli, qualis eſt Segulius Labeo. Conſule epiſt. 20.

3. *Si frænum momorderis*] Tranſlatio ducta ab equis, qui poſtquam momorderunt frænum, contemnunt ſeſſores ſuos, & excutiunt; ſic tu, ſi malevolos homines contempſeris, ſuſtinere te, mihi crede, vel conantem loqui, multò minùs loquentem, poterunt.

4. *Peream*] Modus affirmandi, id eſt, non recuſo mortem.

EPISTOLA XXIV.

Ademptum ait ſibi timorem omnem Bruti litteris, optimèque jam de Republicâ ſperare. Eodem anno.

Cicero S. D. Bruto.

[a] NARRO tibi: anteà ſubiraſcebar brevitati tuarum literarum: [b] nunc mihi loquax eſſe videor. te igitur imitabor. [c] Quàm multa quàm paucis! Te rectè valere, operamque dare, [1] ut quotidie [d] meliùs: [2] Lepidum commodè ſentire: tribus exercitibus, [e] quidvis nos oportere conſidere. ſi timidus eſſem, tamen iſtâ epiſtolâ mihi omnem metum abſterſiſſes: ſed, ut mones, [f] [3] frænum momordi. etenim, [g] qui, te incluſo, omnem ſpem habuerim in te, quid nunc putas? [h] cupio [4] jam vigiliam meam, Brute,

INTERPRETATIO.

[a] *fateor ingenuè.* [b] *nunc mihi* penè ſubiraſcor, *quia videor loquax.*

[c] *quàm multa paucis* verbis complexus es! *te rectè, &c.* [d] *melùs valeas.*

[e] *rem quamlibet ſperandam nobis eſſe, cùm tres exercitus habeamus.*

[f] *malevolos contempſi.*

[g] *ſi, te obſeſſo* Mutinæ, *tamen in te ſpem omnem habui, multò nunc magis te liberato.*

[h] *curam Reipublicæ, pro quâ hucuſque vigilavi, in te transferre.*

NOTÆ.

1. *Ut quotidie meliùs*] Multa quoque paucis complectitur Cicero, ut amici brevitatem imitetur. Nullam patitur hæc epiſtola difficultatem, ſi vigeſima tertia priùs lecta fuerit.

2. *Lepidum*] Conſule ſuperiorem epiſtolam.

3. *Frænum momordi*] Vide ſuperiorem epiſtolam.

4. *Vigiliam meam*] Tranſlatio petita ab

tibi tradere, [i] sed ita ut ne desim constantiæ meæ. Quod scribis, in Italiâ te moraturum, dum tibi literæ meæ veniant: si per hostem licet, [k] non erraris. [s] multa enim Romæ. [l] sin adventu tuo bellum confici potest, nihil sit antiquius. Pecunia, [m] expeditissima quæ erat, tibi decreta est. Habes amantissimum Servilium. nos non desumus. Vale. VIII. id: Jun.

INTERPRETATIO.

[i] *sic tamen, ut ejus defensionem non deseram.* [k] *rectè facies.*
[l] *sin verò adventus tuus in urbem bello finem impositurus est, nihil tibi sit antiquius quàm ocius redire.*
[m] *qua paratissima erat.*

NOTÆ.

excubiis militum: noctem in quatuor vigilias Veteres distribuebant.

5. *Multa enim Romæ*] Dicuntur, quamobrem in Italiâ diutiùs morandum non sit. Laconismus. Vide notam 3. seq. epistolæ.

EPISTOLA XXV.

Scribit, omnem Reipublicæ spem positam esse in Bruto, & in Planco ejusdem Bruti collegâ. Eodem anno.

Cicero S. D. Bruto Imperatori.

EXPECTANTI mihi tuas quotidie literas Lupus noster subitò denuntiavit, ut ad te scriberem, si quid vellem. ego autem, etsi, quid scriberem, non habebam, (acta enim ad te mitti sciebam: [a] inanem autem sermonem literarum tibi injucundum esse audiebam) brevitatem secutus sum te magistro. scito igitur in te, & [1] in collegâ spem omnem esse. [b] De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum præcipis, privatis literis ad bellum commune vocare non desino. qui utinam jam adesset: [2] [c] intestinum urbis malum, quod est non mediocre, minùs timeremus. Sed quid ago? non imitor [d] λακωνισμὸν tuum. [e] altera jam pagella procedit. Vince, & vale. XIV. Kal. Quint.

INTERPRETATIO.

[a] *sciebam autem displicere tibi litteras, quarum essent inanes.*
[b] *de Marco Bruto.*
[c] *domesticam civium dissensionem.*
[d] *tuam Laconicam brevitatem.*
[e] *jam complevi primam paginam.*

NOTÆ.

1. *In collegâ*] In Planco; ambo, ut anteà jam dictum, designati erant Consules.

2. *Intestinum*] Ortum ex ambitione Octaviani Cæsaris, quem ad petitionem Consulatûs, nonnulli maximo Reipublicæ detrimento impellebant.

3. Λακωνισμὸν] Lacones Peloponesi populi; qui summam in loquendo brevitatem affectabant.

EPISTOLA XXVI.

Timet Reipublicæ, ob Lepidi cum Antonio conjunctionem; legiones ac stipendium petit. Eodem anno, sed ante superiorem.

Brutus Imperator S. D. Ciceroni.

IN maximo meo dolore hoc solatio utor, quòd intelligunt homines, non sine causâ me timuisse ista, [1] quæ acciderunt. [2] Deliberent, utrùm trajiciant legiones ex Africâ, necne, & ex Sardiniâ: [3] Brutum accersant, necne: mihi stipendium dent, an non, decernant. ad senatum literas misi. crede mihi, [4] nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo, [5] magnum nos omnes adituros periculum. Rogo te, videte, quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant, & fide opus est, & celeritate. Vale. III. non. Jun. ex castris.

NOTÆ.

1. *Quæ acciderunt*] Lepidi cum Antonio conjunctionem.

2. *Deliberent*] Hæc ironicè, & cum stomacho dicta sunt; quasi verò in tanto rerum discrimine cunctationi locus esse deberet. Non consulto, sed facto jam opus est. Sic 2. Æneidos Turnus appropinquantibus hostibus:

Cogite consilium, & pacem laudate sedentes,
Illi armis in regna ruunt.

3. *Brutum*] Ex Macedoniâ.

4. *Nisi ista omnia fiant*] Nisi ad me legiones & stipendium mittantur.

5. *Periculum*] Quod futurum erat, prævidit; libertas enim diù luctata cum hostibus suis, tandem initâ inter Octavianum, Lepidum, & Antonium societate, solo affricta est, ejusque defensores perierunt.

EPISTOLA XXVII.

Querelas quasdam Matii diluit, prolixâ & accuratâ commemoratione veteris utriusque necessitudinis, Antonio & Dolabellâ Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo nono, quo Cæsar interfectus est.

Cicero S. D. C. Matio.

NONDUM satis constituì, molestiæne plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo tum plenus officii, tum utriusque nostrûm amantissimus. Nam cùm in Tusculanum vesperi venissem, postridie ille ad me, non dum satis firmo corpore cùm esset, mane venit. quem cùm objurgatem, quòd patùm valetudini parceret: tùm ille, nihil sibi fuisse [a] longius, quàm ut me videret. Nunquidnam, inquam, novi? detulit ad me querelam tuam: de quâ priùs quàm respondeo, pauca præponam. Quantùm memoriâ repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior,

INTERPRETATIO.

[a] *optatius.*

sed

ſed VETUSTAS habet aliquid commune cum multis, amor non habet. dilexi te, quo die cognovi, meque à te diligi judicavi. Tuus deinde [1] diſceſſus, iſque diuturnus, [2] ambitio noſtra, & [3] vitæ diſſimilitudo [b] non eſt paſſa voluntates noſtras conſuetudine conglutinari. tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, cùm Cæſar eſſet in Galliâ. quod enim vehementer mihi utile eſſe putabas, nec inutile eſſe Cæſari, perfeciſti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in ſuis. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiariſſimè dicta, ſcripta, communicata ſunt. graviora enim ſunt conſecuta. Et initio belli civilis, cùm Brunduſium verſus ires [4] ad Cæſarem, veniſti ad me [5] in Formianum. primùm, hoc ipſum [6] quanti, [7] temporibus illis? deinde, [c] oblitum me putas [8] conſilii, ſermonis, humanitatis tuæ? quibus rebus intereſſe memini Trebatium. Nec verò oblitus ſum literarum tuarum, quas ad me miſiſti, cùm [9] Cæſari obviam veniſſem in agro, ut arbitror, [10] Trebulano. Secutum illud tempus eſt, cùm me ad Pompeium proficiſci ſive [11] pudor meus coëgit, [12] ſive officium, ſive [13] fortuna. quod officium tuum, quod ſtudium vel in abſentem me, vel in præſentes meos deſuit? quem porrò omnes mei & mihi, & ſibi te amiciorem judicaverunt? Veni [14] Brunduſium: oblitumne me putas, quâ celeritate, ut primùm audieris, ad me [15] Tarento advolaris, quæ [d] tua fuerit aſſeſſio, oratio, confirmatio animi mei fracti communium miſeriarum metu? [e]

INTERPRETATIO.

[b] *ſummam illam noſtram conſuetudinem aliquantulùm interpellarunt.*
[c] *putaſne me oblitum, &c.*
[d] *tua apud me commoratio.*
[e] *quomodò confirmaris animum meum fractum, &c.*

NOTÆ.

1. *Diſceſſus*] In Galliam, ubi novem & ampliùs annos ſub Cæſare ſtipendia fecit.

2. *Ambitio noſtra*] Honorum cupiditas, quâ qui ſtimulantur, amicitiæ leges nihil admodùm curare ſolent.

3. *Vita diſſimilitudo*] Tullius in foro, Matius in caſtris verſatus eſt.

4. *Ad Cæſarem*] Quando fugientem ex Italiâ Pompeium inſequebatur.

5. *In Formianum*] Formiani agri villam in Campaniâ.

6. *Quanti?*] Quanti faciendum ſcilicet, quòd ab recto deflexeris itinere, ut me amicum tuum inviſeres.

7. *Temporibus illis*] Perturbatiſſimis, cùm nulla fidei, amicitiæ nulla habetur ratio, ſed vi & armis geruntur omnia.

8. *Conſilii*] Ciceroni Matius author exiterat, ut nullam belli civilis partem attingeret; idipſum ei ſuaſerat Cæſar, neutri Tullius hac parte credidit.

9. *Cùm Cæſari*] Brunduſio redeunti, poſt ejectum ex Italiâ Pompeium.

10. *In agro Trebulano*] Trebulam in Campaniâ collocant Ptolemæus & Livius *Monte Leone*, ut quidam exiſtimant.

11. *Sive pudor*] Quia Reipublicæ ſuſtinere partes putabatur Pompeius; Reipublicæ autem deeſſe Tullius non poterat.

12. *Officium*] Pompeii nempe operâ, fuerat ab exilio revocatus: poſtulabant autem officii leges, ut ſe beneficii memorem exhiberet.

13. *Fortuna*] Quæ nos ſæpè vel reluctantes in ultima pericula impellit.

14. *Brunduſium*] Profligato in campis Pharſalicis Pompeio.

15. *Tarento*] Urbe Calabriæ. Vide indicem Geographicum.

Digitized by Google

Tandem aliquando Romæ esse cœpimus: quid defuit nostræ familiaritati in maximis rebus, quonam modo me gererem [f] adversus Cæsarem, usus tuo consilio sum. In reliquis officiis cui tu tribuisti, [g] excepto Cæsare præter me, ut domum venitares, horasque multas sæpè suavissimo sermone consumeres? tùm cùm etiam, si meministi, [h] ut hæc φιλοσοφούμενα scriberem, tu me [16] impulisti. [17] Post Cæsaris reditum quid tibi majori curæ fuit, quàm ut essem ego illi quamfamiliarissimus? quod effeceras. [i] Quorsùm igitur hæc oratio longior, quàm putaram? quia sum admiratus, te, qui hæc nosse deberes, quidquam à me commissum, quod esset alienum nostra amicitia, credidisse. nam præter hæc, quæ commemoravi, quæ [k] testata sunt, & illustria, habeo multa occultiora, quæ vix verbis exequi possum: omnia me tua delectant, sed maximè maxima cùm fides in amicitiâ, consilium, gravitas, constantia, tùm lepos, humanitas, literæ. quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te [18] suffragium tulisse in illâ lege, primùm non credidi: deinde, si credidissem, nunquam id sine aliquâ justâ causâ existimarem te fecisse. dignitas tua facit, ut animadvertatur, quidquid facias: malevolentia autem hominum, ut nonnulla [l] duriùs, quàm à te facta sint, proferantur. [m] ea si tu non audis, quid dicam nescio: equidem, [19] si quando audio, tam defendo, quàm me scio à te contra iniquos meos solere defendi. Defensio autem est duplex. alia sunt quæ [n] liquidò negare soleam, [o] ut de isto ipso suffragio: alia, quæ defendam à te [p] piè sieri, & humanè, ut de [20] curatione ludorum. sed te hominem doctissimum, non

INTERPRETATIO.

[f] *erga* [g] *neminem invisebas, præter me, & Cæsarem.*

[h] *ad scribendos libros Philosophicos impulisti.*

i *quorsùm igitur hæc ad te scribo fusiùs, &c.*

[k] *manifesta.*

[l] *in deteriorem partem accipiuntur*

[m] *hoc genus excusationis si non admiseris*

[n] *apertè.*

[o] *sicut nego te suffragio tuo probasse legem Cæsaris.*

[p] *benignè*

NOTÆ.

16. *Impulisti*] Maximè tamen, ut eos scriberet, adductum se à Bruto, affirmat in quæstionibus Tusculanis.

17. *Post Cæsaris reditum*] Ex Hispaniâ, confectis omnibus civilibus bellis. quinquies Romam venit Cæsar post excitatam civilem discordiam: primò, ejecto ex Italiâ Pompeio: secundò, debellatis in Hispaniâ Pompeii legatis Petreio & Afranio: tertiò, post devictum in Ægypto Ptolemæum, & Pharnacem in Asiâ: quartò, post Africanum bellum, Scipione, Jubâ, & Catone profligatis: quintò demùm, superatis ad Mundam in Hispaniâ Pompeii liberis.

18. *Suffragium tulisse*] Initio belli civilis legem tulerat Cæsar, ut arbitri darentur, per quos æstimarentur agri, & possessiones, quanti quæque eorum ante bellum fuissent, eæque creditoribus traderentur; unde cùm damni plurimùm creditores perciperent, hujus legis invidiam à se Matius amovebat.

19. *Si quando audio*] Te accusari quasi legi Cæsaris suffragatus esses.

20. *Curatione ludorum*] Interfecto Cæsare, ludos ab Octaviano factos procura-

fugit, q si Cæsar rex fuerit, quod mihi quidem videtur r 21 in utramque partem de tuo officio disputari posse: vel in eam, quâ ego uti soleo, laudandam esse fidem, & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: vel in eam, quâ nonnulli utuntur, libertatem patriæ vitæ amici anteponendam. ex his sermonibus utinam essent delatæ ad te disputationes meæ. Illa verò duo, s quæ maxima sunt, laudum tuarum, quis aut libentiùs, quàm ego, commemorat, aut sæpiùs: te & non suscipiendi belli civilis gravissimum auctorem fuisse, & 22 moderandæ victoriæ? in quo qui mihi non assentiretur, inveni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio, familiari nostro, qui mihi dedit causam harum literarum. quibus nisi credideris, me omnis officii & humanitatis expertem judicaris. quo neq; mihi gravius quidquam potest esse, nec à te alienius. Vale.

INTERPRETATIO.

q *si modò id verum est, quod mihi videtur, Cæsarem Regem fuisse.*

r *utramque partem accipi posse.*

s *in quibus laus tua maxima consistit*

§ *tuam ludorum Cæsaris curationem in*

NOTÆ.

verat Matius; id Cicero affirmat se in eam partem interpretatum, ut piè & humanè feciſſe Matium diceret.

21. *In utramque partem*] In hac ludorum curatione, nonnulli fidem Matii & humanitatem laudabant, inter quos Cicero: dictitabant alii amicitiæ nimis indulsisse Matium, cùm patriæ salus esse debeat omni amicitiâ antiquior, nec debuisse curare ludos exhibitos in honorem Cæsaris, qui regiam potestatem exercuerat, oppressâ libertate.

22. *Moderandæ victoriæ*] Rogando Cæsarem, victis ut civibus parceret.

EPISTOLA XXVIII.

Respondet Matius superiori Ciceronis epistolæ. Eodem anno.

Matius s. d. Ciceroni.

MAGNAM voluptatem ex tuis literis cepi, quòd, quam speraram, atque optaram, habere te de me opinionem cognovi. de quâ etsi non dubitabam, tamen, quia maximi æstimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. Conscius autem mihi eram, nihil à me commissum esse, quod boni cujusquam offenderet animum. eò minùs credebam, plurimis, atque optimis artibus ornato tibi temerè quidquam persuaderi potuisse, t præsertim in quem mea propensa, & perpetua fuisset, atque esset benevolentia. Quod quando, ut volui, scio esse, respondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tuâ singulari bonitate, & amicitiâ nostrâ sæpè restitisti.

INTERPRETATIO.

t *tibi, inquam, quem singulari semper benevolentiâ complexus sum.*

Digitized by Google

nota enim mihi sunt, quæ in me post Cæsaris mortem contulerint. [b] Vitio mihi dant, quòd mortem hominis necessarii graviter fero, atque eum, quem dilexi, periisse indignor. aiunt enim patriam amicitiæ præponendam esse: [c] perinde ac si jam vicerint, obitum ejus reipublicæ fuisse utilem. [d] sed non agam astutè, fateor me ad istum gradum sapientiæ [1] non perveniſſe. neque enim Cæsarem in dissensione civili sum secutus: sed amicum, [e] quanquam re offendebar, tamen non deserui: neque bellum unquam civile, aut etiam causam dissensionis probavi, quam etiam nascentem extingui, summè studui. Itaque, in victoriâ [f] hominis necessarii, neque honoris, neque pecuniæ dulcedine sum captus. quibus præmiis [g] reliqui, minùs apud eum, quàm ego, cùm possent, immoderatè sunt abusi. Atque etiam res familiaris mea, lege Cæsaris [2] diminuta est: cujus beneficio plerique, qui Cæsaris morte lætantur, remanserunt in civitate. Civibus victis ut parceretur, æquè ac pro meâ salute laboravi. [h] Possum igitur, qui omnes voluerim incolumes, eum, à quo id impetratum est, periisse non indignari? [i] cùm præsertim iidem homines illi & [3] invidiæ, & exitio fuerint. [k] Plectêris ergo, inquiunt, quando [l] factum nostrum improbare audes. ô superbiam inauditam! [m] alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunè licere. [n] At hæc etiam servis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potiùs, quàm alterius, arbitrio. quæ nunc, ut quidem isti dictitant, libertatis auctores metu nobis extorquere conantur. sed nihil agunt. nullius unquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate desciscam. NUNQUAM enim honestam mortem fugiendam, sæpè etiam appetendam putavi. Sed quid

INTERPRETATIO.

[b] *me reprehendunt, quia necem Cæsaris graviter fero*, hominisque privati *amicitiam charitati Reipublicæ antepono.*

[c] *quasi verò persuaserint mortem Cæsaris utilem Reipublicæ fuisse*, adeóque parùm amantem esse patriæ, qui interiisse Cæsarem indignè ferat.

[d] *nihil dissimulabo.*

[e] *quamquam civile mihi bellum displicebat.*

[f] *Cæsaris amici mei.*

[g] *Cæsariani, qui minùs tamen apud eum poterant, quàm ego.*

[h] *possumne igitur ego, qui omnes volui incolumes, non indignari periisse eum, à quo aliorum incolumitas impetrata est.*

[i] *cùm præsertim illi Cæsariani Cæsarem in invidiam & odium populi adduxerint, eidemque fuerint exitio*, siquidem ab illis occisus est.

[k] *punîris.*

[l] *eadem Cæsaris.*

[m] *itáne percussores Cæsaris eius nec glorientur, mihi verò ne dolere quidem impunè liceat?*

[n] *ne servis quidem hoc negatum est, ut arbitrio suo dolerent, gauderent, &c. mihi nec dolendum, nec lætandum, nisi arbitrio alieno.*

NOTÆ.

1. *Non perveniſſe*] Ut putem obitum Cæsaris prodesse Reipublicæ, vel potiùs, ut Reipublicæ causâ, hominis amicissimi casum graviter ferre non debeam.

2. *Diminuta est*] Consule superiorem epistolam, ubi de hac lege dictum est.

3. *Invidiæ*] Propter immodicos honores, quibus Cæsar eos ornavit; utrùm autem loquatur de iis qui Cæsarem secuti erant, an potiùs de iis quibus Cæsar pe-

Digitized by Google

mihi ſuccenſent, ſi id opto, ut pœniteat eos ſui facti? cupio enim Cæſaris mortem omnibus eſſe acerbam. [o] at debeo pro civili parte rempublicam velle ſalvam. id quidem me cupere, niſi & antè acta vita, & reliqua mea ſpes, tacente me, probat: dicendo vincere non poſtulo. Quare majorem in modum te rogo, [p] ut rem potiorem oratione ducas: mihique, [q] ſi ſentis expedire rectè fieri, credas, nullam communionem cum improbis eſſe poſſe. An quod adoleſcens præſtiti, cùm etiam errare cum excuſatione poſſem, id [r] nunc ætate præcipitatâ, commutem, [s 4] ac me ipſe retexam? non faciam: neque, quod diſpliceat, committam, præterquam quòd hominis mihi conjunctiſſimi, [t] ac viri ampliſſimi doleo gravem caſum. [u] quòd ſi aliter eſſem animatus, nunquam, quod facerem, negarem, ne & in peccando improbus, & in diſſimulando timidus, ac vanus exiſtimarer. [5] At ludos, quos [x] Cæſaris victoriæ Cæſar adoleſcens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad ſtatum reipublicæ pertinebat. quod tamen munus & hominis amiciſſimi memoriæ, ac honoribus præſtare etiam mortui debui, & optimæ ſpei adoleſcenti, [y] ac digniſsimo Cæſare, petenti negare non potui. Veni etiam conſulis Antonii ſæpè domum ſalutandi causâ: ad quem, qui me parum patriæ amantem eſſe exiſtimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi causâ frequentes ventitaſſe reperies. Sed quæ hæc eſt arrogantia, quòd [z] Cæſar nunquam interpellavit, quin, quibus vellem, atque etiam quos ipſe non diligebat, tamen iis uterer: [a] eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne, quos velim, diligam? ſed non vereor ne aut meæ vitæ modeſtia parum valitura ſit in poſterum

INTERPRETATIO.

[o] *at debeo* (id enim objiciunt) *ut bonus civis Rempublicam velle ſalvam; ego verò nolo ex verbis meis, ſed ex meâ anteactâ vitâ, & ex reliquâ meâ ſpe judicari utrùm velim ſalvam Rempublicam, necne.*

[p] *ut facta mea aliorum ſermonibus potiora ducas.*

[q] *ſi exiſtimas utile eſſe rectè vivere, crede nullam mihi ſocietatem eſſe poſſe cum improbis.*

[r] *in ſummâ ſenectute.*

[s] *usvendique ritum*, quem hucuſque ſecutus ſum, *deponam?*

[t] *ſed fateor me Cæſaris viri ampliſſimi gravem caſum dolere.*

[u] *quòd ſi facerem aliquid improbè* contra amicitiam quam debeo Cæſari, *certè illud faterer, nec improbitati diſſimulationis & mendacii culpam adderem.*

[x] *ob Julii Cæſaris de Pompeio victorias.*

[y] *& qui Cæſare* patre ſuo *digniſſimus eſt.*

[z] *Cæſar impedimento mihi non fuit, quominùs, &c.*

[a] *illi autem, qui Cæſarem occiderunt, mihi obtrectant, & efficere conantur, ne &c.*

NOTÆ.

percerat, tuum eſto judicium.

4. *Ac me ipſe retexam*] Illi ſe retexunt, qui factum mutant, ſeu qui, quod fecerunt, ita damnant, quaſi malè factum fuerit; tranſlatio ab arte textrinæ, cùm opus, quod jam texere quis cœpit, retexit, id eſt, deſtruit; ut faciebat Penelope Ulyſſis uxor, quæ, quod diurnâ operâ texuerat, nocte retexebat, ac diſſolvebat.

5. *At ludos*] Ludos ſignificat, de quibus hæc Suetonius: *ludis, quos primos conſecratos ei hæres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit.* Conſule ſuperiorem epiſtolam.

Digitized by Google

contra falsos rumores: aut etiam ii, qui me non amant propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm [c] sui similes amicos habere. Mihi quidem [b] si optata contingent: quod reliquum est vitæ, in otio 7 Rhodi degam: [g] sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romæ, ut rectè fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas gratias ago, quòd tuum erga me animum, [c] simplicem, atque amicum, aperuit: [d] & quòd eum, quem semper dilexi lubenter, quo magis jure colere, atque observare deberem, fecit. Benè vale, & me dilige.

INTERPRETATIO.

[b] *si quod opto, mihi contingat*, scilicet procul à tumultu vivere.
[c] *sincerum.*
[d] *fecitque* Trebatius, *ut te, quem antè sponte diligebam, nunc sine injustitiâ non possim non amare.*

NOTÆ.

6. *Sui similes*] Qui Cæsarem scilicet de se optimè meritum, vel deseruerunt, vel interfecerunt.
7. *Rhodi*] In liberâ civitate.
8. *Sin casus aliquis*] Sin aliquis casus impedierit, quominùs Rhodi in otio vivam, ero Romæ, sed ita ut omnia semper rectè & ex legibus fieri cupiam.

EPISTOLA XXIX.

Proficiscens in Græciam Cicero post necem Cæsaris, res suas Oppio commendat, cujus quamplurima erga se merita recenset. Eodem anno.

Cicero S. D. [1] M. Oppio.

[a] DUBITANTI mihi, quod scit Atticus noster, de hoc toto consilio [2] profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, judicium & consilium tuum. nam & scripsisti apertè, quid tibi videretur: & Atticus ad me sermonem tuum pertulit. Semper judicavi, in te & in capiendo consilio prudentiam summam esse, & in dando fidem: maximéque sum expertus, cùm initio civilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres, eundumne ad Pompeium, an manendum in Italiâ: suasisti, ut consulerem dignitati meæ. ex quo quid sentires, [3] intellexi: & sum

INTERPRETATIO.

[a] *cùm dubitarem, ut scit Atticus, utrùm* in Græciam *proficiscerer, quia in utramque, &c.*

NOTÆ.

1. *M. Oppio*] Vide indicem hist.
2. *Profectionis in Græciam*] Quò tamen non pervenit; sed in viâ quasi ipsius Reipublicæ voce revocatus est de medio cursu. Vide epistolam primam libri decimi, & epist. 25. libri 12.
3. *Intellexi*] Eundum scilicet ad Pompeium, libertatis & patriæ defensorem.

Digitized by Google

admiratus [4] fidem tuam, & in consilio dando religionem, quòd, cùm [5] aliud malle [6] amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quàm illius voluntas fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi: & semper me à te diligi, sensi: & [b] cùm abessem, atque in magnis periculis essem, & me absentem, & meos præsentes à te cultos, & defensos esse memini: & [7] post meum reditum quàm familiariter mecum vixeris, quæque ego de te & senserim, & prædicarim, omnes, qui solent hæc animadvertere, testes habemus. Gravissimum verò judicium de meâ fide, & de constantiâ fecisti, cùm post mortem Cæsaris totum te ad amicitiam meam contulisti. quod tuum judicium nisi mea summa benevolentia erga te, omnibusque meritis comprobaro, ipse me hominem non putabo. Tu, mi Oppi, conservabis amorem tuum, (etsi more magis hoc quidem scribo, quàm quò te admonendum putem) meaque omnia tuebere: quæ tibi ne ignota essent, Attico mandavi. A me autem cùm paulum otii nacti erimus, uberiores literas expectato. Da operam, ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

INTERPRETATIO.

[b] *& cùm in castris Pompeianis, atque, &c.*

NOTÆ.

4. *Fidem tuam*] Tùm erga me, cùm quid esset faciendum occultè quidem, sed tamen satis indicasti; tùm erga Cæsarem, contra quem nihil mihi suasisti.

5. *Malle*] Suaserat quippe Cæsar Ciceroni, ut neutram in partem inclinans, in Italiâ versaretur.

6. *Amicissimum*] Cæsarem, qui te in intimis suis habebat.

7. *Et post meum reditum*] Profligato ad Pharsalum Pompeio.

LIBER XII.

AD CASSIUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Hortatur Cassium ad recuperandam libertatem, quia sublato tyranno, nondum tamen erat tyrannis extincta. Antonio & Dolabellâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Cicero S. D. [1] C. Cassio.

FINEM nullum facio, mihi crede, Cassi, de te, & de Bruto nostro, id est de totâ republicâ cogitandi, cujus omnis spes in vobis est, & in

NOTÆ.

1. *Caio Cassio*] Vide indicem historicum.

Digitized by Google

contra falsos rumores: aut etiam ii, qui me non amant propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm [6] sui similes amicos habere. Mihi quidem [b] si optata contingent: quod reliquum est vitæ, in otio [7] Rhodi degam: [8] sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romæ, ut rectè fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas gratias ago, quòd tuum erga me animum, [c] simplicem, atque amicum, aperuit: [d] & quòd eum, quem semper dilexi lubenter, quo magis jure colere, atque observare deberem, fecit. Benè vale, & me dilige.

INTERPRETATIO.

[b] *si quod opto, mihi contingat*, scilicet procul à tumultu vivere.
[c] *sincerum.*
[d] *fecitque* Trebatius, *ut te, quem antè sponte diligebam, nunc sine injustitiâ non possim non amare.*

NOTÆ.

6. *Sui similes*] Qui Cæsarem scilicet de se optimè meritum, vel deseruerunt, vel interfecerunt.
7. *Rhodi*] In liberâ civitate.
8. *Sin casus aliquis*] Sin aliquis casus impedierit, quominùs Rhodi in otio vivam, ero Romæ, sed ita ut omnia semper rectè & ex legibus fieri cupiam.

EPISTOLA XXIX.

Proficiscens in Græciam Cicero post necem Cæsaris, res suas Oppio commendat, cujus quamplurima erga se merita recenset. Eodem anno.

Cicero S. D. [1] M. Oppio.

[a] DUBITANTI mihi, quod scit Atticus noster, de hoc toto consilio [2] profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, judicium & consilium tuum. nam & scripsisti apertè, quid tibi videretur: & Atticus ad me sermonem tuum pertulit. Semper judicavi, in te & in capiendo consilio prudentiam summam esse, & in dando fidem: maximéque sum expertus, cùm initio civilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres, eundumne ad Pompeium, an manendum in Italiâ: suasisti, ut consulerem dignitati meæ. ex quo quid sentires, [3] intellexi: & sum

INTERPRETATIO.

[a] *cùm dubitarem, ut scit Atticus, utrùm* in Græciam *proficiscerer, quia in utramque, &c.*

NOTÆ.

1. *M. Oppio*] Vide indicem hist.
2. *Profectionis in Græciam*] Quò tamen non pervenit; sed in viâ quasi ipsius Reipublicæ voce revocatus est de medio cursu. Vide epistolam primam libri decimi, & epist. 25. libri 12.
3. *Intellexi*] Eundum scilicet ad Pompeium, libertatis & patriæ defensorem.

Digitized by Google

admiratus [4] fidem tuam, & in consilio dando religionem, quòd, cùm [5] aliud malle [6] amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quàm illius voluntas fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi: & semper me à te diligi, sensi: & [b] cùm abessem, atque in magnis periculis essem, & me absentem, & meos præsentes à te cultos, & defensos esse memini: & [7] post meum reditum quàm familiariter mecum vixeris, quæque ego de te & senserim, & prædicarim, omnes, qui solent hæc animadvertere, testes habemus. Gravissimum verò judicium de meâ fide, & de constantiâ fecisti, cùm post mortem Cæsaris totum te ad amicitiam meam contulisti. quod tuum judicium nisi mea summa benevolentia erga te, omnibusque meritis comprobaro, ipse me hominem non putabo. Tu, mi Oppi, conservabis amorem tuum, (etsi more magis hoc quidem scribo, quàm quò te admonendum putem) meaque omnia tuebere: quæ tibi ne ignota essent, Attico mandavi. A me autem cùm paulum otii nacti erimus, uberiores literas expectato. Da operam, ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

INTERPRETATIO.

[b] *& cùm in castris Pompeianis, atque, &c.*

NOTÆ.

4. *Fidem tuam*] Tùm erga me, cùm quid esset faciendum occultè quidem, sed tamen satis indicasti; tùm erga Cæsarem, contra quem nihil mihi suasisti.

5. *Malle*] Suaserat quippe Cæsar Ciceroni, ut neutram in partem inclinans, in Italiâ versaretur.

6. *Amicissimum*] Cæsarem, qui te in intimis suis habebat.

7. *Et post meum reditum*] Profligato ad Pharsalum Pompeio.

LIBER XII.

AD CASSIUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Hortatur Cassium ad recuperandam libertatem, quia sublato tyranno, nondum tamen erat tyrannis extincta. Antonio & Dolabellâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Cicero S. D. [1] C. Cassio.

FINEM nullum facio, mihi crede, Cassi, de te, & de Bruto nostro, id est de totâ republicâ cogitandi, cujus omnis spes in vobis est, & in

NOTÆ.

[1] *Caio Cassio*] Vide indicem historicum.

Digitized by Google

D. Bruto : quam quidem jam habeo ipſe meliorem, republicâ à Dolabellâ meo [a] præclariſſimè geſtâ. manabat enim illud [3] malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, [4] ut ego quidem & urbi, & otio diffiderem urbano : [b] ſed ita compreſſum eſt, ut mihi videamur omne jam ad tempus, ab illo [c] duntaxat [4] ſordidiſſimo periculo, tuti futuri. Reliqua magna ſunt, & multa, ſed poſita omnia ſunt in vobis : [d] quanquam primùm quidque explicemus. [e] Nam, ut adhuc quidem actum eſt, non regno, ſed rege liberati videmur. [f] interfecto enim rege, [5] regios omnes nutus tuemur : neque verò id ſolùm, ſed etiam, quæ ipſe ille, ſi viveret, non faceret, ea nos, quaſi cogitata ab illo, probamus. nec ejus quidem rei finem video. [6] tabulæ figuntur, [7] immunitates dantur, pecuniæ maximæ [8] deſcribuntur, exules reducuntur, s. c. [9] falſa referuntur : [10] ut tantummodò odium illud hominis [h] [11] impuri, & ſervitutis dolor depulſus eſſe videatur : reſpublica jacet in iis perturbationibus, in quas eam [i] ille conjecit. Hæc omnia vobis ſunt expedienda : nec hoc cogitandum, [k] ſatis jam habere rempublicam à vobis. habet illa quidem tantum, quantùm nunquam mihi in mentem venit optare : ſed contenta non eſt, & pro magnitudine & animi, & beneficii veſtri à vobis magna deſiderat. [l] adhuc ulta ſuas injurias eſt per vos interitu

INTERPRETATIO.

[a] *ut ſalutem ac tranquillitatem urbis propè deſperarem.*
[b] *ſed ſic extincta eſt* ſeditio.
[c] *ſaltem.*
[d] *quamquam, quod primum eſt ac* præcipuum in hoc libertatis negotio *evolvamus.*
[e] *nam ut conſtat ex iis quæ* à Cæſaris obitu *hucuſque facta ſunt.*
[f] *interfecto enim Cæſare, Cæſaris, &c.*
[5] *diſtribuuntur.*
[h] *improbi.* [i] *Cæſar.*
[k] *à vobis Reipublicæ factum eſſe ſatis.*
[l] *tantùm.*

NOTÆ.

2. *Præclariſſimè geſta*] Cùm erectam Cæſari columnam, in quâ erat inſcriptum, *Parenti patriæ*, evertendam curavit.

3. *Malum urbanum*] Seditio facta per Antonium, qui veteranos milites ad mortem Cæſaris ulciſcendam inflammabat.

4. *Sordidiſſimo periculo*] Sordidiſſimum vocat, quia optimo cuique ab infimâ plebe, ſordidiſque mancipiis parabatur.

5. *Regios omnes nutus*] Non acta modò Cæſaris, ſed quæ leviter ac ſolo nutu facturum eſſe oſtenderat, defendimus, ac probamus, cogente ſcilicet Antonio, qui quod in Cæſaris Commentariis, aut chirographis, aut libellis repererat, aut reperiſſe finxerat, firma volebat eſſe.

6. *Tabulæ figuntur*] Leges novas pro arbitratu ſuo conficit Antonius, caſque æneis in tabulis figi jubet & incidi, quaſi earum author extiterit Cæſar, idque ſcriptum in Commentariis reliquerit; quod ſæpè in Philippicis queritur Tullius. Vide Philippicam quintam.

7. *Immunitates*] Militibus Cæſaris necem ulturis.

8. *Deſcribuntur*] Ab Antonio ſuis ſatellitibus & compotoribus.

9. *Falſa referuntur*] Quæ nunquam à Senatu decreta ſunt, Antonius proponit populo, ut ab eo approbentur.

10. *Ut tantummodò*] Interfecto Cæſare nihil ampliùs adepta eſt Reſpublica, quàm ut libertatem ab eo oppreſſam ulciſceretur, odiumque Cæſaris, ac ſervitutis dolorem pelleret.

11. *Impuri*] *Impurus*, ut *obſcenus*, aliquando

Digitized by Google

tyranni : nihil ampliùs : [m] ornamenta verò sua quæ recuperavit? an, quod ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? [n] cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus? [12] at enim ita decrevimus. fecimus id quidem temporibus cedentes, quæ valent in republicâ plurimùm. sed immoderatè [13] quidam, & ingratè nostrâ facilitate abutuntur. Verùm hæc propediem, & multa alia coram. interim velim sic tibi persuadeas, mihi cùm reipublicæ quam semper habui carissimam, tùm amoris nostri causâ, maximæ curæ esse tuam dignitatem. Da operam ut valeas.

INTERPRETATIO.

[m] *sed nondum ornamenta sua interitu Cæsaris recuperavit, siquidem obedit adhuc mortuo, &c.*

[n] *an* Cæsaris vel minima *chirographa defendemus, cujus etiam leges in ære scriptas debebamus rescindere*, ac delere.

NOTÆ.

quando pro scelerato sumitur.

12. *At enim*] At ita decrevimus in Senatu, inquies, censuimusque acta Cæsaris servanda; ita est, respondet Cicero, sed hoc fecimus cedentes tempori, & otii ac pacis causâ.

13. *Quidam*] In primis Antonius.

EPISTOLA II.

Queritur de immoderatâ Antonii potentiâ; & Reipublicæ statum describit.

Cicero S. D. Cassio.

VEHEMENTER lætor tibi probari sententiam, & [1] orationem meam. [a] qua si sæpiùs uti liceret, nihil esset negotii, libertatem, & rempublicam recuperare. [b] sed homo amens, & perditus, multóque nequior, quàm ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, cædis initium quærit: nullamque aliam ob causam [2] me auctorem fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi ut in me veterani incitentur. quod ego periculum non extimesco, modò facti vestri gloriam cum meâ laude communicet. Ita nec Pi-

INTERPRETATIO.

[a] *quod si sapiùs in Senatu liberè loqui liceret, libertatem facilè & Rempublicam recuperaremus.*

[b] *sed Antonius amens, multoque nequior quàm ipse Cæsar, quem tu tamen nequissimum vocabas.*

NOTÆ.

1. *Orationem meam*] Quam in Antonium pronuntiavi. De Philippicâ secundâ loquitur.

2. *Me auctorem*] Quod falsissimum erat; consilium enim fuum conjurati Ciceronem celaverant: non quòd de ejus voluntate, sed de fortitudine & constantiâ dubitarent. Consule Plutarchum in vitâ Ciceronis.

Digitized by Google

soni, qui [c] in eum primus invectus est, [3] nullo assentiente, nec mihi, [d] qui idem tricesimo pòst die feci: nec P. Servilio, qui me est consecutus, tutò in senatum venire licet. cædem enim [e 4] gladiator quærit, ejusque initium ad XIII. Kalend. Oct. à me se facturum putavit. At [f] quàm paratus [5] venerat, cùm [6] in villâ Metelli complures dies commentatus esset. quæ autem in lustris, & in vino commentatio potuit esse? Itaque omnibus est visus, ut ad te anteà scripsi, suo more [7] vomere, non dicere. Quare quòd scribis te confidere, auctoritate, & eloquentiâ nostrâ aliquid profici posse: [g] non nihil, ut in tantis malis, est profectum. intelligit enim populus Romanus, [8] tres esse consulares, qui, quia, quæ de republicâ benè senserint, liberè locuti sunt, tutò in senatum venire non possint. nec est præterea, [9] quòd quidquam expectes. [10] tuus enim necessarius affinitate novâ delectatur: itaque jàm non est studiosus [11] ludorum, [h] infinitoque fratris tui plausu dirumpitur. [12] alter item affinis novis commentariis Cæsaris [13] delinitus est. Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, [i] quòd est, [14] qui vestro anno consulem

INTERPRETATIO.

[c] *In Antonium.* [d] *qui in Antonium quoque invectus sum.* [e] *Antonius.*

[f] *at quomodò in Lupanaribus, ac Popinis parare se potuit* ad dicendum?

[g] *aliquid, quantùm patitur magnitudo malarum Reipublicæ, profectum est.*

[h] invidiaque *dirumpitur ob ingentem plausum qui fratri tuo datus est:*

[i] nimirùm quòd affinis *ille tuus, ut filium suum anno vestro Consulem faciat, huic latroni* Antonio *deservire non dubitat.*

NOTÆ.

3. *Nullo assentiente*] Vel Antonii metu, vel quòd in ipsum occultâ voluntatis propensione inclinarent plerique Senatores.

4. *Gladiator*] Id est in cædibus hominum exercitatus.

5. *Venerat*] In curiam, ut contra me diceret. Rus secesserat, ibique septemdecim totos dies acerbissimam in Tullium orationem paraverat.

6. *In villâ*] Tyburtinâ, quam Antonius occupaverat. Vide Philippicam secundam.

7. *Vomere*] Id usu veniebat homini vino plus nimis & gulæ dedito: hoc ei vitium Cicero sæpius exprobrat.

8. *Tres esse Consulares*] Lucium Calpurnium Pisonem, Julii Cæsaris socerum; P. Servilium Isaurici filium, qui cum Cæsare Consulatum gessit; denique Ciceronem ipsum.

9. *Quòd quidquam expectes*] Ex meis in Rempublicam officiis, & maximè ex orationibus, quas in Senatu contra Antonium frequenter habeo; vel fortè meliùs ex aliis Consularibus viris, qui sui, dignitatisque suæ obliti, à Reipublicæ partibus desciscunt.

10. *Tuus enim necessarius*] Lepidus enim, qui uxoris tuæ sororem duxit, delectatur novâ affinitate quam habet cum Marco Antonio, cujus filia nupta est Lepidi filio; illius idcircò fides in Rempublicam suspecta; duæ fuerunt M. Bruto sorores, quarum altera Lepido, altera Cassio nupsit.

11. *Ludorum*] Quos in laudem Apollinis M. Brutus Prætor urbanus de more dederat. Hos autem ludos oderat Lepidus, quia fratri hujus Cassii, ad quem scribit Cicero, populus applauserat; an propter necem Cæsaris? conjici potest.

12. *Alter item*] Quis ille sit, obscurum est.

13. *Delinitus est*] Acceptâ ab Antonio pecuniâ, quasi uti Cæsar hanc in Commentariis jussisset ei dari.

14. *Qui vestro anno*] Anne qui vobis (C. Cassium, & M. Brutum intelligit) ad

Digitized by Google

filium ſuum futurum putet, ob eamque cauſam ſe huic latroni deſervire præ ſe ferat. nam [15] L. Cotta, familiaris meus, fatali quadam deſperatione, ut ait, minùs in ſenatum venit. [16] L. Cæſar optimus, & fortiſſimus civis, valetudine impeditur. Ser. Sulpicius, & ſummâ auctoritate, & optimè ſentiens, non adeſt. reliquos, [17] exceptis deſignatis, [k] ignoſce mihi ſi non numero conſulares. [l] Habes auctores conſilii publici. qui numerus etiam [m] bonis rebus exiguus eſſet: quid cenſes, perditis? Quare ſpes eſt omnis in vobis. qui ſi idcirco abeſtis, ut ſitis in tuto: [n] ne in vobis quidem. ſin aliquid dignum veſtrâ gloriâ cogitatis: [o] velim, ſalvis nobis: ſin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus ſuum recuperabit. Ego tuis neque deſum, neque deero: [p] qui ſive ad me referent, ſive non, mea tibi tamen benevolentia, fideſque præſtabitur. Vale.

INTERPRETATIO.

[k] *ignoſce ſi reliquos Conſulares ſigillatim non appello.*
[l] *hi ſunt, quorum nunc conſilio Reſpublica regitur.*
[m] *vigente Republicâ.*
[n] *ne in vobis quidem* ſpes eſt.
[o] *cupio ut me cum Republicâ ſervetis;*
[p] *ſive ad me confugient.*

NOTÆ.

Conſulatum expetendum deſtinatus eſt; id eſt poſt biennium: uterque Præturam ſùm gerebat, quam Conſulatus, interjecto biennio, ſequebatur.

15. *L. Cottæ*] Ex Aureliâ gente, qui Conſulatum biennio ante Ciceronem geſſerat.

16. *Lucius Cæſar*] M. Antonii avunculus.

17. *Exceptis deſignatis*] Hirtio & Pansâ, vel ut Hubertinus habet, Planco, & Decimo Bruto; fortè omnes Cicero ſignificat.

EPISTOLA III.

Idem Argumentum. Eodem anno.

Cicero S. D. Caſſio.

AUGET tuus [1] amicus furorem in dies. primùm [2] in ſtatuâ, quam poſuit in Roſtris, inſcripſit, PARENTI OPTIME MERITO: ut non modò ſicarii, ſed jam etiam parricidæ judicemini: quid dico, judicemini? judicemur potiùs: [a] veſtri enim pulcherrimi facti ille furioſus me principem

INTERPRETATIO.

[a] *Cæſarianæ cædis.*

NOTÆ.

1. *Amicus*] Antonius: ironicè, ut videtur; fortè reſpicit ad id, quòd Antonius Caſſium, cùm è Capitolio, poſt obitum Cæſaris, deſcendiſſet, hoſpitio per fidem amicitiæ exceperit.

2. *In ſtatuâ*] Quam Cæſari Antonius

dicit fuisse. utinam quidem fuissem : [3] molestus nobis non esset. sed hoc [4] vestrum fuit : [5] quod quando præteriit, utinam haberem, quid darem vobis consilii. sed ne mihi quidem ipsi, reperio, quid faciendum sit. QUID enim est, quod contra vim sine vi fieri possit? [b] consilium autem omne
5 hoc est illorum, ut mortem Cæsaris persequantur. Itaque ante diem VI. non. Octob. productus [6] in concionem à Canutio, turpissimè [c] ille quidem discessit; sed tamen [7] ea dixit de conservatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus : [d] de me quidem non dubitanter, quin omnia de meo consilio & vos fecissetis, & Canutius faceret. Cætera cujusmodi sint, ex
10 hoc judica, quòd [8] legato tuo viaticum eripuerunt. [e] quid eos interpretari putas, cùm hoc faciunt? ad hostem scilicet portari. ô rem miseram! [f] dominum ferre non potuimus, conservo servimus. & tamen, me quidem [g] favente magis, quàm sperante, etiam nunc residet spes in virtute tuâ. sed ubi sunt copiæ? [h] de reliquo malo te ipsum [9] loqui tecum, quàm dicta nostra
15 cognoscere. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *id unicè Antoniani animo intendunt, ut nempè Cæsaris interfectores perdant.*

[c] *Antonius.*

[d] *de me quidem affirmat, meo consilio & Cæsarem interfectum à vobis, & se à Canutio vexatum* in Senatu.

[e] *quomodo putas fuisse hoc factum interpretari*, nempe aiunt *te hostem esse patriæ*, atque adeò pecuniam ex publico tibi non deberi.

[f] *Cæsarem ferre non potuimus, & Antonio, qui nobiscum serviebat* Cæsari, *parem.*

[g] *magis juvante.* Rempublicam, *quàm ejus salutem sperante.*

[h] *cæterùm satius est te ipsum à te consuli, quàm quæ sentio & dico, te cognoscere.*

NOTÆ.

orexerat in Rostris, id est in foro, ubi suggestum erat captarum navium Rostris ornatum, unde conciones ad populum Oratores habebant.

3. *Molestus non esset*] Antonius : perinde ac si dicat, vestri si consilii fuissem particeps, Antonius una cum Cæsare gladiis confossus interiisset : & certè in eo peccatum ab conjuratis, quòd ejus vitæ pepercerint, inde enim tota mali labes. Vide Tabulas historicas Bruti & Cassii.

4. *Vestrum fuit*] Antonium de medio tollere; vel si vivit Antonius, tota culpa vestra est, quandoquidem in consilium vestrum non fum ego adhibitus.

5. *Quod quando præteriit*] Quando cædes Antonii à vobis ultrò prætermissa est.

6. *In concionem*] Antonius à Canutio Tribuno plebis, & ab eo acriter agitatus.

7. *Ea dixit.*] Antonius de vobis, qui conservastis Rempublicam, ea dixit, quæ dici de proditoribus patriæ deberent, quales sunt Antoniani.

8. *Legato tuo*], Viaticum tibi Proconsuli Syriæ de publicis impensis curare, ac legato tuo dare noluerunt.

9. *Loqui tecum*] Epist. 7. lib. 2. *tecum loquere, te adhibe in consilium.*

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

Reprehendit Consularium inertiam, fidem verò, & constantiam Consilium laudat; addit de legatis ad Antonium missis, de Bruto, Dolabellâ, ipsoque Cassio, cujus litteras ait se avidè expectare. Hirtio & Pansâ Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo decimo.

Cicero s. d. Cassio.

VELLEM idibus Mart. [a] me ad cœnam invitasses: [b] reliquiarum nihil fuisset. [c] nunc me reliquiæ vestræ exercent, & quidem præter cæteros me. quanquam [1] egregios consules habemus, sed turpissimos consulares: senatum fortem, [d] sed infimo quemque honore fortissimum. populo verò nihil fortius, nihil melius, Italiaque universa. nihil autem fœdius [2] Philippo, & Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cùm essent missi, ut Antonio ex senatûs sententiâ certas res [3] renuntiarent, cùm ille earum rerum nulli paruisset, [e] ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata [4] retulerunt. Itaque ad nos [5] concurritur, [f] factique jam [6] in re salutari populares sumus. Sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique esses, nesciebam. fama nuntiabat te esse in Syriâ: auctor erat nemo. De Bruto, [7] quò propius est, eò firmiora videntur esse, quæ nuntiantur. [8] Dolabella valdè vituperabatur ab hominibus non insulsis, quòd tibi tam citò succederet, cùm tu vixdùm triginta dies in Syriâ fuisses. Itaque constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Sum-

INTERPRETATIO.

[a] *ad eadem Cæsaris.* [b] *Antonium cum Cæsare interfecissem.*

[c] *Antonius*, quem conservastis, *me præter cæteros exagitat.*

[d] *sed qui minores gerunt magistratus, ii sunt fortissimi.*

[e] *postulata* Antonii *indigna ac superba ad Senatum ultrò neque coacti retulerunt.*

[f] *& factus sum populi patronus, ipsius Reipublicæ emolumento.*

NOTÆ.

1. *Egregios Consules*] Hirtium & Pansam.

2. *Philippo, & Pisone*] Philippus vitricus erat Octaviani; Piso, socer C. Cæsaris.

3. *Renuntiarent*] Præter cætera, ut Mutinensem obsidionem solveret; dimitteret exercitum; secùs hostem Reipublicæ declarandum, eique exilium parari.

4. *Retulerunt*] Quod minimè præstare debuerunt legati populi Romani, & civitatis principes; id enim Antonium per suos legatos par erat exequi.

5. *Concurritur*] In hac rerum perturbatione, concurritur undique ad me, tanquam ad unicum tutissimumque, quod superesset, libertatis perfugium.

6. *In re salutari*] Cùm antea nonnulli populo faviissent ad Reipublicæ perniciem, quales fuêre Gracchi, Clodius, Cæsar, &c.

7. *Quò propius est*] Propior enim Italiæ Macedonia, cui præerat M. Brutus, quàm Syria, in quâ erat Cassius.

8. *Dolabella*] Hîc facetè jocatur Tullius; eâ mente Dolabella in Syriam abierat, ut Cassio Syriæ Præfecto legitimè succederet; interim visum est Senatui

ma laus & tua, [9] & Bruti est, quòd exercitum præter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, [8] si rem, causamque nossem. [10] nunc quæ scribo, scribo ex opinione hominum atque famâ. Tuas literas avidè expecto. Vale.

INTERPRETATIO.

[8] *si certò cognoscerem quæ sunt in statu res tuæ,*

NOTÆ.

hanc Dolabellæ provinciam adimere, & eidem Cassio dare; inde jocandi materia; quippe homines non insulsi dictitabant Dolabellam nimium citò velle succedere Cassio, nec recipiendum esse in provinciam, cùm in eâ Cassius vixdum triginta dies fuisset, nempè ex quo adempta erat Syria Dolabellæ.

9. *Et Bruti*] M. Bruti, qui tùm erat in Macedoniâ.

10. *Nunc quæ scribo*] Et de loco ubi nunc versaris, & de exercitu, quem habes, & à M. Bruto collectum dicunt.

EPISTOLA V.

Reipublicæ Statum exprimit; M. Bruti vigilantiam commendat; mortem dolet Sulpicii; addit de Italiæ totius consensione. Eodem anno.

Cicero S. D. Cassio.

HIEREM credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximèque ubi esses. [a] loquebantur omnes tamen, credo quod volebant, in Syriâ te esse, habere copias. id autem eo facilius credebatur, quia simile vero videbatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. [1] res enim tantas gessit, tamque inopinatas, ut ex eùm per se gratæ essent, tùm gratiores propter celeritatem. [b] quòd si tu ea tenes, quæ putamus: magnis subsidiis fulta respublica est. [2] à primâ enim orâ Græciæ [3] usque ad Ægyptum optimorum civium imperiis muniti erimus, & copiis. quanquam, nisi me fallebat, res sic se habebat, ut potiùs belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si, ut sperabamus, erupisset [4] Mutinâ, nihil belli reliquum fore videbatur. parvis omninò jam

INTERPRETATIO.

[a] *dicebant autem omnes, te esse in Syria, te habere copias, credo quia volebant rem ita se habere.* [b] *quòd si tu eas provincias, copiasque, quas putamus, in tuâ potestate habes.*

NOTÆ.

1. *Res enim tantas*] M. Brutus Macedoniam, Illyricum, Græciam, in Senatûs populique Romani potestate conservarat.

2. *A primâ orâ Graciæ*] Quæ Bruti in potestate erat.

3. *Usque ad Ægyptum*] Quæ Cassii industriâ, in Reipublicæ Romanæ amicitiâ & fide permanserat.

4. *Mutinâ*] Unde reipsâ erupit, fuso Antonii exercitu.

Digitized by Google

copiis obsidebatur, quòd magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. erat autem [5] Claternæ noster Hirtius, [6] ad Forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu: magnasque Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ comparat. hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate, ut mihi crebris literis significat, acturus videbatur. præter Bononiam, [7] Rhegium Lepidi, [8] Parmam, totam Galliam tenebamus studiosissimam reipublicæ, tuos etiam clientes transpadanos [c] mirificè conjunctos cum causâ habebamus. erat firmissimus senatus, [9] exceptis consularibus: ex quibus unus L. Cæsar firmus est, & rectus. [10] Ser. Sulpicii morte magnum præsidium amisimus. reliqui partim inertes, partim improbi. nonnulli invident eorum laudi, quos in republicâ probari vident. populi verò Romani, totiusque Italiæ mira consensio est. Hæc erant ferè, quæ tibi nota esse vellem. nunc autem opto, ut ab istis [11] orientis partibus virtutis tuæ lumen eluceat.

INTERPRETATIO.

[c] *mirificè nobis in Reipublicæ defensione conjunctos.*

NOTÆ.

5. *Claternæ*] Urbs est Italiæ in Galliâ Cispadanâ inter Bononiam, & forum Cornelii, sive Imolam; hodie *Quaderna*.

6. *Ad forum Cornelium*] Seu forum Cornelii, Galliæ quoque Cispadanæ oppidum, sic dictum à Cornelio Syllâ; nunc *Imola*.

7. *Regium Lepidi*] Seu regium Lepidum, quod ante dictum est forum Lepidi, in eâdem Galliâ item Cispadanâ, vulgò nunc incolis vocatur *Rezo*, aliisque Italis, qui politiori utuntur dialecto, *Reggio*, clarum nunc etiam, atque celebre oppidum. Ita Cluverius.

8. *Parmam*] Vide indicem Geographicum.

9. *Exceptis Consularibus*] Vide epist. 4. *egregios Consules habemus, turpissimos Consulares.*

10. *Servii Sulpicii*] Profectus ad Antonium jussu Senatûs, in legatione mortuus est: maximos ei Senatus honores decrevit.

11. *Orientis partibus*] Syria ad Orientem Italiæ posita est; hinc Cicero lepidè Cassium hortatur, ex illis regionibus, Solis instar, Italiam virtutis suæ radiis illustret.

EPISTOLA VI.

Commendat Tidium Strabonem; subjungit de Reipublicæ statu, cujus spem in tribus capitibus positam ait esse, in Cassio & in utroque Bruto.

Cicero S. D. Cassio.

QUI status rerum fuerit tùm, cùm has literas dedi, scire poteris ex C. [1] Tidio Strabone, viro bono, & optimè de republicâ sentiente. nam quid dicam, cupidissimo tui, qui, domo, & fortunis relictis, ad te

NOTA.

1. *Tidio*] *Titio* alii, & melius fortè legunt: de Titio enim fit mentio epistolâ 14. libri 13. de Tidio autem nullibi, quòd sciam.

Digitized by Google

potissimùm profectus sit? itaque eum ne tibi commendo quidem. adventus ipsius ad te satis eum commendabit. Tu velim sic existimes, tibique persuadeas, omne perfugium bonorum in te, & Bruto esse positum, [a] si, quod nolim, adversi quid evenerit. res, cùm hæc scribebam, erat in extremum deducta discrimen. [b] Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat. qui si conservatus erit, vicimus: [c] sin, (quod dii omen avertant) omnis omnium cursus est ad vos. proinde fac tantum animum habeas, tantumque apparatum, quanto opus est ad universam rempublicam recuperandam. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *si res à nostris malè geratur* ad Mutinam.
[b] *vix enim D. Brutus obsidionè sustinebat.*
[c] *sin* victus est, *tota provincia civitas ad te* & ad M. Brutum, Antonii metu, *confugiet.*

EPISTOLA VII.

Declarat quantâ contentione Cassii dignitatem in senatu & in foro defenderit. Eodem anno.

Cicero s. d. Cassio.

QUANTO studio dignitatem tuam & in senatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quàm ex me, cognoscere. [1] quæ mea sententia in senatu facilè valuisset, nisi Pansa vehementer [2] obstitisset. Ea sententia dicta, productus sum in concionem à tribuno plebis M. Servilio. dixi de te quæ potui, tantâ contentione, [a] quantum forum est: tanto clamore, consensuque populi, ut nihil unquam simile viderim. id velim mihi ignoscas, quòd [3] invitâ socru tuâ fecerim. mulier timida verebatur, ne Pansæ animus offenderetur. in concione quidem Pansa dixit, matrem quoque tuam, [4] & fratrem illam à me sententiam noluisse dici. sed me hæc non movebant: alia malebam: favebam & reipublicæ, cui semper favi, & dignitati, ac gloriæ tuæ. Quòd autem & in [5] senatu pluribus verbis disserui, & dixi in concione, [b] in eo velim fidem meam liberes. promisi enim, & propè

INTERPRETATIO.

[a] *quantum forum capere potest.* [b] *velim, ut quod tuo nomine promisi, reipsâ præstiterim.*

NOTÆ.

1. *Quæ mea sententia*] Agebatur de tradendâ Cassio Syriâ, ad persequendum Dolabellam, qui interfecto Trebonio, Asiam occupaverat.

2. *Obstitisset*] Qui Syriæ administrationem sibi, vel collegæ decerni volebat.

3. *Invitâ socru*] Servilia sorore Catonis Uticensis, & matre M. Bruti, ac Tertullæ uxoris Cassii.

4. *Fratrem*] Lucium Cassium.

5. *In Senatu*] Opponuntur illa in Senatu, & in concione: in senatu ad Patres, in concione ad populum.

6. *Recupe-*

Digitized by Google

confirmavi, te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more rempublicam defensurum. & quanquam nihil dum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omnes quæ [c] in istis partibus essent opes, copiasque tuas esse: per teque Asiam provinciam confidebam jam reipublicæ [6] recuperatam. Tu fac in augendâ gloriâ te ipsum vincas. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *in Asiâ.*

NOTÆ.

6. *Recuperatam*] Hanc sibi Dolabella, uti antea dictum est, per vim & fraudem vindicaverat.

EPISTOLA VIII.

Queritur de perfidiâ Lepidi; Cassium hortatur ad vindicandam in libertatem Rempublicam. Eodem anno.

Cicero s. d. Cassio.

[a] SCELUS [1] affinis tui Lepidi, summamque levitatem, & inconstantiam, ex actis, quæ ad te mitti certò scio, cognosse te arbitror. Itaque nos, confecto bello, [2] ut arbitrabamur, renovatum bellum [3] gerimus: spemque omnem in D. Bruto, & Planco habemus: [b] si verum quæris, in te, & [c] in meo Bruto [d] non solùm ad præsens perfugium, si, quod nolim, adversi quid acciderit, sed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. [e] Nos hîc de Dolabellâ audiebamus, quæ vellemus: sed certos auctores non habebamus. te quidem magnum hominem & præsenti judicio, & [f] reliqui temporis expectatione scito esse. [g] hoc tibi proposito, fac ut ad summa contendas. nihil est tantum, quod non populus Romanus à te perfici, atque obtineri posse judicet. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *conjunctionem Lepidi cum Antonio.*
[b] *potiùs, ut verum dicam.*
[c] *in Marco Bruto.*
[d] *non solùm præsenti tempore.*
[e] *nos audiebamus Dolabellam à te oppressum, sed, &c.*
[f] *& spe, quæ de te in futurum tempus maxima est.* [g] *hoc incitatus præmio.*

NOTÆ.

1. *Affinis*] Quia Cassius & Lepidus sorores duas M. Bruti duxerant.
2. *Ut arbitrabamur*] Victo ad Mutinam Antonio.
3. *Gerimus*] Ob conjunctionem Lepidi cum Antonio.

EPISTOLA IX.

In eumdem Lepidum, quia cum Antonio patriæ hoſte ſe conjunxerat, invehitur.

Cicero S. D. Caſſio.

BREVITAS tuarum literarum me quoque breviorem in ſcribendo facit: &, verè ut dicam, non ſatis occurrit, quod ſcribam. noſtras enim res in actis perferri ad te certò ſcio: tuas autem ignoramus. tanquam enim clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppreſſo [1] Dolabellâ, ſatis illos quidem conſtantes, ſed adhuc ſine auctore. Nos confectum bellum cùm putaremus, repentè [2] à Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus. itaque perſuade tibi maximam reipublicæ ſpem in te, & in tuis copiis eſſe. [3] firmos omninò exercitus habemus: ſed tamen, ut omnia, ut ſpero, proſperè procedant, multùm intereſt te [4] venire. exigua eſt enim ſpes reipublicæ; nam nullam non libet dicere: ſed, quæcunque eſt, ea [a] deſpondetur anno [5] conſulatûs tui. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *hæc in tui Conſulatûs annum reſervatur.*

NOTÆ.

1. *De oppreſſo Dolabellâ*] Epiſt. 8. & 4.
2. *A Lepido tuo*] Affine Caſſii. Vide ſup. epiſt.
3. *Firmos exercitus*] Planci, & Decimi Bruti.
4. *Te venire*] In Italiam.
5. *Conſulatûs tui*] Quia Conſulatus Præturam, biennio interjecto, excipere ſolebat. Brutus autem & Caſſius fuerant eodem anno Conſules.

EPISTOLA X.

Scribit, Lepidum à Senatu hoſtem Reipublicæ judicatum; ſuadetque Caſſio, ut in Italiam venire properet. Eodem anno.

Cicero S. D. Caſſio.

LEPIDUS, tuus affinis, meus familiaris, pridie Kal. Quint. ſententiis omnibus [1] hoſtis à ſenatu judicatus eſt, cæteriſque qui unà cum illo à republicâ defecerunt, quibus tamen [a] ad ſanitatem redeundi ante Kal. Sept.

INTERPRETATIO.

[a] *reſipiſcendi.*

NOTÆ.

1. *Hoſtis judicatus eſt*] Quoniam à Reipublicæ partibus unà cum exercitu defecit.

Digitized by Google

potestas facta est. Fortis sanè senatus, sed maximè spe subsidii tui. bellum quidem, cùm hæc scribebam, sanè magnum erat, scelere, & levitate Lepidi. Nos de Dolabellâ quotidie, [2] quæ volumus, audimus, sed adhuc sine capite, sine auctore, rumore nuntio. quod cùm ita esset, [b] tamen literis tuis, quas nonis Maii ex castris datas acceperamus, ita persuasum erat civitati, ut illum jam oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu: [c] ut, si hæc ex sententiâ confecta essent, consilio, atque auctoritate tuâ: sin quid fortè titubatum esset, ut sit in bello, exercitu tuo niteremur. quem quidem ego exercitum quibuscunque potero rebus ornabo. [d] cujus rei tùm tempus erit, cùm quis opis reipublicæ laturus exercitus sit, aut quid jam tulerit, notum esse cœperit. [e] Nam adhuc tantùm conatus audiuntur, optimi illi quidem, & præclarissimi, [3] sed gesta res expectatur: quam quidem aut jam esse aliquam, aut appropinquare confido. tuâ virtute, & magnitudine animi nihil est nobilius. Itaque optamus, ut quamprimùm te in Italiâ videamus. rempublicam nos habere arbitrabimur, si vos habebimus. præclarè viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. itaque nunquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. ille enim [4] ex turbulentâ republicâ, hic ex pace, & victoriâ bellum excitavit. huic oppositos [5] consules designatos habemus: in quibus est magna illa quidem spes, sed anceps cura propter incertos exitus præliorum. Persuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo esse omnia, vos expectari, Brutum quidem [6] jamjamque. quòd si, ut spero, victis hostibus nostris, veneritis: tamen auctoritate vestrâ respublica [7] exsurget, & in aliquo statu tolerabili consistet. [f] sunt enim permulta quibus erit medendum, etiamsi respublica satis esse videbitur sceleribus hostium liberata. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *ex tuis tamen litteris nemo non sibi persuaserat, jam oppressum à te Dolabellam.*

[c] *ut, si bellum ex sententiâ succederet, consilio, atque authoritate tuâ* niteremur, *sin aliquid adversi contingeret, &c.*

[d] *quod quidem tunc faciam, cùm notum esse cœperit, quid auxilii Reipublicæ laturus sit exercitus tuus, aut jam tulerit.*

[e] *non tantùm conatus, sed rem expectamus.*

[f] *sunt enim permulta* domestica vitia, *&c. etiam si Respublica sceleribus hostium liberata esset.*

NOTÆ.

2. *Quæ volumus*] Oppressum hunc à te. Vide epist. 8. & 4.

3. *Gesta res*] Dolabellæ scilicet, aut Antonii clades.

4. *Ex turbulentâ Republicâ*] Ob cædem Cæsaris.

5. *Consules designatos*] Decimum Brutum, & Plancum.

6. *Jam jamque*] Ut propiorem Italiæ; erat enim in Macedoniâ, Cassius autem in Syriâ.

7. *Exsurget*] Afflicta quamvis & eversa propè sit.

EPISTOLA XI.

Cassius traditos sibi ait fuisse exercitus in Syriâ; benè jubet sperare Ciceronem de Republicâ. Eodem anno, sed ante prælium Mutinense.

Cassius [1] Proconsul S. D. Ciceroni.

SI vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam [2] me profectum esse scito. Ad [3] L. Murcum, [4] & Q. Crispum imperatores, viri fortes, optimique cives, postea quàm audierunt, [5] quæ Romæ gererentur, exercitus mihi tradide-
5 runt, ipsique mecum unà fortissimo animo rempublicam administrant. item legionem, quam [6] Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me venisse scito. quatuorque legiones, quas A. [7] Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes, remque publicam, quantùm opus est, defendas. scire te volo, firma præsidia
10 vobis, senatuique non deesse, ut optimâ spe, & maximo animo rempublicam defendas. reliqua tecum aget L. Carteius, familiaris meus. Vale. Data non. Mart. ex castris [8] Taricheis.

NOTÆ.

1. *Proconsul*] Quamvis Consulatum non gesserat Cassius, quia tamen provinciam Consulari potestate administrabat, Proconsulis insignitur titulo. Vide epist. 1. primi libri, pag. 2.

2. *Me profectum*] Cæsar, dum viveret, Marco Bruto Prætori Macedoniam, Cassio Syriam destinaverat: mortuo Cæsare, Syria Dolabellæ Consuli data est, Macedonia ipsius collegæ Antonio; at cùm Senatus ambos Consules Reipublicæ moliri perniciem intellexisset, Cassio Syriam, Macedoniam Bruto restituit, Cassius in Syriâ Dolabellam, Caium Antonium, Marci fratrem, in Macedoniâ Brutus oppressit.

3. *L. Murcum*] Qui tribus legionibus imperabat: hic postea, cæsis in Macedoniâ Bruto & Cassio, cùm ad Sextum Pompeium Magni filium confugisset, ab eo interfectus est.

4. *Quintum Crispum*] Tres ipse quoque legiones habebat.

5. *Quæ Romæ gererentur*] Contra Dolabellam & Antonium.

6. *Q. Cæcilius Bassus habuit*] Acceptam à Cæsare, cùm de Parthicâ expeditione cogitaret.

7. *Allienus*] Dolabellæ legatus: ab eo missus est in Ægyptum, ut inde has legiones adduceret: adduxit quidem, sed Cassio, non Dolabellæ tradidit.

8. *Taricheis*] Tarichea oppidum Palæstinæ in Galilæâ, ad lacum Genesaræ. *Jefferchin.*

EPISTOLA XII.

Dignitatem suam Ciceroni, suosque duces, ac milites commendat; deinde se profecturum significat in Ciliciam contra Dolabellam. Eodem anno.

Cassius Procos. S. D. Ciceroni.

SI vales, bene est, ego quidem valeo. Legi tuas literas, in quibus mirifi-
15 cum tuum erga me amorem recognovi. videbaris enim non solùm favere nobis, id quod & nostrâ, & reipublicæ causâ semper fecisti, sed etiam gra-

Digitized by Google

vem curam suscepisse, vehementerque esse de nobis solicitus. [a] Itaque, quòd te primùm existimare putabam, nos, oppressâ republicâ quiescere non posse: deinde, cùm suspicarere nos [1] moliri, quod te solicitum esse & de salute nostrâ, & de rerum eventu putabam: simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Ægypto, scripsi ad te, tabellariosque complures Romam misi. scripsi etiam [2] ad senatum literas, quas reddi vetui priùs, quàm tibi recitatæ essent, si fortè mei obtemperare mihi voluerunt: quòd si literæ perlatæ non sunt, non dubito, quin Dolabella, qui, nefariè [3] Trebonio occiso, Asiam occupavit, tabellarios meos deprehenderit, literasque interceperit. Exercitus omnes, [4] qui in Syriâ fuêre, teneo. [b] habui paululum moræ, dùm promissa militibus persolvo. nunc jam sum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam tibi commendatam habeas, si me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegasse: [c] si contra importunissimos latrones arma cepi, te hortante & auctore: si non solùm exercitum ad rempublicam, libertatemque defendendam comparavi, sed etiam [d] crudelissimis tyrannis eripui. quem si occupasset Dolabella, non solùm adventu, sed etiam opinione, & expectatione exercitûs sui Antonium confirmasset: quas ob res milites tuere, si eos mirificè de republicâ meritos esse animadvertis: & efficere, ne quem pœniteat, rempublicam quàm spem prædæ, & rapinarum, sequi maluisse. item [5] Murci, & Crispi imperatorum dignitatem, quantum est in te, tuere. nam Bassus [e] miserè noluit mihi legionem tradere. quòd nisi milites invito eo legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata. Hæc à te peto non solùm reipublicæ, quæ tibi semper fuit carissima, sed etiam amicitiæ nostræ nomine, quam confido apud te plurimùm posse. Crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, senatus, atque optimi cujusque esse, maximéque tuum: [f] de cujus voluntate assiduè audiendo, mirificè te diligit, carumque habet. qui si intellexerit

INTERPRETATIO.

[a] *itaque scripsi ad te; primùm quia te existimare putabam nos, &c. deinde quin putabam te sollicitum esse de salute nostrâ, & de rerum eventu, cùm suspicareris nos moliri aliquid* pro Republicâ.

[b] *paululùm distuli bellum agere, dùm, &c.*

[c] *contra flagitiosissimos Reipublicæ hostes.*

[d] *Antonio & Dolabellæ exercitum eripui, quem si Dolabella primus occupasset, auxisset animos Antonii.*

[e] *flagitiosè*, & turpiter.

[f] & quoniam *de tuâ in se voluntate assiduè audit, &c.*

NOTÆ.

1. *Moliri*] Absolutè hîc sumi debet pro eo quod dicitur apparatum facere, seu magnum aliquid aggredi. Sic apud Terentium: *dùm moliuntur, dùm comuntur, annus est.*

2. *Ad Senatum literas*] Non has; sed superiores.

3. *Trebonio*] Asiæ Præfecto. Vide hist. indicem.

4. *Qui in Syriâ fuêre*] Parati scilicet ad Parthicam expeditionem.

5. *Murci & Crispi*] Qui susceptis alacriter Reipublicæ partibus, sese mihi cum exercitu suo tradiderunt. Vide superiorem epistolam.

EPISTOLA XI.

Cassius traditos sibi ait fuisse exercitus in Syriâ; benè jubet sperare Ciceronem de Republicâ. Eodem anno, sed ante prælium Mutinense.

Cassius [1] Proconsul S. D. Ciceroni.

SI vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam [2] me profectum esse scito. Ad [3] L. Murcum, [4] & Q. Crispum imperatores, viri fortes, optimique cives, postea quàm audierunt, [5] quæ Romæ gererentur, exercitus mihi tradiderunt, ipsique mecum unà fortissimo animo rempublicam administrant. item legionem, quam [6] Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me venisse scito. quatuorque legiones, quas A. [7] Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes, remque publicam, quantùm opus est, defendas. scire te volo, firma præsidia vobis, senatûique non deesse, ut optimâ spe, & maximo animo rempublicam defendas. reliqua tecum aget L. Carteius, familiaris meus. Vale. Data non. Mart. ex castris [8] Taricheis.

NOTÆ.

1. *Proconsul*] Quamvis Consulatum non gesserat Cassius, quia tamen provinciam Consulari potestate administrabat, Proconsulis insignitur titulo. Vide epist. 1. primi libri, pag. 2.

2. *Me profectum*] Cæsar, dum viveret, Marco Bruto Prætori Macedoniam, Cassio Syriam destinaverat: mortuo Cæsare, Syria Dolabellæ Consuli data est, Macedonia ipsius collegæ Antonio; at cùm Senatus ambos Consules Reipublicæ moliri perniciem intellexisset, Cassio Syriam, Macedoniam Bruto restituit, Cassius in Syriâ Dolabellam, Caium Antonium, Marci fratrem, in Macedoniâ Brutus oppressit.

3. *L. Murcum*] Qui tribus legionibus imperabat: hic postea, cæsis in Macedoniâ Bruto & Cassio, cùm ad Sextum Pompeium Magni filium confugisset, ab eo interfectus est.

4. *Quintum Crispum*] Tres ipse quoque legiones habebat.

5. *Quæ Romæ gererentur*] Contra Dolabellam & Antonium.

6. *Q. Cæcilius Bassus habuit*] Acceptam à Cæsare, cùm de Parthicâ expeditione cogitaret.

7. *Allienus*] Dolabellæ legatus: ab eo missus est in Ægyptum, ut inde has legiones adduceret: adduxit quidem, sed Cassio, non Dolabellæ tradidit.

8. *Taricheis*] Tarichea oppidum Palæstinæ in Galilæâ, ad lacum Genesaræ. *Jessirchin.*

EPISTOLA XII.

Dignitatem suam Cicero, suosque duces, ac milites commendat; deinde se profecturum significat in Ciliciam contra Dolabellam. Eodem anno.

Cassius Procos. S. D. Ciceroni.

SI vales, bene est, ego quidem valeo. Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi. videbaris enim non solùm favere nobis, id quod & nostrâ, & reipublicæ causâ semper fecisti, sed etiam gra-

Digitized by Google

vem curam ſuſcepiſſe, vehementerque eſſe de nobis ſolicitus. [a] Itaque, quòd te primùm exiſtimare putabam, nos, oppreſsâ republicâ quieſcere non poſſe: deinde, cùm ſuſpicarere nos [1] moliri, quod te ſolicitum eſſe & de ſalute noſtrâ, & de rerum eventu putabam: ſimul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Ægypto, ſcripſi ad te, tabellarioſque complures Romam miſi. ſcripſi etiam [2] ad ſenatum literas, quas reddi vetui priùs, quàm tibi recitatæ eſſent, ſi fortè mei obtemperare mihi voluerunt: quòd ſi literæ perlatæ non ſunt, non dubito, quin Dolabella, qui, nefariè [3] Trebonio occiſo, Aſiam occupavit, tabellarios meos deprehenderit, literaſque interceperit. Exercitus omnes, [4] qui in Syriâ fuêre, teneo. [b] habui paululum moræ, dùm promiſſa militibus perſolvo. nunc jam ſum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam tibi commendatam habeas; ſi me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegaſſe: [c] ſi contra importuniſſimos latrones arma cepi, te hortante & auctore: ſi non ſolùm exercitum ad rempublicam, libertatemque defendendam comparavi, ſed etiam [d] crudeliſſimis tyrannis eripui. quem ſi occupaſſet Dolabella, non ſolùm adventu, ſed etiam opinione, & expectatione exercitûs ſui Antonium confirmaſſet: quas ob res milites tuere, ſi eos mirificè de republicâ meritos eſſe animadvertis: & efficere, ne quem pœniteat, rempublicam quàm ſpem prædæ, & rapinarum, ſequi maluiſſe. item [f] Murci, & Criſpi imperatorum dignitatem, quæ tum eſt in te, tuere. nam Baſſus [e] miſerè noluit mihi legionem tradere. quòd niſi milites invito eo legatos ad me miſiſſent, clauſam Apameam tenuiſſet, quoad vi eſſet expugnata. Hæc à te peto non ſolùm reipublicæ, quæ tibi ſemper fuit cariſſima, ſed etiam amicitiæ noſtræ nomine, quam confido apud te plurimùm poſſe. Crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, ſenatus, atque optimi cujuſque eſſe, maximéque tuum: [g] de cujus voluntate aſſiduè audiendo, mirificè te diligit, earumque habet. qui ſi intellexerit

INTERPRETATIO.

[a] *itaque ſcripſi ad te; primùm quia te exiſtimare putabam nos, &c. deinde quia putabam te ſollicitum eſſe de ſalute noſtrâ, & de rerum eventu, cùm ſuſpicareris nos moliri aliquid* pro Republicâ.

[b] *paululùm deſtiti bellum agere, dùm, &c.*

[c] *contra flagitioſiſſimos Reipublicæ hoſtes.*

[d] *Antonio & Dolabellæ exercitum eripui, quem ſi Dolabella primus occupaſſet, auxiſſet animos Antonii.*

[e] *flagitiosè*, & turpiter.

[f] & quoniam *de tuâ in ſe voluntate eſſet duè audit, &c.*

NOTÆ.

1. *Moliri*] Abſolutè hîc ſumi débet pro eo quod dicitur apparatum facere, ſeu magnum aliquid aggredi. Sic apud Terentium: *dùm moliuntur, dùm commuuntur, animus eſt.*

2. *Ad Senatum literas*] Non has, ſed ſuperiores.

3. *Trebonio*] Aſiæ Præſecto. Vide hiſt. indicem.

4. *Qui in Syriâ fuêre*] Parati ſcilicet ad Parthicam expeditionem.

5. *Murci & Criſpi*] Qui ſuſceptis alacriter Reipublicæ partibus, ſeſe mihi cum exercitu ſuo tradiderunt. Vide ſuperiorem epiſtolam.

commoda ſua curæ tibi eſſe, debere etiam ſe tibi omnia putábit. Literis ſcriptis, audivi Dolabellam in Ciliciam veniſſe cum ſuis copiis. proficiſcar in Ciliciam. quid egerim, celeriter ut ſcias, dabo operam. ac velim, ut meremur de republicâ, ſic felices ſimus. Fac valeas, meque ames. Nonis Maii, ex caſtris.

EPISTOLA XIII.

Gratulatur de Mutinenſi victoriâ; deinde res à ſe geſtas enumerat. Eodem anno.

[1] Caſſius S. D. Ciceroni.

SI vales, bene eſt, ego quidem valeo. Cùm reipublicæ vel ſalute, vel [2] victoriâ gaudemus: tùm [3] inſtauratione tuarum laudum, [a] quòd maximus conſularis maximum conſulem [4] te ipſe viciſti, & lætamur, & mirari ſatis non poſſumus. fatale neſcio quid tuæ virtuti datum: id quod jam ſæpè experti ſumus. Eſt enim [5] tua toga omnium armis felicior: quæ nunc quoque nobis penè victam rempublicam ex manibus hoſtium eripuit, ac reddidit. nunc ergo vivemus liberi: nunc te, omnium maximè civis, & mihi cariſſime, id quod maximè reipublicæ [6] tenebris comperiſti, nunc te habebimus teſtem noſtri & in te, & in conjunctiſſimam tibi rempublicam amoris: &, quæ ſæpè pollicitus es te & [7] taciturum, dum ſerviremus, & dicturum de me tùm, cùm profutura eſſent, nunc illa non ego quidem dici tanto-perè deſiderabo, quàm ſentiri à te ipſo. neque enim omnium judicio [b] malim me à te commendari, quàm ipſe tuo judicio dignè, ac mereor, com-

INTERPRETATIO.

[a] *quòd adhuc majora ſint quæ Conſularis, quàm quæ Conſul effeciſti.*

[b] *malo enim tibi commendatus eſſe, ut mereor, quàm per te omnibus civibus commendari.*

NOTÆ.

1. *Caſſius*] Alter eſt Caſſius ab eo, qui ſuperiores epiſtolas ſcripſit, ejuſdem Caſſii Proconſulis Quæſtor.

2. *Victoriâ*] De Antonio ad Mutinam relatâ.

3. *Inſtauratione*] Reſpicit ad conjurationem Catilinariam, quâ extinctâ, maximam laudem Cicero conſecutus eſt; nunc autem victoriâ Mutinenſi ipſius conſiliis partâ, ejuſdem laudes Romæ inſtauratæ ſunt; nam à toto fermè populo in Capitolium deductus eſt, & maximo plauſu in Roſtris collocatus.

4. *Te ipſe*] Quaſi majora effecerit Conſularis, quàm Conſul præſtiterat, reſque publica ex devicto Antonio, quàm ex oppreſſo Catilinâ plus commodi conſequatur.

5. *Tua toga*] Quia togatus Cicero plus Reipublicæ profuerat, quàm benè multi exercituum duces; unde Juvenalis:

Tantùm ergo muros intra toga contulit illi Nominis, &c.

6. *Tenebris*] Id quod maximè intellexiſti eo tempore, quo Cæſar cives Romanos in ſervitute, quaſi in tenebris, tenebat.

7. *Taciturum*] De odio tyrannidis, & libertatis amore: de iis enim, regnante Cæſare, habere ſermonem, periculoſum erat.

Digitized by Google

mendatus esse : ut [8] hæc novissima nostra facta non subita, [c] nec inconvenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse judices, [d] meque ad optimam spem patriæ non minimum tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi, M. Tulli, liberi, propinquique digni quidem te, & meritò tibi carissimi : [e] esse etiam debent in republicâ proximè hos cari, qui studiorum tuorum sunt æmuli : [f] quorum esse cupio tibi copiam : [g] sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi vacet me excipere, [h] & ad omnia quæ velis, & probes, producere. animum tibi nostrum fortasse probavimus : ingenium certè [9] diutina servitus, qualecunque est, minus tamen quàm erat, passa est videri. Nos ex orâ maritimâ Asiæ provinciæ, & ex insulis quas potuimus naves deduximus. delectum remigum, [i] magna contumacia civitatum, tamen satis celeriter habuimus. secuti sumus classem Dolabellæ, cui Lucilius præerat : [k] qui, spem sæpè transitionis præbendo, [l] neque unquam non decedendo, novissimè [10] Corycum se contulit, & clauso portu se tenere cœpit. nos, [m] illâ relictâ, quòd & in castra pervenire satius esse putabamus, & sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithyniâ [n] Tullius Cimber compararat, cui Turulius quæstor præerat, Cyprum petivimus. ibi, quæ cognovimus, scribere ad vos quamcelerrimè voluimus. Dolabellam, ut Tarsenses, pessimi socii, ita Laodiceni multò amentiores ultro accersierunt. ex quibus utrisque civitatibus, Græcorum militum numero, [n] speciem exercitus effecit. castra habet ante oppidum Laodiceam posita, & partem muri demolitus est, & castra oppido conjunxit. [11] Cassius noster cùm decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliariis, & quatuor millibus

INTERPRETATIO.

[c] *nec discrepantia ab iis cogitationibus.*

[d] *ac judices me à te ipso non parùm promovendum, occupandumque esse negotiis publicis ad bonum Reipublicæ.*

[e] *post liberos, ac propinquos maximè debent esse chari in Republicâ ii, qui imitatores sunt tuorum studiorum.*

[f] *quorum quidem* imitatorum, *maximam cupio tibi esse multitudinem.*

[g] *sed quantumvis magna sit, non puto multos esse, quos mihi præferre queas.*

[h] nec illa multitudo impedire debet, *quominus possis me officiis tuis amplecti, & promovere ad omnia quæ velis, & probes.* C I

[i] *licet recusarent civitates.*

[k] *qui cùm sæpè simularet, velle se ad meas partes transire,* relicto Dolabellâ.

[l] *& revera nonnunquam à portibus discederet,* velut ad me transfugurus.

[m] *classe.*

[n] *similitudinem quandam justi exercitûs.*

NOTÆ.

8. *Hæc novissima facta*] Necem Cæsaris à me, cæterisque conjuratis non subitò, nec temerariè, sed prudenter & meditatò susceptam.

9. *Diutina servitus*] Sub Cæsare, qui rerum potitus forensem operam, atque adeò omnimodam ingenii exercendi rationem sustulerat.

10. *Corycum*] Corycus, seu Corycium, urbs Ciliciæ, nunc *Curco* dicta; ubi mons ejusdem nominis, Croci optimi ferax : in istius oppidi portu tenuit se Lucilius.

11. *Tullius Cimber*] Unus è conjuratis, cui Quæstor erat Turulius.

12. *Cassius noster*] Syriæ Præfectus. Vide primam notam hujus epistolæ.

equitum à millibus paſſuum viginti caſtra habet poſita [13] Πάλτῳ, & exiſtimat ſe ſine prælio poſſe vincere. [o] Nam jam [14] ternis tetradrachmis triticum penes Dolabellam eſt. [p] niſi quid navibus Laodicenorum ſupportarit, citò fame pereat neceſſe eſt: ne ſupportare poſſit, & Caſſii claſſis benè magna, cui præeſt Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Tullius, & Patiſchus, facilè [q] præſtabunt. Volo igitur vos benè ſperare, & [15], rempublicam ut vos iſtic expediiſtis, ita pro noſtrâ parte celeriter nobis expediri poſſe confidere. Vale. Data idibus Junii Cypro, [16] A Cromyu acride.

INTERPRETATIO.

[o] *jam enim triticum ſummo pretio ab exercitu Dolabellæ emitur.*

[p] *niſi curet frumenti aliquid aſportari, &c.* [q] *efficient.*

NOTÆ.

13. Πάλτῳ] Paltos, oppidum Syriæ, nunc *Gibel.*

14. *Ternis tetradrachmis*] Duodecim drachmis: drachma autem octo circiter aſſes valet. hæc igitur ſumma reducitur ad quatuor libras, & ſexdecim aſſes, *quatre livres ſeize ſols.*

15. *Expediſtis*] Ut vos in Italiâ Rempublicam victoriâ Mutinenſi ab Antonii tyrannide liberaſtis, ita ſperamus eamdem hîc poſſe à nobis liberam fieri.

16. *A Cromyu acride*] Κρωμμύου ἄκρας Promontorium Cypri inſulæ, dictum à Gerardo Mercatore, *Cornachietto*, contra Arnemurium Promontorium Ciliciæ. Strabo,

EPISTOLA XIV.

Commemoratis ſuis rebus geſtis, Lentulus Aſiæ adminiſtrationem poſtulat, loco Conſulum, quos in Italiâ retinebat bellum contra Antonium. Eodem anno.

[1] Lentulus S. D. Ciceroni ſuo.

CUM Brutum noſtrum [2] conveniſſem, eumque tardiùs in Aſiam venturum animadverterem, in Aſiam redii, ut reliquias [3] mei laboris colligerem, & pecuniam quamprimùm Romam mitterem. Interim cognovi [4] in Lyciâ eſſe claſſem Dolabellæ, ampliùs quàm centum naves onerarias, in quas exercitus ejus imponi poſſet: idque Dolabellam eâ mente compa-

INTERPRETATIO.

[1] *laboris Quæſtorii.*

NOTÆ.

1. *Lentulus*] Is erat filius Lentuli Spintheris, ad quem ſcriptus eſt epiſtolarum liber primus: interfecto Trebonio, cujus erat in Aſiâ Quæſtor, Proprætoris nomen aſſumpſit, ut provinciam hanc faciliùs in Romanorum fide conſervaret. Conſule indicem hiſtoricum.

2. *Conveniſſem*] In Macedoniam.

3. *Mei laboris*] Etſi Proprætoris obibat vices, non ideò Quæſtoris munus intermiſit.

4. *In Lycid*] Lycia minoris Aſiæ regio; terminatur à meridie, mari Mediterraneo; à Septentrione, Phrygiâ; ab Ortu

rasse, ut, si Syriæ spes eum [5] frustrata esset, conscenderet in naves, & Italiam peteret, seque cum Antoniis, & reliquis latronibus conjungeret. Cujus rei tanto in timore fui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus, & minoribus navibus [6] ad illas ire conatus sim. [b] quæ res, si à Rhodiis non essem interpellatus, fortasse tota sublata esset: tamen magnâ ex parte profligata est. quandoquidem classis dissipata est: adventûs nostri timore milites duceseque effugerunt: onerariæ omnes ad unam à nobis sunt [c] exceptæ. certè, quod maximè timui, videor esse consecutus, ut non posset classe Dolabella in Italiam pervenire, nec [d] sociis suis firmatis, durius vobis efficere negotium. [e] Rhodii nos, & rempublicam quàm valdè desperaverint, ex litteris, quas publicè misi, cognosces. & quidem multò parciùs scripsi, quàm re verâ furere eos inveni. quòd verò aliquid de his scripsi, mirari noli: mira est eorum amentia. nec me meæ ullæ privatim injuriæ moverunt unquam: malus animus eorum in nostrâ salute, cupiditas partium aliarum, perseverantia in contemptione optimi cujusque ferenda mihi non fuit. nec tamen omnes perditos esse puto. sed iidem illi, qui tùm fugientem [7] patrem meum, qui [8] L. Lentulum, qui Pompeium, qui cæteros viros clarissimos non receperunt, iidem, tanquam aliquo fato, & nunc aut magistratum gerunt, aut eos, qui sunt in magistratu, in suâ habent potestate. itaque eâdem superbiâ in pravitate utuntur. quorum improbitatem aliquando retundi, & non pati improbitate augeri, non solùm utile est reipublicæ nostræ, sed etiam necessarium. De nostrâ dignitate velim tibi ut semper curæ sit, & quocunque tempore occasionem habueris, & in senatu, & in cæteris rebus laudi nostræ suffragere. [9] Quoniam consulibus decreta est Asia, & permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam obtineant: rogo te, petas ab iis, ut hanc dignitatem potissimùm nobis tribuant, [f] & mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsorum [10] alteruter venit. nam, quòd huc properent in

INTERPRETATIO.

[b] *quæ classis prorsus ad exitium forte perducta esset, nisi Rhodii impedimento mihi fuissent.* [c] *captæ, vel conservatæ.*

[d] *Antoniana.*

[e] *cognosces ex litteris quas publicè misi, quàm valdè Rhodii putent nos, cum Reipublicæ esse desperatos,* ideóque contemnant.

[f] *ut Consules, dum absunt, mihi dent administrationem Asiæ.*

NOTÆ.

Ortu, Pamphyliâ; & ab Occasu Cariâ, hodie *Aldinelli* vocatur, estque pars Caramaniæ latè sumptæ.

5. *Frustrata esset*] Eam occupante Cassio.

6. *Ad illas*] Ad naves onerarias, quas vel obsidebat Dolabella, vel in suâ jam potestate habebat.

7. *Patrem meum*] P. Lentulum Spinterem ex acie Pharsalicâ cum Pompeio fugientem.

8. *Lucium Lentulum*] Qui anno primo belli civilis, cum Caio Marcello Consulatum gessit.

9. *Quoniam Consulibus*] Hirtio & Pansæ, quorum obitum Lentulus, cùm hæc scriberet, nondum audierat.

10. *Alteruter*] Hirtius, aut Pansa.

Digitized by Google

magistratu venire, aut exercitum mittere, causam non habent. Dolabella enim in Syriâ est: &, ut tu divinâ tuâ mente perspexisti, & prædicasti, dum isti venient, Cassius eum opprimet. exclusus enim [11] ab Antiochiâ Dolabella, & in oppugnando malè acceptus, nullâ aliâ confisus urbe, [12] Laodiceam, quæ est in Syriâ, ad mare se contulit. [13] ibi spero celeriter eum pœnas daturum. nam neque, quò refugiat, habet, neque diutiùs ibi poterit tantum exercitum Cassii sustinere. spero etiam confectum esse jam, & oppressum. quare non puto Pansam, & Hirtium in consulatu properaturos in provincias exire, sed Romæ acturos consulatum. Itaque, si ab his petieris, ut interea nobis procurationem Asiæ dent, spero te posse impetrare. præterea mihi promiserunt Pansa & Hirtius coram, & absenti mihi scripserunt, Verrioque nostro Pansa affirmavit, se daturum operam, ne in suo consulatu mihi succedatur. Ego porrò [h] non [14] medius fidius cupiditate provinciæ produci longius spacium mihi volo. nam mihi fuit ista provincia plena laboris, periculi, detrimenti. quæ ego ne frustrà subierim, néve priùs, quàm reliquias meæ diligentiæ consequar, decedere cogar, [i] valdè laboro. nam, si potuissem, quam exegeram, pecuniam universam mittere, postularem, ut mihi succederetur. [k] nunc, quod Cassio dedi, quod Trebonii morte amisimus, quod etiam crudelitate Dolabellæ, aut perfidiâ eorum, [l] qui mihi fidem, reique publicæ non præstiterunt, id consequi, & reficere volo. quod aliter non potest fieri, nisi spatium habuero. id ut per te consequar, velim, ut solet, tibi curæ sit. [m] ego me de republicâ ita puto esse meritum, ut non provinciæ istius beneficium expectare debeam, sed tantum, quantum Cassius, & Bruti, non solùm [15] illius facti, periculique societate, sed etiam hujus

INTERPRETATIO.

g *antequam Consules* in Asiam *advenerint.*

h *non ambitione, aut avaritiâ volo mihi diutiùs provincia tempus prorogari.*

i *valdè contendo, ut non prius decedam, quàm præmia diligentiæ meæ fuerim consecutus.*

k *nunc volo reficere pecuniam hanc, quam Cassio dedi, quam Trebonii, &c.*

l *qui debitam Reipublicæ pecuniam non solverunt.*

m *ego meis erga Rempublicam officiis, hoc me puto meritum esse, ut jure quodam meo petere possim procurationem hujus provinciæ, neque id beneficii loco ponere, sed mercedis; tantúmque expectare possim, quantùm C. Cassius, & uterque Brutus, non modò propter societatem ejusdem facti,* cùm Cæsarem interfecimus, *sed etiam propter ea quæ gessi hoc tempore* in Asiâ.

NOTÆ.

11. *Ab Antiochiâ*] Multæ fuerunt hujus nominis civitates, quarum nobilissima fuit Antiochia magna, ad Orontem fluvium in Syriâ; de quâ hîc sermo est.

12. *Laodiceam quæ est in Syriâ*.] Ut ab eâ distinguatur, quæ in majori Phrygiâ sita est.

13. *Ibi spero*] Res, uti sperabat, ita contigit. Consule indicem historicum in Dolabellâ.

14. *Medius fidius*] Jurandi formula per Jovis filium. Vide indicem rerum.

15. *Illius facti societate*] Si Plutarchum audimus, Lentulus ille cum multis aliis de Cæsaris morte falsò gloriati sunt. Consule imaginem historicam hujusce Lentuli.

Digitized by Google

temporis studio, & virtute. Primus enim ego leges Antonianas [16] fregi: primus equitatum Dolabellæ ad rempublicam traduxi, Cassioque tradidi: primus delectus habui pro salute omnium contra conjurationem sceleratissimam: solus Cassio, & reipublicæ Syriam, exercitusque, qui ibi erant, conjunxi. nam, nisi ego tantam pecuniam, tantaque præsidia, & tam celeriter Cassio dedissem, ne ausus quidem esset ire in Syriam: & nunc non minora pericula reipublicæ à Dolabellâ instarent, quàm ab Antonio. Atque hæc omnia is feci, qui & sodalis, & familiarissimus Dolabellæ eram, conjunctissimus sanguine Antoniis: [17] provinciam quoque illorum beneficio habebam: [a] sed [18] Πατρίδα φίλων μᾶλλον φιλῶν, [19] omnibus meis bellum primus indixi. hæc etsi adhuc non magnoperè mihi tulisse fructum animadverto: tamen non despero, nec defatigabor permanere non solùm in studio libertatis, sed etiam in labore, & periculis. attamen, si etiam aliqua gloria justa, & merita provocabimur, senatus, & optimi cujusque officiis, majore cum auctoritate apud cæteros erimus, & eo plus prodesse reipublicæ poterimus. Filium tuum, ad Brutum cùm veni, videre non potui, ideò quòd jam in hiberna cum equitibus erat profectus: sed medius fidius, [b] ea esse eum opinione, & tuâ, & ipsius, & in primis mea causa gaudeo. fratris enim loco mihi est, qui ex te natus, teque dignus est. Vale. Data IV. Kalendas Junii, [20] Pergæ.

INTERPRETATIO.

[a] *sed iis omnibus patria mihi carior.* [b] *ab omnibus plurimi fieri.*

NOTÆ.

16. *Antonianas fregi*] Non quidem abrogando, siquidem has abrogavit Dolabella Consul: sed fregit, iis non parendo.

17. *Provinciam*] Id est, Quæsturam Asiæ sub Trebonio Proconsule, Antonii beneficio, obtinueram.

18. Πατρίδα] Alludit Lentulus ad senarium Poëtæ, quem laudat Plutarchus: φιλῶ τίνι' ἀνὰ πατρίδ' ἢ μᾶλλον φίλα, *liberos amo, sed patriam magis.*

19. *Omnibus*] Antoniis, quibus aut amicitiâ, aut sanguine sum conjunctus.

20. *Pergæ*] Perga urbs Pamphiliæ Mediterranea, ad fluvium Cestrium in Asiâ Minori, *Pirgi*. Erat hîc Dianæ Templum, antiquissimum, ut alibiait Cicero, & sanctissimum, unde Pergæa dicta est.

EPISTOLA XV.

Scribit de rebus à se pro Republicâ, à Dolabellâ verò, & à Rhodiensis contra Rempublicam gestis. Eodem anno.

Lentulus P. F. proquæst. propræt. s. D. cos. præt. trib. pl. senatui, populo, plebique R.

SI valetis, liberique vestri valent, bene est: ego quoque valeo. [1] Scelere Dolabellæ oppressa Asia, in proximam provinciam Macedoniam, præ-

NOTÆ.

1. *Scelere Dolabellæ*] Qui occiso Smyrnæ Trebonio, Asiam per vim occupaverat.

fidiaque reipublicæ quæ M. Brutus, vir clarissimus tenebat, me contuli: & id egi, ut per quos celerrimè posset, Asia provincia, vectigaliaque in vestram potestatem redigerentur. quod cùm pertimuisset Dolabella, &, vastatâ provinciâ, [a] correptis vectigalibus, præcipuè civibus Romanis omnibus crudelissimè denudatis, ac divenditis, celerius Asiâ excessisset, quàm eò præsidium [2] adduci potuisset: diutiùs morari, aut expectare præsidium non necesse habui, & quamprimum [3] ad meum officium revertendum mihi esse, existimavi: ut & reliqua vectigalia exigerem, &, quam depositi, pecuniam colligerem: quidquid ex eâ [b] correptum esset, aut quorum id culpâ accidisset, cognoscerem quamprimùm, & vos de omni re facerem certiores. Interim, cùm per insulas in Asiam naviganti mihi nuntiatum esset, classem Dolabellæ in Lyciâ esse, Rhodiosque naves complures instructas & paratas in aquâ habere: cum iis navibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparaverat [4] Patischus [5] proquæst. homo mihi cùm familiaritate, tùm etiam sensibus in republicâ conjunctissimus, Rhodum reverti, confisus auctoritate vestrâ, senatusque consulto, quo hostem Dolabellam judicaratis, fœdere quoque, quod cum iis M. Marcello, Ser. Sulpicio coss. renovatum erat, quo juraverant Rhodii, eosdem hostes se habituros, quos senatus, populusque Romanus, quæ res nos vehementer fefellit. tantùm enim abfuit, ut illorum præsidio nostram firmaremus classem, ut etiam à Rhodiis urbe, portu, [6] statione, quæ extra urbem est, commeatu, aquâ denique prohiberentur nostri milites, nos vix ipsi singulis cum navigiolis reciperemur. Quam indignitatem, diminutionemque majestatis non solùm juris nostri, sed etiam imperii, populique Romani idcirco tulimus, quòd interceptis literis cognoramus, Dolabellam, si desperasset de Syriâ, Ægyptoque, quod necesse erat fieri, in naves cum omnibus suis latronibus, atque omni pecuniâ confugere esse paratum, Italiamque petere: idcirco etiam naves onerarias, [c] quarum minor nulla erat duum millium amphorarum, contractas in Lyciâ à classe ejus obsideri. Hujus rei timore P. C. percitus, injurias perpeti, & cum contumeliâ etiam nostra omnia priùs experiri malui. itaque [d] ad illorum voluntatem introductus in urbem, & in

INTERPRETATIO.

[a] *sublatis.* [b] *sublatum esset.*
[c] *quarum nulla erat, quæ non ad minimum duo millia amphorarum caperet.*
[d] *quando ipsi voluerunt.*

NOTÆ.

2. *Adduci*] A me.

3. *Ad meum officium*] Quæstoris, cujus erat exigere vectigalia, & pecuniam populi Romani curare.

4. *Patischus*] Qui sibi quoque laudem occisi Cæsaris tam falsò, quàm Lentulus vendicabat.

5. *Proquæstor*] Ipsius Lentuli.

6. *Statione*] Locus in quo naves ad tempus morantur, sed minùs tutè quàm in portu. Virg.

Nunc tantùm sinus, & statio malè fida carinis.

Digitized by Google

senatum eorum, quàm diligentissimè potui, causam reipublicæ egi, periculumque omne, quod instaret, [e] si ille latro cum omnibus suis naves conscendisset, exposui. Rhodios autem tantâ in pravitate animadverti, [f] ut omnes [7] firmiores putarent, quàm bonos: ut hanc concordiam, & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem propensè non crederent esse factam: [g] ut patientiam senatus, & optimi cujusque manere etiam nunc confiderent, nec potuisse audere quemquam Dolabellam hostem judicare: ut denique omnia, quæ [h 8] improbi fingebant, magis vera existimarent, quàm quæ verè facta erant, & à nobis [9] docebantur. Quâ mente etiam ante nostrum adventum, post Trebonii indignissimam cædem, cæteraque tot, támque nefaria facinora, binæ profectæ erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem novo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus iis, qui tùm magistratus gerebant. Hæc [i 10] sive timore, ut dictitant, de agris, [k] quos in continenti habent, sive furore, sive potentiâ paucorum, qui & anteà pari contumeliâ viros clarissimos affecerant, & nunc maximos magistratus gerentes: nullo exemplo, neque vestrâ ex parte, neque nostro præsentium, neque imminenti Italiæ, urbique nostræ periculo, si ille parricida cum suis latronibus, navibus, ex Asiâ, Syriâque expulsus, Italiam petiisset, mederi, cùm facilè possent, voluerunt. [l] nonnullis etiam ipsi magistratus veniebant in suspicionem, detinuisse nos, & demorati esse, dum classis Dolabellæ certior fieret de adventu nostro. Quam suspicionem consecutæ res aliquot auxerunt, maximè quòd subitò ex Lyciâ Sex. Marius, &

5 10 15 20

INTERPRETATIO.

[e] *si Dolabella.* [f] *ut putarent plus simultatis & audaciæ in nobis, quàm virtutis & bonæ fidei esse, adeout hanc concordiam, &c. non crederent ex propensione animi esse factâ.*

[g] *ac senatum & optimum quemque dicerent* Dolabellæ injurias, *uti anteà perpessi erant, ita nunc dissimulanter perpeti.*

[h] *Rhodii.*

[i] *hæc nobis incommoda intulerunt Rhodii sive timore.*

[k] dans la terre ferme.

[l] *quin etiam aliqui putabant nos à magistratibus Rhodiis retentos esse, donec certiorem facerent Dolabellam de adventu nostro.*

NOTÆ.

7. *Firmiores*] Sic videtur locus hic, alioqui subobscurus, explicari posse: ideò non favebant Lentulo Rhodii, quòd crederent non tam Reipublicæ causâ, quàm privato quodam odio Dolabellam ab eo exagitari. Quæ sequuntur, hanc declarationem confirmant.

8. *Quæ improbi, &c.*] Nempe Dolabellam à Senatu hostem patriæ nondum esse declaratum, neque privatas duntaxat non fecit injurias persequi.

9. *Quæ docebantur*] Rhodii, Dolabellam scilicet hostem patriæ Senatûs decreto appellatum.

10. *Sive timore*] Quærit causas, cur Rhodii cùm opem ferre Lentulo debuissent, ipsius milites portu excluserint, omnique commeatu prohibuerint: tres autem has reperit; primam, timorem civium, qui timebant agris quos habebant in continenti: deinde furorem ac potentiam paucorum, qui eadem usi erant perfidiâ erga Lentulum & Pompeium viros clarissimos; nunc autem potentiores facti propter magistratus quos gerunt, noluerunt mederi nostro præsentium discrimini, neque periculo, quod ubi nostræ imminebat, si eò Dolabella cum classe contendisset: hæc,

Digitized by Google

C. Titius, legati Dolabellæ, à classe discesserunt, navique longâ [11] profugerunt, onerariis relictis, in quibus colligendis non minimum temporis, laborisque consumpserunt. Itaque cùm Rhodo cum iis, quas habueramus, navibus in Lyciam venissemus, naves onerarias recepimus, dominisque restituimus: iidemque, quod maximè verebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam venire, timere desimus. classem fugientem persecuti sumus [12] usque ad Sidam, quæ extrema regio est provinciæ meæ. ibi cognovi partem navium Dolabellæ diffugisse reliquas Syriam. Cyprumque petiisse. quibus disjectis, cum scirem C. Cassii, singularis civis, & ducis, classem maximam fore præsto in Syriâ, ad meum officium reverti: daboque operam, ut meum studium, & diligentiam vobis P. C. & reipublicæ præstem, pecuniamque, quammaximam potero, & quamcelerrimè, cogam, [m] omnibusque cum rationibus ad vos mittam. si percurrero provinciam, & cognovero, qui nobis, & reipublicæ fidem præstiterunt in conservandâ pecuniâ à me depositâ: quique scelere, ultrò deferentes pecuniam publicam, hoc munere societatem facinorum cum Dolabellâ inierunt: faciam vos certiores. de quibus, si vobis videbitur, si, ut meriti sunt, graviter constitueritis, nosque vestrâ auctoritate firmaveritis: faciliùs & reliqua exigere vectigalia, & exacta servare poterimus. Interea, quò commodiùs vectigalia tueri, provinciamque ab injuriâ defendere possim, præsidium necessarium, voluntariumque comparavi. His literis scriptis, milites circiter xxx. quos Dolabella ex Asiâ conscripserat, è Syriâ fugientes in Pamphyliam venerunt. hi nuntiaverunt Dolabellam Antiochiam, quæ in Syriâ est, venisse: non receptum, conatum esse aliquoties vi introire, repulsum semper esse cum magno suo detrimento: itaque, centum circiter amissis, ægrisque compluribus relictis, noctu Antiochiâ profugisse Laodiceam versus: eâ nocte omnes ferè Asiaticos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Antiochiam rediisse, & se iis tradidisse, qui à Cassio relicti, urbi illi præerant: cæteros per Amanum in Ciliciam descendisse: quo ex numero se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copiis, nuntiatum esse, quatridui iter à Laodiceâ abfuisse tum, cùm Dolabella eò tenderet. Quamobrem opinione celerius, confido, sceleratissimum latronem pœnas daturum. IV. non. Junii, Pergæ.

INTERPRETATIO.

[m] avec tous les comptes.

NOTÆ.

inquam, Rhodii fecerunt nullo exemplo majorum suorum, quorum fides erga populum Romanum enituit, neque vestrâ ex parte, id est, neque studio vestrarum partium; nihil enim afferre possunt, quo factum suum tueantur.

11. *Profugerunt*] Exercitûs nostri metu: ideóque putabamur detenti à Rhodiis magistratibus, ut spatium Dolabellæ legatis ad fugiendum daretur.

12. *Usque ad Sidam*] Vide epist. 5. libri tertii, pag. 67.

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

Laudat Ciceronis filii indolem; mittit versus satyricos, quos exemplo Lucilii scripserat; petit ut nomen suum inter Cæsaris interfectores ponat. Antonio & Dolabellâ Coss. anno urbis conditæ 709.

C. Trebonius S. D. Ciceroni.

SI vales, bene est. Athenas veni a. d. XI. Kalend. Jun. atque ibi, quod maximè optabam, vidi filium tuum, deditum optimis studiis, summâque modestiæ famâ. quâ ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes, etiam me tacente. non enim nescis quanti te faciam, & quàm pro nostro veterrimo, verissimoque amore omnibus tuis etiam minimis commodis, [a] non modò tanto bono gaudeam. Noli putare, mi Cicero, [b] me hoc auribus tuis dare. nihil adolescente tuo, atque adeò nostro, (nihil enim mihi à te potest esse sejunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt, est, aut studiosius earum artium, quas tu maximè amas, hoc est optimarum. Itaque tibi, quod verè facere possum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis, quòd eum, quem necesse erat diligere, [1] qualiscunque esset, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. [c] qui cùm mihi in sermone injecissel, se velle Asiam visere, non modò invitatus, sed etiam rogatus est à me, ut id potissimum, [2] nobis obtinentibus provinciam faceret. cui nos & caritate, & amore [d] tuum officium præstaturos, non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curæ, ut [3] Cratippus unà cum eo sit, ne putes in Asiâ [e] feriatum illum ab iis studiis, in quæ tuâ cohortatione incitatur, futurum. nam [f] illum paratum, ut video, & [4] ingressum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quò in dies longius, discendo, exercendoque se, procedat. Vos quid ageretis in republicâ, cùm has literas dabam, non sciebam. audiebam [5] quædam turbulenta: quæ scilicet cupio esse

INTERPRETATIO.

[a] *non modò gaudeam tanto bono, sed etiam omnibus minimis tuis commodis.*
[b] *me in his tibi adulari.*
[c] *qui cùm inter loquendum mihi significaret.*
[d] *tuas vices præstaturum esse.*
[e] *intermissurum illa studia*
[f] *jam erga litteras brevè affectum.*

NOTÆ.

1. *Qualiscumque esset*] Quamvis careret ingenio, bonarumque artium non esset studiosus.

2. *Nobis obtinentibus*] Interfecto Cæsare, Asiam Proconsulari imperio Trebonius obtinuerat.

3. *Cratippus*] Ejus in Philosophiâ magister, & Peripateticorum hujus ætatis facilè princeps.

4. *Ingressum pleno gradu*] Id est, citato cursu, *à grands pas*. Livius, lib. 10. *Ubi nemo obvius ibat, pleno gradu ad castra hostium ibant.*

5. *Quadam turbulenta*] De Antonio, qui Cæsaris testamento corrupto, multa per vim ac tyrannidem Romæ moliebatur.

Digitized by Google

falsa, ut aliquando otiosâ libertate fruamur : quod vel minimè adhuc mihi contigit. ego tamen, nactus in navigatione nostrâ pusillum [g] laxamenti, concinnavi tibi [h] [6] munusculum ex instituto meo, & [i] [7] dictum, cum magno nostro honore à te dictum, concluſi, & tibi infrà subscripsi. in quibus [8] versiculis si tibi quibusdam verbis [k] εὐθυῤῥημονέστερος videbor : [l] turpitudo personæ ejus, in quam liberiùs invehimur, nos vindicabit. Ignoſces etiam iracundiæ nostræ, quæ justa est in ejusmodi & homines, & cives. deinde, [m] quî magis hoc [9] Lucilio licuerit assumere libertatis, quàm nobis? [n] cùm, etiam si odio par fuerit in eos, quos læsit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tantâ libertate verborum incurreret. Tu, sicut mihi pollicitus es, [o] adjunges me quamprimum [10] ad tuos sermones. Namque illud non dubito, quin, si quid de interitu Cæsaris scribas, [p] non patiaris me minimam partem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem, meosque tibi commendatos habe. D. VIII. Kal. Jun. Athenis.

INTERPRETATIO.

[g] *otii.* [h] *libellum.* [i] *librumque de tuis acutè dictis perfeci, nomenque tuum infrà apposui.*

[k] *liberior in loquendo.*

[l] *turpissimi mores illius, quem versiculis insector liberiùs, me* apud te *defendent.*

[m] *cur magis licebit Lucilio hanc assumere libertatem*, ut mores hominum nequissimorum describat, *quàm mihi.*

[n] *etsi par mihi fuerit odio in illos, quos perstrinxit versibus suis, at certè ii, quos læsit, non magis erant satyrâ digni, quàm quos descripsi.*

[o] *inseres me in dialogos.*

[p] *hujusce gloriæ partem non minimam tribues.*

NOTÆ.

6. *Munusculum*] Librum scripsit Trebonius, cujus priori parte civem improbum satyricè notat, & insectatur; posteriori autem dicta Ciceronis, non quælibet, sed ea tantùm, quæ cum laude Trebonii conjuncta essent, complexus est : tyro autem Tullii libertus in tres libros omnia Ciceronis occultè dicta collegit.

7. *Dictum*] *Dicta dicere*] familiare Ciceroni loquendi genus.

8. *Versiculis*] Suspicor versiculos propterea appellasse, licet ad poëticos numeros redacti non erant, quia plures breviores sententias, dictaque alia ab aliis sejunxerat.

9. *Lucilio*] Lucilius Eques Romanus, qui primus carmine satyrico hominum mores descripsit : obiisse dicitur sub annum urbis conditæ 651. hæc me verba penè adducunt, ut credam, quia Lucilium laudat, hanc Trebonii satyram poëtico numero inclusam fuisse.

10. *Ad tuos sermones*] Quos fortè Cicero de nece Cæsaris scripturum se promiserat.

EPISTOLA

EPISTOLA XVII.

Scribit de rumoribus allatis è Syriâ, de otio urbis Romanæ; tùm petit ut libro, quem scripsit de Oratore, suffragetur. Quinto Fabio Maximo, & Caio Trebonio Coss. anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

Cicero s. d. Q. Cornificio [1] collegæ.

GRATA mihi vehementer est memoria nostri tua, quam significasti literis: quam ut conserves, non quò de tuâ constantiâ dubitem, sed quia mors est ita rogandi, rogo. Ex Syriâ nobis [2] tumultuosiora quædam nuntiata sunt: quæ, quia [3] tibi sunt propiora, quàm nobis, tua me causa magis movent, quàm mea. Romæ summum [4] otium est, sed [a] ita, ut malis salubre aliquod, & honestum negotium: quod spero fore, quia video [5] id curæ esse Cæsari. [b] Me scito, dum tu abfuis, quasi occasionem quandam, & licentiam nactum, scribere [6] audacius, [7] & cætera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes: sed proximè scripsi de optimo genere dicendi: in quo sæpè suspicatus sum te à judicio nostro, sic scilicet, ut doctum hominem [8] à non indocto, paululùm dissidere. Huic tu libro maximè velim ex animo, [c] si minus, gratiæ causâ, suffragere. dicam tuis, ut eum, si velint, describant, ad teque mittant. Puto enim, etiamsi rem minùs probabis, tamen [9] in istâ solitudine, quidquid à me profectum sit, jucundum tibi fore. Quòd mihi existimationem tuam, dignitatemque commendas: facis tu quidem omnium more: sed velim sic existimes, me cùm amori, quem in-

INTERPRETATIO.

[a] *sic tamen* ut huic otio forensem *& honestam occupationem præferres.*

[b] *me scito ex absentiâ tuâ occasionem habuisse scribendi audaciùs* de arte Rhetoricâ, *sed & quædam alia componendi, quæ etiam tu, &c.*

[c] *si non ex animo, saltem gratia causâ faveas.*

NOTÆ.

1. *Collega*] In Auguratu.

2. *Tumultuosiora*] De Quinto Cæcilio Basso, & Sexto Julio sic inter se dissidentibus, ut belli inde occasio nata sit, nisi id malis interpretari de belli Parthici metu.

3. *Tibi sunt propiora*] Quia tùm in Africâ, cùm hæc Cicero scriberet, erat Cornificius.

4. *Otium est*] Quoniam per se solus vix adhibito in consilium Senatu, Cæsar omnia gerebat.

5. *Id curæ esse Cæsari*] Ut Reipublicæ antiquam dignitatem, primamque nobis authoritatem reddat.

6. *Audaciùs*] Fingit Cicero, se non ausum scribere de arte Oratoriâ, præsente Cornificio, quoniam & ipse artem hanc apprimè callebat; de illa siquidem librum ediderat, ut author est Quintilianus, libro tertio.

7. *Et cætera quidem fortasse*] Philosophica fortè intelligit: dissidebant autem, opinor, quòd elocutioni Cicero plurimùm, Cornificius autem rebus ipsis haud paulò plus quàm verbis tribueret.

8. *A non indocto*] Modestè Tullius, præter consuetudinem, de se prædicat.

9. *In illâ solitudine*] In quâ versaris, nullis impeditus negotiis.

ter nos mutuum esse intelligam, plurimum tribuere, tùm de summo ingenio, & de optimis tuis studiis, & de spe amplissimæ dignitatis ita judicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Commendat Cornificii prudentiam, ac deflet rerum præsentem statum. Eodem anno.

Cicero s. d. Cornificio collegæ.

QUOD extremum fuit in epistolâ, quam à te proximè accepi, ad id primùm respondebo. animadverti enim hoc vos magnos oratores [1] facere nonnunquam. Epistolas requiris meas. [a] ego autem nunquam, cùm mihi denuntiatum esset à tuis, ire aliquem, non dedi. [b] Quòd mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temerè, nec antè, quàm scisses, quò iste, nescio qui [2] Cæcilius Bassus erumperet, quidquam certi constituturum: id ego & speraram prudentiâ tuâ fretus, &, [c] ut confiderem, fecerunt tuæ gravissimæ literæ. idque ut facias quamsæpissimè, [d] ut, & quid tu agas, & quid agatur, scire possim, & etiam quid acturus sis, valde te rogo. etsi periniquo patiebar animo te à me [e] digredi: tamen eo tempore me consolabar, quòd & in summum [3] otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotiis discedere. utrumque contrà accidit. [f] [4] istic enim bellum est exortum; [5] hîc pax consecuta: sed ejusmodi pax, in quâ, si adesses, multa te non delectarent, ea tamen, quæ ne ipsum Cæsarem quidem delectent. BELLORUM enim civilium ii semper exitus sunt, ut non ea solùm fiant, quæ velit victor, sed etiam ut iis mos gerendus sit, quibus adjutoribus parata sit victoria. Equidem sic jam [5] obdurui, ut [6] ludis

INTERPRETATIO.

[a] *ego autem toties ad te scripsi, quoties mihi nuntiatum est ad te aliquem ire.*

[b] *quòd mihi significas litteris tuis, te nihil inconsideratè facturum, neque certi quidquam priùs te constituturum, quàm scisses qu nam seditio à Basso excitata erumperet.*

[c] *& ut firmior esset spes mea, &c.*

[d] *ut ad me scribas quàm sapissimè.*

[e] *discedere.*

[f] *in Syriâ.* [5] *Roma.*

NOTÆ.

1. Ut ea primùm refellatis, quæ postremo loco ab adversariis objecta sunt.

2. *Cæcilius Bassus*] Eques Romanus, qui Pompeianas in partes inclinans, bellum excitaverat in Syriâ, Sextumque Cæsarem, Julii Cæsaris propinquum, à legione desertum suâ, perimi jusserat. Totam historiam repete è Dione, lib. 47.

3. *Otium*] De quo in superiori epistolâ; *puto enim, etiam si rem minùs probabis, tamen in illâ solitudine quidquid à me profectum sit, jucundum tibi fore.*

4. *Istic*] Seditionem movente Cæcilio Basso.

5. *Obdurui*] Consuetudine malorum.

6. *Ludis*] A Cæsare datis, post victoriam in Hispaniâ contra Pompeii liberos reportatam.

Digitized by Google

Cæsaris nostri æquissimo animo viderem [7] T. Plancum, audirem [8] Laberii, & Publii poëmata. Nihil tam deesse scito, quàm quicum hæc familiariter, doctéque rideam. is tu eris, si quamprimum veneris. quod ut facias, non meâ solùm, sed etiam tuâ intereste arbitror. Vale.

NOTÆ.

7. *T. Planeum Bursam*] Ciceronis inimicum, qui Cæsaris beneficio Romam rediit, unde lege damnatus, exulatum ante discesserat: ep. 2. libri septimi.

8. *Laberii*] Equitis Romani, epist. 11. libri 7. cujus mimi, quæ solutiora sunt poëmata, non admodum Horatio probantur, lib. 1. sat. ultimâ:

Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cætera, namque
Et Laberi mimos, ut pulchra poëmata mirer.

EPISTOLA XIX.

Gratulatur de Syriæ procuratione ei à Cæsare datâ; de bello Parthico quid facto opus putet, exponit. Eodem anno.

Cicero s. d. Cornificio.

LIBENTISSIME legi tuas literas, in quibus jucundissimum mihi fuit, quòd cognovi meas tibi redditas esse. non enim dubitabam, quin eas libenter lecturus esses: [a] verebar, ut redderentur. Bellum, quod est in Syriâ, Syriamque provinciam tibi tributam esse à Cæsare, ex tuis literis cognovi: [1] eandem rem tibi volo benè, & feliciter evenire. quod ita fore confido, fretus & industriâ, & prudentiâ tuâ. Sed de Parthici belli suspicione quod scribis, sanè me commovit. quantum copiarum haberes, cùm ipse conjecturâ consequi poteram, tùm ex tuis cognovi. Itaque opto, [b] ne se illa gens moveat hoc tempore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. quòd si pares copias ad confligendum non habebis: [c] non te fugiet uti consilio [2] M. Bibuli, qui se oppido munitissimo, & copiosissimo tam diù tenuit, quàm diù in provinciâ Parthi fuerunt. Sed hæc melius ex re, & ex tempore constitues. mihi quidem [d] usque curæ erit, quid agas, dum, quid egeris, sciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin

INTERPRETATIO.

[a] *timebam, ne non redderentur.*
[b] *ut Parthi bellum non inferant, donec, &c.*
[c] *memineris facere quod fecit Bibulus.*
[d] *semper.*

NOTÆ.

1. *Eandem rem*] Et belli scilicet Parthici, & Syriæ administrationem.

2. *Marci Bibuli*] Quo tempore Ciliciam Cicero, eodem Bibulus Syriam administrabat: hic Antiochiæ mœnibus se continuit quandiù cis Euphratem Parthi fuerunt; triumphum nihilominus decerni sibi petiit.

Digitized by Google

ter nos mutuum esse intelligam, plurimum tribuere, tùm de summo ingenio, & de optimis tuis studiis, & de spe amplissimæ dignitatis ita judicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Commendat Cornificii prudentiam, ac deflet rerum præsentem statum. Eodem anno.

Cicero S. D. Cornificio collegæ.

QUOD extremum fuit in epistolâ, quam à te proximè accepi, ad id primùm respondebo. animadverti enim hoc vos magnos oratores [1] facere nonnunquam. Epistolas requiris meas. [2] ego autem nunquam, cùm mihi denuntiatum esset à tuis, ire aliquem, non dedi. [b] Quòd mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temerè, nec antè, quàm scisses, quò iste, nescio qui [3] Cæcilius Bassus erumperet, quidquam certi constituturum: id ego & speraram prudentiâ tuâ fretus, &, [c] ut confiderem, fecerunt tuæ gravissimæ literæ. idque ut facias quamsæpissimè, [d] ut, & quid tu agas, & quid agatur, scire possim, & etiam quid acturus sis, valde te rogo. etsi periniquo patiebar animo te à me [e] digredi: tamen eo tempore me consolabar, quòd & in summum [3] otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotiis discedere. utrumque contrà accidit. [f] [4] istic enim bellum est exortum; [5] hîc pax consecuta: sed ejusmodi pax, in quâ, si adesses, multa te non delectarent, ea tamen, quæ ne ipsum Cæsarem quidem delectent. BELLORUM enim civilium ii semper exitus sunt, ut non ea solùm fiant, quæ velit victor, sed etiam ut iis mos gerendus sit, quibus adjutoribus parata sit victoria. Equidem sic jam [5] obdurui, ut [6] ludis

INTERPRETATIO.

[a] *ego autem toties ad te scripsi, quoties mihi nuntiatum est ad te aliquem ire.*

[b] *quòd mihi significas litteris tuis, te nihil inconsideratè facturum, neque certi quidquam priùs te constituturum, quàm scisses qu nam seditio à Basso excitata erumperet.*

[c] *& ut firmior esset spes mea, &c.*

[d] *ut ad me scribas quàm sapissimè.*

[e] *discedere.*

[f] *in Syriâ. 5 Romæ.*

NOTÆ.

1. Ut ea primùm refellatis, quæ postremo loco ab adversariis objecta sunt.

2. *Cæcilius Bassus*] Eques Romanus, qui Pompeianas in partes inclinans, bellum excitaverat in Syriâ, Sextumque Cæsarem, Julii Cæsaris propinquum, à legione desertum suâ, perimi jusserat. Totam historiam repete è Dione, lib. 47.

3. *Otium*] De quo in superiori epistolâ; *puto enim, etiam si rem minùs probabis, tamen in illâ solitudine quidquid à me profectum sit, jucundum tibi fore.*

4. *Istic*] Seditionem movente Cæcilio Basso.

5. *Obdurui*] Consuetudine malorum.

6. *Ludis*] A Cæsare datis, post victoriam in Hispaniâ contra Pompeii liberos reportatam.

Digitized by Google

Cæsaris nostri æquissimo animo viderem [7] T. Plancum, audirem [8] Laberii, & Publii poëmata. Nihil tam deesse scito, quàm quicum hæc familiariter, doctéque rideam. is tu eris, si quamprimum veneris. quod ut facias, non meâ solùm, sed etiam tuâ interesse arbitror. Vale.

NOTÆ.

7. *T. Planeum Bursam*] Ciceronis inimicum, qui Cæsaris beneficio Romam rediit, unde lege damnatus, exulatum ante discesserat: ep. 2. libri septimi.

8. *Laberii*] Equitis Romani, epist. 11. libri 7. cujus mimi, quæ solutiora sunt poëmata, non admodum Horatio probantur, lib. 1. sat. ultimâ:

Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cætera, namque
Et Laberi mimos, ut pulchra poëmata mirer.

EPISTOLA XIX.

Gratulatur de Syriæ procuratione ei à Cæsare datâ; de bello Parthico quid facto opus putet, exponit. Eodem anno.

Cicero s. d. Cornificio.

LIBENTISSIME legi tuas literas, in quibus jucundissimum mihi fuit, quòd cognovi meas tibi redditas esse. non enim dubitabam, quin eas libenter lecturus esses: [a] verebar, ut redderentur. Bellum, quod est in Syriâ, Syriamque provinciam tibi tributam esse à Cæsare, ex tuis literis cognovi: [1] eandem rem tibi volo benè, & feliciter evenire. quod ita fore confido, fretus & industriâ, & prudentiâ tuâ. Sed de Parthici belli suspicione quod scribis, sanè me commovit. quantum copiarum haberes, cùm ipse conjecturâ consequi poteram, tùm ex tuis cognovi. Itaque opto, [b] ne se illa gens moveat hoc tempore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. quòd si pares copias ad confligendum non habebis: [c] non te fugiet uti consilio [2] M. Bibuli, qui se oppido munitissimo, & copiosissimo tam diù tenuit, quàm diù in provinciâ Parthi fuerunt. Sed hæc melius ex re, & ex tempore constitues. mihi quidem [d] usque curæ erit, quid agas, dum, quid egeris, sciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin

INTERPRETATIO.

[a] *timebam, ne non redderentur.*
[b] *ut Parthi bellum non inferant, donec, &c.*
[c] *memineris facere quod fecit Bibulus.*
[d] *semper.*

NOTÆ.

1. *Eandem rem*] Et belli scilicet Parthici, & Syriæ administrationem.

2. *Marci Bibuli*] Quo tempore Ciliciam Cicero, eodem Bibulus Syriam administrabat: hic Antiochiæ mœnibus se continuit quandiù cis Euphratem Parthi fuerunt; triumphum nihilominus decerni sibi petiit.

Digitized by Google

dederim. à te, ut idem facias, peto: in primisque, ut ita ad tuos scribas, ut me tuum sentiant esse. Vale.

EPISTOLA XX.

Hortatur facetè, ut in Cumanam & Pompeianam villam ad se veniat. Eodem anno.

Cicero S. D. Cornificio collegæ.

GRATÆ mihi tuæ literæ, nisi quòd Sinuessanum [1] diversoriolum contempsisti. quam quidem contumeliam villa pusilla iniquo animo feret, [a] nisi in Cumano, & Pompeiano reddideris [b] [2] Πάντα ἐπὶ πάντων. sic igitur facies, meque amabis, & scripto aliquo lacesses. ego enim respondere faciliùs possum, quàm provocare. [c] Quòd, si, ut es, cessabis, lacessam, nec tua ignavia etiam meam inertiam affoveat. Plura otiosus. hæc, cùm essem in senatu, [d] exaravi. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *nisi in Cumanâ & Pompeianâ villâ.*
[b] *omnia de omnibus.*
[c] *sin autem piger eris, quæ tua est consuetudo.*
[d] *festinanter scripsi.*

NOTÆ.

1. *Diversoriolum*] Quò divertere noluerat Cornificius in Africam discedens. Sinuessa urbs maritima Campaniæ.

2. Πάντα ἐπὶ πάντων] Significatur his verbis ampla debiti compensatio, *rendre au double ce qu'on doit.*

EPISTOLA XXI.

Commendat Anicium Senatorem Cornificio; petitque ut ejus negotia procuret. Incertus annus.

Cicero S. D. Cornificio.

CAIUS Anicius, familiaris meus, vir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum causâ legatus est in Africam, [1] legatione liberâ. eum, velim, rebus omnibus adjuves, operamque des, ut quamcommodissimè sua negotia conficiat. in primisque, quod ei carissimum est, dignitatem ejus tibi commendo: [a] idque à te peto, quod ipse in provinciâ facere sum solitus

INTERPRETATIO.

[a] *idque à te peto, ut Cornificio facias, quod ego ipse, &c. lictores ei scilicet honoris causâ concedas.*

NOTÆ.

1. *Legatione liberâ*] Quæ concedi solebat Senatoribus, cùm in provincias ibant, ut sua, non Reipublicæ negotia procurarent. Vide epist. 1. libri undecimi. Nomen autem legati Romani mirum quantoperè exteræ nationes venerantur.

Digitized by Google

non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam & cognoveram à summis viris factitatum. hoc igitur, mi Cornifici, facies: cæterisque rebus omnibus ejus, dignitati, reique, si me amas, consules. id erit mihi gratissimum. Da operam ut valeas.

EPISTOLA XXII.

Scribit de præsenti Reipublicæ statu post necem Cæsaris. Antonio & Dolabellâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Cicero s. d. Cornificio.

NOs hîc [a] cum homine [1] gladiatore omnium nequissimo, [2] collega nostro Antonio bellum gerimus, sed non pari conditione, contra arma verbis. At etiam [b] de te concionatur, nec impunè: nam sentiet, quos lacessierit. ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab aliis: à me futura debes cognoscere: quorum quidem non est difficilis conjectura. Oppressa omnia sunt: nec habent ducem boni. nostrique [c] τυραννοκτόνοι [3] longè gentium absunt. [4] Pansa & sentit benè, & loquitur fortiter. Hirtius noster tardiùs [5] convalescit. quid futurum sit, planè nescio. spes tamen una est, aliquando [d] populum Romanum majorum similem fore. ego certè reipublicæ non deero: &, quidquid acciderit, à quo mea culpa abfit, animo forti feram. illud profectò, quoad potero, tuam famam, & dignitatem tuebor. a. d. XIII. Kal. Jan. senatus frequens mihi est assensus, cùm de cæteris rebus magnis, & necessariis, tùm de provinciis ab iis, qui obtinerent, [6] retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex senatusconsulto successisset. hoc ego cùm reipublicæ causâ censui, tùm mehercule in primis retinendæ [e 7] dignitatis tuæ. Quamobrem te amoris nostri causâ rogo, reipublicæ causâ hortor, ut ne cui quidquam juris in tuâ provinciâ esse patiare, atque ut omnia referas ad dignitatem, quâ nihil potest esse præstantius. Verè tecum

INTERPRETATIO.

[a] *cum homine sanguinario.*
[b] *etiam in te oratione invehitur.*
[c] *tyranni interfectores.*
[d] *suam libertatem majorum more defensurum.*
[e] *provincia tua.*

NOTÆ.

1. *Gladiatore*] Qui cædibus, Gladiatorum more, exercitatus erat.
2. *Collega*] In Auguratu.
3. *Longè gentium*] Brutus & Cassius: ille in Macedoniâ, hic in Syriâ tùm erat.
4. *Pansa*] Designatus Consul. Cæsar enim expeditionem Parthicam cogitans, in triennium Consules designaverat, uti jam antè observatum est.
5. *Convalescit*] Pro cujus etiam salute populus Romanus vota fecit.
6. *Retinendis*] Censuit Cicero ex lege Juliâ, provincias esse retinendas ab iis, qui eas tùm obtinerent.
7. *Dignitatis tuæ*] Africæ, quam administrabat Cornificius, quamque Antonius Calvisio cuidam sine senatusconsulto tradiderat.

Digitized by Google

agam, ut necessitudo nostra postulat: [8] in Sempronio, si meis literis obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. sed illud & præteriit, & levius est. hæc magna res est. fac ut provinciam retineas in potestate reipublicæ. Plura scripsissem, nisi tui festinarent: itaque Cherippo nostro me velim [9] excuses. Vale.

NOTÆ.

8. *In Sempronio*] Vide epist. 25. 9. *Excuses*] Quòd nihil ei rescribam.

EPISTOLA XXIII.

Scribit de insidiis Antonio collocatis; suadet ut contra imminentia mala se præceptis Philosophiæ muniat. Eodem anno.

Cicero S. D. Cornificio.

OMNEM conditionem imperii tui, statumque provinciæ mihi demonstravit Stratorius. ô multa intolerabilia [1] locis omnibus. sed, quò tua major dignitas, eò [2] quæ tibi acciderunt, minùs ferenda. [a] neque enim, quæ tu propter magnitudinem & animi, & ingenii moderatè fers, à te non ulciscenda sunt, etiamsi non sint dolenda. Sed hæc posteriùs. Rerum urbanarum acta tibi mitti certò scio. quod ni ita putarem, ipse perscriberem, in primisque Cæsaris [3] Octaviani conatum: [b] de quo multitudini [4] fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. prudentes autem, & boni viri & [c] credunt factum, & probant. Quid quæris? magna spes est [d] in eo. nihil est, quod non existimetur laudis & gloriæ causâ facturus. Antonius autem, noster [5] familiaris, tanto se odio esse intelligit, ut, cùm interfectores suos domi [6] comprehenderit, rem proferre

INTERPRETATIO.

[a] *quanquam enim dolere non debes ea quæ tu propter, &c. à te nihilominùs ulciscenda sunt.* [b] *quem Antonius videtur apud populum accusasse.*
[c] *credunt missos* ab Octaviano *percussos.*
[d] *in Octaviano.*

NOTÆ.

1. *Locis omnibus*] Tùm Romæ ubi Cicero, tùm in Africâ, ubi Cornificius erat.
2. *Quæ tibi acciderunt*] Injuriam significat à Tito Sextio factam, qui Numidiæ Rector, Cornificio bellum intulit.
3. *Octaviani conatum*] Qui se Antonii hostem, defensoremque Reipublicæ professus, veteranos privato consilio collegit, firmissimumque ex iis exercitum confecit. Vide epist. 28. libri decimi.
4. *Fictum*] Finxit Antonius multitudini; sic enim opinatur Cicero, ut eam contra Octavianum incitaret, ejusque in pecuniam ei à Cæsare testamento relictam invaderet: finxit, inquam, missos ab Octaviano, qui se Antonium domi interficerent, eosque comprehensos fuisse: tradit Suetonius verè missos ad Antonium percussores, quorum tamen insidias effugit.
5. *Familiaris*] Ironicè, nisi malis, olim amicus, nunc meus & Reipublicæ hostis.
6. *Comprehenderit*] A Cæsare Octaviano immissos.

Digitized by Google

7 non audeat. a. d. VII. id. Oct. Brundusium venerat, profectus obviam 8 legionibus Macedonicis quatuor.: quas sibi conciliare pecuniâ cogitabat, easque ad urbem adducere, & e in cervicibus nostris collocare. Habes formam reipublicæ, 9 si in castris potest esse respublica, in quâ tuam vicem sæpè doleo, quòd nullam partem per ætatem sanæ & salvæ reipublicæ gustare potuisti. atque antehac quidem sperare saltem licebat, nunc etiam f illud ereptum est. Quæ enim spes est, cùm in concione dicere ausus sit Antonius, 10 Canutium 8 apud eos locum sibi quærere, quibus, se salvo, locus in civitate esse non posset? Equidem & hæc, & omnia, quæ homini accidere possunt, sic fero, ut magnam habeam philosophiæ gratiam, quæ me non modò à solicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunæ impetus armat. tibique idem censeo faciendum, nec à quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. Sed hæc tu melius. Stratorium nostrum cùm semper probassem, tùm maximè in tuis rebus summam ejus fidem, diligentiam, prudentiamque cognovi. Da operam ut valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes.

INTERPRETATIO.

e *& jugum nobis imponere.* f *spes omnis erepta est.*

8 *velle sibi conciliare Reipub. defensores qui parùm tuti in urbe, Antonio vivo, essent.*

NOTÆ.

7. *Non audeat*] Veritus, ne fortè Cæsaris factum optimo cuique probaretur.

8. *Legionibus*] Ex Macedoniâ reversis post Cæsaris obitum. Erant autem hæ legiones, Martia, quarta, secunda, & trigesima quinta: duæ Antonium sequutæ sunt, secunda, & trigesima quinta; Octavianum reliquæ duæ. Vide Appianum, lib. 3. belli civilis; de numero legionum dissentire videtur.

9. *Si in castris*] Si modò nunc Romæ, quæ ob intestina bella, castris, quàm urbi similior est, &c.

10. *Canutium*] Tribunum plebis, qui Antonium assiduè exagitabat.

EPISTOLA XXIV.

Agit de legatis ad Antonium missis; T. Pinarium commendat. Hirtio & Pansâ Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo decimo.

Cicero S. D. Cornificio.

EGo nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modò laudandi tui, sed ne ornandi quidem. sed mea studia erga te, & officia malo tibi ex tuorum literis, quàm ex meis, esse nota. Te tamen hortor, ut omni curâ in rempublicam incumbas. hoc est animi, hoc est ingenii tui, hoc ejus spei, quam habere debes amplificandæ dignitatis tuæ. Sed hac de re aliàs ad te pluribus. cùm enim hæc scribebam, in expectatione erant omnia. non-

dum [1] legati redierant, quos senatus [a] non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denuntiandum miserat, nisi legatorum [b] nuntio [2] paruisset. Ego tamen, ut primùm occasio data est, meo pristino more rempublicam defendi: me principem senatui, populoque Romano professus sum: nec, postea quàm suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendæ salutis, libertatisque communis. Sed hæc quoque te ex aliis malo [c]. [3] T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut majore non possim: cui cùm propter omnes virtutes, tùm etiam propter studia communia sum amicissimus. is procurat rationes, negotiaque Dionysii nostri, quem & tu multùm amas, & ego omnium plurimùm. ea tibi ego non debeo commendare, sed commendo tamen. facies igitur, ut ex Pinarii, gratissimi hominis, literis tuum & erga illum, & erga Dionysium studium perspiciamus. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *non ad pacem rogandam.* [b] *mandato.* [c] cognoscere.

NOTÆ.

1. *Nondum legati*] Ad Antonium missi, ut à Mutinensi obsidione desisteret.

2. *Paruisset*] Mandato quidem Senatûs non paruit, sed acie victus, ab obsidione destitit.

3. *Titum Pinarium*] Ex inclytâ Pinariorum, & antiquissimâ familiâ, quæ tempore Evandri, ante urbem conditam, floruit.

EPISTOLA XXV.

Scribit, honorificum de Cornificio factum esse senatusconsultum; deinde causas cur Romam sit reversus, exponit; tùm quâ libertate in Antonium invectus sit. Eodem anno.

Cicero s. d. Cornificio.

[1] LIBERALIBUS literas accepi tuas, quas mihi Cornificius [a] [2] altero vicesimo die, ut dicebat, reddidit. eo die non fuit senatus, neque postero. [3] Quinquatribus, frequenti senatu, causam tuam egi, [4] non invitâ Minervâ

INTERPRETATIO.

[a] *die vigesimâ secundâ.*

NOTÆ.

1. *Liberalibus*] Die qui sacer erat Bacho, qui Liber quoque nominatur: erat autem dies 16. Kal. April.

2. *Altero vicesimo*] Postquam scriptæ fuerant.

3. *Quinquatribus*] Dies erat Minervæ sacer, *quinquatrus* dictus, quia quinto die post Idus, qui dies appellabatur ater, celebrari solebat.

4. *Non invitâ Minervâ*] Id jocosè dictum: Ciceroni Minerva favit, quoniam ejus simulachrum, quod turbo dejecerat, Senatus

Digitized by Google

etenim eo ipso die senatus decrevit, ut [5] Minerva nostra, custos urbis, [6] quam turbo dejecerat, restitueretur. [7] Pansa tuas literas recitavit. magna senatûs approbatio consecuta est [8] cum summo gaudio, & offensione [9] Minotauri, id est Calvisii, & Tauri. factum de te senatusconsultum honorificum. postulabatur, ut etiam illi [b 10] notarentur: sed [11] Pansa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primùm in spem libertatis ingressus sum, &, cunctantibus cæteris, a. d. XIII. Kal. Jan. fundamenta reipublicæ jeci, eo ipso die providi multùm, atque habui rationem dignitatis tuæ. mihi enim est assensus senatus [12] de obtinendis provinciis. nec verò posteà destiti labefactare eum, qui summâ cum tuâ injuriâ, contumeliâque reipublicæ provinciam [13] absens obtinebat. Itaque crebras, vel potiùs quotidianas [14] compellationes meas non tulit, seque [15] in urbem recepit invitus: neque solùm [16] spe, sed certâ re jam, & possessione deturbatus est. meo justissimo, [17] honestissimoque convicio te tuam dignitatem summâ tuâ virtute tenuisse, provinciæque honoribus amplissimis affectum, vehementer gaudeo. Quòd te mihi [18] de Sempronio purgas: accipio excusationem. fuit enim illud quoddam [19] cæcum tempus servitutis, ego tuorum consiliorum auctor, dignitatisque fautor,

INTERPRETATIO.

[b] *notarentur* infamiâ.

NOTÆ.

Senatus hoc die restitui jussit.

5. *Minerva nostra*] Jure suam appellat, quia priùs in exilium, quàm discederet, Minervæ statuam, quam domi jam diù religiosissimè colebat, in Capitolio collocavit, dedicavitque, hac inscriptione superadditâ, *Urbis Custodi*.

6. *Turbo dejecerat*] Istuc prodigii loco fuisse Dio notat lib. XLV. vultque Ciceronis mortem tali portento præsignificatam fuisse.

7. *Pansa Consul*] Sub finem nihilominùs epistolæ, utriusque Consulis obitum conqueritur, quare dicendum, epistolâ hac unâ, duas epistolas contineri, & posterioris initium ducendum ab illis verbis, *P. Lucceium*, &c.

8. *Cum summo gaudio*] Optimi cujusque civis.

9. *Minotauri*] Calvisii Tauri, quem ob convenientiam nominis, sic jocosè appellat: eorum sententiæ lubens accesserim, qui putant, addita à Librariis hæc verba, id est, *Calvisii Tauri*.

10. *Notarentur*] Legati, Calvisii Tauri, qui ejus nomine Africam administrare volebant, in quo magnoperè tua dignitas violabatur.

11. *Pansa clementior*] Obstitit, ne infamiæ labes eorum aspergeretur nomini.

12. *De obtinendis*] Cicero dedit operam, ut iidem provincias obtinerent, à quibus ante necem Cæsaris obtinebantur, neque quisquam succederet absque senatusconsulto, quod nisi ita fuisset à Senatu decretum, Calvisius ab Antonio Consule missus, Africæ provinciam, summo Cornificii & damno & dedecore obtinuisset.

13. *Absens*] Per legatos, quos ipse ad urbem profectus, Uticæ reliquerat.

14. *Compellationes*] Objurgationes; quibus, ut in urbem, imperio deposito, rediret, urgebam.

15. *In urbem*] Nam ante ad urbem cum imperio aderat.

16. *Spe*] Obtinendæ provinciæ, quam Cornificius habebat.

17. *Honestissimo convicio*] Quo Calvisium exagitavit.

18. *De Sempronio*, &c.] In eo quòd te excusas, quòd Sempronio provinciam tradere nolueris, quamvis eam legitimè, & ex senatusconsulto petere videretur.

19. *Cæcum tempus*] Sic melius videtur

Digitized by Google

iratus temporibus, in Græciam desperatâ libertate, rapiebar, cùm me [20] Etesiæ, quasi [21] boni cives, relinquentem rempublicam [22] prosequi noluerunt: Austerque adversus maximo flatu me [23] ad tribules tuos [24] Rhegium retulit: atque inde ventis, remisque in patriam omni festinatione properavi, postridiéque in summâ reliquorum servitute liber unus fui: sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque suum vinolentum furorem in me unum effunderet, neque cùm [25] elicere vellet ad cædis causam, tùm tentaret insidiis: [c] quem ego ructantem, & nauseantem conjeci in [26] Cæsaris Octaviani plagas. Puer enim egregius præsidium sibi primùm, & nobis, deinde summæ reipublicæ comparavit: [d] qui nisi fuisset, Antonii reditus [27] à Brundusio pestis patriæ fuisset. quæ deinceps acta sint, scire te arbitror. sed redeamus ad illud, unde divertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio. neque enim statuti quid in tantâ perturbatione habere potuisti. nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat, ut ait Terentius. Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, & quidem [28] ad puppim. una navis est jam bonorum omnium: quam quidem, nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam prospero cursu: sed, quicunque venti erunt, ars nostra certè non aberit. Quid enim præstare aliud virtus potest? Tu fac ut animo magno sis, & excelso, cogitesque omnem dignitatem tuam cum republicâ conjunctam esse debere. P. Lucceium mihi meum commen-

INTERPRETATIO.

[c] *quem ego cruditatem vini exhalantem, & stomachi fastidia laborantem, in Cæsaris retia conjeci.*

[d] *qui puer Octavius, nisi adfuisset, acrestisset Antonio; exitium patriæ reditus Antonii attulisset.*

NOTÆ.

stare sententia; quàm si legatur *Græcum*, significat enim obscurum, spissisque involutum tenebris tempus, ob discordias civiles, ut quid rectum, honestumque sit, vix appareat.

20. *Etesiæ*] Venti scilicet ab Italiâ in Græciam euntibus secundi.

21. *Boni cives*] Ciceronis discessum, tanquam perniciosum Reipublicæ, iniquè passi.

22. *Prosequi noluerunt*] Cùm quadraginta continuos dies spirare soleant; in locum autem Etesiarum successit Auster, à quo rejectus est.

23. *Ad tribules*] Qui in tuâ tribu sententiam ferunt.

24. *Rhegium*] Ad Leucopetram Rhegii, agri Rhegiensis Promontorium.

25. *Elicere vellet*] Eâ mente Ciceronem in Senatum vocaverat Antonius, ut eum interficeret; quod suspicatus Cicero, respondit, se per valetudinem domo pedem efferre non posse. Iratus Antonius, minatus est, ejus se disturbaturum ædes. Postridie adfuit in senatu Cicero, & absente Antonio, summâ cum libertate locutus est. Idem venire jussus ab Antonio ante diem 13. Kal. Oct., recusavit; intellexerat enim Tullius, abs se Antonium cædis initium facere velle.

26. *In Octaviani*] A quo oppressum iri Antonium Tullius confidebat.

27. *A Brundusio*] Quò profectus erat obviam legionibus Macedonicis, quas sibi conciliare pecuniâ cogitabat, easque ad urbem adducere, & in cervicibus nostris collocare.

28. *Ad puppim*] Ad quam gubernator sedet: translatio à navi fluctibus agitatâ.

Digitized by Google

cias, quem, quibuscunque rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem, & Pansam, [29] collegas nostros, homines in consulatu reipublicæ salutares, [e] [30] alieno sanè tempore amisimus, republicâ Antoniano quidem latrocinio liberatâ, [f] [31] sed nondum omninò explicatâ: quam nos, si licebit, more nostro tuebimur: quanquam admodum sumus jam defatigati: sed NULLA lassitudo impedire officium, & fidem debet. Verùm hæc hactenus. ab aliis te de me, quàm à me ipso, malo cognoscere. De te audiebamus ea, quæ maximè vellemus. [32] De Cn. Minucio, quem tu quibusdam literis ad cælum laudibus extulisti, rumores duriores erant. id quale sit, omninóque quid istic agatur, facias me velim certiorem. Vale.

INTERPRETATIO.

[e] *incommodo.* [f] *sed nondum prorsus expedità.*

NOTÆ.

29. *Collegas nostros*] In Auguratu.

30 *Alieno tempore*] Cùm eorum consilio & virtute Respublica maximè indigebat.

31. *Nondum explicata*] Quia victum ad Mutinam Antonium elabi victores permiserant.

32. *De Cneio Minucio*] Vel erat is Cornificii legatus, vel finitimam ei regionem administrabat: suspicatur Hubertinus eum esse, quem postea Prætorem urbis, & in foro concionantem, Antonii tunc Triumviri milites interfecerunt.

EPISTOLA XXVI.

Commendat Cornificio Turii boni & honesti viri heredes. Incertus annus.

Cicero S. D. Cornificio.

Q. TURIUS, qui in Africâ negotiatus est, vir bonus, & honestus, hæredes fecit [1] similes sui Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, C. Anneium, Q. Confidium Gallum, L. Servilium Postumum, C. Rubellinum. ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quàm commendatione. Tantâ enim [2] liberalitate se tuâ usos prædicabant, ut iis plus à te tributum intelligerem, quàm ego auderem te rogare. Audebo tamen. scio enim, quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare à te peto, ut ad eam liberalitatem, quâ sine meis literis usus es, quammaximus his literis cumulus accedat. [a] Caput autem est meæ commendationis, ne patiare

INTERPRETATIO.

[a] *in eo autem commendatio mea maximè sita est, ut non sinas Eroten Turii hereditatem, suam facere.*

NOTÆ.

1. *Similes sui*] Id est bonos & honestos: honestas autem pro splendore familiæ, non pro moribus hîc sumenda est.

2. *Liberalitate*] Non quòd suas illis

Erotem Turium, Q. Turii libertum, ut adhuc fecit, hæreditatem Turianam avertere: cæteriſque omnibus rebus habeas eos à me commendatiſſimos. Magnam ex eorum splendore, & obſervantiâ capies voluptatem, quod ut velis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

NOTÆ.

opes elargitus eſſet, ſed quia ſingulari in eos humanitate uſus erat.

3 *Splendore & obſervantiâ*] Hæc verba opum abundantiam, generis nobilitatem, honeſtatem morum ſignificant.

EPISTOLA XXVII.

Aufidium Equitem Romanum eidem commendat. Incertus annus.

Cicero S. D. Cornificio.

SEx. Aufidius & obſervantiâ, quâ me colit, [a] accedit ad proximos: & ſplendore, equiti Romano nemini cedit. Eſt autem ita temperatis, moderatiſque moribus, [1] ut ſumma ſeveritas ſummâ cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia, quæ ſunt in Africâ, ita commendo, ut majore ſtudio, magiſve ex animo commendare non poſſim. Pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat meas apud te literas maximum pondus habuiſſe. hoc te vehementer, mi Cornifici, rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *proximis meis æquari poteſt.*

NOTÆ.

1. *Ut ſumma*] Horum virtutum difficilis ſocietas, quam in Marco Bruto mirificè Tullius extollit, in libro de perfecto Oratore: *Quid tam diſtans, quàm à ſeveritate comitas? quis tamen unquam is aut ſanctior habitus eſt, aut dulcior?*

EPISTOLA XXVIII.

Modeſtè reprehendit nimiam Cornificii lenitatem; ſtudium ejuſdem erga Rempublicam laudat. Hirtio & Pansâ Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingentiſimo decimo.

Cicero S. D. Cornificio.

[a] ASSENTIOR tibi, eos, quos ſcribis, [1] Lilybæo minari, [2] iſtic pœnas dare debuiſſe: [3] ſed metuiſti, ut ais, ne nimis liber in ulciſcendo

INTERPRETATIO.

[a] *ſentio tecum, ii quos ſcribis Lilybæo oppido cladem eſſe minatos, debuerunt iſtic, ubi eſt, puniri.*

NOTÆ.

1. *Lilybæo*] Lilybæum, promontorium & urbs Siciliæ, ex adverſo Libyæ, unde Lilybæum dicitur, *Capo Coro*, & urbs, *Marſella.*

2. *Iſtic*] Ubi erat Cornificius, nec mitti debuiſſe Romam, ut in eos pœna conſtitueretur.

3. *Sed metuiſti*] Eoſque propterea rur-

Digitized by Google

viderere. metuisti, igitur, ne gravis civis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus viderere. quòd societatem reipublicæ conservandæ * tibi mecum à patre acceptam, renovas, gratum est: quæ societas inter nos semper, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud, quòd mihi [b] tuo nomine gratias agendas non putas. nec enim id inter nos facere debemus. Senatus sæpiùs pro dignitate tuâ appellaretur. [4] si, absentibus consulibus, unquam, nisi ad rem novam, cogeretur. itaque nec de [5] H-S XX, nec de [6] H-S DCC quidquam agi nunc per senatum potest. [c] Tibi autem ex senatusconsulto imperandum, mutuumque sumendum censeo. In republicâ quid agatur, credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. ego sum spe bonâ, consilio, curâ, labore non desum: omnibus inimicis reipublicæ esse me acerrimum hostem præ me fero. [d] res neque nunc difficili loco mihi videtur esse, & fuisset facillimo, si culpa [7] à quibusdam abfuisset. Vale.

INTERPRETATIO.

* *tibi à patre relictam.* [b] *tuâ causâ.* [c] *pecuniam* ad alendos milites *mutuam sumas censeo, & potestate imperandi tibi à Senatu datâ utaris.* [d] *Respublica nunc in bono satis esset statu.*

NOTÆ.

4. *Si absentibus*] Hirtius & Pansa Mutinam contra Antonium discesserant, absentibus autem Consulibus, cogere Senatum non licebat, nisi res nova, eaque gravissima urgeret.

5. *H-S XX*] Sestertiûm vicies, quæ summa redit ad ducenta millia librarum Gallicarum.

6. *H-S DCC*] Sestertiûm septingenties: hæc summa efficit septem millionnes, ut vocant, librarum Gallicarum.

7. *A quibusdam*] Qui Reipublicæ partes perfidiosè reliquerunt.

EPISTOLA XXIX.

T. Lamiam apud Cornificium suspicione laborantem excusat, ipsiusque negotia eidem commendat. Eodem anno.

Cicero S. D. Cornificio.

NON modò te, cui omnia nostra notissima sunt, sed neminem in populo Romano arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quæ mihi [1] cum L. Lamiâ est. etenim [a] magno theatro spectata est tùm, cùm ab A. Ga-

INTERPRETATIO.

[a] *palàm, in omnium oculis declarata.*

NOTÆ.

1. *Cum Lamiâ*] Lamia Æliæ gentis erat, & equestris ordinis princeps, quando in exilium à Gabinio Consule pulsus est, quòd Ciceronis defensionem adversus Clodium acerrimè suscepisset.

Digitized by Google

binio consule relegatus, quòd liberè, & fortiter salutem meam defendisset. [b] Nec ex eo amor inter nos natus est: sed, quòd erat vetus, & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitavit. ad hæc [2] officia, vel merita potiùs, jucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. Non puto te jam expectare, quibus eum tibi verbis commendem. causam enim tanti amoris intelligis. quæ verba desideret, iis me omnibus usum putato. tantùm velim existimes, si negotia Lamiæ, procuratores, libertos, familiam, quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quàm si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. nec dubito, quin sine meâ commendatione, quod tuum est judicium de hominibus, ipsius Lamiæ causâ studiosè omnia facturus sis. quanquam erat nobis dictum, te existimare, [c] alicui senatusconsultum quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse: [d] qui omninò consulibus illis nunquam affuit scribendo. deinde omnia tùm falsa senatusconsulta deferebantur. nisi fortè etiam illi [3] Sempronianò senatusconsultum me censes affuisse, [4] qui ne Romæ quidem tum fui, ut de eo ad te scripsi re recenti. Sed hæc hactenùs. Te, mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiæ negotia mea putes esse, curesque ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut valeas.

INTERPRETATIO.

[b] *nec ex eâ* defensione. [c] *aliquod senatusconsultum, quod erat contra dignitatem tuam, à Lamiâ confirmatum fuisse.* [d] *qui nullum unquam senatusconsultum, Pansâ & Hirtio Consulibus, scripto & præsentiâ confirmavit.*

NOTÆ.

2. *Officia*] Officia propriè ad debitum, merita ad liberalitatem pertinent.

3. *Sempronianò*] In Sempronii gratiam facto, vide epist. 25.

4. *Qui ne Romæ tùm fui*] Româ discesserat, Græciam cogitans, sed Ephesiæ abeuntem prosequi noluerunt. Vide epist. 25. hujus libri.

EPISTOLA XXX.

Queritur à se litterarum officium desiderari; deinde narrat de bello Antonii, de angustiis pecuniæ publicæ, de amicis Cornificii, de Calvisii legatis. Eodem anno, post obitum Consulum.

Cicero S. D. Cornificio.

[a] ITA ne? [1] præter litigatores, nemo ad te meas literas? multæ istæ quidem. tu enim perfeciſti, ut nemo sine literis meis tibi se commenda-

INTERPRETATIO.

[a] *itane est, ut nemo ad te litteras meas pertulerit, præter homines litibus occupatos?*

NOTÆ.

1. *Præter litigatores*] Ciceroni scripserat Cornificius, joco-ne, an serio, non constat,

tum putaret. sed quis unquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi jucundius, quàm, cùm coram tecum loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epistolis, sed voluminibus lacesserem, quibus quidem me à te provocari oporteret. Quamvis enim occupatus sis, otii tamen plus habes: [b]aut, si ne tu quidem vacas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, & à me literas crebriores, cùm tu mihi raras mittas, flagitare. Nam cùm anteà distinebar maximis occupationibus, propterea quòd omnibus curis rempublicam mihi tuendam putabam: tùm hoc tempore multò distineor vehementiùs. Ut enim graviùs ægrotant ii, qui, cùm levati morbo viderentur, in eum de integro inciderunt: sic vehementiùs nos laboramus, qui, [2] profligato bello, ac penè sublato, [3] renovatum bellum gerere conamur. Sed hæc hactenus. Tu tibi, mi Cornifici, fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut à te vinci possim aut officiis, aut amore. Non dubitabam equidem: veruntamen multò mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. ô hominem semper illum [c] quidem mihi aptum, nunc verò etiam suavem. vultus mehercule tuos mihi expressit omnes, non solùm animum, ac verba pertulit. Itaque noli vereri, ne tibi succensuerim, [d] quòd eodem exemplo ad me, quo ad cæteros. requisivi equidem proprias ad me unum à te literas, sed neque vehementer, & amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere, & feciſſe dicis, nihil sanè possum tibi opitulari: propterea quòd & orbus senatus, consulibus amissis, & incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ: quæ conquiritur undique, ut [4] optimè meritis militibus promissa solvantur: quod [5] sine tributo posse non arbitror. [6] De Attio Dionysio nihil puto esse, quo-

INTERPRETATIO.

[c] *aut si neque tu otium habes.* [b] *ingenio meo accommodum.* [d] *quòd ad me litteras dederis eodem exemplo quo ad cæteros* minùs tibi familiares.

NOTÆ.

hòmines tantùm litibus occupatos; ab eo sibi commendari: ità se Tullius excusat, ut partim assentiatur, partim neget.

2. *Profligato*] Quæ sunt profligata, non sunt penitùs eversa, sed ex parte tantùm. Profligatæ autem sunt Mutinensi prælio Antonii copiæ, non prorsùs afflictæ, integrum enim equitatum servavit.

3. *Renovatum bellum*] Lepidi culpâ, qui fugientem receperat Antonium.

4. *Optimè meritis militibus*] In bello Mutinensi.

5. *Sine tributo*] Hinc apparet quantùm erat rei pecuniariæ inopia; neque enim ab Æmilii Pauli temporibus, post devictum Perseum, contigerat, ut populo tributum imponeretur. Vide Plut. in Æmilio.

6. *De Attio Dionysio*] Eorum mihi conjectura non displicet, qui pro *Attio* reponunt *Attico*] putantque Dionysium hunc significari, qui cùm Ciceronis servus esset, & in libertatem pòst assertus, ex Cicerone, & Attico nomina desumpsit, vocatusque est Marcus Pomponius Atticus Dionysius.

Digitized by Google

niam nihil mihi dixit Stratorius. De P. Lucceio nihil tibi concedo, quò ſtudioſior ejus ſis, quàm ego ſum. eſt enim nobis neceſſarius. [c] ſed, [7] à magiſtris cùm contenderem de proferendo die, probaverunt mihi, ſeſe, quo minùs id facerent, & [8] compromiſſo, & jurejurando impediri. quare veniendum arbitror Lucceio. Quanquam, ſi meis literis obtemperavit, cùm tu hæc leges, illum Romæ eſſe oportebit. Cæteris de rebus, maximéque de pecuniâ, cùm Panſæ mortem ignorares, ſcripſiſti quæ per nos ab eo conſequi te poſſe arbitrarere. quæ te non fefelliſſent, ſi viveret. nam te diligebat. poſt mortem autem ejus quid fieri poſſet, non videbamus. [9] De Venuleio, Latino, Horatio, valde laudo. illud non nimium probo, quod ſcribis, quò illi animo æquiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademiſſe. [10] Honore enim digni cum ignominiâ dignis non erant comparandi: eoſque ex ſenatuſconſulto ſi non decedunt, cogendos ut decedant, exiſtimo. Hæc ferè ad eas literas, quas [f] eodem exemplo binas accepi. De reliquo velim tibi perſuadeas, non eſſe mihi meam dignitatem tuâ cariorem. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *ſed cùm petèrem à magiſtris* auctionum, *ut prorogarent diem* auctionum, *negaverunt ſe poſſe, propter jusjurandum & compromiſſum* inter magiſtros auctionum factum. [f] *iiſdem verbis.*

NOTÆ.

7. *A magiſtris*] Auctionum, ut auctionum diem prorogarent; quamquam nonnulli intelligunt de magiſtris alicujus ſocietatis, cui Lucceius pecuniam debebat. Illud autem obſerva: quando cujuſpiam bona in auctione vendebantur, hæredes, aut creditores eligebant, qui præeſſet illi auctioni; iſque dicebatur *Magiſter auctionis.*

8. *Compromiſſo*] Compromiſſum mutua erat promiſſio magiſtros inter facta, ut ne cui debitori diem ſolvendo prorogarent.

9. *De Venuleio, &c.*] Calviſii legatis, quibus lictores Cornificius ademerat.

10. *Honore digni*] Legati ſcilicet Cornificii, cum Calviſii legatis contumeliâ dignis, nullatenùs erant comparandi.

LIBER

Digitized by Google

LIBER XIII.

AD MEMMIUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

C. Memmium de ambitu biennio antè damnatum, & Athenis exulantem rogat, ut in gratiam redeat cum Patrone Epicureo, & locum quem habuerat Epicurus, ei concedat. Ser. Sulpicio, & Marco Marcello Coss. anno urbis conditæ 702. cùm in provinciam Cicero iret.

Cicero S. D. C. Memmio.

[a] ET SI non satis mihi constiterat, cùm aliquâne animi mei molestiâ, an potiùs libenter te [1] Athenis [2] visurus essem, quòd [3] injuria, quam accepisti, dolore me afficeret: sapientia tua, quâ fers injuriam, lætitiâ: tamen vidisse me mallem. Nam quod est [4] molestiæ, non sanè multò levius est, [5] cùm te non video: quod esse potuit [6] voluptatis, certè, si vidissem te, plus fuisset. Itaque [7] non dubitabo dare operam, ut te videam, cùm id satis commodè facere potero. interea, quod per literas & agi tecum, & ut arbitror, confici potest, agam. Nunc à te illud primùm rogabo, ne quid invitus meâ causâ facias: sed id, quod meâ intelliges multùm, tuâ nullam in partem interesse, ita mihi des, si tibi, ut id libenter facias, antè

INTERPRETATIO.

[a] *etsi non satis certò sciebam, utrùm cum aliquâ, &c.*

NOTÆ.

1. *Athenis*] Ubi tùm erat Cicero, ad Ciliciæ administrationem proficiscens.

2. *Visurus essem*] Pridie quàm Cicero Athenas venit, Memmius Mitylenas profectus est; adverte quàm solerter benevolentiam Memmii, & gratiam sibi conciliet.

3. *Injuria quam accepisti*] Cùm Memmius Consulatum peteret, ambitûs accusante Curtio, damnatus est, & Athenas in exilium missus.

4. *Molestia*] Ex eo quòd in exilium sis ejectus.

5. *Cùm te non video*] Congressum Ciceronis fortè declinavit, quòd ab eo se non defensum ægrè ferret.

6. *Voluptatis*] Ex eo quòd exilium sapienter feras.

7. *Non dubitabo*] Hæc initio scribit omnia Tullius, ut in Memmii se gratiam penitùs insinuet: justè enim fuisse damnatum satis indicat in epistolâ secundâ libri tertii ad Quintum fratrem, cùm ait, ejus absolutionem legum interitum fore.

persuaseris. Cum [8] Patrone Epicureo [9] mihi omnia sunt, [10] nisi quòd in philosophiâ vehementer ab eo dissentio. sed & initio Romæ, cùm te quoque, & tuos omnes observabat, me coluit in primis: & [b] nuper, cùm ea, quæ voluit, [11] de suis commodis, & præmiis consecutus est, me habuit suorum defensorum, & amicorum ferè principem: & [c] jam à [12] Phædro, quis nobis, cùm pueri essemus, antè quàm [13] Philonem cognovimus, valde, ut philosophus, posteà tamen, ut vir bonus, & suavis & officiosus, probabatur, traditus mihi commendatusque est. Is igitur Patro, cùm ad me Romam literas misisset, uti te sibi [14] placarem, petoneque [d] ut nescio quid illud [15] Epicuri parietinarum sibi concederes: nihil scripsi ad te ob eam rem, quòd ædificationis tuæ consilium meâ commendatione nolebam impediri. Idem, ut veni Athenas, cùm idem [16] ut ad te scriberem, rogasset: ob eam causam impetravit, quòd te [e] abjecisse illam ædificationem constabat inter omnes amicos tuos. quod si ita est, & si jam planè tuâ nihil interest: velim, [f] si qua offensiuncula facta est animi tui, [17] perversitate aliquorum, (novi enim [18] gentem illam) [g] des te ad lenitatem, vel propter summam humanitatem, vel etiam honoris mei causâ. Equidem, si, quid ipse sentiam,

INTERPRETATIO.

[b] *& nuper, qua commoda sibi & præmia postulabat, meâ in primis operâ consecutus est.*

[c] *& jam mihi* in clientelam *traditus est, & commendatus à Phædro, qui mihi, cùm puer essem, valdè placuit, primò ut Philosophus, deinde etiam ut vir bonus, &c.*

[d] *ut nescio quas Epicuri vetustas ædes, &c.*

[e] *ædificandi consilium te abjecisse.*

[f] *si quâ in re leviter à* Patrone *offensus es.*

[g] *iracundiam deponas.*

NOTÆ.

8. *Patrone*] Erat hic Epicureæ sectæ Athenis facilè princeps.

9. *Mihi omnia sunt*] Loquendi modus Ciceroni familiaris, ut omnia cum aliquo sibi esse dicat, quî cum est amicitiâ conjunctissimus, sic ad Atticum lib. XIII. *Bruto certè meo nullo loco deero, idque etiam, si mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter ejus singularem, incredibilemque virtutem.*

10. *Nisi quòd in Philosophiâ*] Epicureus Patro, Tullius autem Academicus: Epicuræi voluptatis, academici virtutis patrocinium suscipiebant.

11. *De suis commodis*] De quibus commodis, præmiisve loquatur, non liquet.

12. *A Phædro*] Phædrus, ac Philo nobiles quoque fuerunt Philosophi, qui Ciceronis ætate, in Epicureâ familiâ primas obtinebant.

13. *Philonem*] Mithridatico bello, domo perfugiens, Romam venerat.

14. *Placarem*] Cur Patroni Memmius succensuerit, nullibi Cicero significat.

15. *Epicuri parietinarum*] Vetustæ erant Epicuri ædes, quas moriens amico Metrodoro reliquerat, eâ lege, ut post ejus obitum aliis Epicureæ sectæ principibus traderentur; has Mommius, ut hîc ædificaret, ab Areopagitis impetrarat.

16. *Ad te scriberem*] Mitylenas, quò profectus erat.

17. *Perversitate*] Offensionem Memmio factam hac voce nonnihil extenuat, non enim parvi refert utrùm improbitate, an perversitate peccetur, cùm perversitas ad stultitiam quamdam, improbitas ad vitiosam voluntatem referatur.

18. *Gentem illam*] Vel Græcorum, vel Epicureorum, levem inprimis, & ad injurias inferendas promptam.

Digitized by Google

quæris, nec [h] cur ille tant perè contendat, video, nec cur tu repugnes: [i] nisi tamen multò minus tibi concedi potest, quàm illi, [19] laborare sine causâ. [k] quanquam Patronis & orationem, & causam tibi cognitam esse certò scio. [20] honorem, [21] officium, [22] testamentorum jus, [23] Epicuri auctoritatem, [24] Phædri obtestationem, [l 25] sedem, [m] domicilium, vestigia [26] summorum hominum sibi tuenda esse dicit. [27] totam hominis vitam, rationemque, quam sequitur in philosophiâ [n] derideamus licet, si hanc ejus contentionem volumus reprehendere. sed mehercule, quando [o] illi cæteri[que], quos illa delectant, [28] non valde inimici sumus: [p] nescio an ignoscendum sit huic, si [29] tantoperè laborat: in quo etiam si peccat, magis ineptiis, quàm improbitate peccat. Sed ne plura, ([q] dicendum enim aliquando est) Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem. nihil est illo mihi nec carius, nec jucundius. Is, [30] non quò fit [r] ex istis, (est enim omni liberali doctrinâ [31] politissimus: sed valdè diligit Patronem, valdè Phædrum amavit) sic à me hoc contendit, homo minimè ambitiosus, minimè in ro-

INTERPRETATIO.

[h] *cur illas ædes tantoperè Patro flagitet.*

[i] *sed tamen multò minùs te decet de parietinis illis, quàm Patronem sine causâ laborare.*

[k] *quanquam certò scio te intelligere, quas ob causas, id tàm ardenter Patro flagitet; scilicet conservandum esse honorem, &c.*

[l] *antiquam possessionem.*

[m] *habitationem.* [n] *possumus quidem deridere hominis hujusce vivendi institutum, & opiniones, quas sequitur, &c. si nimiam ejus in obtinendâ Epicuri domo sollicitudinem reprehendere volumus.*

[o] *Patroni & Epicureis.*

[p] *puto ignoscendum esse Patroni, si tantoperè, &c.*

[q] *addenda est enim optima omnium ratio.*

[r] *ex Epicureis.*

NOTÆ.

19. *Laborare sine causâ*] Cùm ejusmodi parietinis nihil admodum Memmius indigere videretur.

20. *Honorem*] Id sibi glorioſum fore existimabat Patro, si Epicuri domum incoleret.

21. *Officium*] Hoc magistri memoriæ debere se credebat.

22. *Testamentorum jus*] Quod violari nefas: domum autem suam, ut dictum est anteà, sectæ suæ principibus, testamento Epicurus reliquerat.

23. *Epicuri auctoritatem*] De quâ nonnihil imminutum iri putabat, si quam habitaverat domum, hæc Epicureis adimeretur.

24. *Phædri obtestationem*] Phædrus, dùm viveret, precatus erat, ne Epicuri hortos in alienas manus devenire paterentur.

25. *Sedem*] Has ædes Epicurei, non modò semper possederant, sed & semper incoluerant: *Sedes* ad possessionis antiquitatem, *domicilium* ad perpetuam habitationem pertinet.

26. *Summorum hominum*] Epicureorum, qui ibidem habitaverant.

27. *Totam hominis vitam*] Quam ex Epicuri doctrinâ Patro hauserat.

28. *Non valdè inimici sumus*] Immò non paucis, qui se Epicureos profitebantur, amicissimus erat, ut patet ex ejus ad Cassium, Atticum, & alios, epistolis.

29. *Tantoperè laborat*] De conservandis Epicuri hortis & ædibus.

30. *Non quòd sit in istis*] Vel jocatur Cicero, vel hoc dicit, ut Attico petenti authoritatem accersat: nam epist. 19. lib. 5. ad eumdem, condiscipulos ejus vocat Epicureos.

31. *Politissimus*] Quæ laus in Epicu-

gitando moleſtus, ut nihil unquam magis. nec dubitat, quin ego à te [f] nunc hoc conſequi poſſim, ita etiam, ſi ædificaturus eſſes. Nunc verò ſi audierit te [t] ædificationem depoſuiſſe, neque tamen me à te impetraſſe, non te in me illiberalem, ſed me in ſe negligentem putabit. Quamobrem peto à te, ut ſcribas ad tuos, poſſe [32] tuâ voluntate decretum illud Areopagitarum, quem [33] ἀπομνημαλισμὸν illi vocant, tolli. ſed redeo ad prima. priùs velim tibi perſuadeas, ut hoc meâ causâ libenter facias, quàm ut facias. ſic tamen habeto, ſi feceris, quod rogo, fore mihi gratiſſimum. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *facillimè.* [t] *ædificandi propoſitum.*

NOTÆ.

rium non cadebat, teſte Tullio, lib. 1. de finibus: *Vellem*, inquit, *doctrinis fuiſſet inſtructior; eſt enim non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur.*

32. *Tuâ voluntate*] Repugnante Memmio, obtineri non poterat ab Areopagitis, ut decretum illud tolleretur.

33. ἀπομνημαλισμὸν] Ad perpetuam rei memoriam litteris mandatum.

EPISTOLA II.

Rogat Memmium, ut Evandro Statuario de habitatione ſuâ accommodet. Eodem anno, priuſquam Athenis in Ciliciam diſcederet.

Cicero S. D. Memmio.

BO CAIO Aviano Evandro, qui habitat [1] in tuo ſacrario, & ipſo multùm utor, & patrono ejus M. [2] Æmilio familiariſſimè. peto igitur à te majorem in modum, quod ſine tuâ moleſtiâ fiat, [a] ut ei de habitatione [3] accommodes. Nam propter opera inſtituta multa multorum, [4] ſubitum eſt ei remigrare [b] 5 Kalend. Quint. Impedior verecundiâ, ne te pluribus ver-

INTERPRETATIO.

[a] *ut patiaris eum in habitatione tuâ*, aliquantum adhuc temporis *permanere.* [b] *prius die Julii.*

NOTÆ.

1. *In tuo ſacrario*] In parte ædium Memmii: notandum eſt, non in templis modò, ſed in domibus quoque profanis extitiſſe loca quædam conſecrata, in quibus ſacræ res aſſervari, diique domeſtici coli ſolebant.

2. *Æmilio*] Cujus erat Evander libertus.

3. *Accommodes*] Ne cogatur Kalendis Quintilibus, ut mos eſt, demigrare: multa enim pro multis opera incepit, quæ ante Kalendas Quintiles abſolvi non poſſunt, nec aliò transferri; quare ſubitum ei nimis & incommodum eſſet in veterem domum reverti, tuâ relictâ.

4. *Subitum*] Propter brevitatem temporis.

5. *Kalendis Quintilibus*] Qui dies finiendis locationibus annuis conſtitutus erat.

Digitized by Google

bis rogem. Neque tamen dubito, quin, si tuâ nihil, aut non multum interfit, eo sis animo, quo ego essem, si quid tu me rogares. mihi certè gratissimum feceris. Vale.

EPISTOLA III.

Fusium commendat, quem antè jam Athenis præsens præsenti commendarat. Æmilio Paulo, & Claudio Marcello Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

Cicero s. d. Memmio.

AULUM Fusium, unum ex meis intimis observantissimum, studiosissimumque nostri, eruditum hominem, & summâ humanitate, tuâque amicitiâ dignissimum, velim ita tractes, [a] ut mihi [1] coram recepisti. [b] tam mihi gratum id erit, quàm quod gratissimum. Ipsum præterea, summo officio, & summâ observantiâ, tibi in perpetuum devinxeris. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ut mihi præsens promisisti.* [b] *id mihi erit quàm gratissimum, hominemque tibi in perpetuum obligabis.*

NOTA.

1. *Coram recepisti*] Hanc videtur Cicero epistolam scripsisse, cùm è Ciliciâ ad urbem accessisset, & Athenis cum Memmio esset collocutus.

EPISTOLA IV.

Quintum Valerium agris dividendis legatum Cæsar præfecerat; hunc enixè precatur Cicero, ut Volaterranos in agrorum suorum possessione conservet. Scripta est post devictos in Hispaniâ Pompeii liberos, reditumque Cæsaris, Quinto Fabio Maximo, & C. Trebonio Coss. anno urbis conditæ 708.

Cicero s. d. Q. Valerio, Q. F. Orcæ, legato prætor.

CUM municipibus [2] Volaterranis mihi summa necessitudo est. magno enim meo [3] beneficio affecti, cumulatissimè mihi gratiam retulerunt. nam [4] nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt.

NOTÆ.

1. *Cum municipibus*] Quando omnibus oppidi cujuspiam incolis data civitas est, hi vel migrarunt Romam, vel ibi, ubi priùs erant, remanserunt: si venerunt Romam, *Romani cives* dicti sunt, sin minùs, *municipes*, quasi jus adepti cum Romano populo *munera capiendi*. Ita Cantelius noster in tractatu de Republicâ Romanâ.

2. *Volaterranis*] Volaterra Etruriæ oppidum, hodie *Volterra*.

3. *Beneficio affecti*] Promulgatam à Tribunis plebis legem de agris Volaterranorum dividendis, irritam Cicero Consul fecerat.

4. *Nec in honoribus*] Ut eos augerent, *in laboribus*, ut unà mecum eos terrent.

Digitized by Google

cum quibus si mihi nulla causa [5] intercederet, tamen quòd te vehementissimè diligo, quódque me à te plurimi fieri sentio, & monerem te, & hortarer, ut eorum fortunis consuleres, [a] præsertim cùm propè præcipuam causam haberent ad jus obtinendum: primùm, quòd [6] Syllani temporis acerbitatem deorum immortalium benignitate subterfugerunt: deinde, quòd summo studio populi Romani à me in consulatu meo defensi sunt. cùm enim tribuni plebis legem iniquissimam [b] de eorum agris promulgassent, facilè senatui, populoque Romano persuasi, ut eos cives, quibus [7] fortuna peperciſſet, salvos esse vellent. Hanc actionem meam C. Cæsar primo [8] suo consulatu [c] in lege agrariâ comprobavit, agrumque Volaterranum, & oppidum [d] omni periculo in perpetuum liberavit: ut mihi dubium non sit, quin is, [e] qui novas necessitudines adjungat, vetera sua beneficia conservari velit. Quamobrem est tuæ prudentiæ, aut sequi [f] ejus [9] auctoritatem, cujus [g] sectam, atque imperium summâ cum tuâ dignitate secutus es: [h] aut certè illi integram omnem causam reservare. Illud verò dubitare non debes, quin [10] tam grave, tam firmum, tam honestum municipium tibi tuo summo beneficio in perpetuum obligari velis. Sed hæc, quæ scripta sunt suprà, eò spectant, ut te horter, & suadeam: reliqua sunt, quæ pertinent ad rogandum: ut non solùm tua causa tibi consilium me dare putes, sed etiam, quod mihi opus sit, me à te petere, & rogare. Gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros, incolumesque esse volueris. Eorum ego [11] domicilia, sedes, rem, fortunas, quæ & [12] à diis immortalibus, & à [13] præstantissimis in nostrâ republicâ civibus summo senatûs, populique Romani studio conservatæ sunt, tuæ fidei, justitiæ, bonita-

INTERPRETATIO.

[a] *præsertim cùm singularem causam haberent ad conservationem agrorum obtinendam.*
[b] *de eorum agris* dividendis.
[c] *in lege, quam de agris dividendis tulit.*
[d] *omni tributo.*
[e] *qui nova beneficia* quotidie *conferat.*
[f] *Cæsaris. & factionem.*
[h] *aut rem totam Volaterranorum relinquere arbitrio Cæsaris.*

NOTÆ.

5. *Intercederet*] Quæ me ad defensionem Volaterranorum suscipiendam impelleret.

6. *Syllani temporis*] Cùm Sylla rerum potiretur, agrosque passim divideret, Volaterranum quoque publicavit, sed neque dividere potuit, nec jus civitatis Volaterranis eripere: biennium enim obsessi, fortiter restiterunt.

7. *Fortuna peperciſſet*] Tyrannidem exercente Syllâ, & in omnium possessiones involante.

8. *Suo Consulatu*] Quem cum M. Bibulo, immò potiùs, quem solus gessit, ademptâ collegæ suo authoritate omni.

9. *Auctoritatem*] Cæsaris, qui Volaterranos incolumes esse voluit.

10. *Tam grave*] *Grave* ad mores *firmum* ad divitias, *honestum* ad splendorem pertinet.

11. *Domicilia, sedes*] Quid sit inter utramque vocem discriminis, docet epistola prima.

12. *A diis immortalibus*] Contra Syllæ tyrannidem.

13. *A præstantissimis*] Et in primis à Cæsare.

Digitized by Google

rique commendo. Si pro meis [14] pristinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consuevi tueri meos : nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodesse possem, prætermitterem. sed quando apud te [i] nihilo minus hoc tempore valere me confido, quàm valuerim semper apud omnes pro nostrâ summâ necessitudine, parique inter nos, & mutuâ benevolentiâ abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut existiment eum quasi divino consilio isti negotio præpositum esse, apud quem unum nos eorum perpetui defensores, plurimum valere possemus. Vale.

INTERPRETATIO.

i *non minùs.*

NOTÆ.

14. *Pristinis opibus*] Quas in civili dissensione amiserat.

EPISTOLA V.

Rogat, ut agro suo non spolietur Curtius; rogationemque suam rationibus confirmare nititur. Eodem anno.

Cicero s. d. Q. Valerio, Q. F. Orcæ, legato propræt.

NON molestè fero, eam necessitudinem, quæ mihi tecum est, notam esse quamplurimis : [a] neque tamen ob eam causam, quod te optimè existimare potes, te impedio quominus [b] susceptum negotium pro tuâ fide, & diligentiâ ex voluntate Cæsaris, qui tibi rem magnam, difficilemque commisit, gerere possis. nam cùm multi à me petant multa, quòd de tuâ erga me voluntate non dubitent, non committo, [c 1] ut ambitione meâ conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte ætate familiarissimè sum usus. ejus & Syllani temporis injustissimâ [2] calamitate dolui : & cùm iis, qui similem injuriam acceperant, amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur, adjutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano possessionem, [d] cùm in eam, tanquam è naufragio, re-

INTERPRETATIO.

[a] *neque tamen ob eam necessitudinem, quemadmodum existimare posses, &c.*
[b] *agrorum divisionem* tibi à Cæsare *tradita.* [c] *ut importunâ petitione.*
[d] *cùm relictas à Sylla opes ad agrum hunc coëmendum contulisset.*

NOTÆ.

1. *Ut ambitione*] Præter interpretationem quam attulimus, duplici modo locus hic explicari potest : non committo ut conturbem officium tuum, vel nimio erga Curtium studio, vel ut ostendam ambitiosiùs, quantùm apud te possim.

2. *Calamitate*] Quâ bonorum fermè omnium jacturam, Syllæ avaritiâ, passus est.

Digitized by Google

liquias contuliſſet. hoc autem tempore eum Cæſar in ſenatum legit: quem ordinem ille, iſtâ poſſeſſione amiſsâ, [3] tueri vix poteſt. Graviſſimum autem eſt, cùm ſuperior factus ſit ordine, inferiorem eſſe fortunâ: minimèque convenit, ex eo agro, qui Cæſaris juſſu dividatur, eum [f] moveri, qui Cæſaris beneficio ſenator ſit. Sed mihi minus libet multa de æquitate rei ſcribere, ne causâ potiùs apud te valuiſſe videar, quàm gratiâ. Quamobrem te majorem in modum rogo, ut C. Curtii rem meam putes eſſe: quidquid meâ causâ faceres, ut id Curtii causâ cùm feceris, meum exiſtimes. quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *Senatorem facit.* [f] *pelli.*

NOTÆ.

3. *Tueri vix poteſt*] Senatorum cenſus fuit ſeſtertiûm octogiuta millia, florenæ Republicâ. Seſtertium eſt ſumma quædam valens mille ſeſtertios; ſeſtertius autem erat moneta Romana valens monetæ Galliæ circiter aſſes duos.

EPISTOLA VI.

Cuſpii amicos omnes commendat, in primis L. Julium, & P. Corneliam. Incertus annus.

Cicero s. d. Q. Valerio, Q. F. Orcæ, legato propræt.

SI vales, bene eſt: ego quidem valeo. Credo te memoriâ tenere, me & coram P. Cuſpio tecum locutum eſſe, cùm te proſequerer [1] paludatum, & idem poſteà plurimis verbis tecum egiſſe, ut, quoſcunque tibi ejus neceſſarios commendarem, haberes eos in numero meorum neceſſariorum. id tu pro tuâ ſummâ erga me benevolentiâ, perpetuâque obſervantiâ mihi liberaliſſimè, atque humaniſſimè [a] recepiſti. Cuſpius, homo in omnes ſuos officioſiſſimus, mirificè quoſdam homines [b] ex iſtâ provinciâ tuetur, & diligit: propterea quòd fuit in Africâ bis, cum maximis [2] ſocietatis negotiis

INTERPRETATIO.

[a] *promiſiſti.* [b] *ex Africâ.*

NOTÆ.

1. *Paludatum*] Paludamentum veſtis erat militaris, non purpurâ tantùm, ſed cocco etiam & auro diſtincta, quæ licet à Varrone & Livio militibus tribuatur; erat nihilominus Imperatorum propria, qui hâc induti, ad bellum proficiſci ſolebant.

2. *Societatis*] Publicanorum, qui Reipublicæ vectigalia in Africâ colligebant.

3. *Ergò*

præsset. Itaque hoc ejus officium, quod adhibet [3] erga illos, ego meâ facultate, & gratiâ foleo, quantùm possum, adjuvare. Quare [c] Cuspianorum omnium commendationis causam hac tibi epistolâ exponendam putavi: reliquis epistolis, tantùm faciam, ut [4] notam apponam eam, quæ mihi tecum convenit, & simul significem de numero esse Cuspii amicorum. sed hanc commendationem, quam his literis consignare volui, scito esse omnium gravissimam. nam P. Cuspius singulari studio contendit à me, ut tibi quàm diligentissimè L. Julium commendarem. Ejus ego studio vix videor mihi satisfacere posse, si utar verbis iis, quibus, cùm diligentissimè quid agimus, uti solemus. Nova quædam postulat: & putat me ejus generis artificium quoddam tenere. ei ego pollicitus sum, me ex intimâ nostrâ arte depromptum mirificum genus commendationis. Id quando [5] assequi non possum, tu re velim efficias, [d] ut ille genere mearum literarum incredibili quodam perfectum arbitretur. Id facies, si omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate, & potestate tuâ proficisci poterit, non modò re, sed etiam verbis, vultu denique [e] expresseris. quæ quantum in provinciâ [6] valeant, vellem [7] expertus esses. Sed tamen suspicor [f] ipsum hominem, quem tibi commendo, perdignum esse tuâ amicitiâ: non solùm, quia mihi Cuspius dicit, credo, tametsi id satis esse debebat, sed quia novi ejus judicium in hominibus, & amicis deligendis. Harum literarum vis quanta fuerit, propediem judicabo, tibique, ut confido, gratias agam. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, omnia studiosè, diligenterque curabo. Cura ut valeas.

P. Cornelius qui tibi has literas reddidit, est mihi à P. Cuspio commendatus: [g] cujus causâ quantoperè cuperem, deberemque, profectò ex me facilè cognovisti. Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius quammaximas, quamprimùm, quàmsæpissimè gratias agat.

INTERPRETATIO.

[c] *omnium Cuspii amicorum commendationis, &c.*
[d] *ut arbitretur, id se assecutum vi literarum mearum.*
[e] *declaraveris.*
[f] *L. Julium.*
[g] *cui favere quantoperè & vellem, & deberem.*

NOTÆ.

3. *Erga illos*] Istius provinciæ homines, in quâ diù moratus est.

4. *Notam*] Ciceronem inter, & Valerium, in provinciam abeuntem, convenerat, ut in iis litteris, quibus ex animo aliquem & sincerè commendatum vellet, notam adhiberet, quâ gravis commendatio à levi distingueretur.

5. *Assequi*] Id quod præstare se posse negat Cicero, admirabili sanè artificio præstat, & assequitur.

6. *Valeant*] Ad authoritatem homini privato in provinciâ conciliandam, cùm intelligitur hunc ab rectore provinciæ diligi & coli.

7. *Expertus esses*] Ex iis verbis patet, non multò antè in provinciam suam Valerium discessisse.

EPISTOLA VII.

Cluvium rogat, ne ager, quem Atellani municipes habebant in Galliâ Cisalpinâ, dividatur, sed rem integram Cæsaris arbitrio permittat. Quinto Fabio Maximo, & Caio Trebonio Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

Cicero S. D. C. Cluvio.

CUM [a] in Galliam proficiscens, pro nostrâ necessitudine, tuâque summâ in me observantiâ ad me domum venisses, locutus sum tecum de agro vectigali municipii [1] Atellani, [b] [2] qui esset in Galliâ, quantóque opere [c] ejus municipii causâ [3] laborarem, tibi ostendi. Post tuam autem profectionem, cùm & [4] maxima res municipii honestissimi, mihique conjunctissimi, & summum meum officium ageretur: pro tuo animo in me singulari existimavi me oportere ad te accuratiùs scribere. Etsi non sum nescius, & quæ temporum ratio, & quæ tua potestas sit: [d] tibique negotium datum esse à C. Cæsare, non judicium, præclarè intelligo. Quare à te tantùm peto, quantùm & te facere posse, & libenter meâ causâ facturum esse arbitror. Et primùm velim existimes, quod res est, municipii fortunas omnes [e] in isto vectigali consistere: his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. hoc etsi commune videtur esse cum multis: tamen mihi crede singulares huic municipio calamitates accidisse: quas idcirco non commemoro, ne, de miseriis meorum necessariorum conquerens, homines, [5] quos nolo, videar offendere. Itaque nisi magnam spem haberem, [f] C. Cæsari nos causam municipii probaturos, non erat causa, cur à te hoc tempore aliquid contenderem. sed quia confido, mihique persuasi, illum & [6] dignitatis municipii, & æquitatis, & volun-

INTERPRETATIO.

[a] *in Galliam* Cisalpinam. [b] *quem municipes Atellani possident in Galliâ Cisalpinâ.* [c] *Atellani municipii.*

[d] *tibique mandatum à Cæsare, ut* agros militibus dividas, *non tibi factam potestatem*, ut quos velis, conserves.

[e] *in hoc agro, ex quo tributum annuum percipiunt.*

[f] *effecturum me, ut Cæsar Atellanorum causam probaret.*

NOTÆ.

1. *Atellani*] Atella urbs est Campaniæ, media inter Neapolim & Capuam, nunc *Aversa*, aliis *Santo Arpino*. Atellani autem, licet siti erant in Campaniâ, agros tamen in Galliâ Cisalpinâ sibi vectigales possidebant.

2. *Qui esset in Galliâ*] Reliqui enim Atellanorum agri in Campaniâ erant.

3. *Laborarem*] Quoniam in Ciceronis fidem & clientelam se dederant.

4. *Maxima res*] Agebatur enim de conservatione, aut jacturâ agrorum, unde vectigal annuum percipiebant.

5. *Quos nolo*] Vel Cæsarem, vel Cæsarianum aliquem; nisi Crispum Sallustium velit indicare, qui Campaniæ præfuit paulò antè quàm Cæsar in Africam contra Pompeianos proficisceretur.

6. *Dignitatis municipii*] Tria commendabant Atellanos, dignitas municipii, cau-

Digitized by Google

ratis etiam erga se habiturum esse rationem : ideò à te non dubitavi contendere, ut hanc causam illi integram conservares. Quod etsi nihilominùs à te peterem, si nihil audivissem g te tale fecisse : tamen majorem spem impetrandi nactus sum, postea quàm mihi dictum est, hoc idem à te Rhegienses 7 impetravisse. qui etsi te aliquâ necessitudine attingunt : tamen tuus amor in me sperare me cogit, te, quod tuis necessariis tribueris, idem esse tributurum meis : præsertim cùm ego pro his unis petam, habeam autem, qui simili causâ laborent, complures necessarios. Hoc me non sine causâ facere, neque aliquâ levi ambitione commotum h à te contendere, etsi te existimare arbitror : tamen mihi affirmanti credas velim, me huic municipio debere plurimum, nullum unquam fuisse tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non hujus municipii studium in me extiterit singulare. Quapropter à te etiam atque etiam pro nostrâ summâ conjunctione, proque tuâ in me perpetuâ, & maximâ benevolentiâ majorem in modum peto, atque contendo, ut, cùm fortunas agi ejus municipii intelligas, quod sit mihi 8 necessitudine, officiis, benevolentiâ conjunctissimum, id mihi des. Quod erit hujusmodi, ut, si à Cæsare, quod speramus, impetraverimus, tuo beneficio nos id consecutos esse judicemus : i sin minùs, pro eo tamen id habeamus, quando à te data sit opera, ut impetraremus. hoc cum mihi gratissimum feceris : tum viros optimos, homines honestissimos, eosdemque gratissimos, & tuâ necessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum tibi tuisque devinxeris. Vale.

INTERPRETATIO.

g *te alia municipia conservasse.*
h *enixè flagitare.*
i *sin minus* impetraverimus, *voluntatem tamen tuam pro re ipsâ reputemus, siquidem quantùm in te est, effeceris, ut impetremus.*

NOTÆ.

sæ æquitas, studium erga Cæsarem.

7. *Impetravisse*] Ut agrum suum militibus non divideres.

8. *Necessitudine*] Cluvii fortè clientes erant.

EPISTOLA VIII.

Rogat Rutilium, ut in agrorum divisione sibi commissâ, Albini prædia conservet. Eodem anno.

Cicero S. D. M. Rutilio.

CUM & mihi conscius essem, quanti te facerem, & tuam erga me benevolentiam expertus essem, non dubitavi à te petere, quod mihi petendum esset. 1 P. Sestium quanti faciam, ipse optimè scio, quanti autem

NOTÆ.

1. *P. Sestium*] Qui cùm Ciceronem defenderet, à Clodianis in Castoris templo pro mortuo relictus est, multúmque laboravit, ut eumdem ab exilio revocaret.

facere debeam, & tu, & omnes homines sciunt. is cùm ex aliis te mei studiosissimum esse cognosceret, petivit à me, ut ad te quamaccuratissimè scriberem de re C. Albini senatoris: cujus ex filiâ natus est L. Sestius optimus adolescens, filius P. Sestii. Hoc idcirco scripsi, ut intelligeres non solùm me pro P. Sestio laborare debere, sed Sestium etiam pro Albino. [a] Res autem hæc est. A [b] M. Laberio C. Albinus prædia [3] in æstimationem accepit: quæ prædia Laberius emerat à Cæsare de [c] [4] bonis Plotianis. ea [d] si dicam non esse [5] è republicâ dividi, docere te videar, non rogare. sed tamen cùm Cæsar [6] Syllanas venditiones, & assignationes ratas esse velit, quò firmiores existimentur suæ: si ea prædia dividentur, quæ ipse Cæsar vendidit, quæ tandem in ejus venditionibus esse poterit auctoritas? sed hoc quale sit, tu pro tuâ prudentiâ considerabis. Ego te planè rogo, atque ita, ut majore studio, justiore de causâ, magis ex animo rogare nihil possim, ut Albino parcas, prædia Laberiana ne attingas. Magnâ me affeceris non modò lætitiâ, sed etiam quodam modo gloriâ, si P. Sestius [7] homini maximè necessario per me satisfeceris, cùm ego illi plurimùm debeam. quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. majus mihi dare beneficium nullum potes. id mihi intelliges esse gratissimum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *res autem*, de quâ agitur, *ita se habet.*

[b] *Albinus prædia à M. Laberio* debitore *pro debito suo accepit.* [c] *ex bonis Plotii.*

[d] *si dicam non esse utile Reipublicæ*, ut Albini *prædia dividantur.*

NOTÆ.

2. *L. Sestius*] In oratione pro Sestio, prænomen patris filio quoque Cicero tribuit, Publiumque nominat.

3. *In æstimationem*] Id est tanti æstimata, quanti erant ante bellum civile. Consule epistolam decimam sextam, & decimam octavam libri noni.

4. *Bonis Plotianis*] Quæ fisco Cæsar addixit, quia Pompeium erat secutus.

5. *E Republicâ dividi*] Neque enim Reipublicæ conducit, aut Cæsari, ea militibus bona dividere, quæ Cæsar ipse vendidit, nisi velit omnem venditionibus suis authoritatem adimere.

6. *Syllanas*] Quamvis Syllam Cæsar Marii utpote nepos, Syllæque sectatores oderat: ille profligatis Marianis partibus, cùm Rempublicam solus regeret, ditissimos cives proscripsit, eorumque bona suis militibus assignavit; quas assignationes, licet erant iniquissimæ, voluit esse ratas Cæsar, ut majorem suis authoritatem afferret.

7. *Necessario*] Albino socero suo.

8. *Intelliges*] Aliquando ex officiis in te meis.

Digitized by Google

EPISTOLA IX.

Bithynicam Publicanorum societatem, & in primis C. Pupium commendat. Incertus annus.

Cicero s. d. Craſſipedi.

QUANQUAM tibi præſens commendavi, ut potui diligentiſſimè, [1] ſocios Bithyniæ, teque cùm meâ commendatione, tùm etiam tuâ ſponte intellexi cupere ei ſocietati, quibuſcunque rebus poſſes, [a] commodare: tamen, cùm ii, quorum res agitur, magni ſuâ intereſſe arbitrarentur, me etiam per literas declarare tibi, quâ eſſem erga ipſos voluntate: non dubitavi hæc ad te ſcribere. Volo enim te exiſtimare, me, cùm univerſo ordini publicanorum multùm ſemper libentiſſimè tribuerim, idque pro magnis ejus ordinis [2] erga me meritis facere debuerim, tùm in primis amicum eſſe huic Bithynicæ ſocietati, [b] quæ ſocietas ordine ipſo, hominum genere pars eſt maxima civitatis. Conſtat enim [3] ex cæteris ſocietatibus: & caſu permulti ſunt in eâ ſocietate valdè mihi familiares, in primiſque is, cujus [4] præcipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius Publii filius, [5] Menenius, qui eſt magiſter in eâ ſocietate. Quæ cùm ita ſint, majorem in modum à te peto, Cn. Pupium, [c] qui eſt [6] in operis ejus ſocietatis, omnibus ſuis officiis, atque omni liberalitate tucare, cureſque, [d] ut ejus operæ, quod tibi facile factu eſt, quàm gratiſſimæ ſint ſociis: [e] remque, & utilitatem ſociorum (cujus rei quantam poteſtatem quæſtor habeat, [7] non ſum ignarus) per te

INTERPRETATIO.

[a] *inſervire.* [b] *qua ſocietas maximum Rhma locum tenet, tùm quia eſt ex ordine equeſtri, tùm quia conſtat ex hominibus illuſtriſſimis.* [c] *qui agit pro illâ ſocietate.* [d] *ut ea quæ facit, quod, &c. quàm gratiſſima ſint ſociis.* [e] *Horumque Publicanorum commoda & opes, velim & defendas, & augeas.*

NOTÆ.

1. *Socios Bithyniæ*] Publicanos, qui ſimul in Bithyniâ Reipublicæ vectigalia colligebant. Bithynia provincia eſt Aſiæ minoris, ad Pontum ſita, & oppoſita Thraciæ; proxima Troadi; primùm *Bebrycia*, deinde *Mygdonia*; tùm à Bithyno Rege *Bithynia* dicta eſt, nunc *Becſangial*.

2. *Erga me meritis*] Cùm exularet Cicero, & rei pecuniariæ laboraret inopiâ, mutuam pecuniam ab illis accepit.

3. *Ex cæteris*] Cùm variæ variis in provinciis Publicanorum eſſent ſocietates, hæc Bithynica ex omnibus conflata erat.

4. *Præcipuum*] Quia ſocietatis rector & magiſter, cujus erat ſociis imperare quid facto opus eſſet, & ad eos referre, quæ ad ſocietatis commodum pertinebant.

5. *Menenius*] De Meneniâ tribu. Vide epiſtolam 8. libri 8.

6. *Operis*] Opera nonnunquam accipitur pro operis alicujus miniſtro; aliàs opus ipſum, & actionem ſignificat. Videtur utrovis modo hîc ſumi poſſe, & ita explicari, Pupium, unum ex miniſtris qui res ſocietatis curant, &c. vel uti dictum eſt in interpretatione.

7. *Non ſum ignarus*] Quoniam Quæſturæ munus in Siciliâ Tullius exercuerat.

Digitized by Google

quammaximè defensam, & auctam velis. id cùm mihi gratissimum feceris: tùm illud tibi, expertus, promitto, & spondeo, te socios Bithyniæ, si is commodaris, memores esse, & gratos cognituram. Vale.

EPISTOLA X.

Marcum Terentium Varronem Quæstorem commendat Marco Bruto, quem Cæsar Galliæ præfecerat. Cæsare tertium, & Lepido Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo septimo.

Cicero s. d. M. Bruto.

CUM ad te tuus Quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere eum non putabam. satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more majorum: [a] qui, ut te non fugit, hanc quæsturæ conjunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse. Sed, cùm ita sibi persuasisset ipse, meas de se accuratè scriptas literas maximum apud te pondus habituras, à meque contenderet, ut quàmdiligentissimè scriberem: malui facere, quod meus familiaris tanti suâ interesse arbitraretur. Ut igitur debere me facere hoc intelligas, cùm primùm M. Terentius [1] in forum venit, ad amicitiam se meam contulit. deinde, [b] ut se corroboravit, duæ causæ accesserunt, quæ meam in illum benevolentiam augerent: una quòd versabatur [c] in hoc studio nostro, quo etiam nunc maximè [2] delectamur, & cum ingenio, ut nosti, nec sine industriâ. deinde quòd maturè se contulit in societates publicanorum: quod quidem nollem. maximis enim damnis affectus est. Sed tamen causa communis ordinis mihi commendatissimi fecit amicitiam nostram firmiorem. deinde [d] versatus [3] in utrisque subselliis optimâ & fide, & famâ, jam [e] ante hanc commutationem reipublicæ [4] petitioni

INTERPRETATIO.

[a] *qui tantam esse voluerunt coniunctionem Quæstoris cum Proconsule suo, quanta fernè est liberorum cum parentibus.*
[b] *ubi virilem ætatem attigit.*
[c] *in eloquentiâ.*
[d] *patronus, & judex.*
[e] *ante bellum civile*, Pompeium inter & Cæsarem *petiit magistratus.*

NOTÆ

1. *In forum venit*] Vel ut causas ageret ipse, vel ut oratores in foro dicentes audiret.

2. *Delectamur*] Non publicis quidem, sed privatis exercitationibus; eversâ enim propemodum republicâ, rarius in curiâ causas agebat.

3. *In utrisque subselliis*] Id est in majoribus & minoribus causis: Varro enim causas egit, & apud eos judices, qui simul cum magistratu non Curuli parvis de rebus, & apud eos qui cum Curuli de majoribus cognoscerent. Erant autem diversa pro diversitate Judicum subsellia, nisi magis arridet interpretatio, quæ clara est, & brevis: alia enim erant subsellia judicis, alia patroni. Quid sit magistratus Curulis, dictum anteà. Si plura de Varrone quæris, consule indicem historicum.

4. *Petitioni*] Magistratuum; quam

Digitized by Google

sese dedit, honoremque honestissimum existimavit fructum [f] laboris sui. [f] His autem temporibus à me [6] Brundusio cum literis, & mandatis profectus est [7] ad Cæsarem. quâ in re & amorem ejus [8] in suscipiendo negotio perspexi, & fidem in conficiendo, ac [9] renuntiando. [g] Videor mihi, cùm separatim de probitate ejus, & moribus dicturus fuissem, si priùs causam, cur eum tantoperè diligerem, tibi exposuissem, in ipsâ causâ exponendâ satis etiam de probitate dixisse. sed tamen separatim promitto, in meque recipio, fore eum tibi & voluptati, & [h] usui. nam & modestum hominem cognosces, & prudentem, & [i] à cupiditate omni remotissimum, præterea magni laboris, summæque industriæ. Neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipsi, cùm benè cognoveris, judicanda sunt: sed tamen IN omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit, & [k] quâ commendatione quasi amicitiæ fores aperiantur. quod ego his literis efficere volui: etsi id [l] ipsa per se necessitudo quæsturæ effecisse debet: [m] sed tamen nihilo infirmius illud, hoc addito. Cura igitur, si me tanti facis, quanti & Varro existimat, & ipse sentio, ut quamprimùm intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attulisse, quantum & ipse sperarit, nec ego dubitarim. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *post cladem autem Pharsalicam.*

[g] *habebam in animo loqui separatim de probitate* Varronis, *si priùs, &c. sed videor in ipsâ causâ, &c.* [h] *utilitatis.*

i *& avaritiæ nullatenùs obnoxium.*

[k] *& quâ commendatione, amicitia detur initium.*

[l] *ipsa* quæ solet esse *Quæstoris cum* Proconsule *conjunctio.*

[m] *sed illud ipsum, quod facit quæsturæ necessitudo, non erit infirmius adduâ meâ commendatione.*

NOTÆ.

porrò dignitatem primùm petierit incertum est.

5. *Laboris*] Quem causas agendo susceperat.

6. *Brundusio*] Quò profectus erat Cicero post cladem Pharsalicam.

7. *Ad Cæsarem*] Ut contenderet à Cæsare, Ciceroni ut liceret, vel alicubi in Italiâ, vel etiam Romæ versari: eo tempore Cæsar, Pharnace devicto, Romam redibat.

8. *In suscipiendo*] In ferendis meis litteris, meâque cum Cæsare reconciliatione promovendâ.

9. *Renuntiando*] Et renuntiando mihi quæ cum Cæsare confecisset.

EPISTOLA XI.

Ea vectigalia, quæ municipes Arpinates in Galliâ possidebant, M. Bruto Galliam Cisalpinam administranti commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Bruto.

QUIA semper animadverti, studiosè te operam dare, [a] ut ne quid meorum tibi esset ignotum: propterea non dubito, quin scias, non

INTERPRETATIO.

[a] *ut mea res omnes tibi essent cognitæ.*

solùm cujus municipii sim, sed etiam quàm diligenter soleam meos municipes[1] Arpinates tueri. quorum quidem omnia commoda, omnesque facultates, quibus & sacra conficere, & [b][2] sarta tecta ædium sacrarum, locorumque communium tueri possint, constituat in iis vectigalibus, quæ habent in provinciâ Gallia. [c] Ad ea visenda, pecuniasque quæ à colonis debentur, exigendas, totamque rem & cognoscendam, & administrandam legatos, equites Romanos misimus, Q. Fusidium Q. F. M. Faucium M. F. Q. Mamercum Q. F. Peto à te majorem in modum pro nostrâ necessitudine, ut ea res tibi curæ sit: operamque des, ut per te quamcommodissimè negotium municipii administretur, quàmprimumque conficiatur, ipsosque, quorum nomina scripsi, ut quamhonorificentissimè pro tuâ naturâ, & quamliberalissimè tractes. Bonos viros ad tuam necessitudinem adjunxeris, municipiumque gratissimum beneficio tuo devinxeris: mihi verò etiam eo gratiùs feceris, quòd cùm semper tueri municipes meos consuevi, tùm hic annus præcipuè ad meam curam, officiumque pertinet. [d] nam, constituendi municipii causâ, hoc anno [3] ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & [e] M. Cæsium, hominem mihi maximè necessarium: (is enim magistratus in nostro municipio, [4] nec alius ullus creari solet) quos cohonestaris, in primisque me, si respublica municipii tuo studio, & diligentiâ benè administrata erit. quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *& sacras ædes, integras, atque incolumes conservare.*
[c] *ad ea examinanda.*
[d] *nam, ut municipium meliorem in formam redigatur.*
[e] *Arpinatum.*

NOTÆ.

1. *Arpinates*] Arpinum Volscorum oppidum, Ciceronis & Marii septies Consulis natalibus illustre: municipium, & præfectura *Arpino*.

2. *Sarta tecta*] Vocabantur, auctore Festo, opera publica, quæ locabantur, ut integra præstarentur.

3. *Ædilem*] Fieri Arpini, ut publicas hujus municipii ædes refici, ludosque exhiberi curet.

4. *Nec alius creari solet*] Præter Ædilem. in aliis quippe municipiis vel Dictator creari solebat, ut Lanuvii; vel Consul, ut Tusculi; vel Decemvir, ut Cæninii.

EPISTOLA XII.

Quintum Fusidium Arpinatis municipii legatum, nominatim & accuratè commendat.

Cicero S. D. Bruto.

ALIA epistola [a] communiter commendavi tibi legatos Arpinatum, ut potui diligentissimè. hac separatim Q. Fusidium, [b] quocum mihi

INTERPRETATIO.

[a] *generatim.* [b] *cui sum multiplici nomine conjunctus.*

1. *Tribunus*

omnes necessitudines sunt, diligentiùs commendo: non ut aliquid de illa commendatione diminuam, sed ut hanc addam. nam & privignus est M. Cæsii, mei maximè & familiaris, & necessarii: & fuit in [c] Ciliciâ mecum [1] tribunus militum, quo in munere [d] ita se tractavit, ut accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse. Est præterea, quod apud te valet plurimùm, à nostris studiis non abhorrens. Quare velim eum quamliberalissimè complectare, operamque des, ut in eâ legatione, quam suscepit contra suum commodum, [e] secutus auctoritatem meam, quammaximè ejus excellat industria. Vult enim, id quod optimo cuique naturâ tributum est, quammaximam laudem cùm à nobis, qui eum [2] impulimus, tum à [f] municipio consequi. quod ei continget si hac meâ commendatione tuum erga se studium erit consecutus. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *cùm Ciliciam* Proconsul *regerem.*
[d] *ita se gessit.*
[e] *à me impulsus.*
[f] *ab Arpinatibus.*

NOTÆ.

1. *Tribunus militum*] Qui primum in legione locum post legatum obtinebat.

2. *Impulimus*] Ut legationem hanc susciperet.

EPISTOLA XIII.

Castronium è Lucensi municipio commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Bruto.

LUCIUS Castronius Pætus, longè princeps municipii [1] Lucensis, est [a] honestus, gravis, plenus officii, bonus planè vir, & cùm virtutibus, [a] tùm etiam fortunâ, si quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem est familiarissimus, sic prorsus, [b] ut nostri ordinis observet neminem diligentiùs. quare & ut meum amicum, & ut tuâ dignum amicitiâ, tibi commendo: cui [c] quibuscunque rebus commodaveris, tibi profectò jucundum, mihi certè erit gratum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *tùm etiam opibus, si tamen opes in commendatione locum habent.* [b] *ut ordinis Senatorii.* [c] *quibuscunque rebus ei inservies.*

NOTÆ.

1. *Lucensis*] Luca Tusciæ urbs, & colonia, de quâ prius.

2. *Honestus*] Adverte vim & ordinem commendationis; *honestus* ad familiæ splendorem; *gravis*, ad ætatem, & mores; *plenus officii*, ad voluntatem, consuetudinemque de aliis benè merendi pertinet: *bonus autem vir* omnes fermè laudes complectitur.

Digitized by Google

EPISTOLA XIV.

Petit, ut pecuniam Straboni numerari curet, quam Cornelius ei debebat. Eodem anno.

Cicero s. d. Bruto.

LITIO Strabone, equite Romano in primis honesto, & ornato, familiarissimè utor. [a] omnia mihi cum eo intercedunt jura summæ necessitudinis. huic in tuâ provinciâ pecuniam debet P. Cornelius. ea res [1] à Volcatio, qui Romæ jus dicit, rejecta in Galliam est. Peto à te hoc diligentiùs, quàm si mea res esset, quò est honestius de amicorum pecuniâ laborare, quàm de suâ, ut negotium conficiendum cures, ipse suscipias, transigas, operamque des, quod tibi æquum, & rectum videbitur, ut quamcommodissimâ conditione libertus Strabonis, qui ejus rei causâ missus est, negotium conficiat, [b] ad nummosque perveniat. id & mihi gratissimum erit: & tu ipse L. Titium cognosces amicitiâ tuâ dignissimum. Quod ut tibi curæ sit, ut omnia solent esse, quæ me velle scis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *maximis & omnibus amicitiæ vinculis sum illi conjunctus.* [b] *& debitam Straboni pecuniam accipiat.*

NOTA.

1. *A Volcatio*] Quare non addit, *Prætore urbano*, quia meritò dubitari potest, utrùm ii qui Romæ jus hoc anno dixerunt Prætorum titulo uti potuerint, cùm à Cæsare tantùm non habitis comitiis essent constituti: Suetonius enim auctor est, C. Cæsarem in tertio & quarto Consulatu nulla habuisse comitia præter Tribunorum, & Ædilium plebis, Præfectosque pro Prætoribus constituisse, qui præsente se res urbanas administrarent, cæteroquin Cicero Volcatium nominasset Prætorem, si magistratum à populo, comitiis habitis, meæ majorum obtinuisset.

EPISTOLA XV.

Commendat Præcilium adolescentem patre natum Cæsaris familiarissimo. Cæsare quartùm Consule sine collegâ, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

Cicero s. d. C. Cæsari Imperatori.

PRÆCILIUM tibi commendo unicè, tui necessarii, mei familiarissimi, viri optimi filium. quem cùm adolescentem ipsum propter ejus modestiam, humanitatem, animum, & amorem erga me singularem mirificè diligo: tùm patrem ejus, [a] re doctus, intellexi, & didici mihi fuisse semper amicissimum. En [b] hic ille est, de illis maximè, qui irridere, atque

INTERPRETATIO.

[a] *experientiâ.* [b] *hic ille est* Præcilius senex, *qui omnium maximè irridere, &c.*

Digitized by Google

objurgare me solitus est, quòd me non tecum, præsertim cùm abs te honorificentissimè invitarer, [1] conjungerem.

[c] ἀλλ' ἐμὸν ὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἔπεισθεν.

audiebam enim nostros [d] proceres clamitantes,

[e] ἄλκιμος ἐσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

[f] ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα

sed tamen [2] idem me consolatur. & jam, hominem perustum, [g] [3] etiamnum gloriâ volunt incendere, atque ita loquuntur:

[h] Μὴ μὰν ἀσπουδεῖ γε καὶ ἀκλειῶς ὑπολοίμην,
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

sed me minùs jam [i] movent, [4] ut vides: itaque [k] ab Homeri [5] magniloquentiâ confero me ad [6] vera præcepta [l] Ευριπίδου.

[m] Μισῶ σοφιστὴν, ὅς τις οὐχ αὑτῷ [7] σοφός.

quem versum senex Præcilius laudat egregiè: [n] & ait posse [8] eundem & ἅμα πρόσω, καὶ [9] ὀπίσω videre, & tamen nihilo minus.

αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἐμμεμάναι ἄλλων.

Sed, ut redeam ad id, unde cœpi, vehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tuâ, quæ est singularis, comprehenderis: & ad

INTERPRETATIO.

[c] *sed hoc mihi persuadere nunquam potuit.*

[d] *Pompeianos.*

[e] *fortis esto, ut aliquis te posterorum laudet.*

[f] *sic quasi me nubes obscura involvisset, non vidi quod mihi utilius fuit.*

[g] *iidemque nunc Pompeiani me jam defessum & languentem, &c.*

[h] *ne negligenter, & sine gloriâ peream, sed magno aliquo edito facinore, & quod posteri audiant.* [i] Pompeiani.

[k] *relictis Homeri magnificis versibus.*

[l] *Euripidis.*

[m] *odi sapientem, qui non sibi sapit.*

[n] *& ait posse eumdem hominem, qui sibi consulit, præterita simul, & futura videre, & tamen semper præclarè agere, & aliis antecellere.*

NOTÆ.

1. *Conjungerem*] Initio belli civilis, Tullius à Cæsare invitatus est, ut sibi contra Pompeium adhæreret, vel saltem ut neutram in partem inclinans, alicubi belli exitum præstolaretur: neutrum fecit, ac Pompeium secutus est.

2. *Idem*] Præcilius me consolatur, cùm asserit me tibi carissimum esse.

3. *Etiamnum*] Corruptus Manutio, aliisque videtur hic locus; legi potest: *iidem nunc*, id est Pompeiani me tædio affectum, inani adhuc gloriâ volunt incendere, mihique persuadere, ut tecum rursùs armis decertem, atque ita, &c.

4. *Ut vides*] Quia Romæ tùm versabatur, cùm adhuc Pompeiani in Hispaniâ contra Cæsarem dimicarent.

5. *Magniloquentiâ*] Quæ ad inanem gloriam me incitat.

6. *Vera*] Quæ veram homines sapientiam docent, in eo positam, ut quisque primùm sibi, deinde aliis sapiat.

7. Σοφὸς] Pompeianos arguit, qui sibi non sapiebant, cùm bis jam profligati, in Græciâ scilicet, & in Africâ, cum Cæsare manus tertiùm conserere non dubitarent.

8. *Eumdem*] Qui suis rebus consulat, præclarè se gerere, & aliorum quoque rationibus, & saluti consulere; sic se gerebat Cicero ex Præcilii sententiâ.

9. Ὀπίσω] Hæc videntur verba respicere ad duplicem Æsopi Manticam; declarantque, qui hujus sententiæ usum habuerit, in primis illum sapere, cùm & se

Digitized by Google

id, quod ipsorum Præciliorum causâ te velle arbitror, addideris cumulum commendationis meæ. [10] Genere novo sum literarum ad te usus, ut intelligeres non vulgarem esse commendationem. Vale.

NOTÆ.

& cæteros norit, sibi & aliis serviat; utrumque autem Cicero amicitiâ Cæsaris consequebatur, cujus beneficio sibi & aliis utilis erat, præteritum corrigebat errorem, & sana in futurum tempus consilia capiebat.

10. *Genere novo*] Ob Græcas locutiones præter consuetudinem interjectas.

EPISTOLA XVI.

Apollonium, Publii Crassi libertum, Cæsari in Hispaniâ contra Pompeii liberos bellanti commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Cæsari Imperatori.

[1] PUBLIUM Crassum, [a] ex omni nobilitate, adolescentem, dilexi plurimùm: &, ex eo cùm ab ineunte ejus ætate benè speravissem, tùm optimè existimare cœpi [b] ex iis judiciis, quæ de eo feceram, [2] cognitis. ejus libertum Apollonium jam tùm equidem, cùm [c] ille viveret, & magni faciebam, & probabam. erat enim & studiosus Crassi, & ad ejus [3] optima studia vehementer aptus. itaque ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi, eo mihi etiam dignior visus est, quem in fidem, atque amicitiam meam reciperem, quòd eos à se observandos, & colendos putabat, quos [d] ille dilexisset, & quibus carus fuisset. Itaque & ad me *in* [4] Ciliciam venit, multisque in rebus mihi magno usui fuit, & fides ejus, & prudentia: &, ut opinor, tibi [5] in Alexandrino bello, quantùm studio, & fidelitate consequi potuit, non defuit. [e] Quod cùm speraret te quoque ita existimare, [6] in Hispaniam ad te maximè ille quidem suo consilio, sed

INTERPRETATIO.

[a] *unum inter omnes adolescentes nobiles dilexi plurimùm.*

[b] *ubi comperi non erravisse me in iis judiciis, quæ de eo fecerum.*

[c] *Crassus.*

[d] *Crassus.*

[e] *& cùm existimaret suam fidem sibi quoque perspectam esse.*

NOTÆ.

1. *Publium Crassum*] Marci Crassi Romanorum ditissimi filium, qui unà cum patre à Parthis occisus est, adolescens omni virtutum genere ornatus.

2. *Cognitis*] Corroboratâ jam ætate opinionem de se datam non fefellit Crassus.

3. *Optima studia*] Eloquentiæ, cui Cicerone magistro, operam Crassus dederat. Vide Ciceronem in Bruto.

4. *In Ciliciam*] Cùm Proconsul hanc regerem.

5. *In Alexandrino*] Quod cum Ptolomæo Cæsar gessit, post fusum in pugnâ Pharsaliâ Pompeium.

6. *In Hispaniam*] Quò Cæsar se con-

Digitized by Google

etiam me auctore est profectus. cui ego commendationem non sum pollicitus : non quin eam valituram apud te arbitrarer : sed neque mihi egere commendatione videbatur, qui & in bello tecum fuisset, & propter memoriam Crassi [7] de tuis unus esset : &, si uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id consequi posse. [f] testimonium meum de eo judicii, quod & ipse magni æstimabat, & ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. doctum igitur hominem cognovi, & studiis optimis deditum, idque à puero. nam domi meæ cum [8] Diodoto Stoïco, homine, meo judicio, eruditissimo, multùm à puero fuit. nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas literis Græcis mandare cupiebat. posse arbitror : valet ingenio : habet usum : jampridem [g] in eo genere studii, literarumque versatur : satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimonium : sed tu hoc facilius multò, pro tuâ singulari prudentiâ, [9] judicabis : & tamen, quod negaveram, commendo tibi eum. Quidquid ei commodaveris, erit mihi majorem in modum gratum. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *libenter testificatus sum in iis litteris, quodnam de illo judicium facerem.* [g] *in historiâ.*

NOTÆ.

tulerat contra Pompeii liberos.

7. *De tuis*] Quia Publius Crassus Cæsaris in Galliâ legatus fuit.

8. *Diodoto Stoïco*] Vide epistolam 4. libri 9.

9. *Judicabis*] De ejusdem Apollonii ingenio, doctrinâ, exercitatione, & utrùm possit esse idoneus rerum tuarum scriptor.

EPISTOLA XVII.

Sulpicio, Achaiæ Præfecto, Manium Curium commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Se. Sulpicio.

M. CURIUS, qui [1] Patris negotiatur, multis, & magnis de causis à me diligitur. nam & amicitia pervetus mihi cum eo est, ut primùm in forum venit, instituta : & Patris cùm aliquoties anteà, tùm proximè [a] hoc miserrimo bello domus ejus tota mihi patuit : quâ, si opus fuisset, tam essem usus, quàm meâ. [b] Maximum autem mihi vinculum cum eo est, quasi sanctioris cujusdam necessitudinis, quòd est Attici nostri familiarissi-

INTERPRETATIO.

[a] *hoc civili bello.* [b] *sed hoc præcipuè nomine mihi conjunctissimus est, quòd sit Attici, &c.*

NOTA.

1. *Patris*] Patræ Achaiæ in Peloponneso civitas, nunc *Patras.*

Digitized by Google

mus, eumque unum præter cæteros obſervat, ac diligit. Quem ſi tu jam fortè cognoviſti, puto me hoc, quod facio, facere ſcriùs. Eâ enim eſt humanitate, & obſervantiâ, ut eum tibi jam ipſum per ſe commendatum putem. Quod tamen ſi ita eſt, magnoperè à te quæſo, ut ad eam voluntatem, ſi quam in illum ante has meas literas contuliſti, quammaximus poſteà commendatione cumulus accedat. ſin autem propter verecundiam ſuam [c] minus ſe tibi obtulit, aut eum non dum ſatis habes cognitum, [d] aut quæ cauſa eſt, cur majoris commendationis indigeat: ſic tibi eum commendo, ut neque majore ſtudio quenquam, neque juſtioribus de cauſis commendare poſſim, faciamque id, quod debent facere ii, qui [e] religiosè, & ſine ambitione commendant. Spondebo enim tibi, vel potiùs ſpondeo, in meque recipio, eos eſſe M. Curii mores, eamque tùm probitatem, tùm etiam humanitatem, ut eum & amicitiâ tuâ, & tam accuratâ commendatione, ſi tibi ſit cognitus, dignum ſis exiſtimaturus. Mihi certè gratiſsimum feceris, ſi intellexero has literas tantum, quantum ſcribens confidebam, apud te pondus habuiſſe. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] ruriùs ad te acceſſit. [d] aut ſi qua alia cauſa eſt. [e] piè, ac ſincerè.

EPISTOLA XVIII.

Primùm gratias agit, quòd ſponte, nec rogatus ſuum Pomponio Attico ſtudium detulerit, tùm ejuſdem Attici negotia commendat. Eodem anno.

Cicero S. D. Sulpicio.

NON concedam, ut [1] Attico noſtro, quem elatum lætitiâ vidi, jucundiores tuæ ſuaviſsimè ad eum, & humaniſsimè ſcriptæ literæ fuerint, quàm mihi. Nam etſi utrique noſtrûm propè æquè gratæ erant: tamen ego admirabar magis, te, quaſi rogatus, aut [2] certè admonitus liberaliter Attico reſpondiſſes, ([a] quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) ultro ad eum ſcripſiſſe, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per literas detuliſſe. De quo non modò rogare te, [b] ut eò ſtudioſius meâ quoque causâ facias, non debeo, (nihil enim cumulatius fieri poteſt, quàm pollicetis) ſed ne gratias quidem agere, [c] quòd tu & ipſius causâ, &

INTERPRETATIO.

[a] quamquam dubium nobis non erat, quin roganti, aut ſaltem monenti Attico *officiosè reſponſurus fuiſſes. [b] ut ſtudioſius meâ cauſâ Attici commodis inſervias. [c] ſiquidem non meâ, ſed ipſius causâ,* nec à me rogatus, *ſed tuâ ſponte feciſti.*

NOTÆ.

1. *Attico*] Cui tùm in Epiro negotia habenti, ſuam ultrò Sulpicius voluntatem & operam obtulerat.

2. *Aut certè admonitus*] Correctio; nec

tuâ ſponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id quod feciſti, eſſe gratiſſimum. tale enim tuum judicium de homine eo, quem ego unicè diligo, non poteſt mihi non ſummè eſſe jucundum. quod cùm ita ſit, [3] eſſe gratum neceſſe eſt. ſed tamen, quando mihi pro conjunctione noſtrâ, vel [4] peccare apud te in ſcribendo licet: utrunque eorum, quæ negavi mihi facienda eſſe, faciam. nam & ad id, quod Attici causâ te oſtendiſti eſſe facturum, tantum velim addas, quantum ex noſtro amore acceſſionis fieri poteſt: &, quod modò verebar, tibi gratias agere, nunc planè ago: teque ita exiſtimare volo, quibuſcunque officiis [d] [5] in Epiroticis, reliquiſque rebus Atticum obſtrinxeris, iiſdem me tibi obligatum fore. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *in negotiis, quæ habet in Epiro.*

NOTÆ.

enim decet amicum ab amico rogari, cùm ſponte debeat in eum beneficia conferre.

3. *Eſſe gratum neceſſe eſt*] Nihil ferè jucundum, quod non idem gratum: grata verò multa, quæ non eadem jucunda; accipere medicinam, gratum eſt, non verò jucundum; ſæpè veritas grata eſt, ſeu utilis, rarò jucunda.

4. *Peccare*] Sic Martialis:

——— *peccat*
Qui commendandum ſe putat eſſe ſuis.

5. *In Epiroticis*] Atticum multas in Epiro poſſeſſiones habuiſſe teſtatur Cornelius Nepos: Epirus autem regio eſt Græciæ finitima, quæ tùm ad Sulpicii provinciam pertinebat: dicta primùm eſt *Moloſſia*, deinde *Chaonia*, nunc vel *Albania* appellata, vel *Janna*.

EPISTOLA XIX.

Lyſonem, jam anteà commendatum, iterùm commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Sulpicio.

Cum Lyſone [1] Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium vetus, quam ego neceſſitudinem [a] [2] ſanctè colendam puto: ſed ea cauſa etiam cum aliis compluribus: [b] familiaritas tanta nullo cum hoſpite, & ea cum officiis ejus multis, tum etiam conſuetudine quotidianâ ſic eſt aucta, ut nihil ſit fami-

INTERPRETATIO.

[a] *piè, inviolatéque.* [b] *hoſpitalitas.*

NOTÆ.

1. *Patrenſi*] Patris in Achaiâ nato, apud quem Cicero, è Ciliciâ rediens, Tyronem morbo laborantem reliquit.

2. *Sanctè*] Mirum, quàm inviolatè, ſanctéque jus hoſpitii veteres colerent, quare & Jovem Hoſpitalem nominabant. Virg. lib. 1. Æneid. v. 735.

Jupiter (Hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.)

Digitized by Google

liaritate noſtrâ conjunctius. is cùm Romæ annum propè ita fuiſſet, ut mecum viveret: etſi eramus in magnâ ſpe, te meis literis, commendationeque diligentiſſimè facturum id, quod feciſti, ut [c] ejus rem, & fortunas abſentis tuerere: tamen, quòd in [d] unius poteſtate erant omnia, & quòd Lyſo fuerat [c] in noſtrâ causâ, noſtriſque præſidiis, quotidie aliquid [3] timebamus, effectum tamen eſt & ipſius ſplendore, & noſtro, reliquorumque hoſpitum ſtudio, ut omnia, quæ vellemus, à Cæſare impetrarentur. quod intelliges ex iis literis, quas Cæſar ad te dedit. Nunc non modò [f] non remittimus tibi aliquid ex noſtrâ commendatione, quaſi adepti jam omnia, ſed eò vehementiùs à te contendimus, ut Lyſonem in fidem, neceſſitudinemque tuam recipias. Cujus dubiâ fortunâ timidiùs tecum agebamus, verentes, ne quid accideret ejuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes. exploratâ verò ejus incolumitate, omnia à te ſtudia, ſummâ curâ peto. quæ ne ſingula enumerem, totam tibi domum commendo, in his adoleſcentem filium ejus, quem C. [4] Memmius Gemellus, cliens meus, cùm in calamitate exilii ſui [5] Patrenſis civis factus eſſet, Patrenſium legibus adoptavit: ut ejus ipſius hereditatis jus cauſamque tueare. Caput illud eſt, ut Lyſonem, quem ego virum optimum, gratiſſimumque cognovi, recipias in neceſſitudinem tuam. quod ſi feceris, non dubito, quin in eo diligendo, cæteriſque poſteà commendando, [8] idem quod ego, ſis judicii, & voluntatis habiturus. quod cùm fieri vehementer ſtudeo, tùm etiam illud vereor, ne, ſi minùs cumulatè videberis feciſſe aliquid ejus causâ, me ille negligenter ſcripſiſſe de ſe putet, non te oblitum mei. quanti enim me faceres, cùm ex ſermonibus quotidianis meis, tùm ex epiſtolis etiam tuis potuit cognoſcere. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *Lyſonis* Romæ *verſantis.* [d] *Cæſaris.* [c] *in Pompeianâ.* [f] *non minuimus.* [8] *idem, quod ego, de eo ſentias, eâdem ſis in eum voluntate.*

NOTÆ.

3. *Timebamus*] Ne quid ipſi, vel ſuis injuriæ fieret.

4. *Memmius*] Credibile eſt hunc eumdem eſſe, ad quem ſuperiores ſcripſit litteras; idem enim ipſi prænomen & uterque Patris exulavit.

5. *Patrenſis civis*] Amiſsâ Romanâ civitate; idem enim duarum urbium civis eſſe non poterat.

EPISTOLA XX.

Commendat Aſclaponem Medicum, ut amicum, ut doctum, ut fidelem. Eodem anno.

Cicero s. d. Sulpicio.

ASCLAPONE Patrenſi, medico, utor valdè familiariter, ejuſque tùm conſuetudo mihi jucunda fuit, tùm etiam ars, quam ſum expertus in

in valetudine [1] meorum: in quâ mihi tùm ipsâ scientiâ, tùm etiam fidelitate, benevolentiâque satisfecit. Hunc igitur tibi commendo: & à te peto, ut des operam ut intelligat, diligenter me scripsisse de se, meamque commendationem usui magno sibi fuisse. erit id mihi vehementer gratum. Vale.

NOTA.

1. *Meorum*] Maximè Tironis, quem, ut dictum est priùs, è Cilicià decedens, ægrum Patris reliquit.

EPISTOLA XXI.

Rem familiarem M. Æmilii, maximèque C. Ammonium, libertum ejus, commendat. Eodem anno.

Cicero S. D. Sulpicio.

MÆMILIUS Avianus ab ineunte adolescentiâ me observavit, semperque dilexit, vir cùm bonus, tùm perhumanus, & [a] 1 in omni genere officii diligendus. quem si arbitrarer esse [2] Sicyone, & nisi audirem, ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cibyræ commorari. nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere. perficeret enim ipse profectò suis moribus, suâque humanitate, ut sine cujusquam commendatione, diligeretur abs te non minùs, quàm & à me, & à cæteris suis familiaribus. sed, cùm illum abesse putem, commendo tibi majorem in modum domum ejus, quæ est Sicyone, remque familiarem, maximè C. Avianum Ammonium, libertum ejus: quem quidem tibi etiam suo nomine commendo. Nam cùm propterea mihi est probatus, quod est in patronum suum officio, & fide singulari, tùm etiam quòd in me ipsum magna officia contulit, mihique [b] molestissimis temporibus ita fideliter, benevoléque præsto fuit, [c] ut si à me manumissus esset. Itaque peto à te, ut eum Ammonium & in patroni ejus negotio sic tueare, ut ejus procuratorem, quem tibi commendo, & ipsum suo nomine diligas, habeasque in numero tuorum. hominem [d] pudentem, & officiosum cognosces, & dignum qui à te diligatur. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *qui cùm omnibus officiis cumulatè satisfaciat, meritò est diligendus.*

[b] *exilii mei tempore.* [c] *quasi libertatem à me accepisset.* [d] *modestum.*

NOTÆ.

1. *In omni genere*] Nihil immutandum puto, licet Manutius aliter sentiat.

2. *Sicyone*] Civitas est Peloponnesi, quæ apud Suidam *Hellas* quoque vocatur: Plutarchus in Demetrii vitâ scribit, incolas ab eo translatos in alium locum, & *Demetriadem* appellatam, hodie *Basilica* dicitur.

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

T. Manlium suo Varronisque nomine commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Sulpicio.

TITUM Manlium, qui negotiatur [1] Thespiis, vehementer diligo. nam & semper me coluit, diligentissimèque observavit, & [2] à studiis nostris non abhorret. Accedit eò, quòd Varro Murena [a] magnoperè ejus causâ vult omnia. Qui ita existimavit, etsi suis literis, quibus mihi Manlium commendabat, valdè confideret, tamen meâ commendatione aliquid accessionis fore. me quidem cùm Manlii familiaritas, tùm Varronis studium commovit, ut ad te quamaccuratissimè scriberem. Gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, [b] quantum cui tribuisti plurimum, id est si T. Manlium quammaximè, quibuscunque rebus honestè, ac pro tuâ dignitate poteris, juveris, atque ornaveris. ex ipsius præterea gratissimis, & humanissimis moribus, confirmo tibi, eum te, quem soles fructum à bonorum virorum officiis expectare, esse capturum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *magnoperè ejus commodis favet.* [b] *quantùm ulli unquam antèa tribuisti.*

NOTÆ.

1. *Thespiis*] Bœotiæ oppidum est sub Helicone monte; unde Musæ *Thespiades* nonnunquam dicuntur.

2. *A studiis*] Vel Eloquentiæ, vel Philosophiæ.

EPISTOLA XXIII.

Lucium Cossinium libertum commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Sulpicio.

LUCIO Cossinio, amico, & [a] tribuli meo, valdè familiariter utor. nam & inter nosmetipsos vetus usus intercedit: & Atticus noster majorem etiam mihi cum Cassinio consuetudinem fecit. Itaque tota Cossinii domus me diligit, in primisque libertus ejus L. Cossinius Anchialus, homo & patrono, & patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut, si meus libertus esset, eo denique apud me loco esset, quo & est apud patronum suum, majore studio commendare non possem. Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis, atque eum, quod sine molestiâ tuâ fiat, si quâ in re opus ei fuerit,

INTERPRETATIO.

[a] *ex tribu meâ.*

Digitized by Google

juveris. Id & mihi vehementer gratum erit, & tibi posteà jucundum. hominem enim summâ probitate, humanitate, observantiâque cognosces. Vale.

EPISTOLA XXIV.

Agit gratias Sulpicio de optimâ ejus in Lysonem voluntate; deinde rogat, ut eumdem omnibus officiis, omnique liberalitate complectatur. Eodem anno.

Cicero s. d. Sulpicio.

CUM anteà capiebam [a] ex officio meo voluptatem, quod memineram, quàm tibi diligenter Lysonem, hospitem, & familiarem meum, commendassem: tùm verò posteà quàm ex literis ejus cognovi, [b] tibi eum falsò [1] suspectum fuisse, vehementissimè lætatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adjumento fuisse, quòd ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. De quo etsi pro tuâ facilitate, & humanitate purgatum se tibi scribit esse: tamen primùm, ut debeo, tibi maximas gratias ago, cùm tantùm literæ meæ potuerunt, ut, iis lectis, omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres: deinde, credas mihi affirmanti, velim, me hoc non pro Lysone magis, quàm pro omnibus, scribere, hominem esse neminem, qui unquam mentionem tui sine tuâ summâ laude fecerit. Lyso verò cum mecum propè quotidie esset, unáque viveret: non solùm quia me libenter audire arbitrabatur, omnia mihi tua & facta, & dicta laudabat. Quapropter, etsi à te ita tractatur, ut jam non desideret commendationem meam, unisque se literis meis omnia consecutum putet: tamen à te peto majorem in modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir esset, ut superioribus literis feceram, nisi eum jam per se ipsum tibi satis esse notum arbitrarer. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ex commendatione mea.* [b] te intellexisse *tibi eum.*

NOTA.

1. *Suspectum fuisse*] De eo, quòd diceretur contra tuam dignitatem Romæ loquutus.

EPISTOLA XXV.

Hagesaretum breviter & accuratè commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Sulpicio.

HAGESARETUS [a] [1] Lariſsæus, magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor & gratus fuit, meque posteà diligentissimè coluit.

INTERPRETATIO.

[a] *ex Lariſsâ oppido.*

NOTA.

1. *Lariſsæ*] Gemina fuit in Thessaliâ; altera Mediterranea ad Peneum fluvium, nunc

Digitized by Google

Eum tibi magnoperè commendo, ut & hospitem, & familiarem meum, & gratum hominem, & virum bonum, & principem civitatis suæ, & tuâ necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

NOTA.

Larsa; altera maritima, nunc sub Turcarum imperio, civitas amplissima, quæ hodie *Armire*.

EPISTOLA XXVI.

Messinii Achaïca negotia commendat. Eodem anno.

Cicero S. D. Sulpicio.

LUCIUS Messinius eâ mecum necessitudine conjunctus est, quòd mihi [1] quæstor fuit: sed [2] hanc causam, quam ego, ut à majoribus accepi, semper gravem duxi, fecit virtute, & humanitate tuâ justiorem. Itaque eo sic utor, ut nec familiarius ullo, nec libentius. is quanquam confidere videbatur, te suâ causâ, quæ honestè posses, libenter te esse facturum: [a] magnum esse tamen speravit apud te meas quoque literas. Id cùm ipse ita judicabat, tùm pro familiari consuetudine sæpè ex me audierat, quàm suavis esset inter nos, & quanta conjunctio. Pero igitur à te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario, & tam familiari, ut ejus negotia, quæ sunt in Achaiâ, ex eo quòd hæres est M. Mindio, fratri suo, [3] qui Elide negotiatus est, explices, & expedias tùm jure, & potestate, quam habes, tùm etiam auctoritate, & consilio tuo. Sic enim præscripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro, &, quod commodo tuo fieri posset, [b] te disceptatore uterentur. Id ut honoris mei causâ suscipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Illud præterea, si non alienum à tuâ dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum, si [c] qui difficiliores erunt, ut rem sine controversiâ confici nolint, si eos, quando cum

INTERPRETATIO.

[a] *speravit tamen meas litteras magnum apud te pondus habituras.*
[b] *sed etiam controversiarum moderatore*
[c] *si aliqui reperiantur pertinaciores, quique nolint rem absque controversiâ transigi, rogo te, ut eos Romam mittas*, quod quidem facere potes, *siquidem res est cum Senatore.*

NOTÆ.

1. *Quæstor fuit*] In Ciliciâ.
2. *Hanc causam*] Nempè quòd meus Quæstor fuerit. Vide epist. 10.
3. *Qui Elide*] Elis Peloponnesi regio & civitas, in quâ Templum erat Jovi Olimpio sacrum, & Cursui certamen in ejusdem Jovis honorem exercebatur.

Digitized by Google

senatore res est, Romam rejeceris. quod quo minore dubitatione facere possis, literas ad te à M. Lepido consule, non quæ te aliquid juberent, (neque enim id tuæ dignitatis esse arbitrabamur) sed quodammodo quasi commendatitias sumpsimus. Scriberem, quàm id beneficium benè apud Messinium positurus esses: nisi & te scire confiderem, & [d] mihi peterem. sic enim velim existimes, non minùs me de illius re laborare, quàm ipsum de suâ. sed cùm illum studeo quamfacillimè [e] ad suum pervenire, tùm illud laboro, ut non minimum hac meâ commendatione se consecutum arbitretur.

INTERPRETATIO.

[d] & nisi pro me hoc beneficium peterem. [e] suum jus assequi.

EPISTOLA XXVII.

Sulpicio gratias agit de Æmilio Aviano liberaliter & honorificè tractato; eumdemque rursùm commendat; sub finem laudat Servium filium. Eodem anno.

Cicero S. D. Sulpicio.

LICET, eodem exemplo sæpiùs tibi hujus generis literas mittam, cùm gratias agam, quòd meas commendationes tam diligenter observes: quod feci in aliis, & faciam, ut video, sæpiùs: sed tamen [a] non parcam operæ, & ut vos [1] in vestris formulis, sic ego in epistolis de eadem re alio modo. C. Avianus igitur Ammonius incredibiles mihi gratias per literas egit & suo, & Æmilii Aviani, patroni sui, nomine, nec liberaliùs, nec honorificentiùs potuisse tractari, nec se præsentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. Id mihi cùm jucundum est eorum causâ, quos ego tibi, summâ necessitudine, & summâ conjunctione adductus, commendaveram, quòd M. Æmilius unus est ex meis familiarissimis, atque intimis maximè necessarius, homo & magnis meis beneficiis devinctus, & propè omnium, qui mihi aliquid debere videntur, gratissimus: tùm multò jucundius te esse in me tali voluntate, ut plus prosis amicis meis, quàm ego præsens fortasse prodessem: credo, quòd magis ego dubitarem, quid illorum causâ facerem, quàm tu, quid meâ. sed hoc non dubito quin existimes mihi esse gratum: illud te rogo, ut illos quoque gratos homines esse putes, quod ita esse tibi promitto, atque confirmo. Quare velim, quidquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, ut [b] [2] te obtinente Achaiam conficiant. Ego cum tuo

INTERPRETATIO.

[a] amicos tibi commendare non desinam. [b] te gubernante.

NOTÆ.

1. *In vestris formulis*] Jurisconsultus erat Sulpicius.

2. *Te obtinente Achaiam*] Non Achaiæ modò, sed & universæ Græciæ Sulpicius

Servio jucundiſſimè, conjunctiſſiméque vivo, magnamque cùm ex ingenio ejus, ſingularique ſtudio, tùm ex virtute, & probitate voluptatem capio. Vale.

NOTÆ.

præerat; ſed quia Græciæ principatum Achæi tenebant, cùm Romani gentem hanc ſubegerunt; inde factum, ut qui mittebatur in Græciam cum imperio, non Græciæ, ſed Achaiæ Prætor, Proconſul dicerétur.

EPISTOLA XXVIII.

Sulpicio gratias agit, quòd Meſſinium humaniſſimè tractaſſet; rogatque ut ſua in eum beneficia augeat; commendat etiam Lacedæmonios. Eodem anno.

Cicero s. d. Sulpicio.

[a] ETSI libenter petere à te ſoleo, ſi quid opus eſt meorum cuipiam: tamen multò libentiùs gratias tibi ago, cùm feciſti aliquid commendatione meâ: quod ſemper facis. incredibile eſt enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter à me tibi commendati. quæ mihi omnia grata, ſed de L. Meſſinio gratiſſimum. Sic enim eſt mecum locutus, te, ut meas literas legeris, ſtatim procuratoribus pollicitum eſſe omnia, multò verò plura, & majora feciſſe. Id igitur (puto enim etiam atque etiam mihi dicendum eſſe) velim exiſtimes, mihi te feciſſe gratiſſimum. quod quidem hoc vehementius lætor, quod ex ipſo Meſſinio te video magnam capturum voluptatem. eſt enim in eo cùm virtus, & probitas, & ſummum officium, ſummaque obſervantia, tùm [1] ſtudia illa noſtra, [b] quibus anteà [2] delectabamur, [3] nunc etiam vivimus. Quod reliquum eſt, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quæ te erunt dignæ. ſed duo, quæ te nominatim rogo: primùm, [c] [4] ut, ſi quid ſatiſdandum erit, ampliùs eo nomine non peti, cures ut ſatiſdetur fide meâ; deinde, cùm ferè conſiſtat hæreditas in iis rebus, [d] quas avertit [5] Oppia, quæ uxor Mindii fuit, adjuves, in-

INTERPRETATIO.

[a] *etſi libenter opem tuam implorare ſoleo, quoties meorum aliquis eâ indiget.*
[b] *qua nobis anteà delectationem, nunc etiam ſalutem afferunt.*
[c] *quòd ſi promittendum eſt, cautione etiam adhibitâ, Meſſinium nihil deinceps pro eo debito, ſeu pro eâ hæreditate petiturum, curet hoc promiſſio fiat meo nomine*: faites qu'on me prenne pour caution.
[d] *è domo mariti ſui ſuſtulit.*

NOTÆ.

1. *Studia*] Philoſophiæ & Eloquentiæ.
2. *Delectabamur*] Ante oppreſſam Rempublicam.
3. *Nunc etiam*] Oppreſſâ libertate.
4. *Ut ſi quid ſatisdandum*] Satisdare, eſt promittere per vadem, ſeu fidem ſuam pignori dare, *engager ſa parole, ſervir de caution.* ſatisdatio, *caution.*
5. *Oppia*] Mindii uxor, cui cum Meſſinio lis erat.

Digitized by Google

easque rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. [c] quod si putarit illa fore, ut opinio nostra est, negotium conficiemus. hoc ut assequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. Illud, quod suprà scripsi, id tibi confirmo, in meque recipio, te ea, quæ fecisti Messinii causâ, quæque feceris, ita benè collocaturum, ut ipse judices, homini te gratissimo, jucundissimo benignè fecisse. volo enim ad id, quod meâ causâ fecisti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipsi suâ, majorumque suorum auctoritate satis commendati sint fidei, & justitiæ tuæ: & ego, qui te optimè novissem, non dubitavi, quin tibi notissima & [6] jura, & [7] merita populorum essent. Itaque, cùm à me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi civitatem commendarem, etsi memineram me ei civitati omnia debere: tamen respondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere. Itaque sic velim existimes, me omnes Achaiæ civitates arbitrari pro horum temporum [8] perturbatione felices, quòd tu iis præsis: eundemque me ita judicare, te, quòd unus optimè nosses non nostra solùm, sed etiam Græciæ [f] monumenta omnia, tuâ sponte amicum Lacedæmoniis & esse, & fore. Quare tantum à te peto, ut, cùm ea facies Lacedæmoniorum causâ, quæ tua fides, amplitudo, justitia postulat: his, si tibi videbitur, significes, [g] te non molestè ferre, quòd intelligas, ea, quæ facias, mihi quoque grata esse. [h] pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curæ mihi suas res esse. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *si enim suspicetur veniendum sibi Romam esse, restituet illa statim quæ abstulit.*
[f] *veteres historias.*
[g] *tibi non injucundum esse.*
[h] cùm enim plurima illis debeam, *meâ interest, ut existiment, &c.*

NOTÆ.

6. *Jura*] Quæ tueri, non imminuere debet qui provincias regit.
7. *Merita*] In populum Romanum.
8. *Perturbatione*] Quam induxit dissensio civilis.

EPISTOLA XXIX.

Accuratissima est commendatio Capitonis pro hereditate Antistii. Eodem anno.

Cicero S. D. [1] L. Planco.

NON dubito quin scias, in iis necessariis qui tibi à patre relicti sunt, me tibi esse vel conjunctissimum, [a] non iis modò causis, quæ speciem

INTERPRETATIO.

[a] *non ob eas modò causas, quæ speciosam conjunctionem videntur efficere; sed ob eam in primis, quæ ex familiaritate & consuetudine oritur.*

NOTÆ.

1. *L. Planco*] Is est, ad quem scriptæ sunt libri decimi tertiæ, post Cæsaris mortem. Consule indicem historicum.

Digitized by Google

habent magnæ conjunctionis, sed iis etiam, quæ familiaritate & consuetudine tenentur, quam scis mihi jucundissimam cum patre tuo, & summam fuisse. Ab his initiis noster in te amor profectus, auxit paternam necessitudinem, & eò magis, quòd intellexi, [b] ut primùm per ætatem judicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me à te in primis cœptum esse observari, coli, diligi. Accedebat non mediocre vinculum cùm studiosum, quod ipsum est per se grave, tùm eorum studiorum, earumque [a] artium, quæ per se ipsæ eos, qui voluntate eâdem sunt, etiam familiaritate devinciunt. Expectare te arbitror, [c] hæc tam longè repetita principia quò spectent. id primùm ergo habeto, non sine magnâ, justâque causâ hanc à me commemorationem esse factam. C. Ateio Capitone utor familiarissimè. [d] Notæ tibi sunt varietates meorum temporum. in omni genere & honorum, & laborum meorum & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit, & paruit & temporibus, & fortunæ meæ. Hujus propinquus fuit T. Antistius, qui cùm [3] sorte quæstor Macedoniam obtineret, neque ei successum esset: [4] Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit. [f] facere Antistius nihil potuit. nam si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quàm ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverti, præsertim cùm sciret, quanti is Cæsarem faceret, semperque fecisset: sed [5] oppressus, [g] tantum attigit negotii, quantum recusare non potuit. [6] Cùm signaretur argentum [7] Apolloniæ, non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare eum [8] affuisse, sed non plus duobus, aut tribus mensibus. deinde abfuit [h] à castris: fugit omne negotium. hoc mihi, ut testi, velim credas. meam enim ille mœstitiam in illo bello videbat: mecum omnia communicabat. Itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quò potuit longissimè à castris, non modò ut non præesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. is [i] post prælium se ad hominem necessarium A. Plancium in Bithyniam contulit. Ibi eum Cæsar cùm vidisset, nihil asperè, nihil acerbè dixit, Romam jussit venire. Ille in morbum continuò

INTERPRETATIO.

[b] *statim atque per ætatem judicare potuisti, quanti quemque facere deberes.*
[c] *quem ad finem tendat tam longè repetitus sermo.*
[d] *scis quomodo fuerim in exilium pulsus.*
[e] *neque quilibet in statu collocatum juvit.*
[f] *abire è provinciâ non potuit Antistius.*
[g] *tantùm Pompeio favit.*
[h] *à castris* Pompeii.
[i] *post prælium* Pharsalicum.

NOTÆ.

2. *Artium*] Fortè Rhetorices, in quâ Plancus versatissimus erat.

3. *Sorte*] Mos erat, ut Quæstores sorte quoque provincias obtinerent.

4. *Pompeius*] Ex Italiâ pulsus à Cæsare, primo belli civilis anno.

5. *Oppressus*] Inopinato Pompeii adventu.

6. *Cùm signaretur*] Nomine, & jussu Pompeii.

7. *Apolloniæ*] Multiplex hujus nominis civitas; de quâ hîc agitur, hanc in Epiro fuisse credibile est.

8. *Affuisse*] Quod Cæsarem Antistio iratum fecit.

9. *Ex*

Digitized by Google

incidit : ex quo non convaluit. Æger Corcyram venit. ibi est mortuus. testamento, quod Romæ Paulo, & Marcello coss. fecerat, heres [k] 9 ex parte dimidiâ, & tertiâ est Capito, [l] in sextante sunt ii, quorum pars sine ullâ cujusquam querelâ [10] publica potest esse. ea est [11] ad H-SXXX. sed de hoc [n] Cæsar viderit. Te, mi Plance, pro paternâ necessitudine, pro nostro amore, pro studiis, & omni cursu nostro totius vitæ simillimo rogo, & à te ita peto, ut majore curâ, majore studio non possim, ut hanc rem suscipias, meam putes, enitare, contendas, efficias, ut meâ commendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia, quæ potui in hac summâ [13] gratiâ tuâ, ac potentiâ à te impetrare, si petiviſſem, ultro te ad me detuliſſe putabo, si hanc rem impetravero. [m] Illud fore tibi adjumento spero, [14] cujus ipse Cæsar esse optimus judex potest : semper Cæsarem Capito & dilexit, & coluit. sed ipse hujus rei testis est. novi [15] hominis memoriam. Itaque te nihil doceo : [n] tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. [o] ego, quod in me ipso experiri potui, ad te deferam : in eo [16] quantum sit ponderis, tu videbis. quam partem in republicâ, causamque defenderim, per quos homines, ordinesque [p] steterim, [17] quibusque munitus fuerim, non ignoras. hoc

INTERPRETATIO.

[k] *decem partes hæreditatis suæ reliquit Capitoni.*

[l] *duæ reliquæ, sine cujusquam querelâ, possunt* à Cæsare *fisco addici.*

[m] *spero fore ut eò facilius rem hanc impetres, quòd ipse Cæsar perspectum habet, se à Capitone observari, & diligi.*

[n] *tantùm commenda Capitonem Cæsari, quantùm intelliges, Cæsarem meminisse de Capitonis in ipsum amore & observantiâ.*

[o] *quod in me ipso sum expertus* de Capitonis in Cæsarem *amore, conferam ad arbitrium tuum, ut tu ipse judices quanti id sit faciendum.*

[p] *dignitatem meam conservaverim, & à quibus fuerim defensus.*

NOTÆ.

9. *Ex parte dimidiâ, & tertiâ*] Subauditur, *assis*. Hæredum Antistii præcipuus fuit Capito, ut qui scriptus sit ex dimidiâ parte, & tertiâ, id est ex semisse & triente, seu ex dextante, relicto aliis hæredibus sextante. dextans continet decem uncias, sextans autem duas, assis duodecim : tota autem hæreditas, & quælibet res integra, assis nomine vocatur : decem itaque hæreditatis totius partes Capito abstulerat.

10. *Publica*] Iis enim relicta erat, qui Pompeio apertè semperque adhæserant, cùm longissimè ab armis Capito semper abfuisset.

11. *Ad H-S XXX.*] Trecenta librarum Gallicarum millia.

12. *Cæsar viderit*] Quid de illâ summâ, seu sextante statuendum sit, dandus-ne Antistii hæredibus, qui Pompeio faverant; an fisco addicendus?

13. *Gratiâ tuâ*] Apud Cæsarem, quem constanter sequutus erat.

14. *Cujus*] In neutro genere, usitatè parùm refer ad *illud*.

15. *Hominis memoriam*] Qui eorum non obliviscatur, à quibus in honore habitus est.

16. *Quanti sit id ponderis*] Capitonis enim potissimùm consilio adductus, leviter admodum civilem discordiam attigi, & post Pharsalicam cladem à bello prorsùs abstinui.

17. *Quibusque*] Manutii sententiæ libens adhæreo, qui putat legendum, *quibusque inimicus fuerim*, ut in eo quod dicit, per quos ordines, hominesque steterim,

mihi velim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate, [q] quòd intellexerim scire ipsum Cæsarem, me invitissimum feciſſe: id feci aliorum consilio, hortatu, auctoritate. [r] Quòd fuerim moderatior, temperatiorque, quàm in eâ parte quisquam, id me feciſſe maximè auctoritate Capitonis. cujus similes si reliquos necessarios habuissem, [18] reipublicæ fortasse nonnihil, mihi certè plurimùm profuissem. Hanc rem, mi Plance, si effeceris, meam de tuâ erga me benevolentiâ spem confirmaveris: ipsumque Capitonem, gratissimum, officiosissimum, optimum virum, ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adjunxeris. Vale.

§

INTERPRETATIO.

[q] *quod etiam feci invitus, ut ipse Cæsar intellexit.*

[r] *quòd minùs offenderim Cæsarem, quàm quisquam aliter Pompeianus, id feci maximè consilio Capitonis.*

NOTÆ.

intelligantur Pompeiani; Cæsariani verò in hoc, *quibusque inimicus fuerim*: Sed hæc Lectoris arbitrio committimus.

18. *Reipub.*] Quia si medius Pompeium inter & Cæsarem stetisset Cicero, neque discessisset ex Italiâ, de pace agere, atque adeò Reipublicæ prodesse potuisset.

EPISTOLA XXX.

Titum Manlium in hæreditate fraternâ, & omnibus in rebus commendat. Eodem anno.

Cicero S. D. [1] Acilio procos.

LUCIUS Manlius [2] est Sosis. [a] is fuit [3] Catinensis: sed est unà cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus; [4] decurioque Neapoli erat.

INTERPRETATIO.

[a] *Catana natus est.*

NOTÆ.

1. *Acilio*] Qui Siciliam regebat Proconsulari imperio, etsi nunquam antea Consul. Vide epist. 1. libri primi.

2. *Est Sosis*] Sive Susis, quæ Asiæ civitas: melius autem, ut opinor, Manutius, qui nomen ipsissimum fuisse hominis qui commendatur, existimat; nomen ait Siculum, cùm duo priora sint Romana: id enim moris erat, ut qui peregrini civitate donabantur, eorum assumerent nomina & prænomina, quorum maximè operâ id beneficii consecuti erant.

3. *Catinensis*] Sed Catinensis esse desiit: ex quo in Neapolitanum municipium ascriptus est: idem enim duarum urbium civis esse non poterat: Catina, seu Catana, oppidum Siciliæ locuples, honestum, copiosum. Strabo scribit ab Hierone, cùm ejus incolas ejecisset, *Ætnam* appellatum fuisse; hodie tamen dicitur adhuc *Catana*: haud procul mons Ætna situs est, nocturnis incendiis famosus, nunc *Mongibello*.

4. *Decurioque*] Is erat in municipiis Decurio, qui Romæ Senator.

Digitized by Google

enim adscriptus in id municipium ante civitatem sociis, & Latinis 5 datam. ejus frater Catinæ nuper mortuus est. nullam omninò arbitramur de eâ hæreditate controversiam eum habiturum: & [b] est hodie in bonis: sed, quando habet præterea negotia vetera in Siciliâ suâ, & hanc hæreditatem fraternam, & omnia ejus tibi commendo, in primisque ipsum, virum optimum, mihique familiarissimum, iis studiis literarum, doctrinæque præditum, quibus ego maximè delector. Peto igitur abs te, ut eum, sive aderit, sive non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximéque necessariis scias esse: itáque tractes, ut intelligat meam commendationem sibi magno adjumento fuisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *& est hodie in possessione hujus hæreditatis.*

NOTÆ.

5. *Datam*] Lege Juliâ.

EPISTOLA XXXI.

Flavium, Pisoni genero suo, dum viveret, amicissimum commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Acilio procos.

CAIO Flavio, [a] honesto, & ornato equite Rom. utor valdè familiariter. fuit enim generi mei [1] C Pisonis perneccessarius, meque diligentissimè observat & ipse, & L. Flavius frater ejus. Quapropter velim, honoris mei causâ, quibus rebus honestè, & pro tuâ dignitate poteris, quamhonorificentissimè, & quamliberalissimè C. Flavium tractes. id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. Sed præterea tibi affirmo, neque id [b] [2] ambitione adductus facio, sed tum familiaritate, & necessitudine, tum etiam veritate, te ex C Flavii officio, & observantiâ, & præterea [c] splendore, atque inter suos gratiâ magnam voluptatem esse capturum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *& generis splendore, & virtutibus inclyto.*

[b] *vitiosâ laudis cupiditate.*

[c] *gloriâ.*

NOTÆ.

1. C. *Pisonis*] Pisonis frugi ex gente Calpurnia; is primus Ciceronis gener, secundus Crassipes, tertius Dolabella.

2. *Ambitione*] Nimiâ scilicet adductus cupiditate impetrandi quæ velim; vel inani gloriæ desiderio, ut ostendam scilicet me plurimùm apud te posse.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXII.

Commendat duos hospites suos Alesinos.

Cicero S. D. Acilio procos.

IN [1] Alesinâ civitate, [a] tam lautâ, quàm nobili, conjunctissimos habeo & hospitio, & familiaritate [2] M. & C. Clodios, Archagathum, & Philonem. sed vereor, ne, quia complures tibi præcipuè commendo, [b] exæquare [3] videar ambitione quadam commendationes meas: quanquam à te quidem cumulatè satisfit & mihi, & meis omnibus. sed velim sic existimes, hanc familiam, & hos mihi maximè esse conjunctos [c] vetustate, officiis, benevolentiâ. Quamobrem peto à te majorem in modum, ut his omnibus in rebus, quantùm tua dignitas, fidesque patietur, commodes. id si feceris, erit mihi vehementissimè gratum. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *qua tam elegans est, quàm nobilis.* [b] *ex æquo tibi omnes commendare.* [c] *vetustâ necessitudine.*

NOTÆ.

1. *In Alesinâ*] Alesa, quæ & Alæsa, & Halesa scribitur, Siciliæ litorale oppidum, cujus hodie non nisi vestigia quædam supersunt.

2. *Marcum & Clodium*] Adverte, hos è Siciliâ oriundos fuisse, sed civitate Romanâ donatos; quare prænomina & cognomina Romana susceperunt, vetere nomine retento, more libertorum. Vide epistolam trigesimam.

3. *Videar ambitione*] Consule superiorem epistolam.

EPISTOLA XXXIII.

Nasonis libertos, & negotia commendat. Eodem anno.

Cicero S. D. Acilio procos.

CN. Otacilio Nasone utor familiarissimè, ita prorsus, ut [a] [1] illius ordinis nullo familiarius. nam & humanitate ejus, & probitate in consuetudine quotidianâ magnoperè delector. nihil jam opus est expectare, qui-

INTERPRETATIO.

[a] *hujusce conditionis.*

NOTA.

1. *Illius ordinis*] De quo loquatur ordine, haud constat; simile verò est, non Senatorium, aut Equestrem ordinem, sed conditionem tantùm, genusque vivendi, quod Naso sequebatur, significari.

Digitized by Google

bus eum verbis tibi commendem, [b] quo sic utar, ut scripsi. habet is [c] in provinciâ tua negotia, quæ procurant liberti Hilarius, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negotiaque omnia Nasonis non secus commendo, ac si mea essent. gratissimum mihi feceris, si intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *quo, ut tibi scripsi, utor tam familiariter.* [c] *in Siciliâ.*

EPISTOLA XXXIV.

Commendat Lysonem hospitem suum. Eodem anno.

Cicero S. D. Acilio Procos.

[a] AVITUM mihi hospitium est cum Lysone, Lysonis filio, [b] Lilybætano, valdéque ab eo observor, cognovique dignum & patre, & avo: est enim nobilissima familia. Quapropter commendo tibi majorem in modum rem, [c] domumque ejus: magnoque opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commendationem maximo sibi apud te & adjumento, & ornamento fuisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *vetustum.* [b] *Lilybæi nato.* [c] *ejusque domesticos.*

NOTA.

1. *Lilybætano*] A Lilybæo urbe Siciliæ, ubi est promontorium ejusdem nominis.

EPISTOLA XXXV.

Commendat hospitem, & familiarem suum Philoxenum. Eodem anno.

Cicero S. D. Acilio procos.

CAIUS Avianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & præter hospitium, valdè etiam familiaris: [a] quem Cæsar, meo beneficio, in [b] Novocomenses retulit. [a] Nomen autem Aviani consecutus est, quòd

INTERPRETATIO.

[a] *cui Cæsar, rogatu meo, idem contulit beneficium, quod cæteris, quos Novum Comum deduxit.*

NOTÆ.

1. *Novocomenses*] Novocomum ad Alpium radices juxta Rhœtos, haud procul à Pado, ad lacum Larium, hodie *Lac de Come*. Novocomenses autem dicti sunt ii, quos Cæsar in primo suo Consulatu Comum deductos, civitatis jure donavit. Fuerunt quinque millia, in iis quingenti Græci, iidemque illustrissimi, quos inter Philoxenus: relicto autem civitatis antiquo nomine, *Novum Comum* appellaverunt.

2. *Nomen autem Aviani*] Vide epistolam trigesimam secundam.

homine nullo plus est usus, quàm Flacco Aviano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo. quæ ego omnia collegi, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod sine molestiâ tuâ facere possis, ei [b] commodes, habeasque in numero tuorum, perficiasque, ut intelligat has literas meas magno sibi usui fuisse. erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *inservias.*

EPISTOLA XXXVI.

Acilium rogat, ut jus civitatis à Cæsare Demetrio concessum, ei conservet. Eodem anno.

Cicero s. d. Acilio procos.

CUM Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei [1] Dolabella rogatu meo [a] civitatem à Cæsare impetravit: quâ in re ego interfui. itaque nunc [2] P. Cornelius vocatur. cúmque, propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris [3] beneficia vendebant, [4] tabulam, in quâ nomina civitate donatorum incisa essent, [5] evelli jussisset, eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, [b] nihil esse, quod de Mega vereretur, beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in civium Romanorum numero haberes, cæterisque in rebus tibi eum ita commendo, ut majore studio neminem commendarim. Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat meam commendationem magno sibi ornamento fuisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *jus civitatis.* [b] *velle se, ut Mega civitatis jure semper frueretur.*

NOTÆ.

1. *Dolabella*] Tertius Ciceronis gener, qui Tulliam post prælium Pharsalicum repudiavit.

2. *P. Cornelius*] Prænomen & nomen Dolabellæ, cujus operâ jus civitatis erat adeptus. Vide epist. 30. & 31.

3. *Beneficia*] Jus civitatis à Cæsare concessum.

4. *Tabulam*] In edito loco de more affixam.

5. *Revelli*] Refigi, tolli, ut omni deinceps auctoritate careret.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVII.

Acilium precatur, ut curet Hippiæ sua bona restitui. Eodem anno.

Cicero s. d. Acilio procos.

HIPPIAM, Philoxeni filium, [1] Calactinum, hospitem, & necessarium meum, tibi commendo majorem in modum. ejus bona, quemadmodum ad me delata res est, [a] publicè possidentur alieno nomine, [2] contra leges Calactinorum. id si ita est, etiam sine meâ commendatione ab æquitate tuâ res impetrare debet, ut ei subvenias. quoquo modo autem se res habet, peto à te, ut honoris mei causâ eum expedias, tantúmque [b] ei commodes & in hac re, & in cæteris, quantum tua fides, dignitasque patietur: id mihi vehementer gratum erit. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ab injusto possessore publicè tenentur.* [b] *ei inservias.*

NOTÆ.

1. *Calactinum*] Calacta Siciliæ civitas, suprà Alæsam.

2. *Contra leges*] Quæ sit illa lex, divinare arduum; hanc fortè Calactini tulerant, quâ vetitum erat, ne bona possiderentur publicè, nisi publico nomine, seu publicâ authoritate. Hippiæ autem bona privati cujuspiam nomine, absque jure ullo, publicè possidebantur.

EPISTOLA XXXVIII.

Bruttii negotia, Procuratoresque commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Acilio procos.

LUCIUS Bruttius, eques Romanus, adolescens [a] omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, meque observat diligentissimè: cujus cum patre magna mihi fuit amicitia jam inde [1] à quæsturâ meâ Siciliensi. omninò nunc ipse Bruttius Romæ mecum est: sed tamen domum ejus, & rem familiarem, & procuratores tibi sic commendo, ut majore studio com-

INTERPRETATIO.

[a] *omni ex parte perfectus.*

NOTA.

1. *A Quæsturâ meâ Siciliensi*] Hanc gessit Tullius anno urbis conditæ sexcentesimo septuagesimo octavo, Coss. Octavio & Cottâ, sub Sexto Peduccio Siciliæ Prætore, ut author est Pedianus in Argumento Divinationis: ipse tamen in Oratione post reditum in senatu, ait, se Quæstorem fuisse Patri M. Curii; quare videtur Peduccius adoptasse hunc M. Curium, adeò ut eâ ratione pater hujus fuerit.

mendare non possim. gratissimum mihi feceris, si curaris, ut intelligat, id [b] quod ei recepi, hanc meam commendationem sibi magno adjumento fuisse.

INTERPRETATIO.

[b] *quemadmodum ei promisi.*

EPISTOLA XXXIX.

Commendat Titurnium Rufum.

Cicero s. D. Acilio procos.

CUM familiâ Titurniâ necessitudo mihi intercedit vetus: ex quâ [a] reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentiâ, atque officio est tuendus. [b] est igitur in tuâ potestate, ut ille in me satis sibi præsidii putet esse. Quapropter eum tibi commendo majorem in modum: & abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat sibi magno adjumento fuisse. erit id mihi vehementer gratum.

INTERPRETATIO.

[a] *superstes unus vivit.* [b] *efficere igitur potes, ut intelligat se posse à me defendi.*

EPISTOLA XL.

Lucceium & Caium Aurelios fratres commendat. Pompeio & Crasso secundum, vel Domitio & Appio Coss. anno urbis conditæ 698. vel 699.

Cicero s. D. Q. [1] Anchario, Q. F. procos.

LUCIUM & Caium Aurelios L. F. quibus & ipsis, & patre eorum, viro optimo, familiarissimè utor, commendo tibi majorem in modum, adolescentes omnibus optimis artibus ornatos, meos pernecessarios, tuâ amicitiâ dignissimos. Si ulla mea apud te commendatio valuit, [a] [2] quòd scio multas plurimum valuisse, hæc ut valeat, rogo. Quòd si eos honorificè, liberaliterque tractaris: & tibi gratissimos, optimosque adolescentes adjunxeris, & mihi gratissimum feceris. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *scio autem.*

NOTÆ.

1. *Anchario Proconsuli*] Proconsulari imperio provinciam administranti, etsi Consul antè non fuerat. Vide epistolam primam libri primi.

2. *Quòd scio*] Loquendi genus elegans.

EPISTOLA

EPISTOLA XLI.

Gratias agit & suo, & Pompeii nomine, de Lucceio honorificè tractato; & eumdem vicissìm commendat. Incertus annus.

Cicero s. d. L. [1] Culleolo.

QUÆ feciſti L. Lucceii causâ, ſcire te planè volo, te homini gratiſſimo [a] commodaſſe. & cùm ipſi, quæ feciſti, pergrata ſunt: tum Pompeius quotieſcunque me videt, (videt autem ſæpiſſimè) gratias tibi agit ſingulares. addo etiam illud, quod tibi jucundiſſimum eſſe certò ſcio, me ipſum, ex tuâ erga Lucceium benignitate, maximâ voluptate affici. Quod ſupereſt, quanquam mihi non eſt dubium, quin cùm anteà noſtrâ causâ, nunc jam etiam tuæ conſtantiæ gratiâ manſurus ſis in eadem iſtâ liberalitate: tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quæ initio [2] oſtendiſti, deindeque feciſti, etiam ad exitum augeri, & cumulari per te velis. id & Lucceio, & Pompeio valdè gratum fore, [b] teque apud eos præclarè poſiturum, confirmo, & ſpondeo. De republicâ, deque his negotiis, cogitationibuſque noſtris perſcripſeram ad te diligenter paucis antè diebus, eaſque literas dederam pueris tuis. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *feciſſe.* [b] *tumque beneficium præclarè apud illos collocatum iri.*

NOTÆ.

1. *Culleolo*] Illyrici Proconſul fuiſſe videtur; nam Bylliones, quos in epiſtolâ ſequenti nominat, Illyrici populos eſſe conſtat.

2. *Oſtendiſti*] Te facturum in gratiam Lucceii.

EPISTOLA XLII.

Eumdem Lucceium commendat. Eodem anno.

Cicero s. s. d. L. Culleolo procoſ.

LUCIUS Lucceius, meus familiariſſimus, [a] homo omnium gratiſſimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cùm diceret, omnia te cumulatiſſimè, & liberaliſſimè procuratoribus ſuis pollicitum eſſe. cùm oratio tua tam ei grata fuerit, quàm gratam rem ipſam exiſtimas fore, cùm, ut ſpero, quæ pollicitus es, feceris? Omninò oſtenderunt [1] Bylliones, ſeſe

INTERPRETATIO.

[a] le plus reconnoiſſant des hommes.

NOTA.

1. *Bylliones*] Seu Bulliones, à Bullide, ſeu Byllide Illyrici civitate, quam nonnulli tamen in Macedoniæ finibus, juxta mare Adriaticum collocant.

Lucceio Pompeii arbitratu [b] satisfacturos: sed vehementer opus est nobis, & voluntatem, & auctoritatem, & imperium tuum accedere. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. illudque mihi gratissimum est, quod ita sciunt Lucceii procuratores, & ita Lucceius ipse ex literis tuis, quas ad eum misisti, intellexit, hominis nullius apud te auctoritatem, aut gratiam valere plus, quàm meam. id ut re experiatur, iterum, & sæpiùs te rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *pecuniam soluturos.*

EPISTOLA XLIII.

Oppium Gallio commendat. Incertus annus.

Cicero S. D. [1] Q. Gallio.

ETSI plurimis rebus spero fore, ut perspiciam, quod tamen jam pridem perspicio, me à te amari: tamen nunc [a] ea causa tibi datur, in quâ facilè declarare possis, tuam erga me benevolentiam. L. Oppius M. F. [2] Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. eum tibi unicè commendo, eóque magis, quòd cùm ipsum diligo, tùm quòd negotia procurat L. Egnatii Rufi, quo ego uno equite Romano familiarissimè utor, & qui cùm consuetudine quotidianâ, tùm officiis plurimis, maximisque mihi conjunctus est. Oppium igitur præsentem ut diligas, Egnatii absentis rem ut tueare, æquè à te peto, ac si mea negotia essent. velim, [3] memoriæ tuæ causâ, des literarum aliquid, quæ tibi in provinciâ reddantur: sed ita conscribas, [b] ut tùm, cùm eas leges, facilè recordari possis hujus meæ commendationis diligentiam. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ea occasio.* [b] *ut eorum memineris, quæ tibi commendantur.*

NOTÆ.

1. *Quinto Gallio*] Cujusnam administrationem provinciæ haberet haud compertum est: existimat Manutius, legatum Philippi, Asiæ Proconsulis extitisse.

2. *Philomeli*] Vide epistolam octavam libri tertii.

3. *Velim memoriæ tuæ causâ*] Inde colligitur hanc à Cicerone scriptam epistolam, priùs in provinciam, quàm Gallius proficiscereturr.

EPISTOLA XLIV.

Eumdem Oppium eidem commendat.

Cicero S. D. Gallio.

ETSI ex tuis & L. Oppii familiarissimi mei, literis cognovi, te memorem commendationis meæ fuisse, idque pro tuâ summâ erga me benevolentiâ, proque nostrâ necessitudine minimè sum admiratus: tamen etiam

Digitized by Google

atque etiam tibi L. Oppium præsentem, & L. Egnatii, mei familiarissimi absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasque, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter mihi gratissimum feceris, si curaris, ut intelligat me à te tantum amari, quantum ipse existimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idque ut facias, vehementer te rogo. Vale.

EPISTOLA XLV.

Egnatii, & servum Anchialum, & negotia commendat.

Cicero s. d. [1] Appuleio Proquæst.

LUCIO Egnatio uno equite Romano vel familiarissimè utor. ejus Anchialum servum, negotiaque, quæ habet in Asiâ, tibi commendo non minore studio, quàm si rem meam commendarem. Sic enim existimes velim, mihi eum eo non modo quotidianam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna, & mutua nostra inter nos esse. Quamobrem etiam atque etiam à te peto, ut cures, ut is intelligat, me ad te satis diligenter scripsisse. nam de tuâ erga me voluntate non dubitabat. id ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

NOTA.

1. *Appuleio Proquæstori*] Philippi, ut opinor, Asiæ Proconsulis: nam utrique Egnatium Cicero commendat.

EPISTOLA XLVI.

Nostium coheredem suum commendat.

Cicero s. d. Appuleio proquæs.

LUCIUS Nostius Zoilus est coheres meus, heres autem patroni sui. [a] eâ re [1] utrumque scripsi, ut & mihi cum illo causam amicitiæ scires esse, & hominem probum existimares, [b] qui patroni judicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostrâ domo. valdè mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat hanc commendationem sibi apud te magno adjumento fuisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *propterea.* [b] *quem patronus suus judicarit hæredem ex parte faciendum.*

NOTA.

1. *Utrumque*] Et patroni hæredem esse, meumque cohæredem.

Digitized by Google

EPISTOLA XLVII.

Egnatium communem amicum commendat.

Cicero s. d. Silio.

QUID ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? sed tamen, ut scires [1] eum non à me diligi solùm, verùm etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. Omnium tuorum officiorum, quæ & multa, & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat & se à me, & me à te amari. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. [a] Illa nostra scilicet [2] ceciderunt. utamur igitur vulgari [3] consolatione. quid si hoc melius? sed hæc coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari à me scias. Vale.

INTERPRETATIO.

a *abierunt illa tempora, quibus* in republicâ authoritate florebamus.

NOTÆ.

1. *Eum non à me diligi*] Tale quid in ep. 14. libri 9. *Tantum accessit ad amorem, ut mihi nunc denique amare videar, antea delexisse.*

2. *Ceciderunt*] Priora nempe tempora, cùm & honoribus, & authoritate in republicâ florebamus.

3. *Consolatione*] Quâ vulgus utitur, cujus illa est in adversis sententia: *quid si hoc melius?* quasi dicat: *utinam melior esset temporum conditio, sed quandoquidem diis aliter visum est, patienter feramus.*

EPISTOLA XLVIII.

Omnes Cyprios, maximèque Paphios commendat.

Cicero s. d. C. Sextilio Rufo Quæst.

OMNES tibi commendo [1] Cyprios, sed magis [2] Paphios: quibus tu quæcunque commodaris, erunt mihi gratissima. eóque facio libentiùs, ut eos tibi commendem, quòd & tuæ laudi, cujus ego fautor sum, conducere arbitror, [3] cùm primus in eam insulam quæstor veneris, [a] ea te instituere, quæ sequantur alii. quæ, ut spero, faciliùs consequere, si & P.

INTERPRETATIO.

a *ea te facere, quæ cæteri, &c.*

NOTÆ.

1. *Cyprios*] Cyprus, nobilissima Pamphylii maris, inter Ciliciam & Syriam insula, ob miram terræ fertilitatem *Macaria* quoque dicta, novem aliquandò regnorum sedes: huic vel à Cypro Cynetæ Regis filiâ, vel ab ubertate Cypri arboris nomen impositum. *Cypro.*

2. *Paphios*] Paphos, Cypri oppidū, Veneri quondam sacrum. Virg. lib. 1. Æn. v. 419. *Ipsa Paphum sublimis adit, sedesq; revisit Læta suas, &c.*

3. *Cùm primus*] Postquam à Catone

4 Lentuli, necessarii tui, legem, & ea, quæ 5 à me constituta sunt, sequi volueris. quam rem tibi confido magnæ laudi fore. Vale.

NOTÆ.

in provinciæ formam lege Clodiâ reducta est, Pisone & Gabinio Consulibus. Legunt alii, *cùm primùm*, ne Rufus primus Quæstor in Cyprum missus videatur, cùm non pauci jam Proconsules eam provinciam priùs administrassent.

4. *Et Lentuli*] Qui Ciliciam obtinuit, cujus provinciæ pars erat Cyprus.

5. *Quæ à me*] Dum Ciliciæ præeram.

EPISTOLA XLIX.

Commendat Q. Pompeium.

Cicero s. d. 1 Curio procos.

QUINTUS Pompeius Sex. F. multis, & veteribus causis necessitudinis mihi conjunctus est. is cùm anteà meis commendationibus & rem, & gratiam, & auctoritatem suam tueri consueverit, nunc profectò, te provinciam obtinente, meis literis assequi debet, ut nemini se intelligat commendatiorem unquam fuisse. Quamobrem à te majorem in modum peto, ut, cùm omnes meos æquè ac tuos observare pro nostrâ necessitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi majori usui, aut ornamento, quàm meam commendationem, esse potuisse. Vale.

NOTÆ.

1. *Curio*] Videtur is esse Curius, ad quem scripta epistola vigesima nona libri 7.

EPISTOLA L.

Petit ut M. Curium ab omni incommodo, detrimento, molestiâ integrum conservet. Cæsare quintùm, & Antonio Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Cicero s. d. 1 Aristo procos.

SUMPSI hoc mihi pro tuâ in me observantiâ, quam penitùs perspexi, quàm diù 2 Brundusii fuimus, ut ad te familiariter, & quasi pro meo jure scriberem, si qua res esset, de quâ valdè laborarem. M. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse conjunctius. multa

NOTÆ.

1. *Aristo Proconsuli*] In quibusdam codicibus legitur, *Avito*, in aliis, *Aristio*. Quidquid sit (in re enim tam levis momenti laborare nihil opus) facilè crediderim, hunc ipsum esse Cæcilium Aristum, qui Sulpicio in Achaiæ administratione successit.

2. *Brundusii*] Post cladem Pharsalicam. aliquandiù Brundusii Cicero restitit, Cæsaris ex Ægypto reditum expectans.

Digitized by Google

illius in me officia, multa in illum mea, quódque maximum est, summus inter nos amor, & mutuus. Quæ cùm ita sint: si ullam in amicitiâ meâ spem habes, si ea, quæ in me officia, & studia Brundusii contulisti, vis mihi etiam gratiora efficere, quanquam sunt gratissima, si me à tuis omnibus amari vides, hoc mihi da, atque largire, ut M. Curium [a] sartum & tectum, ab omnique incommodo, detrimento, molestiâ sincerum, integrumque conserves. Et ipse spondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex meâ amicitiâ, & ex tuo in me officio maximum te fructum, summamque voluptatem esse capturum. Vale.

INTERPRETATIO.

a *salvum & incolumem.*

NOTÆ.

3. *Sartum & tectum*] Translatio ex ædibus sumpta, quas ita locabant Censores, ut integras postèà, & ab omni detrimento sinceras exigerent.

EPISTOLA LI.

P. Messienum commendat.

Cicero S. D. P. Cæsio.

PUBLIUM Messienum, equitem Romanum, [a] omnibus rebus ornatum, meumque perfamiliarem, tibi commendo eâ commendatione, quæ potest esse diligentissima. Peto à te & pro nostrâ, & pro paternâ amicitiâ, ut eum in tuam fidem recipias, ejusque rem, famamque tueare. virum bonum, tuâque amicitiâ dignum tibi adjunxeris, mihique gratissimum feceris.

INTERPRETATIO.

a *omni ex parte perfectum.*

EPISTOLA LII.

Hospitem suum Aristotelem commendat. Post bellum Africanum, sed incertus est annus.

Cicero S. D. [1] Regi.

AULUS Licinius Aristoteles, [2] Melitensis, antiquissimus est hospes meus, & præterea conjunctus magno usu familiaritatis. hæc cùm ita

NOTÆ.

1. *Regi*] Alii Dejotarum Regem hîc volunt intelligi, qui Pompeio contra Cæsarem adhæserat: nonnulli, quod vero propius, aliquem fuisse gentis Martiæ, cujus cognomen fuit *Rex*.

2. *Melitensis*] Melita insula in mari Siculo, ubi Templum erat Junonis peranti-quum, nunc *Malthe*, equitibus hujusce nominis inclyta.

Digitized by Google

sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit. Etenim ex multis cognosco, meam commendationem plurimùm apud te valere. [a] Hunc ego à Cæsare liberavi. [b] frequens enim fuerat nobiscum: [c] atque etiam diutiùs in causâ est, [3] quàm nos, commoratus. [4] quò melius te de eo existimaturum arbitror. fac igitur, mi Rex, ut intelligat has sibi literas plurimùm profuisse. Vale.

INTERPRETATIO.

a *huic à Cæsare veniam impetravi.* b *Pompeianas enim nobiscum partes erat secutus.* c *atque etiam diutiùs, quàm nos, pro Pompeio dimicavit.*

NOTÆ.

3. *Quàm nos*] Quòd profligato ad Pharsalum Pompeio, ab exercitu Cicero discesserit.

4. *Quò melius*] Hinc pronum est conjicere, Pompeio quoque faviſſe Regem.

EPISTOLA LIII.

Genucilium Curvum in omnibus, sed maximè in Hellespontiis negotiis commendat. Anno urbis conditæ septingentesimo secundo, aut sequenti.

Cicero s. d. [1] Q. Thermo propræt.

LUCIO Genucilio Curvo jampridem familiarissimè utor, optimo viro, & homine gratissimo. eum tibi penitus commendo, atque trado: primùm ut omnibus in rebus [a] [2] ei te commodes, quoad fides tua, dignitasque patietur: patietur autem in omnibus. [3] nihil enim abs te unquam, quod sit alienum tuis, aut etiam suis moribus, postulabit. præcipuè autem tibi commendo negotia ejus, quæ sunt in [4] Hellesponto: primùm, ut obtineat id juris in agris, quod ei [5] Pariana civitas decrevit, & dedit, & quod semper obtinuit sine ullâ controversiâ: deinde, si quid habebit cum aliquo Hellespontio controversiæ, ut [b] in illam *διοίκησιν* [6] rejicias. Sed non mihi vi-

INTERPRETATIO.

a *ei inservias.* b *in Hellespontiacam dioecesim.*

NOTÆ.

1. *Q. Thermo*] Asiæ Proprætori. Vide indicem historicum.

2. *Ei te commodes*] Alibi sic loquitur Cicero, ut illud *te* non apponat; quare suspicor hîc esse delendum.

3. *Nihil enim abs te*] Sic Horatius, epist. duodecimâ libri 1.

Utere Pompeio Grospho, & si quid petet, ultrò
Defer, nil Grosphus nisi verum, erubit, & æquum.

4. *Hellesponto*] Regio est Propontidi vicina, ab Hellesponto sic appellata, freto scilicet angustissimo, quod Ægæum mare Propontidi committit, Asiamque dividit ab Europâ: hodie *le détroit de Gallipoli, ou les Dardanelles.*

5. *Pariana*] Parion Hellespontiacæ civitas.

6. *Rejicias*] Non Ephesum, Primariam eorum, qui Asiam administrabant civitatem, ne suo incommodo Ephesum se conferre cogeretur Curvus.

Digitized by Google

deor, cùm tibi totum hominem diligentissimè commendarim, [c] singulas ad te ejus causas perscribere debere. Summa illa sit. quidquid officii, beneficii, honoris in Genucilium contuleris, id te existimabo in me ipsum, atque in rem meam contulisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *singula ejus negotia.*

EPISTOLA LIV.

Primùm Thermo gratias agit de Marcilio liberalissimè tractato; deinde petit, ut operam det, ne socrus Marcilii rea fiat. Æmilio Paulo, & Claudio Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

Cicero s. d. Thermo propræt.

CUM mihi multa grata sunt, quæ tu, adductus meâ commendatione, feciſti, tùm in primis, quòd M. Marcilium amici, atque [1] interpretis mei filium, liberalissimè tractavisti. venit enim [2] Laodiceam, & tibi apud me, mihique propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquum est, à te peto, quando apud gratos homines beneficium ponis, ut eò libentiùs his [a] commodes, operamque des, quoad fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. ego cùm anteà studiosè commendabam Marcilium, tùm multò nunc studiosiùs, quòd [b] [3] in longâ apparitione singularem & propè incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiamque cognovi. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *his inservias.* [b] *quòd in diuturno obsequio.*

NOTÆ.

1. *Interpretis*] Fortè Cilicum in linguâ, nisi malis intelligi hominem quo, rebus in agendis, interprete, & conciliatore Cicero utebatur.

2. *Laodiceam*] Caput erat unius Asiaticæ jurisdictionis, & in Ciceronis imperio, ubi forum egit, cùm in Ciliciam Proconsul abiret.

3. *In longâ apparitione*] In munere interpretis, quod multis mensibus obierat: apparitores vulgò dicebantur, qui præbant Magistratibus; & apparitio, munus ipsum. Inter Apparitores recenset Manutius Scribas, Interpretes, Accensos, Lictores, & cæteros ejusmodi: quamquam hîc per apparitionem existimem solummodò significari cujusvis officii exhibitionem, ac præsentiam ad obsequendum, adeò ut Marcilium laudet, quòd sibi, variis in rebus, non mediocri fuerit adjumento.

EPISTOLA

EPISTOLA LV.

Rogat ut Anneium legatum ſuum adjuvet in controverſiâ, quam cum Sardianis habebat. Eodem anno.

Cicero s. d. Thermo propræt.

ETsi mihi videor intellexiſſe, cùm tecum Epheſi de re M. Anneii, [1] legati mei, locutus ſum, te ipſius causâ vehementer omnia velle: tamen & M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem prætermittendum, quod illius interſit: & me à te tanti fieri puto, ut non dubitem, [a] quin ad tuam voluntatem magnus cumulus accedat commendationis meæ. nam cùm jam diù diligerem M. Anneium, [b] deque eo ſic exiſtimarem, ut res declarat, quòd ultro ei detulerim legationem, cùm multis petentibus denegaſſem: tùm verò, poſteà quàm mecum [2] in bello, atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum [3] Sardianis habere controverſiam ſcis. cauſam tibi expoſuimus Epheſi: quam tu tamen coram faciliùs, meliúſque cognoſces. de reliquo mihi mehercule diù dubium fuit, quid ad te potiſſimùm ſcriberem. [c] Jus enim quemadmodum dicas clarum, & magnâ cum tuâ laude notum eſt: nobis autem in hac causâ nihil aliud opus eſt, niſi te jus [d] inſtituto tuo dicere. Sed tamen, cùm me non fugiat, quanta ſit in prætore auctoritas, præſertim iſtâ integritate, gravitate, clementiâ, quâ te eſſe inter omnes conſtat: peto abs te pro noſtrâ conjunctiſſimâ neceſſitudine, plurimiſque officiis paribus, ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, ſtudio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te & ſibi amicum eſſe, quod non dubitat: ſæpè enim mecum locutus [e] eſt: & multò amiciorem his meis literis eſſe factum. in tuo toto imperio, atque provinciâ nihil eſt, quod mihi gratius facere poſsis. [f] Jam, apud ipſum, gratiſsimum hominem, atque optimum virum, quàm benè poſiturus ſis ſtudium tuum, atque officium, dubitare te non exiſtimo. Vale.

Interpretatio.

[a] *quin tua erga illum voluntas meâ commendatione multùm creſcat.*

[b] *eumque plurimi facerem, ut res ipſa declarat, ſiquidem ei ultro detuli, &c.*

[c] *ſciunt enim omnes, quantâ cum integritate jus reddas, idque tibi glorioſum in primis.* [d] *more tuo.* [e] de tuâ in ipſum voluntate.

[f] *cæterùm hoc tibi beneficio devinxeris virum optimum, & gratiſsimum.*

Notæ.

1. *Legati*] Unius, ex quatuor quos habuit in Ciliciâ Cicero.

2. *In bello*] Quod contra prædones neſcio quos ad montem Amanum geſſit: in re admodum levi magnificè nimis de ſe prædicat.

3. *Sardianis*] Sardis & Sardes Lydiæ quondam nobiliſſima civitas, & Crœſi regia, ad Tmolum montem ſita, Pactolo fluvio irrigata.

Digitized by Google

EPISTOLA LVI.

Cluvii Puteolani negotia commendat. Sulpicio, & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo secundo, vel sequenti.

Cicero S. D. Thermo propræt.

CLUVIUS [1] Puteolanus valdè me observat, valdéque est mihi familiaris. [a] Is ita sibi persuadet, quod in tuâ provinciâ negotii habet, nisi, te provinciam obtinente, meis commendationibus confecerit, id se in perditis, & desperatis habiturum. Nunc, quando mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officiis, ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. [2] Mylasii, & Alabandenses pecuniam Cluvio debent dixerat mihi Euthydemus, cùm Ephesi essem, se curaturum, [3] ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. id factum non est. legatos audio missos esse: sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. Quæro peto à te, ut eos, & Alabandenses jubeas ecdicos Romam mittere. Præterea Philotes Alabandensis [b] ὑποθήκας Cluvio dedit: [c] [4] hæ commissæ sunt. velim cures, [d] ut aut de hypothecis [5] decedat, easque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam solvat. Præterea [6] Heracleotæ, & Bargyletæ, qui item debent, aut pecuniam solvant, [e] aut fructibus suis satisfaciant. [7] Caunii præterea debent, [8] sed aiunt se depositam pecuniam habuisse. id velim cognoscas: &,

INTERPRETATIO.

[a] *de negotiis, quæ in provinciâ tuâ habet, sibi desperandum esse, nisi ea, te Proconsule, neque commendante, perficiat.*

[b] *oppigneratas possessiones.*

[c] *ad Cluvium jure devenerant.*

[d] *ut suis pignoribus cedat.*

[e] *aut tradant* Cluvio *fructus*, quos ex agris colligunt.

NOTÆ.

1. *Puteolanus*] Puteoli, maritima Campaniæ civitas, quæ à justissimâ Reipublicæ administratione *Dicæarchia* dicta est; unde & Colonos prolem Dicæarcheam Silius appellat.

2. *Mylasii*] Mylasia, & Alabanda, duo sunt oppida Cariæ in Asiâ minori.

3. *Ecdici*] Ii dicuntur ab Jurisconsultis, civitatis defensores, qui in municipiis Tribunorum instar plebem ab optimatum injuriis tuebantur; Ecdicorum quoque fuit munus eos persequi judicio, qui Reipublicæ pecuniam debebant. verbo: Quæstorum genus erat, qui Rationem nummariam curabant.

4. *Hæ commissæ sunt*] Præteritâ solutionis die, hæc jam pignora Cluvio commissa erant; id est, ea pro jure suo Cluvius retinere poterat

5. *Decedat*] Quia nihil jam ad eum pertinent, elapsâ solutionis die, de quâ inter utrumque convenit.

6. *Heracleotæ, & Bargyletæ*] Cariæ populi: multiplex autem fuit Heraclea; Bargylum, seu Bargylium, à Bellerophonte conditam, Stephanus scribit.

7. *Caunii*] Caunus, Cariæ pariter oppidum, infirmâ incolarum valetudine infame, inquit Pomponius Mela.

8. *Sed aiunt*] Sed aiunt hanc pecuniam apud se depositam fuisse. *Ils disent que ce n'est pas une dette, mais un depost, dont ils ne sont pas obligez de payer les interests.*

Digitized by Google

si intellexeris eos neque [9] ex edicto, neque ex decreto depositam habuisse, des operam, [f] ut usuræ Cluvio, [g] instituto tuo, conserventur. His de rebus eò magis laboro, quòd agitur res [10] Cn. Pompeii etiam, nostri necessarii, & quòd is magis etiam mihi laborare videtur, quàm ipse Cluvius: cui satisfactum esse à nobis, valdè volo. His de rebus te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] ayez soin que Cluvius ne perde point les interests de sa somme. [g] *more tuo*.

NOTÆ.

9. *Ex edicto*] Edictum ad Prætorem, ad Senatum verò decretum pertinet.

10. *Cnei Pompeii*] Pompeium Magnum significat.

EPISTOLA LVII.

Petit à Thermo, ut Anneium legatum suum remittat, eumdemque rursùs commendat in negotio Sardiano. Æmilio Paulo, & C. Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

Cicero s. d. Thermo propræt.

QUò magis quotidie ex literis, nuntiisque [1] bellum magnum esse in Syriâ, cognosco, eò vehementiùs à te pro nostrâ necessitudine contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. nam ejus operâ, consilio, scientiâ rei militaris vel maximè intelligo me, & rempublicam adjuvari posse. Quòd [a] nisi tanta res ejus ageretur: nec ipse adduci potuisset, ut à me discederet: neque ego, ut eum à me dimitterem. ego [2] in Ciliciam proficisci cogito circiter Kalend. Maias. ante eam diem Anneius ad me redeat, oportet. Illud, quod tecum & coram, & per literas diligentissimè egi, id & nunc etiam atque etiam rogo, curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ veritate, & pro suâ dignitate conficiat. Intellexi ex tuâ oratione, cùm tecum Ephesi locutus sum, te ipsius Anneii causâ omnia velle: sed tamen sic velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quàm si intellexero, per te illum ipsum negotium ex sententiâ confecisse. idque quamprimum ut efficias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *nisi gravissimum in provinciâ tuâ negotium habuisset.*

NOTÆ.

1. *Bellum magnum*] Quod à Parthis timebat sibi Tullius.

2. *In Ciliciam*] Tùm versabatur Laodiceæ, ubi, ut antea dictum est, forum agebat, seu jus reddebat.

Digitized by Google

EPISTOLA LVIII.

Commendat L. Cuſtidium. Eodem anno, aut ſuperiore.

Cicero s. d. C. Titio L. F. Ruſo præt. urb.

LUCIUS Cuſtidius eſt [a] tribulis, & [1] municeps, & familiaris meus. is cauſam habet, quam cauſam ad te deferet. commendo tibi hominem, ſicuti tua fides, & meus pudor poſtulat, tantùm, ut faciles ad te aditus habeat, quæ æqua poſtulabit, ut [b] lubente te impetret, ſentiatque, meam ſibi amicitiam, etiam [2] cùm longiſſimè abſim, prodeſſe in primis apud te. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *ejuſdem mecum tribûs, & municipii.* [b] *te volente.*

NOTÆ.

1. *Municeps*] Quia Arpini natus, ubi & natus erat Cicero.

2. *Cùm longiſſimè abſim*] In Ciliciâ, unde ſequentem quoque epiſtolam ſcripſit.

EPISTOLA LIX.

Commendat M. Fabium. Eodem anno.

Cicero s. d. C. Curtio [1] Pæduceano præt.

MARCUM Fabium unicè diligo: ſummaque mihi cum eo conſuetudo, & familiaritas eſt pervetus. In ejus controverſiis quid decernas, à te non peto, (ſervabis, ut tua fides, & dignitas poſtulat, [a] edictum & inſtitutum tuum) ſed ut quamfacillimos ad te aditus habeat, quæ erunt æqua, jubente te impetret: ut meam amicitiam ſibi, etiam [2] cùm procul abſim, prodeſſe ſentiat, præſertim apud te. hoc vehementer etiam atque etiam te rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *& legem, & conſuetudinem tuam.*

NOTÆ.

1. *Pæduceano*] Ex Pæducea gente in Curtiam adoptato.

2. *Cùm procul abſim*] In Ciliciâ.

EPISTOLA LX.

Commendat Livineium libertum. Incertus annus.

Cicero s. d. C. Munatio C. F.

LUCIUS [1] Livineius Trypho eſt omnino L. Reguli, familiariſſimi mei, libertus, cujus [2] calamitas etiam officioſiorem me facit in illum: nam

NOTÆ.

1. *Livineius*] Prænomen, nomenque ſuum patroni libertis dabant, cognomen nunquam. Livineiæ autem gentis cognomen fuit *Regulus*.

2. *Calamitas*] In exilium fortè abierat.

Digitized by Google

benevolentior, quàm semper fui, esse non possum : sed ego libertum ejus per se ipsum diligo. summa enim ejus erga me officia exstiterunt : iis nostris temporibus, quibus facillimè [a] bonam benevolentiam hominum, & fidem perspicere potui. Eum tibi ita commendo, ut homines grati, & memores benè meritos de se commendare debent. pergratum mihi feceris, si [b] ille intellexerit, se, quòd pro salute meâ multa pericula adierit, sæpè hieme summâ navigarit, pro tuâ erga me benevolentiâ gratum etiam tibi feciſſe. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *fueram.* [b] *si intellexerit, pericula, quæ pro salute meâ adiit, tibi etiam grata esse.*

NOTÆ.

3. *Iis nostris temporibus*] Cùm exularet. Sic ad Atticum, lib. III. epist. 17. *Livineius*, inquit, *M. Reguli libertus ad me à Regulo missus venit.*

EPISTOLA LXI.

Silium rogat, ut pecuniæ, quam Nicæenses Pinnio debebant, solutionem urgeat. Ciceronе Ciliciæ Proconsule.

Cicero S. D. [1] Silio prætori.

TITO Pinnio familiarissimè me usum esse, scire te arbitror. quod quidem ille testamento declaravit, qui me tùm tutorem, tùm etiam secundum hæredem instituerit. ejus filio, mirè studioso, & erudito, & modesto, pecuniam [2] Nicæenses grandem debent, [3] ad H-s octogies : &, ut audio, in primis volunt ei solvere. Pergratum igitur mihi feceris, quando non modò reliqui tutores, qui sciunt quanti me facias, sed etiam puer ipse sibi persuaserit, te omnia mea causa facturum esse, si dederis operam, quoad tua fides, dignitasque patietur, ut quamprimum pecunia Pinnio solvatur Nicæensium nomine. Vale.

NOTÆ.

1. *Silio Prætori*] In Bithyniâ : eodem verò tempore Cicero Ciliciam, Bithyniam Silius, Thermus Asiam, & Syriam Bibulus regebant

2. *Nicæenses*] A Nicæâ Bithyniæ oppido, ubi Constantino imperante, habita est celebris illa contra Arii dogmata Synodus.

3. *Ad H S. octogies*] Octingenta librarum Gallicarum millia.

Digitized by Google

EPISTOLA LXII.

Primùm de Atilio conservato gratias agit; deinde Quintum fratrem commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Silio propræt.

1. ET [a] in Atilii negotio te amavi: [b] cùm enim serò veniſſem, tamen honeſtum equitem Romanum beneficio tuo conſervavi: & mehercule ſemper ſic in animo habui, [c] te [2] in meo ære eſſe [3] propter Lamiæ noſtri conjunctionem, & ſingularem neceſſitudinem. Itaque primùm tibi ago gratias, quòd me omni [4] moleſtiâ liberas: [d] deinde [5] impudentiâ proſequor: [e] ſed idem ſarciam. te enim ſemper ſic colam, & tuebor, ut quem diligentiſſimè. Quintum, fratrem meum, ſi me diligis, [f] eo numero cura ut habeas, quo me. ità magnum [6] beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *gratum feciſti mihi, quòd Atilii negotium tranſegeris.*
[b] *quamvis enim tardiùs in Ciliciam veni.* [c] *te meum eſſe.*
[d] *pergo tibi alios importunè commendare.*
[e] *ſed par tibi referam.*
[f] *tanti facias, quanti me facis.*

NOTÆ.

1. *Et in Atilii*] Quem Silius, Ciceronis adductus commendatione, conſervarat.

2. *In meo ære*] Metaphoram mutuatur à pecuniâ, quæ dicitur in noſtro ære eſſe, cùm noſtra eſt.

3. *Propter Lamiæ*] Vide epiſt. 16. libri undecimi, & 29. libri 12.

4. *Moleſtiâ liberas*] Servato Atilio.

5. *Impudentiâ*] Impudens enim videtur eſſe, qui cùm multa jam obtinuerit, alia tamen ab eodem officia importunus efflagitat.

6. *Beneficium tuum*] Quòd, me rogante, Atilii negotium confeceris.

EPISTOLA LXIII.

M. Lenium accuratiùs commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Silio propræt.

NON putavi fieri poſſe, ut mihi verba deeſſent, ſed tamen in [a] M. Lenio commendando deſunt. Itaque rem tibi exponam paucis verbis, ſed tamen ut planè perſpicere poſſis voluntatem meam. Incredibile eſt, quanti faciamus & ego, & frater meus, qui mihi cariſſimus eſt, M. Lenium. [a] id fit cùm plurimis ejus officiis, tùm ſummâ probitate, & ſingulari mo-

INTERPRETATIO:

[a] *eum autem tanti facimus, tùm ob plurima ejus officia, tùm propter, &c.*

NOTA.

1. *In M. Lenio*] Brundufino, cujus multa in Tullium, & maxima officia extitere. Vide epiſt. 4. libri 14.

Digitized by Google

deſtiâ. Eum ego à me invitiſſimus [2] dimiſi, tùm propter familiaritatem, & conſuetudinis ſuavitatem, tùm quòd conſilio ejus fideli, ac bono libenter utebar. Sed vereor, ne jam mihi ſupereſſe verba putes, quæ dixeram defutura. Commendo tibi hominem, ſicut intelligis me, [b] de quo ea ſupràſcripſerim, debere commendare: à teque vehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tuâ provinciâ negotii, expedias: quod tibi videbitur rectum eſſe, ipſi dicas. hominem facillimum, liberaliſſimumque cognoſces. Itaque te rogo, ut eum, [c] ſolutum, liberum, confectis ejus negotiis per te, quamprimum ad me remittas. id mihi, fratrique meo gratiſſimum feceris. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *ad quem commendandum, ſuprà ſcripſeram*, verba mihi deeſſe. [c] *expeditum.*

NOTA.

2. *Dimiſi*] è Cilicià.

EPISTOLA LXIV.

Agit gratias de Nerone honorificè tractato; eumdemque in omnibus rebus ſtudiosè commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Silio propræt.

[1] NERO [2] meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorſus incredibiles, ut nullum honorem ſibi haberi potuiſſe diceret, qui à te prætermiſſus eſſet. magnum fructum ex ipſo capies. nihil eſt enim illo adoleſcente gratius. ſed mehercule mihi quoque gratiſſimum feciſti. pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Itaque ſi ea feceris, [a] quæ ille per me tecum agi voluit, gratiſſimum mihi feceris. Primùm, [b] de Pauſaniâ Alabandenſi, ſuſtentes rem, dum Nero veniat. [c] vehementer enim ejus causâ cupere eum intellexi: itaque hoc valdè te rogo. Deinde [3] Niſæos, quos Nero in primis habet neceſſarios, diligentiſſiméque tuetur, ac defendit, habeas tibi commendatiſſimos: ut intelligat illa civitas, ſibi in Neronis patrocinio ſummum eſſe præſidium. Strabonem Servilium tibi ſæpè commendavi: nunc eò facio id impenſiùs, quòd ejus cauſam Nero ſuſcepit. tantùm à te peti-

INTERPRETATIO.

[a] *quæ voluit à me tibi commendari.*
[b] *Pauſaniæ Alabandenſis controverſiam in adventum Neronis differas.*
[c] *intellexi enim Neronem vehementer Pauſaniæ ſtudere.*

NOTÆ.

1. *Nero meus*] Tiberium Claudium Neronem hîc ſignificat, cujus uxorem Liviam Druſillam poſteà Auguſtus prægnantem abduxit.

2. *Meus*] Pronomen, benevolentiæ ſingularis indicium.

3. *Niſæos*] Multiplex Nyſa fuit; hæc

mus, ut agas eam rem, [d] nec relinquas hominem innocentem ad alicujus tui dissimilis quæstum. id tum gratum mihi erit: tum etiam existimabo te humanitate tuâ esse usum. Summa hujus epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronem, sicut [c] instituisti, atque fecisti. [f] magnum theatrum habet [4] ista provincia, [5] non ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingenioſi, abstinentis, commendationem, atque gloriam. Quare si te fautore usus erit, sicut & utetur profectò, & usus est, [g] amplissimas [6] clientelas, acceptas à majoribus, confirmare poterit, & beneficiis suis obligare. [h] hoc in genere si eum adjuveris eo studio, quo ostendisti, [i] apud ipsum præclarissimè posueris, sed mihi etiam gratissimum feceris. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *& noli relinquere Servilium successori tuo, qui fortè tui dissimilis erit, & lucri, quàm justitiæ amantior.*

[c] *incepisti.*

[f] *possunt enim in tuâ provinciâ, velut in magno theatro, cognosci, & commendari virtutes Neronis, nobilitas, ingenium, &c.*

[g] *maximam clientum multitudinem.*

[h] *in iis rebus.*

[i] *beneficium illud apud Neronem collocatum, summo tibi splendori erit, mihique gratissimum.*

NOTÆ.

4. *Ista provincia*] Asiæ, quam Silius administrabat.

5. *Non ut hæc nostra*] Ciliciæ: perinde ac si dicat Silii provinciam celebrandis Neronis laudibus aptiorem esse, quam Ciliciam.

6. *Clientelas*] Ob familiæ nobilitatem, & opes, multi in Neronum clientelam & fidem se tradiderant.

de quâ sermo est, Myliadis est in Lyciâ civitas.

EPISTOLA LXV.

Cupit pactiones per Hisponem cum civitatibus confici, in eoque illum Silio commendat. Eodem anno.

Cicero S. D. Silio propræt.

CUM P. Terentio Hispone, [a] [1] qui operas [2] in scripturâ pro magistro dat, mihi summa familiaritas, consuetudoque est: multaque, & ma-

INTERPRETATIO.

[a] *qui societatis publicanorum negotia velut magister curat.*

NOTÆ.

1. *Qui operas*] His verbis indicat Hisponem Publicanos inter, primum extitisse: sic enim explicari locus debet: fungitur munere magistri in vectigalibus colligendis.

2. *In scripturâ*] Per scripturam, intelligo totam rationem, societatemque publicanorum, quæ hoc nomine declarari solet.

3. Ut

gna inter nos officia paria, & mutua intercedunt. [b] Ejus summa existimatio agitur in eo, ut [1] pactiones cum civitatibus reliquis conficiat. non me præterit, nos eam rem Ephesi expertos esse, neque ab Ephesiis ullo modo impetrare potuisse. Sed quando, quemadmodum omnes existimant, & ego intelligo, tuâ cùm summâ integritate, tùm singulari humanitate, & mansuetudine consecutus es, ut, libentissimis Græcis, [c] nutu, quod velis, consequare: peto à te majorem in modum, ut, honoris mei causâ, [d] hac laude Hisponem affici velis. Præterea [e] cum sociis scripturæ mihi summa necessitudo est, non solùm ob eam causam, quòd ea societas universa in meâ fide est, sed etiam, quòd plerisque sociis utor familiarissimè. Ita & Hisponem meum per me ornaris, & societatem mihi conjunctiorem feceris: tuque ipse, & ex ejus observantiâ, gratissimi hominis, & ex sociorum gratiâ, hominum amplissimorum, maximum fructum capies, & me summo beneficio affeceris. sic enim velim existimes, ex totâ tuâ provinciâ, omnique isto imperio nihil esse, quod mihi gratius facere possis. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *ejus fama in eo maximè agitur, ut pactam cum civitatibus reliquis pecuniam, obtineat.* [c] *facillimè.* [d] *debitam pecuniam Hispo impetret.* [e] *cum publicanis.*

NOTÆ.

3. *Ut pactiones*] Publicanos inter, & civitates convenerat de certâ pecuniâ Romanis, vectigalis nomine, solvendâ. In eo autem vertebatur Hisponis existimatio, ut pactiones illas conficeret, debitamque pecuniam extra vim omnem impetraret.

EPISTOLA LXVI.

Servilium rogat, ut A. Cæcinam in colligendis pecuniis reliquiis adjuvet. Cæsare tertium, & Lepido Coss. anno urbis conditæ 707.

Cicero S. D. P. Servilio [1] Isaurico procos.

[a] AULUM Cæcinam, maximè proprium clientem familiæ vestræ, non commendarem tibi, cùm scirem quâ fide in tuos, quâ clementiâ in calamitosos soleres esse, nisi me & patris ejus, quo sum familiarissimè usus, memoria, [a] & hujus fortuna ita moveret, ut hominis omnibus mecum stu-

INTERPRETATIO.

[a] *& filii calamitas tantum me moveret, quantum movere debet calamitas hominis, &c.*

NOTÆ.

1. *Isaurico*] Cognomen illud à Patre, qui Isauros vicerat, mutuatus est. Vide indicem historicum.

2. *Aulum Cæcinam*] Exulantem, quia Pompeium erat secutus, Cæsaremque præterea scripto offenderat. Vide epist. 7. libri sexti.

diis, officiisque conjunctissimi movere debeat. A te hoc omni contentione peto, sic, ut majore curâ, majore animi labore petere non possim, ut ad ea, quæ tuâ sponte sine cujusquam commendatione faceres [b] in hominem tantum, & talem, calamitosum, aliquem afferant cumulum meæ literæ, quo studiosius eum, quibuscunque rebus possis, juves. quòd si Romæ fuisses, etiam salutem A. Cæcinæ essemus, ut opinio mea fert, per te consecuti. de quâ tamen magnam spem habemus, freti clementiâ [4] collegæ tui. Nunc, quando, [c] justitiam tuam secutus, tutissimum sibi portum [5] provinciam istam esse duxit: etiam atque etiam te rogo, atque oro, ut eum & [d] [6] in reliquiis veteris negotiationis colligendis juves, & cæteris rebus tegas, atque tueare. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *erga hominem tantum, & tam calamitosum.*
[c] *adductus justitia tua famâ.*
[d] *in colligendis pecuniis reliquis.*

NOTÆ.

3. *Si Romæ fuisses*] Tùm Asiam administrabat, cùm de reditu Cæcinæ in urbem actum est, nihilque confectum, repugnante Cæsare.

4. *Collega*] Cæsaris, cujus fuerat in secundo Consulatu collega.

5. *Provinciam*] Asiam, cujus Proconsul Servilius: licet enim Asia, provincia esset Prætoria, qui tamen huic præerant, Proconsules aliquando dicebantur.

6. *In reliquiis*] Quæ Cæcinæ debebantur ex negotiatione, quam in Asiâ quondam exercuerat. Vide epistolam octavam libri sexti.

EPISTOLA LXVII.

Commendat Andronem, Arthemonis filium, Laodicensem. Eodem anno.

Cicero S. D. Servilio.

EX provinciâ meâ Cilicienſi, cui scis [a] τρεῖς διοικήσεις [1] Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiariùs usus, quàm Androne, Arthemonis filio Laodicensi: eumque habui in eâ civitate, tum hospitem, tùm vehementer ad meæ vitæ rationem, & consuetudinem accommodatum. quem quidem multò etiam pluris, posteà quàm decessi, facere cœpi, quòd multis rebus expertus sum gratum hominem, meique memorem: itaque eum Romæ libentissimè vidi. non te enim fugit, qui plurimis in istâ provinciâ benignè feceris, [b] [2] quàm multi grati reperiantur. Hæc propterea scripsi, ut me non

INTERPRETATIO.

[a] *tres jurisdictiones* [b] *quàm pauci.*

NOTÆ.

1. *Asiaticas*] Cibyraticam, Synnadensem, & Apamensem, quare pars Asiæ ad Ciceronis imperium pertinebat.

2. *Quàm*] Dictum ironicè.

Digitized by Google

sine causâ laborare intelligeres, & ut tu ipse eum dignum hospitio tuo judicares. Feceris igitur mihi gratissimum, si ei declararis quanti me facias, id est, si receperis eum in fidem tuam, &, quibuscunque rebus honestè, ac sine molestiâ tuâ poteris, adjuveris. hoc mihi erit vehementer gratum. idque ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

EPISTOLA LXVIII.

Significat, quàm sibi gratum fuerit cursum illius navigationis cognoscere; petit, ut de statu provinciæ suæ scribat; addit, curaturum se diligenter omnia quæ ad ejus dignitatem pertinere arbitrabitur. Eodem anno.

Cicero S. D. Servilio Isaurico, procos. [1] collegæ.

GRATÆ mihi vehementer tuæ literæ fuerunt, ex quibus cognovi cursus navigationum tuarum. significabas enim [a] memoriam tuam nostræ necessitudinis, quâ mihi nihil poterat esse jucundius. Quod reliquum est, multò etiam erit gratius, si ad me de republicâ, id est de statu provinciæ, de institutis tuis familiariter scribes. quæ quanquam ex multis [b] pro tuâ claritate audiam, tamen libentissimè ex tuis literis cognoscam. Ego ad te, de reipublicæ summâ quid sentiam, non sæpè scribam [2] propter periculum ejusmodi rerum: quid agatur autem, scribam sæpiùs. sperare tamen videor, [3] Cæsari, collegæ nostro, fore curæ, & esse, ut habeamus aliquam rempublicam, cujus consiliis, magni referebat, te interesse: sed, si tibi utilius est, id est glorioſius, Asiæ præesse, & istam partem reipublicæ malè affectam tueri, mihi quoque idem, quod tibi, & laudi tuæ profuturum est, optatius debet esse. Ego, quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio, diligentiâque curabo: in primisque tuebor omni observantiâ clarissimum virum [4] patrem tuum: quod & pro vetustate necessitudinis, & pro beneficiis vestris, & pro dignitate ipsius facere debeo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *te nostræ amicitiæ meminisse.* [b] *pro nominis tui splendore.*

NOTÆ.

1. *Collegæ*] In Auguratu.
2. *Propter periculum*] Ne scilicet in Cæsaris manus tuæ literæ deveniant.
3. *Cæsari collegæ nostro*] In Auguratu. Potuit enim Cæsar & Pontifex maximus, & Augur fuisse, cùm idem Fabio Maximo contigerit.
4. *Patrem tuum*] Qui devictis Isauris, Isaurici nomen erat adeptus.

Digitized by Google

EPISTOLA LXIX.

Petit, ut C. Curtium in fidem recipias, habeatque in numero suorum. Eodem anno.

Cicero s. d. Servilio collegæ.

CAIUS Curtius Mithres est ille quidem, ut scis, libertus Postumii, familiarissimi mei, sed me colit, & observat æquè, atque illum ipsum, patronum suum. Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescunque fui, tanquam domi meæ: multaque acciderunt, in quibus & benevolentiam ejus erga me experirer, & fidem. itaque, si quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Asiâ opus est, ad hunc scribere consuevi, hujus cùm operâ, & fide, tùm domo, & re uti, tanquam meâ. Hæc ad te eò pluribus scripsi, ut intelligeres, me non vulgariter, [a] nec ambitiosè, sed ut pro homine intimo, ac mihi perneccessario scribere. Peto igitur à te, ut in eâ controversiâ, quam habet de fundo cum quodam [1] Colophonio, & in cæteris rebus, quantum fides tua patietur, quantúmque tuo commodo poteris, tantùm ei [b] honoris mei causâ, commodes. etsi, ut ejus modestiam cognovi, gravius tibi nullâ in re erit. si & meâ commendatione, & suâ probitate assecutus erit, uti de se benè existimes: omnia se adeptum arbitrabitur. Ut igitur eum recipias in fidem, habeasque in numero tuorum, te vehementer etiam atque etiam rogo. ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, omnia studiosè, diligenterque curabo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *nec ut ostendam me plurimùm apud te posse* [b] *meâ causâ ei inserviat.*

NOTA.

1. *Colophonio*] A Colophone urbe Ioniæ, in Asiâ minori. Civitatis hujusce equitatus tantâ olim in famâ fuit, ut ubicumque bella componi non poterant; Colophonii equitatûs auxilio dirimerentur: Homerum quoque Colophonii suum esse dicebant.

EPISTOLA LXX.

T. Ampium Menandrum studiosè in primis commendat. Eodem anno.

Cicero s. d. Servilio collegæ.

QUIA non est obscura tua in me benevolentia, sic fit, ut multi per me tibi velint commendari. [a] ego autem tribuo nonnunquam in vulgus, sed plerumque necessariis, ut hoc tempore. nam cum T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas, necessitudoque est. ejus libertum T. Ampium Menan-

INTERPRETATIO.

[a] *vulgares ego nonnunquam homines, & alienos commendo, sæpiùs tamen amicos, &c.*

Digitized by Google

dium, [1] hominem frugi, & modestum, & patrono, & nobis vehementer probatum, tibi commendo majorem in modum. Vehementer mihi gratum feceris, si, quibuscunque rebus sine tuâ molestiâ poteris, ei commodaris. quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

NOTA.

1. *Hominem frugi*] Laus servis potissimùm, libertisque tribui solita.

EPISTOLA LXXI.

Commendat T. Agusium, veterem amicum. Eodem anno.

Cicero S. D. Servilio collegæ.

MULTOS tibi commendem necesse est, quando omnibus nota nostra necessitudo est, tuaque in me benevolentia. sed tametsi omnium causa, quos commendo, velle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. T. Agusius & comes meus fuit illo [a] miserrimo tempore, & omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius: neque hoc tempore discessisset à me, nisi ego ei permisissem. Quare sic tibi eum commendo, ut unum de meis domesticis, & maximè necessariis. Pergratum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat hanc commendationem sibi magno usui, atque adjumento fuisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *exilii mei tempore.*

EPISTOLA LXXII.

Petit à Servilio, ut Cærelliæ commodis, quoad poterit, inserviat. Eodem anno.

Cicero S. D. Servilio collegæ.

[1] CÆRELLIÆ, necessariæ meæ, rem, [2] nomina, possessiones Asiaticas commendavi tibi præsens in hortis tuis quàm potui diligentissimè: tuque mihi, pro tuâ consuetudine, proque tuis in me perpetuis,

INTERPRETATIO.

[a] *debitum mihi pecuniam.*

NOTÆ.

1. *Cærelliæ*] Hanc Ciceronis amicam exactissè, & cum eâ lascivam habuisse consuetudinem nonnulli crediderunt: Photiphiæ certè fuit dedita, Ciceronisque libros & legebat libenter, & scribebat.

2. *Nomina*] Debitores, vel creditarum

maximisque officiis, omnia te facturum liberalissimè recepisti. meminisse te id spero : scio enim solere. sed tamen Cærelliæ procuratores scripserunt, te, propter magnitudinem provinciæ, multitudinemque negotiorum, etiam atque etiam esse commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris, [b] te omnia, quæ tua fides pateretur, mihi cumulatè recepisse. Equidem existimo habere te magnam facultatem (sed hoc tui est consilii, & judicii) [c] ex eo S. C. quod in heredes C. Vennonii factum est, Cærelliæ commodandi. Id senatusconsultum tu [3] interpretabere pro tuâ sapientiâ. scio enim ejus ordinis auctoritatem semper apud te magni fuisse. quod reliquum est, sic velim existimes, quibuscunque rebus Cærelliæ benignè feceris, mihi te gratissimum esse facturum. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *te mihi promisisse omnia, quæ secundùm fidei leges, & justitiæ facere posses.* [c] *vi illius senatûsconsulti.*

NOTÆ.

pecuniarum syngraphas, generatim, atque universè debitam pecuniam.

3. *Interpretabere*] Judicabis, an vi hujus senatusconsulti possis Cærelliæ rationibus inservire, eique benignè facere.

EPISTOLA LXXIII.

Gratulatur de reditu incolumi; gratias agit de Egnatio, & Oppio benignè tractatis; petit ut Antipatri filios sibi condonet.

Cicero S. D. [1] Q. Philippo [2] procos.

GRATULOR tibi, [a] quòd ex provinciâ salvum te ad tuos recepisti [3] incolumi famâ, & republicâ : quòd si Romæ te vidissem, coràm gratias egissem, quòd tibi L. Egnatius, familiarissimus meus, absens, L. Oppius præsens curæ fuisset. Cum Antipatro Derbete mihi non solùm hospitium, verùm etiam summa familiaritas intercedit. Ei te vehementer succensuisse audivi, & molestè tuli. de re nihil possum judicare : nisi illud mihi certè persuadeo, te talem virum [b] nihil temerè fecisse. A te autem pro ve-

INTERPRETATIO.

[a] *quòd ex Asiâ Romam salvus redieris.* [b] *non sine causâ succensuisse.*

NOTÆ.

1. *Quinto Philippo*] E gente Marciâ, quem initio belli civilis Tribunatum exercuisse probabile est.

2. *Procos.*] Huic loco subesse vitium rectè suspicatur Manutius : quomodo enim *Proconsul*, qui depositâ provinciâ & imperio, Romam redierat. hæc igitur epistola post sequentem collocanda est.

3. *Incolumi Republicâ*] Quia civilis nondum dissensio exarserat.

Digitized by Google

tere noſtrâ neceſſitudine etiam atque etiam peto, [c] ut ejus filios, qui in tuâ poteſtate ſunt, mihi potiſſimùm condones: niſi quid exiſtimas in eâ re violari exiſtimationem tuam: quod ego ſi arbitrarer, nunquam te rogarem, mihique tua fama multò antiquior eſſet, quàm illa neceſſitudo eſt. ſed mihi ita perſuadeo, (poteſt fieri, ut fallar) eam rem laudi tibi potiùs, quàm vituperationi, fore. Quid fieri poſſit, & quid meâ causâ facere [4] poſſis, (nam quin velis, non dubito) velim, ſi tibi grave non erit, certiorem me facias. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *ut ejus filios meâ potiſſimùm causâ incolumes dimittas.*

NOTA.

4. *Poſſis*] Integrâ exiſtimatione tuâ.

EPISTOLA LXXIV.

Oppium præſentem, & Egnatii abſentis negotia commendat. Incertus annus.

Cicero S. D. Philippo procoſ.

ETSI non dubito pro tuâ in me obſervantiâ, proque noſtrâ neceſſitudine, quin commendationem meam memoriâ teneas: tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium, familiarem meum, præſentem, & L. Egnatii, familiariſſimi mei, abſentis, negotia commendo. tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt, familiaritaſque, ut, ſi mea res eſſet, non magis laborarem. Quapropter gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris, ut is intelligat me à te tantùm amari, [a] quantùm ipſe exiſtimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idque ut facias, te vehementer rogo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quantùm ego ipſe exiſtimo* me à te amari.

EPISTOLA LXXV.

Commendat Avianum Flaccum. Incertus annus.

Cicero S. D. Titio T. F. [1] legato.

ETSI non dubito, quin apud te mea commendatio prima ſatis valeat: tamen obſequor homini familiariſſimo C. Aviano Flacco: [a] cujus

INTERPRETATIO.

[a] *cujus ego commodis, & utilitati ſervire ſemper & cupio, & debeo.*

NOTÆ.

1. *Legato*] Annonæ præpoſito.

Digitized by Google

causâ omnia tam cupio, tum mehercule etiam debeo. de quo & præsenti tecum egi diligenter, cùm tu mihi humanissimè respondisti: & scripsi ad te accuratè antèà. sed putat interesse suâ, me ad te quàmsæpissimè scribere. Quare velim mihi ignoscas, si, illius voluntati obtemperans, minus videbor meminisse constantiæ tuæ. A te idem illud peto, ut [a] de loco, quò deportet frumentum, & de tempore, Aviano commodes. quorum [b] utrumque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompeius [c] isti negotio præfuit. [d] Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Avianus, quando se à me amari putat, me à te amari sciat. erit id mihi pergratum. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *hæc duo, commendante me, per tres annos jam antè obtinuit.* [c] *rei frumentariæ.* [d] *nihil est in quo mihi gratius facere possis, quàm si curaris, ut Avianus, &c.*

NOTÆ.

2. *De loco*] Duo hæc petierat Avianus, commodumque locum, quò frumentum deportaret; temporisque tantùm, quantùm satis erat ad rem illam conficiendam.

3. *Triennium*] Istuc ad Avianum refer, cui id spatii impetravit Tullius, non ad Pompeium, qui rei frumentariæ totos quinque annos præfuit.

EPISTOLA LXXVI.

Petit, ut C. Valgius emptam possessionem in agro Fregellano, liberam, immunemque habeat. Incertus annus.

Cicero S. D. [1] quatuorviris, & decurionibus.

TANTÆ mihi cum Q. Hippio causæ necessitudinis sunt, ut nihil possit esse conjunctius, quàm nos inter nos sumus. quòd nisi ita esset, uterer meâ consuetudine, ut vobis nullâ in re molestus essem. Etenim vos mihi optimi testes estis, cùm mihi persuasum esset, nihil esse, quod à vobis impetrare non possem, nunquam me tamen gravem vobis esse voluisse. Vehementer igitur vos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei causâ liberalissimè [a] C. Valgium Hippianum tractetis, remque eum eo conficiatis, ut, quam possessionem habet, in agro [3] Fregellano, à vobis emptam, eam liberam, &

NOTÆ.

1. *Quatuorviris*] Magistratus à numero sic dicti: præerant autem coloniis & municipiis, ut Romæ Consules, quanquam Duumviri colonias vulgò regerent. De Decurionibus vide epistolam 19. libri sexti.

2. *Caium Valgium Hippianum*] Is erat Hippii filius, sed adoptatus à Valgio, à quo nomen & prænomen desumpsit, vetere nomine deducto, ut adoptivorum mos erat.

3. *Fregellano*] Fregellæ, Volscorum civitas, olim nobilis ad Lirim fluvium, qui nunc dicitur *il Garigliano*: cùm à Romanis defecissent, diruta est: quidam existimant ex Fregellarum reliquiis constructum fuisse oppidulum, cui nomen *Caperano*.

1. *Sul-*

Digitized by Google

immunem habere posſit. id ſi à vobis impetraro, ſummo me beneficio veſtro affectum arbitrabor. Valete.

EPISTOLA LXXVII.

Exponit officium ſuum; commendat M. Bollanum; petit ut ſibi ſervum ſuum Dionyſium reſtituendum curet. Cæſare quartùm Conſule ſine collegâ, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo octavo.

Cicero S. D. P. [1] Sulpicio Imp.

CUM his temporibus non ſanè in ſenatum ventitarem, tamen, ut tuas literas legi, non exiſtimavi me, ſalvo jure noſtræ veteris amicitiæ multorumque inter nos officiorum, facere poſſe, ut honori tuo deeſſem: itaque affui, ſupplicationemque tibi lubenter decrevi: nec reliquo tempore ullo aut rei, aut exiſtimationi, aut dignitati tuæ deero. Atque ut hoc tui neceſſarii ſciant, hoc me animo erga te eſſe, velim facias eos per literas certiores, ut, ſi quid tibi opus ſit, ne dubitent mihi jure ſuo denuntiare. M. Bollanum, virum bonum, & fortem, & omnibus rebus ornatum, meumque veterem amicum tibi magnoperè commendo. Pergratum mihi feceris, ſi curaris, ut is intelligat hanc commendationem ſibi magno adjumento fuiſſe, ipſumque virum optimum, gratiſſimumque cognoſces. Promitto tibi, te ex ejus amicitiâ magnam voluptatem eſſe capturum. Prætereà à te peto majorem in modum pro noſtrâ amicitiâ, & pro tuo perpetuo in me ſtudio, ut in hac re etiam elabores. Dionyſius, ſervus meus, qui meam bibliothecam [a] multorum nummorum tractavit, cùm multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impunè laturum putaret, aufugit. Is eſt [2] in provinciâ tuâ. eum & M. Bollanus, familiaris meus, & multi alii [3] Naronæ viderunt. ſed cùm ſe à me manumiſſum eſſe diceret, crediderunt. Hunc tu ſi mihi reſtituendum curaris, non poſſum dicere, quàm mihi gratum futurum ſit. res ipſa parva, ſed animi mei dolor magnus eſt. ubi ſit, & quid fieri poſſit, Bollanus te docebit. ego, ſi hominem per te recuperaro, ſummo me à te beneficio affectum arbitrabor. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *magni pretii.*

NOTÆ.

1. *Sulpicio*] Nonnullis hæc interpretibus ſcriptura non probatur, legendumque cenſent, *Vatinio*, ob epiſtolas quas ad Ciceronem ab Illyrico ſcripſit, in quibus & de ſupplicatione, & de Dionyſio non pauca. Vide nonam & decimam epiſt. libri 5. Fuſiùs hac de re Manutius. hæc cæteroqui controverſia non admodum gravis momenti videtur eſſe; exiſtimo tamen legendum eſſe, *P. Sulpicio*, conſenſu maximè veterum codicum adductus, in quibus ſcriptura nihil omnino variat.

2. *In provinciâ tuâ*] In Illyrico, cujus adminiſtrationem aliquandiù cum Vatinio communem habere potuit.

3. *Naronæ*] Liburniæ oppidum eſt, à Narone fluvio, cui adjacet, ſic appellatum.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXVIII.

Petit, ut Democritum Sicyonium diligat, ac in ſuis habeat. Cæſare tertium, & Lepido Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingenteſimo ſeptimo.

Cicero s. d. [1] Allieno procoſ.

DEMOCRITUS [2] Sicyonius non ſolùm hoſpes meus, ſed etiam, quod non multis contingit, Græcis præſertim, valdè familiaris. eſt enim in eo ſumma probitas, ſumma virtus, ſumma in hoſpites liberalitas, & obſervantia: meque præ cæteris [3] & colit, & obſervat, & diligit. eum tu non modò ſuorum civium, verùm etiam propè Achaiæ principem cognoſces. huic ego tantummodò aditum ad tuam cognitionem patefacio, & munio. Cognitum, per te ipſum, quæ tua natura eſt, dignum tuâ amicitiâ, atque hoſpitio judicabis. Peto igitur à te, ut, his literis lectis, recipias eum in tuam fidem, polliceare omnia te facturum meâ causâ. de reliquo, ſi id quod confido fore, dignum eum tuâ amicitiâ, hoſpitioque cognoveris, peto, ut eum [4] complectare, diligas, in tuis habeas. erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

NOTÆ.

1. *Allieno*] Ciliciæ Proconſuli, ſicet Conſulatum non geſſerat. Vide epiſtolam primam libri primi.

2. *Sicyonius*] Sicyon, urbs Achaiæ vetuſtiſſima, à quâ Sicyonii.

3. *Colit*] Colitur aliquis honore, obſervatur aſſiduitate, & officio.

4. *Complectare*] Verbi cujuſlibet vim ſingularem nota.

EPISTOLA LXXIX.

Caium, & Marcum Avianos commendat; alterum præſentem, alterum abſentem. Eodem anno.

Cicero s. d. Allieno procoſ.

ET te ſcire arbitror, quanti fecerim C. Avianum Flaccum, & ego ex ipſo audieram optimo, & gratiſſimo homine, quàm à te liberaliter eſſet tractatus. Ejus filios, digniſſimos illo patre, meoſque neceſſarios, quos ego unicè diligo, commendo tibi ſic, ut majore ſtudio nullos commendare poſſim. C. Avianus in Siciliâ eſt: Marcus eſt nobiſcum. ut illius dignitatem præſentis ornes, rem utriuſque defendas, te rogo. hoc mihi gratius in iſtâ provinciâ facere nihil potes. idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

Digitized by Google

LIBER XIV.

AD TERENTIAM UXOREM.

EPISTOLA I.

Exul deflet suam, suorumque calamitatem; exiliique culpam confert in amicorum consilia: vici venditionem improbat: alia quædam subjungit. Pisone, & Gabinio Coss. anno urbis conditæ 695.

Cicero S. D. Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, suis.

1 ET literis multorum, & sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem, & fortitudinem esse, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum, te, istâ virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas propter me incidisse! Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates [2] capiebat, ex eo tantos percipere luctus! nam quid ego [a] de Cicerone dicam? qui cùm primùm [3] sapere cœpit, acerbissimos dolores, miseriasque percepit. quæ si, ut tu scribis, [b] fato facta putarem, ferrem paulò faciliùs: sed omnia sunt meâ culpâ commissa, qui ab iis * me amari putabam, qui invidebant: eos [4] non sequebar, [c] [5] qui petebant. [d] Quòd si [6] nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum valuisset sermo, aut stultorum amicorum, aut improborum, beatissimi viveremus. nunc, quando sperare nos amici jubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo

INTERPRETATIO.

[a] *de filio.* [b] *diis imperantibus.*
[c] *qui sincerum mihi consilium dabant.*
[d] *quòd si feciſſem id, quod cenſebam faciendum eſſe.*

NOTA.

1. *Et litteris*] Primas quatuor hujus libri epistolas, præpostero ordine collocatas esse, monendus est lector; illas quidem in exilio scripsit, sic tamen, ut, quæ quarta est, primum occupare locum debeat; quæ secunda, secundam retineat sedem; quæ prima, in tertium; quæ tertia, in quartum locum rejiciatur.

2. *Capiebat*] Ante patris exilium.

3. *Sapere cœpit*] Octo duntaxat annos natus erat, cùm pater in exilium pulsus est.

* *Me amari putabam*] Pompeium, & Hortensium designat, quorum adductus consilio, Clodii Tribuni plebis furori cessit, ne turbas in urbe moveret.

4. *Non sequebar*] Et præter cæteros, Lucullum, qui Ciceroni suaserat, ut vim vi repelleret.

5. *Qui petebant*] Ut eos sequerer, & Clodio fortiter resisterem.

6. *Nostris consiliis*] Armis scilicet decertandum priùs, quàm ex urbe discederem.

Digitized by Google

labori desit. res quanta sit, intelligo, quantóque fuerit facilius manere domi, quàm redire. sed tamen, si omnes [7] tribunos plebis habemus, si [8] Lentulum tam studiosum, quàm videtur, si verò etiam [9] Pompeium, & Cæsarem: [10] non est desperandum. [11] De familiâ, quo modo placuisse amicis scribis, faciemus. [12] De loco, nunc quidem jam abiit pestilentia, sed, quàm diù fuit, me non attigit. [13] Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum, & adhuc retinet. ego volebam loco magis deserto esse in Epiro, quò neque [14] Hispo veniret, [15] nec milites: sed adhuc Plancius [16] me retinet. sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. quem ego diem si videro, & si in vestrum complexum venero, ac si vos, & me ipsum recuperaro: satis magnum mihi fructum videbor percepisse & vestræ [17] pietatis, & meæ. [18] Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil suprà possit. utinam ea res ei [19] voluptati sit: gloriæ quidem video fore. [e] De Q. fratre nihil ego te [20] accusavi, sed vos, cùm præsertim tam pauci sitis, volui esse quamconjunctissimos. Quibus me voluisti [21] agere gratias, egi, & me à te certiorem factum esse scripsi. Quod ad me, mea Terentia, scribis, te [f] vicum [22] venditurum: quid, obsecro te, (me miserum) quid futurum est? & [f], si nos premet eadem fortuna, [23] quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere, (tanta vis lacrymarum est) ne te in eundem fletum adducam. tantùm scribo: si erunt in officio amici, [24] pecunia non deerit: si

INTERPRETATIO.

[e] *ad Quintum fratrem quòd attinet, non te accusavi, tantum volui vos, &c.*

[f] *villam. & eâdem si calamitatis ditiùs premimur.*

NOTÆ.

7. *Tribunos plebis*] Designatos.

8. *Lentulum*] Spintherem, Consulem designatum, qui legem ipse de Cicerone revocando Comitiis Centuriatis tulit.

9. *Pompeium*] Qui Clodio paulò pòst infensus, de reditu Ciceronis laboravit.

10. *Non est desperandum*] De reditu in patriam.

11. *De familiâ*] De servis, quos esse dimittendos amici censebant, ne cum aliis bonis publicarentur.

12. *De loco*] Ubi huc usque fui.

13. *Plancius*] In Macedoniâ Quæstor.

14. *Hispo*] Centurionem hîc aliquem significari, credibile est.

15. *Nec milites*] Quos in Macedoniam Piso Consul, idemque Ciceroni infensissimus præmiserat.

16. *Me retinet*] Thessalonicæ.

17. *Pietatis*] Epistolâ primâ primi libri.

18. *Pisonis*] Pisonis frugi, qui Ciceronis erat gener.

19. *Voluptati sit*] Utinam humanitatis erga me suæ meo reditu fructum percipiat: non percepit tamen, prius enim mortuus est, quàm Cicero Romam reviseret.

20. *Te accusavi*] Simultatis nonnihil Terentiam inter, & Quintum Ciceronis fratrem extitisse sat indicat, monuerat uxorem, ut Quintum fratrem in consilium adhiberet, quod fortè non fecerat.

21. *Agere gratias*] Quòd de me restituendo laborent, sibique hac in re, opera suam, studiumque ultrò deferant.

22. *Vendituram*] Ut pecuniam in subsidium meum ex eo conficias.

23. *Quid puero misero fiet?*] Ad egestatis angustias si fortè redigatur.

24. *Pecunia non deerit*] Vel ad parandum reditum, vel ad sublevandam suam calamitatem.

Digitized by Google

non erunt, [h] tu efficere tuâ pecuniâ non poteris. Per fortunas miseras nostras, vide [25] ne puerum perditum perdamus. [26] cui si aliquid erit, ne egeat: mediocri virtute opus est, & mediocri fortunâ, ut [27] cætera consequatur. Fac valeas, & ad me tabellarios mittas, ut sciam, quid agatur, & vos [28] quid agatis. [i] mihi omnino jam brevis expectatio est. Tulliolæ, & Ciceroni salutem dic. Valete. D. ante diem VI. Kal. Dec. [29] Dyrrachii. Dyrrachium veni, quòd & [k] [30] libera civitas est, & in me officiosa, & proxima Italiæ. [l] sed, si offendet me loci celebritas, [31] aliò me conferam, & ad te scribam.

INTERPRETATIO.

[h] *sublevare me tuâ pecuniâ.*
[i] *spero litteras à te me brevi accepturum.*
[k] *sui juris.* [l] *quòd si maxima civium frequentia mihi displicet.*

NOTÆ.

25. *Ne puerum*] Ne puerum meâ calamitate jam miserum, rei familiaris jacturâ funditùs perdam

26. *Cui si*] Cui si tantùm rei familiaris suppetat, quantùm opus est ad egestatem amovendam; nihil enim habentibus, etiam virtus maxima vix quidquam prodest. Juv.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

27. *Cætera*] Dignitates, Magistratus, &c.

28. *Quid agatis*] Per amicos meos.

29. *Dyrrachii*] Cùm præsentem hanc epistolam Dyrrachio missam esse constet, & nihilominùs Thessalonicæ à Plancio se retentum antè dixerit, prima pars Thessalonicæ, posterior verò Dyrrachii scripta est. ep. 22. lib. 3. ad Atticum.

30. *Libera*] Romano imperio minùs obnoxia, ita ut in eâ exules tutiùs versarentur; in Tullium autem officiosa, quòd ab eo semper defensa esset.

31. *Aliò*] In locum, ut antea dixit, desertum, id est, in Epirum, epist. 22. & 23. lib. 3. ad Atticum.

EPISTOLA II.

Excusat brevitatem litterarum; Pisonis generi officia in se laudat; dolet Terentiæ sortem; rogat, ne dotem suam projiciat, & ut valetudini consulat. Eodem anno.

Cicero S. D. Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, suis.

NOLI putare me ad quenquam longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. nec enim habeo, quod scribam: nec hoc tempore [1] quidquam difficilius facio, ad te verò, & ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrymis scribere. vos enim video miserrimas, quas ego beatissimas semper esse volui: [2] idque præstare debui,

NOTÆ.

1. *Quidquam difficilius facio*] Quòd scilicet dolore sim obrutus.

2. *Idque præstare debui*] Debui: vos efficere beatissimas.

&, [a] nisi tam timidi fuissemus, præstitissem. [3] Pisonem nostrum [b] merito ejus amo plurimùm. eum, ut potui, per literas [4] cohortatus sum, gratiasque egi, ut debui. [c] In novis tribunis plebis intelligo spem te habere. id erit firmum, si [d] Pompeii voluntas erit: sed [5] Grassum tamen metuo. A te quidem omnia fieri fortissimè, & amantissimè video: nec miror: sed mœreo casum ejusmodi, ut tantis tuis miseriis meæ miseriæ subleventur. Nam ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum [e] à Vestæ [6] ad tabulam Valeriam ducta esses. Hem mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant, te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic jacere in lacrymis, & sordibus: idque fieri meâ culpâ, [7] qui cæteros servavi, ut nos periremus! Quod de domo scribis, hoc est [8] de areâ: ego verò tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta. verùm hæc non sunt [f] in nostrâ manu. illud doleo. quæ impensa facienda est, [9] in ejus partem te miseram & despoliatam venire. [g] quòd si conficitur negotium, [h] omnia consequemur. [i] sin eadem nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas misera projicias? obsecro te, mea vita, quod ad sumptum attinet, sine alios, qui possunt, si modò volunt, sustinere: & valetudinem istam [10] infirmam. si me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos dies noctesque versaris: omnes labores te excipere video, [k] timeo [11] ut sustineas: [l] sed video in te esse omnia. quare, ut id, quod spe-

INTERPRETATIO.

[a] *& certè effecissem*, ut beatissimæ essetis, *nisi maluissem Româ discedere, quàm armis pugnare.* [b] *ob ejus in me merita.*
[c] *in designatis.* [d] *si Pompeii favor accedat.*
[e] *à Vestæ* Templo.
[f] *in nostrâ potestate.*
[g] *quòd si restituor* patriæ.
[h] *damna, quæ passi sumus, facilè resarciemus.*
[i] *quòd si semper exulare cogor, mihi facultates, quæ tibi supersunt, meâ causâ alienare.*
[k] *timeo, ne tanto succumbas* labori.
[l] *quamquam video ex te pendere reditum meum.*

NOTÆ.

3. *Pisonem*] Tulliolæ virum.

4. *Cohortatus sum*] Ut meis inservire commodis, ita uti cœpit, pergat.

5. *Crassum*] Simultates cum eo gesserat.

6. *Ad tabulam Valeriam*] Lex erat à Valerio lata de vendendis proscriptorum, exulumque bonis; quam servare coacta est Terentia. Manutius tabulam Valeriam, locum esse dicit in foro, quò Tribuni plebis conveniebant; utraque explicatio in eadem verba cadere potest, ut legem ipsam, & locum, ubi affigi consueverat, significet.

7. *Qui cæteros servavi*] Indiguatur, hîc, nec sine causâ, Cicero; nihil enim intolerabilius, quàm perire eorum malitiâ, quos servaveris.

8. *De areâ*] Domum enim funditùs everti Clodius jusserat; sed post Ciceronis in patriam reditum, sumptibus publicis est restituta. Area autem propriè dicitur locus vacuus, quasi exaruerit, inquit Festus, nec quidquam possit producere. Varro 4. de linguâ Latinâ, *Locus in urbe pura, area.*

9. *In ejus partem*] Quoniam amissis Tullii facultatibus, suas Terentia in viri subsidium impendebat.

10. *Infirmam*] Quæ tamen infirmitas non obstitit, quominùs centum, & ampliùs, annos vixerit.

11. *Ut*] Pro *ne non*: sic in epistolâ decimâ quartâ: *Vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit*, pro, *vereor, ne non satis prodesse possit.*

Digitized by Google

ras, & quod agis, consequamur, servi valetudini. Ego, ad quos scribam, nescio, nisi aut ad eos, qui ad me scribunt, aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. Longiùs, quoniam vobis ita placet, non discedam: sed velim quàm sæpissimè literas mittatis, præsertim [m] si quid est firmius, quod speremus. Valete, mea desideria, valete. Datum a. d. III. non. Oct. Thessalonicæ.

INTERPRETATIO.

[m] *si major spes redituì affulgeat.*

EPISTOLA III.

Queritur suâ contigisse culpâ, ut & ipse, & omnes sui tantis in miseriis vivant; deinde ad varia litterarum Terentiæ capita respondet. Eodem anno.

Tullius S. D. Terentiæ, Tulliolæ, & Ciceroni, suis.

ACCEPI ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lacrymis propè delevi. conficior enim mœrore, mea Terentia: nec me meæ miseriæ magis excruciant, quàm tuæ, vestræque. ego autem hoc miserior sum, quàm tu, quæ es miserrima, quòd ipsa calamitas communis est utriusque nostrûm, sed culpa mea propria est. meum fuit officium, vel [1] legatione vitare periculum, vel diligentiâ, & copiis [2] resistere, vel cadere fortiter. Hoc miserius, turpius, indignius [3] nobis nihil fuit. Quare cùm dolore conficior, tùm etiam pudore. pudet enim me [a] uxori meæ optimæ, suavissimis liberis [4] virtutem, & diligentiam non præstitisse. Nam mihi ante oculos dies noctesque versatur squalor vester, & mœror, & infirmitas valetudinis tuæ: spes autem salutis pertenuis ostenditur. inimici sunt multi, invidi penè omnes. ejicere nos magnum fuit, excludere facile est. sed tamen, quàm diù vos eritis in spe, [b] non deficiam, ne omnia meâ culpâ cecidisse videantur. [c] Ut tutò sim, quòd laboras: id mihi nunc facillimum

INTERPRETATIO.

[a] *non consuluisse, ut par erat, saluti uxoris optimæ, suavissimorumque liberorum.*

[b] *non cessabo* pro meo reditu *laborare, ne meâ culpâ illum impedisse videar.*

[c] *mihi nunc facillimum est securam vitam agere, quâ de re sollicita es, siquidem inimici volunt me vivere in tantis miseriis.*

NOTÆ.

1. *Legatione*] Quam Cæsar, in Gallias Proconsul discessurus, ipsi obtulerat: nihil autem erat ad declinandum Clodii furorem, hac legatione commodius; Reipublicæ enim causâ suscipiebatur, eratque Cæsaris authoritate munita: eum autem accusare, qui pro Reipublicæ negotiis abesset, non licebat. Ad Atticum epistolâ decimâ octavâ libri secundi: *A Cæsare valdè liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus*

2. *Resistere*] Ex Luculli, aliorumque consilio.

3. *Nobis*] Qui Clodiano furori volentes cessimus.

4. *Virtutem*] In resistendo.

Digitized by Google

est, quem etiam inimici volunt vivere in tantis miseriis. Ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias: & eas literas [5] Dexippo dedi: meque de eorum officio scripsi à te certiorem esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos, & officio, & ego perspicio, & omnes prædicant. [d] dii faxint, ut tali genero mihi præsenti tecum simul, ac cum liberis nostris [6] frui liceat. Nunc spes reliqua est in novis tribunis plebis, & in primis quidem [7] diebus: [e] nam, si inveterarit, actum est. [f] eâ re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuò initia rerum, & rationem totius negotii posses scribere. etsi Dexippo quoque ita imperavi, statim ut recurreret: & ad fratrem misi, ut crebrò tabellarios mitteret. Nam ego eo nomine sum [8] Dyrrachii hoc tempore, ut quamcelerrimè, quid agatur, audiam, & sim tutò. civitas enim hæc semper à me defensa est. cùm inimici nostri venire dicentur, tùm in Epirum ibo. Quòd scribis te, si velim, ad me venturam: ego verò, cùm sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te [g] istic esse volo. si perficitis, quod agitis, ad vos venire oportet: [h] [9] sin autem. sed nihil est opus reliqua scribere. ex primis, aut, ad summum secundis literis tuis constituere poterimus, quid nobis faciendum sit. tu modò ad me velim omnia diligentissimè perscribas. etsi magis [10] jam rem, quàm literas, debeo expectare. Cura ut valeas: & ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse, nec unquam fuisse. Vale, mea Terentia, [11] quam ego videre videor, itaque debilitor lacrymis. Vale. Pridie Kalend. Decemb. Dyrrhachii.

INTERPRETATIO.

[d] *dii faciant, ut, &c.*
[e] *nisi enim reditus meus brevi decernatur, de eo desperandum.*
[f] *eâ de causâ.* [g] *Romæ.*
[h] *si autem* reditum meum non impetratis.

NOTÆ.

5. *Dexippo*] Unus fuit ex Tullii domesticis.

6. *Frui liceat*] Non licuit: obiit enim Piso ante soceri reditum.

7. *Diebus*] Magistratum inibant Tribuni plebis quarto idus Decemb.

8. *Dyrrachii*] Quæ civitas Italiæ vicina est.

9. *Sin autem*] Reticentia est, qualis illa Virgil.

Quos ego: sed motos, &c.

10. *Jam rem*] Id est ipsum reditum, de quo, nisi brevi obtineatur desperandum est.

11. *Quam ego videre videor*] Ex affectu scilicet amoris. Sic Virgilius:

Absens absentem auditque, videtque.

Et Ovidius ad uxorem:

Te loquor absentem, te vox mea nominat unam.

EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

Respondet ad varia literarum Terentiæ capita. Quanto conficeretur animi dolore, hæc epistola declarat. Eodem anno, sed ante superiores primo loco collocanda.

Tullius S. D. Terentiæ, Tulliolæ, & Ciceroni, suis.

EGO minùs sæpè ad vos do literas, quàm possum: propterea quòd cùm omnia mihi tempora sunt misera, tùm verò, cùm aut scribo ad vos, aut vestras lego, conficior lacrymis sic, ut ferre non possim. quòd utinam minus vitæ [1] cupidus fuissem: certè nihil, aut non multùm in vitâ mali vidissemus. quòd si nos ad aliquam alicujus commodi aliquando recuperandi spem fortuna reservavit: [2] minus est erratum à nobis. [a] sin hæc mala fixa sunt: ego verò te quamprimùm, mea vita, cupio videre, & in tuo complexu emori: quando neque dii, quos tu [b] castissimè coluisti, neque homines, quos ego [3] servavi semper, [c] nobis gratiam retulerunt. Nos Brundusii apud M. Lenium Flaccum dies XIII. fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum, & capitis sui pro meâ salute neglexit, neque [4] legis improbissimæ pœnâ deductus est, quò minus hospitii, & amicitiæ jus officiumque præstaret. huic utinam aliquando gratiam referre possimus, [d] habebimus quidem semper. Brundusio profecti sumus a. d. V. Kal. Maias. per Macedoniam [5] Cyzicum petebamus. ô me perditum, ô me afflictum: [e] quid nunc rogem te, ut venias, mulierem ægram, & corpore, & animo confectam? [f] non rogem? sine te igitur sim? [g] opinor, sic agam. si est spes nostri reditûs, eam confirmes, & re adjuves. [h] sin, ut ego metuo, transactum est: quoquo modo potes, ad me fac venias. unum hoc scito: si te habebo, non mihi videbor planè periisse. Sed quid de Tulliolâ meâ fiet? jam id vos vi-

INTERPRETATIO.

[a] *quòd si exilium meum perpetuum futurum est.* [b] *religiosissimè.*
[c] *ab inimicorum furore incolumem non servaverunt.*
[d] *tanti certè beneficii memoria nunquam excidet.*
[e] *an rogabo te ut venias, te, inquam, mulierem ægram, &c.*
[f] *certè non rogabo.*
[g] *ita, opinor, mihi deliberatum est esse sine te, ut si est spes nostri, &c.*
[h] *quòd si prorsùs desperandum.*

NOTÆ.

1. *Cupidus fuissem*] Nec enim eos audivit, qui suaserant, ut Clodianis conatibus acriter obsistendo, vel dignitatem tueretur, vel mortem gloriosè occumberet.

2. *Minùs est erratum à nobis*] Inimicorum furori tantisper cedendo.

3. *Servavi*] Cuncti fermè codices habent, *quibus ego servivi*, quæ scriptura magis arridet; Pompeio autem maximè servierat, à quo turpissimè tùm desertus est.

4. *Legis improbissimæ*] Quâ Clodius pœnam iis minatus est, qui Ciceronem hospitio exciperent.

5. *Cyzicum*] Urbem in Propontide, arce, & turribus munitam, primisque olim Asiæ urbibus, tùm pulchritudine, tùm

Digitized by Google

dete : mihi deest consilium. sed certè quoquo modo se res habebit, *illius* miserlæ [6] & matrimonio, & famæ serviendum est. Quid Cicero meus, quid aget? iste verò sit in sinu semper, & complexu meo. non queo jam plura scribere : impedit mœror. Tu quid egeris, nescio, [j] utrùm aliquid teneas, an, quod metuo, planè sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. [k] De familiâ liberatâ, nihil est, quod te moveat. [l] [7] primum tuis ita promissum est, te facturam esse ut quisque esset meritus. Est autem in officio adhuc Orpheus, prætereà magnoperè nemo. [8] cæterorum servorum ea causa est, ut, si res à nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent : sin ad nos pertinerent, servirent, præterquam oppidò pauci. Sed [m] hæc minora sunt. Tu quòd me hortaris, ut animo sim magno, & spem habeam recuperandæ salutis : id velim sit ejusmodi, ut rectè sperare possimus. Nunc miser quando tuas jam literas accipiam? quis ad me perferet? quas ego expectassem Brundusii, si esset licitum per nautas, qui [n] tempestatem prætermittere noluerunt. Quod reliquum est, sustenta te, mea Terentia, ut potes. honestissimè viximus, floruimus. non vitium nostrum, sed virtus nostra nos afflixit. peccatum est nullum, nisi quòd non unà animam cum ornamentis amisimus. Sed, si hoc fuit libertis nostris gratius, nos vivere, cætera, quanquam ferenda non sunt, feramus. atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum. [9] Clodium Philetærum, quòd valetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remisi. [10] Sallustius officio vincet omnes. Pescennius est perbenevolus nobis : quem semper spero tui fore observantem. Sica dixerat se mecum fore, sed Brundusio discessit. Cura, quoad potes, ut valeas : & sic existimes, vehementiùs me tuâ miseriâ, quàm meâ, commoveri. Mea Terentia, fidissima, atque optima uxor, & *mea carissima* Tulliola, & spes reliqua nostra Cicero, valete. Pridie Kalend. Maii. Brundusio.

INTERPRETATIO.

[j] *utrùm aliquid de bonis nostris conservaveris.* [k] *de servis manumissis.* [l] tuos libertate non donavi, *promisi tantùm te facturam esse, ut, &c.* [m] *minoris sunt momenti.* [n] *navigandi tempus opportunum.*

NOTÆ.

magnitudine non imparem; hanc Æmonii populi condiderunt; unde Ovidius :

Cyzicon, Æmonia nobile gentis opus.

6. *Et matrimonio*] Erat tùm Pisonis uxor : ejus autem & doti, & famæ Cicero, absente se, timebat.

7. *Primùm tuis*] Servorum, quos Terentia dotis nomine habebat, neminem manumisit, neque enim poterat.

8. *Cæterorum servorum*] Cicero, cùm in exilium abiret, veritus, ne servos unà cum facultatibus reliquis amitteret, eos in libertatem vindicavit, eâ nihilominùs lege, ut si, furente Clodio, privandi esset bonis omnibus, ii suo beneficio liberti essent, modò ut manumissionis obtineri posset confirmatio; sin autem per legem Clodiam, Tullio servi non adimerentur, servirent ut anteà, præterquam pauciissimi, quibus, ob egregiam fidem, sine ullâ exceptione libertatem dabat.

9. *Clodium Philetærum*] Libertum.

10. *Sallustius*] Tàm benè erga me animatus est, ut sperem illum officiis reliquos amicos meos facilè superaturum.

Digitized by Google

EPISTOLA V.

Significat se Athenas, ventis adversis, cum Cicerone filio navigasse: Terentiæ diligentiam in scribendo laudat: addit postremò, quid de hæreditate Pratianâ fieri velit. Scripta est hæc epistola aliquot, post superiores, annis, Lucio Paulo, & Caio Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo tertio, cùm è Ciliciâ Romam rediret.

Tullius s. d. Terentiæ, Tulliolæ, & Ciceroni, suis.

SI tu, & Tullia, lux nostra, valetis, ego, & [a] suavissimus Cicero valemus. Pridie idus Octobris [1] Athenas venimus, cùm sanè adversis ventis usi essemus, tardéque, & incommodè navigassemus. de navi exeuntibus nobis [2] Acastus cum literis præstò fuit, uno & vigesimo die, [b] sanè strenuè. Accepi tuas literas, quibus intellexi, te veteri, ne superiores mihi redditæ non essent. omnes sunt redditæ: diligentissiméque à te perscripta sunt omnia: idque mihi gratissimum fuit. Neque sum admiratus, hanc epistolam, quam Acastus attulit, brevem fuisse. jam enim meipsum expectas, sive nos ipsos: qui quidem quamprimum ad vos venire cupimus. [c] etsi, in quam rempublicam venimus, intelligo. cognovi enim ex multorum amicorum literis, quas attulit Acastus, [3] ad arma rem spectare: ut mihi, cùm venero, [4] dissimulare non liceat quid sentiam [d]. Sed, [e] quando subeunda fortuna est, eò citiùs dabimus operam, ut veniamus, quò faciliùs de totâ re deliberemus. tu vellm, quod commodo valetudinis tuæ fiat, quàm longissimè poteris, obviam nobis prodeas. [5] De hæreditate Prætianâ, quæ quidem mihi magno dolori est, (valdè enim illum amavi) hoc velim cures, [f] si auctio ante meum adventum fiet, [g] ut Pomponius, aut, si is minus poterit, [6] Camillus [7] nostrum negotium curet. nos, cùm venerimus, reliqua

INTERPRETATIO.

[a] *filius noster.* [b] *sanè celeriter.* [c] *etsi jam intelligo, quantum impendeat Reipublicæ discrimen.*

[d] de præsenti Reipublicæ statu.

[e] *quando subeunda est alea.*

[f] *si bona ejus publicè vendantur*, si on fait l'encan.

[g] *fac, ut res curetur per Pomponium, & Camillum.*

NOTÆ.

1. *Athenas venimus*] E Ciliciâ redeuntes, quam Cicero per annum Proconsul administraverat.

2. *Acastus*] Ciceronis servus.

3. *Ad arma rem*] Dissidentibus palàm Cæsare, & Pompeio civile bellum imminebat.

4. *Dissimulare non liceat*] Eò quippè res devenerant, ut necesse esset, vel Cæsarem offendere, vel Pompeium.

5. *De hæreditate Prætianâ*] Quam Prætianus Ciceroni testamento reliquerat.

6. *Camillus*] Vide epist. 15. & 20. libri tertii.

7. *Nostrum negotium curet*] Ut pars hæreditatis, quæ mihi obvenit, integra servetur.

Digitized by Google

per nos agemus. sin tu jam Româ [8] profecta eris, tamen curabis, [9] ut hoc ita fiat. nos, si dii adjuvabunt, circiter id. Nov. in Italiâ speramus fore. Vos, mea suavissima, & optatissima Terentia, & Tulliola, si nos amatis, curate ut valeatis. Athenis, a. d. XV. Kalend. Novemb.

NOTÆ

8. *Profecta eris*] Ut obviam mihi venias.

9. *Ut hoc ita fiat*] Ut hujus rei cura committatur Pomponio, & Camillo.

EPISTOLA VI.

Excusationem affert, cur rariùs ad eam scribat; mandat, ut ære alieno se liberet, Pollicemque servum ocyùs ad se mittat. Videtur scripta Cæsare secundùm, & Servilio Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quinto, cùm ad Pompeium in Græciam navigaret, vel cùm in Pompeianis castris jam esset.

Cicero s. d. Terentiæ suæ.

NEc sæpè est, cui literas demus: nec rem habemus ullam, quam scribere velimus. Ex tuis literis, quas proximè accepi, cognovi prædium nullum [a] venire potuisse. Quare videas velim, quomodo satisfiat [b] ei, cui scis me satisfieri velle. [c] Quòd nostra tibi gratias agit, [d] id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. [1] Pollicem, si adhuc non est profectus, quamprimum fac [2] extrudas. Cura ut valeas. Idibus Quint.

INTERPRETATIO.

a *vendi.* b *creditori.* c *quòd scribis Tullialam beneficiorum tuorum memorem esse.* d *non miror, ea te merita in illam contulisse, propter quæ tibi gratias agere possit.*

NOTÆ.

1. *Pollicem*] Servum. 2. *Extrudas*] Domo, ut ad me quamprimùm veniat.

EPISTOLA VII.

Significat, quanto fuerit mœrore confectus, quoque modo eum excusserit: addit de suâ ad Pompeium navigatione; hortatur, ut forti sit animo, benè de Republicâ speret, valetudinem suam curet. Lentulo, & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quarto, belli civilis primo.

Cicero s. d. Terentiæ suæ.

OMNES molestias, & solicitudines, [1] quibus & te miserrimam habui, id quod mihi molestissimum est, Tulliolamque, quæ nobis no-

INTERPRETATIO.

1 *quæ te, & Tulliolam afflixerunt.*

Digitized by Google

ſtrâ vitâ dulcior eſt, depoſui, & ejeci. [b] quid cauſæ autem fuerit, poſtridie intellexi, quàm à vobis diſceſſi. [c] χολὴ ἄπεφθος noctu ejeci. ſtatim ita ſum levatus, ut mihi deus aliquis medicinam feciſſe videatur. cui quidem tu deo, quemadmodum ſoles, [1] piè, & caſtè [d] ſatisfacias, id eſt [2] Apollini, & [3] Æſculapio. Navim ſpero nos valdè bonam habere. in eam ſimul atque [4] conſcendi, hæc ſcripſi. deinde conſcribam ad noſtros familiares multas epiſtolas: quibus te, & Tulliolam noſtram diligentiſſimè commendabo. cohortarer vos, quo animo fortiori eſſetis, niſi vos fortiores cognoſcerem, quàm quenquam virum: & tamen ejuſmodi ſpero negotia eſſe, ut & vos [e] iſtic commodiſſimè ſperem eſſe, & me aliquando [f] cum [5] ſimilibus noſtri rempublicam defenſurum. Tu primùm valetudinem tuam velim cures: deinde, tibi ſi videbitur, villis iis utare, quæ longiſſimè aberunt [6] à militibus. fundo Arpinati benè poteris uti [7] cum familiâ urbanâ, [8] ſi annona cariór fuerit. [8] Cicero beliſſimus tibi ſalutem plurimam dicit. Etiam atque etiam vale. Datum VII. id. Jun.

INTERPRETATIO.

[b] *quæ de causâ mœrorem tantum contraxeram.*
[c] *bilem meram*, moleſtiæ meæ cauſam, *noctu evomui.*
[d] *vota ſolvas.*
[e] *Romæ.*
[f] *cum bonis civibus.*
[5] *ſi frumentum* Romæ *carius vendatur.*

NOTÆ.

1. *Piè*] Piâ mente, caſto corpore, ut explicat Manutius.
2. *Apollini*] Quem morborum curationi præeſſe veteres opinati ſunt.
3. *Æſculapio*] Æſculapius Jovis filius, Medicinæ auctor, idem ac præſes habitus, cui vota pro recuperandâ ſalute nuncupare ſolemne erat. Multa de illo Poëtæ fabulantur.
4. *Conſcendi*] Navigaturus in Græciam, quò Pompeius, relictâ Græciâ, ſe contulerat.
5. *Similibus noſtri*] Libertatis nimirùm, ac patriæ defenſurus.
6. *A militibus*] Ut eorum injurias vites.
7. *Cum familiâ urbanâ*] Cum domeſticis, quos in urbe alebat
8. *Cicero*] Filius, qui ſimul cum patre ad bellum profectus erat.

EPISTOLA VIII.

Rogat uxorem, ut valetudinem ſuam curet; laudat ejus in ſcribendo diligentiam, eamque ut deinceps adhibeat, monet. Cæſare ſecundùm, & Servilio Conſulibus, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo quinto, & belli civilis ſecundo, ante Pharſalicam pugnam.

Cicero S. D. Terentiæ ſuæ.

SI vales, benè eſt: ego quidem valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentiſſimè. nam mihi & ſcriptum, & nuntiatum eſt, te in febrim ſubitò incidiſſe. Quòd celeriter me feciſti [a] de Cæſaris literis certiorem, fe-

INTERPRETATIO.

[a] *de litteris, quas ad me ſcripſit Cæſar.*

cisti mihi gratum. item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit novi, facies ut sciam. Cura ut valeas. Vale. Datum IV. non. Jun.

EPISTOLA IX.

Significat dolorem suum ex Dolabella generi sui, Tulliolaque filiæ morbo. Eodem anno, post Pharsalicam pugnam.

Cicero S. D. Terentiæ suæ.

AD cæteras meas miserias accessit dolor è Dolabellæ valetudine, & Tulliæ. omninò de omnibus rebus nec quid consilii capiam, nec quid faciam, scio. Tu velim tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Vale.

EPISTOLA X.

Monet, ut cum Attico colloquatur, litterasque mittat. Cæsare secundum Dictatore, Marco Antonio Magistro Equitum, nondum creatis Cons. qui exeunte anno facti sunt Quintus Fusius Calenus, & Publius Vatinius, anno urbis condita septingentesimo sexto, belli civilis tertio.

Cicero S. D. Terentiæ suæ.

QUID fieri placeret, scripsi ad Pomponium, seriùs, quàm oportuit: cum eo si locuta eris, intelliges quid fieri velim. apertiùs scribi, quando ad illum scripseram, necesse non fuit. de eâ re, & de cæteris rebus quamprimum velim nobis literas mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. VII. id. Quint.

EPISTOLA XI.

Tulliam ad se venisse scribit; sibi autem in animo esse filium ad Cæsarem mittere. Eodem anno, sed ante proximè superiorem scripta.

Cicero S. D. Terentiæ suæ.

SI vales, bene est: ego valeo. Tullia nostra [1] venit ad me pridie id. Jun. [a] cujus summâ virtute, & singulari humanitate, graviore etiam sum dolore affectus, [b] nostrâ factum esse negligentiâ, ut longè aliâ in fortunâ esset,

INTERPRETATIO.

[a] *ob cujus summam virtutem, &c.*
[b] *meâ culpâ factum esse, ut tam pia, tamque illustris fœmina, in tam miserâ fortunâ versaretur.*

NOTÆ.

1. *Venit ad me*] Brundusium, quò post eladem Pharsalicam profectus erat Cicero, Cæsaris ex Asiâ reditum expectans: fecit autem posteà cum uxore divortium, &

atque ejus [2] pietas, ac [3] dignitas postulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem [4] ad Cæsarem mittere, & cum eo Cn. Sallustium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XVII. Kalend. Quint.

NOTÆ.

quòd ipsa Brundusium non venerit, & quòd filiam, sine pecuniâ, & comitatu huc venire permiserit; fuerunt & aliæ ejusdem divortii causæ, de quibus alibi.

2. *Pietas*] Erga patrem, ad quem longo & difficili itinere profecta est, ut afflictum consolaretur.

3. *Dignitas*] Dignitatem suam fœminæ à virorum claritate trahebant, ut cùm uxores, aut filiæ, aut sorores Consulum, aut Consularium erant.

4. *Ad Cæsarem mittere*] Ut veniam sibi, quòd Pompeium erat secutus, impetraret; sed cùm de ejus adventu nihil referretur, consilium mutavit.

EPISTOLA XII.

Se ipse objurgat, quòd superato ad Pharsalum Pompeio, in Italiam nimis celeriter redierit; monet uxorem, ne ad ipsum veniat. Cæsare secundum, & Servilio Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quinto, civilis belli secundo.

Cicero S. D. Terentiæ suæ.

QUÒD nos in Italiam salvos venisse gaudes, perpetuò gaudeas velim. [2] sed perturbati dolore animi, [1] magnisque injuriis, metuo ne id consilii ceperimus, quod non facilè explicare possimus. Quare, quantum potes, [2] adjuva. quid autem possis, mihi in mentem non venit. [3] In viam quòd te des hoc tempore, nihil est. & longum est iter, & non tutum: & non video quid prodesse possis, si veneris. Vale. Datum pridie non. Nov. Brundusio.

INTERPRETATIO.

[a] *sed metuo, ne dolore perturbati animi, injuriisque* adductus, *consilium ceperim, quod felicem exitum non habeat.*

NOTÆ.

1. *Magnisque injuriis*] Fortè respicit ad Pompeii Magni filium, qui mortem ei minatus est, quòd victi ad Pharsalum exercitûs dux esse recusasset; vel significat injurias, de quibus cum Attico sæpè conqueritur.

2. *Adjuva*] Ut mihi Cæsar ignoscat, quòd in ipsum arma ceperim, ejusque injussu Italiam repetierim.

3. *In viam quòd te des*] Initio quidem iter illud uxori suæ Cicero dissuasit, post tamen ægrè tulit, quòd ad ipsum cum filiâ non veniisset.

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

Permittit uxori, ut de faciendo divortio consilium capiat, prout temporum calamitas patitur. Cæsare secundùm Dictatore, Marco Antonio Magistro equitum, anno urbis conditæ septingentesimo sexto, belli civilis tertio.

Cicero s. d. Terentiæ suæ.

QUOD scripsi ad te proximis literis [a] de nuntio remittendo, [b] quæ sit [1] istius vis hoc tempore, & [c] quæ concitatio multitudinis, ignoro. si metuendus iratus est, [d a] quies tamen ab illo fortasse nascetur. [3] Totum judicabis quale sit, [e] &, quod in miserrimis rebus minimè miserum putabis, id facies. Vale. VI. id. Quint.

INTERPRETATIO.

[a] *de divortio faciendo.* [b] *ignoro quis futurus sit hoc tempore Cæsaris impetus.* [c] *& qua commotio populi Romani ad ejus victoriam.* [d] *pax.* [e] *& quod utilius omnibus nobis ad divortium quod attinet.*

NOTÆ.

1. *Istius*] Cæsaris, ex Ægypto, & Asiâ redeuntis, ubi Ptolemæum ac Pharnacem devicerat; id est, ignoro quonam modo cum Romanis se geret post tot victorias jam relatas, utrùm severè, an leniter?

2. *Quies*] Quia, cùm Cæsaris ex nutu penderent omnia, bello quoque finem, & tumultibus imponere poterat.

3. *Totum*] Id omne scilicet, quod præsens epistola complectitur; id est, judicabis quid sit de divortio sentiendum, quid sit de Cæsare jam dominante, & timendum, & sperandum.

4. *Id facies*] Indicat his verbis, divortium sibi non displicere; nec certè displicebat: reversus enim in Italiam post bellum Pharsalicum, res domesticas in pessimum, uxoris incuriâ, statum devenisse comperit.

EPISTOLA XIV.

Monet uxorem, & filiam, consulerent, & ipsæ, & cum amicis, utrùm ab urbe discedant, aut Cæsaris, qui Rubiconem transierat, adventum expectent. Lentulo & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quarto, initio belli civilis.

Tullius s. d. Terentiæ, & pater Tulliolæ, duabus animis suis: & Cicero matri optimæ, suavissimæ sorori.

SI vos valetis, nos valemus. Vestrum jam consilium est, non solùm meum, quid sit vobis faciendum. si [a] ille Romam [1] modestè [2] venturus

INTERPRETATIO.

[a] *Cæsar.*

NOTÆ.

1. *Modestè*] Leni, & pacato animo, nullâ civibus illatâ injuriâ.

2. *Venturus*] Rubicone trajecto, postquam cecinit classicum, & in patriam gladium distrinxit.

3. *Rectè*

Digitized by Google

est, [3] rectè in præsentiâ domi esse potestis. sin homo amens diripiendam urbem daturus est, vereor [b] ut [4] Dolabella ipse satis vobis prodesse possit. etiam illud metuo, ne jam intercludamini, ut, cùm velitis, exire non liceat. Reliquum est, quod ipsæ optimè considerabitis, vestri similes fœminæ sintne Romæ. si enim non sunt, videndum est, [c] ut honestè vos esse possitis. Quomodocumque nunc se res habet, [d] modò ut hæc nobis loca [5] tenere liceat, bellissimè vel mecum, vel in nostris prædiis esse poteritis. Etiam illud verendum est, ne brevi tempore fames in urbe sit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, consideretis: ad summam, animo forti sitis. [e] [6] Labienus rem meliorem fecit. adjuvat etiam [7] Piso, quòd ab urbe discedit, & sceleris condemnat generum suum. Vos, meæ carissimæ animæ, quamsæpissimè ad me scribite & vos quid agatis, & quid istic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus vobis salutem dicunt. Valete. VIII. Kalend. Quint. [8] Minturnis.

INTERPRETATIO.

[b] *ne non.* [c] *vereor, ne non possitis* Romæ *cum dignitate versari.*
[d] *modò hanc Campaniæ partem,* cui præsum, *conservare possim.*
[e] *Labieni* defectio *Pompeii causam meliorem fecit.*

NOTÆ.

3. *Rectè*] Honestè, commodè, tutè.

4. *Dolabella*] Ciceronis gener, legatus, & amicus Cæsaris.

5. *Tenere liceat*] Timebat, ne Cæsar hæc loca quoque occuparet: distributis, initio civilis belli, Italiæ regionibus, ut suam quisque contra Cæsarem tueretur, Capua, cum orâ maritimâ Campaniæ, Tullii custodiæ tradita est.

6. *Labienus*] Cæsari familiarissimus, qui tot annos in Galliâ ejus auspiciis militaverat; primo belli civilis anno ad Pompeium defecit, sive timeret sibi à Cæsare; sive bellum patriæ indictum damnaret; sed illa desertio nihil admodum nocuit Cæsari, nemo enim alter ex Cæsarianis Labieni exemplum secutus est.

7. *Piso*] Cæsaris socer, qui ad Pompeium quidem non abiit, sed relictâ urbe visus est generi consilia non probare: extat in hunc Pisonem Ciceronis oratio.

8. *Minturnis*] In Campaniæ finibus, haud procul ab Sinuessâ. Hor. lib. 1. epist. v. ad Torquatum:

——*Palustres*
Inter Minturnas, Sinuessanumque Petrinum.

EPISTOLA XV.

Significat, se mutasse consilium de mittendo ad Cæsarem Ciceronem filio. Eodem anno quo decimam.

Tullius s. d. Terentiæ suæ.

SI vales, bene est: ego valeo. Constitueramus, ut ad te anteà scripseram, [1] obviam Ciceronem Cæsari mittere: sed mutavimus consilium, quia

NOTÆ.

1. *Obviam Cæsari*] Ex Ægypto, & Asiâ Romam redeunti.

de illius adventu nihil audiebamus. De cæteris rebus, etsi nihil erat novi, tamen, [2] quid velimus, & quid hoc tempore putemus opus esse, ex Sica poteris cognoscere. [3] Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII. Kal. Quint.

NOTÆ.

2. *Quid velimus*] Vehementer cupiebat Brundusio, ubi jamdiu Cæsarem expectabat, proficisci

3. *Tulliam*] Quæ Brundusium ad patrem venerat. Epist. 11.

EPISTOLA XVI.

De Volumniâ queritur, suumque, ex præsenti rerum perturbatione, dolorem exponit. Eodem anno.

Cicero S. D. Terentiæ suæ.

SI vales, bene est: ego valeo. [a] [1] etsi ejusmodi tempora nostra sunt, ut nihil habeam, quod aut à te literarum expectem, aut ipse ad te scribam: tamen nescio quomodo & ipse vestras literas expecto, & scribo ad vos, cùm habeo, qui ferat. [2] Volumnia debuit in te officiosior esse, quàm fuit: & id ipsum quod fecit, potuit [b] diligentiùs facere, & cautiùs. Quanquam alia sunt, [3] quæ magis curemus, magisque doleamus: quæ me ita conficiunt, [4] ut ii volüerunt, qui me [5] de meâ sententiâ [c] detruserunt. Cura ut valeas. Pridie non. Jan.

INTERPRETATIO.

[a] *& si tantus est dolor meus.* [b] *majori adhibitâ curâ*, ut tuæ famæ consuleret. [c] *deduxerunt.*

NOTÆ.

1. *Etsi ejusmodi*] Tum erat Brundusii, sibi magnoperè timens, & à Pompeianis, quos, relictis eorum partibus, offenderat, & à Cæsare, cujus injussu in Italiam, post Pharsalicum prælium, redierat.

2. *Volumnia*] Quæ fortè molestiùs, quàm res domesticæ Ciceronis, ac tempora postulabant, debitam sibi pecuniam à Terentiâ repetebat.

3. *Quæ magis curemus*] Quomodò scilicet Cæsarem placare, & Romam tutò reverti possim.

4. *Ut ii voluerunt*] Tacitè Dolabellam accusat, cujus litteris, & consilio adductus, in Italiam, ab Cæsare non invitatus, redierat.

5. *De meâ sententiâ*] De non revisendâ Italiâ, nisi post acceptam à Cæsare protestatem.

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

Causam exponit, quamobrem rarius, & paucis ad eam scribat. Eodem anno; sed ante superiorem scriptam esse probabile est.

Tullius S. D. Terentiæ suæ.

SI quid haberem, quod ad te scriberem, facerem id & pluribus verbis, & sæpiùs. nunc [a] quæ sunt negotia, vides. Ego autem quomodo sim [1] affectus, ex Leptâ, & Trebatio poteris cognoscere. fac ut tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *quo in statu versetur res tùm familiaris, tùm publica.*

NOTA.

1. *Affectus*] Et animo, & corpore.

EPISTOLA XVIII.

Monet uxorem, & filiam, attentè ut considerent, nùm Romæ tutò esse possint, & cum dignitate. Eodem anno quo decima quarta.

Tullius S. D. Terentiæ, & pater suavissimæ filiæ, Cicero matri, & sorori.

CONSIDERANDUM vobis etiam atque etiam, animæ meæ, diligenter puto, quid faciatis, [1] Romæ-ne sitis, an mecum [2] in aliquo tuto loco. [a] id non solùm meum consilium est, sed etiam vestrum. Mihi veniunt in mentem hæc, Romæ vos esse tutò posse [3] per Dolabellam, eamque rem posse nobis adjumento esse, si qua vis, aut si quæ rapinæ fieri cœperint. [b] Sed rursùs illud me movet, quòd video omnes bonos abesse Româ, & eos mulieres suas secum habere. hæc autem regio, in quâ ego sum, [c] nostrorum est tùm oppidorum, tùm etiam prædiorum: [d] ut & multùm esse mecum, &

INTERPRETATIO.

[a] *non mea duntaxat, sed vestra quoque sunt partes, hæc diligenter perpendere.*
[b] *sed ab hac sententiâ illud me deducit, quòd, &c.* [c] *continet oppida quibus præsum, & prædia nostra.*
[d] *adeò ut in oppidis, quibus sum præpositus, aut in prædiis nostris, si modò abieritis ex eo loco, ubi nunc sum, commodè esse possitis.*

NOTÆ.

1. *Romæ-ne*] Accedente ad urbem Cæsare, post trajectum Rubiconem, initio belli civilis.
2. *In aliquo tuto*] In orâ Campanâ, cui Tullius præerat. Vide epistolam decimam quartam.
3. *Per Dolabellam*] Tulliæ maritum, qui maximâ valebat apud Cæsarem auctoritate.

cùm abieritis, commodè etiam in noſtris prædiis eſſe poſſitis. mihi plane non ſatis conſtat adhuc, utrum ſit melius. vos videte, quid aliæ faciant [e] iſto loco fœminæ, & ne, cùm velitis, exire non liceat. id velim diligenter etiam atque etiam vobiſcum, & cum amicis conſideretis. Domus ut propugnacula, & præſidium habeat, [f] 4 Philotimo dicetis. Et velim tabellarios inſtituatis certos, ut quotidie aliquas à vobis literas accipiam. Maximè autem date operam, ut valeatis, ſi nos vultis valere. VIII. Kalend. Febr. 5 Formiis.

INTERPRETATIO.

[e] *ejuſdem vobiſcum conditionis.* [f] *dicetis Philotimo, ut domum propugnaculis, & armato milite muniat.*

NOTÆ.

4. *Philotimo*] Terentiæ liberto.

5. *Formiis*] Formiæ, urbs in orâ Campaniæ littorali, inter Cajetam ad occaſum, & Minturnas ad ortum, Læſtrigonibus, ut multi putant, olim habitatæ, ibi nunc *Molæ*, pagus elegans, & amœnus.

EPISTOLA XIX.

Tullia morbo ſe graviter exanimatum ſcribit, ſeque impediri, quominus propiùs poſſit accedere. Cæſare ſecundum, & Servilio Coſſ. anno urbis conditæ ſeptingenteſimo quinto, belli civilis ſecundo, poſt pugnam Pharſalicam, Brunduſii.

Tullius S. D. Terentiæ ſuæ.

[a] 1 IN maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliæ noſtræ, de quâ nihil eſt quod ad te plura ſcribam. tibi enim æquè magnæ curæ eſſe certò ſcio. Quòd me propiùs vultis accedere, video ita eſſe faciendum: etiam antè feciſſem: ſed [b] 2 me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita ſunt. ſed à Pomponio expecto literas, quas ad me quamprimum perferendas cures velim. Da operam ut valeas.

INTERPRETATIO.

[a] *præter alios dolores, quibus conficior.*

NOTÆ.

1. *In maximis meis doloribus*] Quod Reſpublica libertatem ſuam amiſerit, quòd civili me bello implicuerim, quòd in Italiam, Cæſaris injuſſu, redierim.

2. *Me multa impedierunt*] Lictores intelligit, quos in Ciliciam Proconſul diſcedens, à populo acceperat: non poterat autem eos dimittere, dignitate ſalvâ, priùs in urbem quàm revertiſſet; nec retinere ſine periculo, cùm eos ab Cæſare, aut ab iis qui in Italiâ Cæſaris locum tenebant, nondum impetraſſet; impetravit poſteà, ut patet ex epiſtolâ ſeptimâ libri undecimi ad Atticum.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

Cum Cæsar benignè satis ad Tullium ex Ægypto scripsisset, non dubitavit Romam propiùs accedere; quare mandat uxori, ut in Tusculano parent omnia, ad hospites excipiendos. Eodem anno quo decima.

Tullius S. D. Terentiæ suæ.

IN Tusculanum nos venturos putamus aut nonis, aut postridie. ibi fac ut sint omnia parata. plures enim fortasse nobiscum erunt: & , ut arbitror, diutiùs ibi commorabimur. [1] labrum si in balneo non est, fac ut sit: item cætera, quæ sunt ad victum, & ad valetudinem necessaria. Vale. Kal. Oct. [2] de Venusino.

NOTÆ.

1. *Labrum*] Genus vasis lavandis corporibus aptum, quasi lavabrum. *Labra lapidea balneis usum præstunt, fossa lapidea in balneis labra vocabantur.* Budæus.

2. *De Venusino*] *Venusia*, oppidum Apuliæ, Horatii patria, vulgò nunc *Venosa*, regni Neapolitani civitas in provinciâ Basilicatâ, ad radices Apennini montis; parva, & principatûs titulo clara, gentis Ludovisiæ.

EPISTOLA XXI.

Scribit, ut quæ sibi sunt necessaria, provideat, atque administret. Videtur scripta, Lentulo & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quarto, belli civilis primo, cùm Cicero in Græciam ad Pompeium navigare cogitaret.

Tullius S. D. Terentiæ suæ.

SI vales, bene est: ego valeo. Da operam ut convalescas: [2]quod opus erit, ut res, tempusque postulat, provideas, atque administres, & ad me de omnibus rebus quamsæpissimè literas mittas. Vale.

INTERPRETATIO.

2 *quæ sunt mihi ad iter necessaria, provide, prout tempus postulat, & ad me mitte.*

EPISTOLA XXII.

Significat se Tabellarios expectare, ut statuat quid sibi faciendum sit. Scriptam existimat Manutius anno belli civilis tertio, & urbis conditæ septingentesimo sexto, cùm Cæsar iterùm Dictator, scriptis ad Ciceronem literis, ex Ægypto in Italiam rediret.

Tullius S. D. Terentiæ suæ.

SI vales, bene est: ego valeo. Nos quotidie tabellarios vestros expectavimus: qui si venerint, fortasse erimus certiores, [1] quid nobis faciendum

NOTA.

1. *Quid nobis faciendum sit*] Utrùm Cæsari obviam ire oporteat, an eum Brundusii expectare.

sit, faciemusque te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Kalend. Sept.

EPISTOLA XXIII.

De Cæsaris adventu, deque ejus literis, nihil quidquam adhuc accepisse scribit. Eodem anno, & biduo ante eam quæ sequitur; utraque tamen anno vigesimam secundam collocanda.

Tullius s. d. Terentiæ suæ.

SI vales, bene est: ego valeo. Nos neque de Cæsaris adventu, neque de literis, quas Philotimus habere dicitur, quidquam adhuc certi habemus. si quid erit certi, faciam te statim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale, IV. id. Sext.

EPISTOLA XXIV.

De literis à Cæsare sibi redditis scribit, tùm de ejus adventu; addit nondum sibi deliberatum esse, utrùm illi obviam procedere, an Brundusii eum expectare debeat. Eodem anno.

Tullius s. d. Terentiæ suæ.

SI vales, bene est: ego valeo. Redditæ mihi jam tandem sunt à Cæsare literæ, [a] satis liberales: & ipse opinione celeriùs venturus esse dicitur. cui utrùm obviam procedam, an [b] hîc eum expectem, cùm constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi velim quamprimum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Pridie id. Sext.

INTERPRETATIO.

a satis officiosa. b Brundusii.

Digitized by Google

LIBER XV.

AD SENATUM, ET ALIOS.

EPISTOLA I.

Cùm Ciceroni nunciatum esset, Parthos permagno cum exercitu Euphratem, Imperii Romani terminum, transisse, de provinciâ suâ sollicitus, monet Senatum, populumque Romanum, ut majores ad se copiæ summittantur. Sulpicio & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo secundo, quo Tullius in Ciliciam Proconsul discessit. Post secundam collocanda est, secunda verò post tertiam, cujus hoc initium, cùm ad me legati, *in quâ nihil adhuc se publicè de bello Parthico scripsisse significat.*

Cicero procos. s. d. cos. prætor. trib. pl. s. p. q. r.

SI vos valetis, bene est: ego quidem valeo. Etsi non dubiè mihi nuntiabatur, Parthos transisse [1] Euphratem cum omnibus ferè suis copiis: tamen, quòd arbitrabar à M. [2] Bibulo procos. [3] certiora de his rebus ad vos scribi posse, statuebam mihi non necesse esse publicè scribere ea: quæ [4] de alterius provinciâ nuntiarentur. Postea verò quàm certissimis auctoribus legatis, nuntiis, literis sum certior factus: [a] vel quòd tanta res erat, vel quòd nondum audieramus Bibulum in Syriam venisse, vel quia administratio hujus belli mihi cum Bibulo [5] penè est communis, quæ ad me delata essent, scribenda ad vos putavi. Regis [6] Antiochi Commageni legati primi mihi nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse. Quo nun-

INTERPRETATIO.

[a] *vel quia res tanti momenti erat.*

NOTÆ.

1. *Euphratem*] Mesopotamiæ fluvium, quem ex Niphate Armeniæ monte magnum, profundum & celerem oriri narrat Strabo; priùs in sinum Persicum quàm se exoneret, Babiloniam dividit, Tigrique conjunctus, Mesopotamiam efficit: uterque ex eodem fonte nascitur. Sic Boësius:

Tigris & Euphrates uno se fonte resolvunt.

2. *Bibulo*] Syriæ Proconsule.

3. *Certiora*] Quia propiùs aberat à Parthis Bibulus, quàm Cicero.

4. *De alterius provinciâ*] De Syriâ, quam à Parthorum imperio Euphrates fluvius dirimebat.

5. *Penè*] Ob Syriæ, cui Bibulus, & Ciliciæ, cui Cicero præerat, propinquitatem; adeò ut in discrimen venire una non posset, quin veniat & altera.

6. *Antiochi*] Cujus sororem Orodes

tio allato, cùm essent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, statui expectandum esse, si quid certius afferretur. a. d. XIII. Kalend. Oct. cùm exercitum in Ciliciam ducerem in finibus Lycaoniæ, & Cappadociæ mihi literæ redditæ sunt 7 à Tarcondimoto, qui fidelissimus socius, trans Taurum, amicissimusque populi Romani existimatur, [c] 8 Pacorum, [c] 9 Orodis regis Parthorum filium, cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse 10 Tybæ, magnumque tumultum esse in provinciâ Syriâ excitatum. Eodem die ab 11 Jamblico, [b] 12 Phylarcho Arabum, quem homines opinantur benè sentire, amicumque esse reipublicæ nostræ, literæ de iisdem rebus mihi redditæ sunt. His rebus allatis, etsi intelligebam socios [c] infirmè animatos esse, & novarum rerum expectatione suspensos: sperabam tamen eos, ad quos jam accesseram, quique nostram [d] 13 consuetudinem, integritatemque perspexerant, amiciores populo Romano esse factos: 14 Ciliciam autem firmiorem fore, si [d] æquitatis nostræ particeps facta esset. & ob eam causam, & ut opprimerentur ii, qui [b] 15 ex Cilicum gente in armis essent, [c] & ut hostis is, qui esset in Syriâ, sciret exercitum populi Romani non modò non cedere his nuntiis allatis, sed etiam propiùs accedere, exci-

INTERPRETATIO.

[b] *præfecto.* [c] *non optimè erga populum Romanum affectos.*
[d] *quando administrationis meæ æquitatem experta erit.*
[c] *& ut Parthi, qui erant in Syrâ, intelligerent, &c.*

NOTÆ.

Rex Parthorum duxerat.

7. *A Tarcondimoto*] Ciliciæ partem tenebat: cùm Pompeii castra in dissensione civili secutus esset, pepercit ei Cæsar: interfecto Cæsare, Cassius, qui pro Republicâ copias in Asiâ colligebat, Tarcondimotum, & Tarsenses ad societatem secum ineundam compulit. Post Cassii interitum, Antonio contra Octavianum adhæsit, & ab Agrippâ navali prælio cæsus est. Dio, lib. 41. 47. 50.

8. *Pacorum*] Quem posteà Ventidius, Antonii in Asiâ legatus, acie vicit.

9. *Orodis*] Qui Crassum dolo circumventum interemerat.

10. *Tybæ*] Trans Euphratem locus est; de quo nemo quisquam veterum, quod sciam, præter Ciceronem, loquitur.

11. *Jamblico*] Hunc Tarcondimoti filium appellat Strabo; at Dio libro quinquagesimo ait, fuisse in Arabiæ parte Regulum, qui de proditione suspectus, ab Antonio ante certamen Actiacum cæsus est.

12. *Phylarcho*] Nonnulli asserunt, hunc quoque in Arabiâ Regulum extitisse; malim ego dicere cum aliis, dignitatis esse, non hominis vocabulum: cæterè fuit hoc olim ordinis, & dignitatis in equestri militiâ nomen: erat enim equitatus divisus in partes quasdam, quas Græci φυλὰς appellabant, quibus qui præerant, φύλαρχοι dicebantur: omnes autem uni parebant Hipparcho, hoc est equitatûs totius Præfecto, qui à Latinis, sub Dictatore, Magister equitum nuncupatus est. Arabum quoque gens fuit in τέτρα distributa, quas illi quoque φυλὰς seu Tribus nominant; unde suos Dynastas vocarunt *Phylarchos*, id est Tribus, seu gentis, aut populi principes. Saraceni suos duces eodem nomine dixerunt.

13. *Consuetudinem*] Eorum conjectura non displicet, qui legendum putant, *mansuetudinem*: sic enim videtur melius cohærere sententia.

14. *Ciliciam*] Provinciæ suæ partem, quam nondum invisérat.

15. *Ex Cilicum gente*] Populos ad Amanum

tum ad Taurum inſtitui ducere. Sed, ſi quid apud vos auctoritas mea ponderis habet, [f] in iis præſertim rebus, quas vos audiſtis, ego penè cerno: magnoperè vos & hortor, & moneo, ut his provinciis, ſeriùs vos quidem, quàm decuit, ſed aliquando tamen conſulatis. [g] Nos quemadmodum inſtructos, & quibus præſidiis munitos ad tanti belli opinionem miſeritis, non eſtis ignari. [h] Quod ego negotium, non ſtultitiâ obcæcatus, [i] ſed verecundiâ deterritus, non recuſavi. neque enim unquam illum periculum tantum putavi, [k] quod ſubterfugere mallem, quàm veſtræ auctoritati obtemperare. Hoc autem tempore res ſeſe ſic habet, ut, niſi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere ſoletis, maturè in has provincias miſeritis, ſummum periculum ſit, ne amittendæ ſint omnes hæ provinciæ, quibus [16] vectigalia populi Romani continentur. [l] Quamobrem autem in hoc provinciali delectu ſpem habeatis aliquam, cauſa nulla eſt. neque multi ſunt: & diffugiunt, qui ſunt, metu oblato: &, [m] quod genus hoc militum ſit, judicavit vir fortiſſimus, M. Bibulus [17] in Aſiâ: qui, cùm ei permiſiſſetis, delectum habere noluerit. nam ſociorum auxilia, propter acerbitatem, atque injurias imperii noſtri, aut ita imbecilla ſunt, ut non multùm nos juvare poſſint, aut ita alienata à nobis, ut neque expectandum ab iis, neque committendum iis quidquam eſſe videatur. Regis [18] Dejotari & voluntatem, & copias, quantæcunque ſunt, noſtras eſſe duco. [19] Cappadocia [n] eſt inanis. reliqui reges, tyrannique neque opibus ſatis firmi, nec voluntate ſunt. Mihi, [20] in hac paucitate militum, animus certè non deerit: ſpero, ne conſilium quidem. [o] quid caſurum ſit, incertum eſt. [p] utinam ſaluti noſtræ conſulere poſſimus: dignitati certè conſulemus. Valete.

INTERPRETATIO.

[f] *in hoc præſertim Parthici belli periculo, quod audiſtis vos, & quod fermè oculis ego ipſe cerno.*

[g] *licet erat tanti belli metus, ſcitis tamen, me tenui cum exercitu* in Ciliciam *miſſum.*

[h] *quam expeditionem* adverſus Parthos, *&c.*

[i] *ſed verecundia fecit, ut hanc non recuſarem.*

[k] *quod non mallem ſubire, quàm auctoritati veſtræ reſiſtere.*

[l] *nihil eſt autem, quòd ſperetis fieri poſſe in Aſiâ novos militum delectus.*

[m] *bello inutiles eſſe Aſiaticos.*

[n] *milite vacua.*

[o] *quis futurus ſit hujus belli exitus.*

[p] *utinam ex eo poſſim ſalvus evadere; nihil certè indecorè faciam*, nihil turpiter.

NOTÆ.

aum montem ſitos indicat, quibuſcum Ciceroni prælio confligendum fuit.

16. *Vectigalia*] Quæ multò majora ex Aſiâ, quàm ex aliis quibuſlibet provinciis colligebantur.

17. *In Aſiâ*] Ubi tùm verſabatur.

18. *Dejotari*] Galatiæ Regis.

19. *Cappadocia*] In quâ regnabat Ariobarzanes.

20. *In hac paucitate*] De quâ ſæpiùs queritur: duas enim tantùm legiones invenit.

EPISTOLA II.

Exponit, quid in provinciâ suâ, audito Parthorum adventu, fecerit, tùm ad provinciam tuendam, tùm ad socios in fide populi Romani conservandos: addit, Regem Cappadociæ Ariobarzanem ab insidiis fuisse liberatum. Eodem anno.

Cicero procos. s. d. cos. præt. trib. pl. s. p. q. r.

SI vos benè valetis, bene est: ego quidem valeo. Cùm pridie Kal. Sext. [a] in provinciam venissem, neque maturiùs propter itinerum, & navigationum difficultatem venire potuissem: maximè convenire officio meo, reique publicæ conducere putavi, parare ea, quæ ad exercitum, quæque ad rem militarem pertinerent. Quæ cùm essent à me curâ magis, & diligentiâ, quàm [b] 1 facultate, & copiâ, constituta, nuntiique, & literæ de bello à Parthis, in provinciam Syriam illato quotidie ferè afferrentur: iter mihi faciendum per Lycaoniam, & per Isauros, & per Cappadociam arbitratus sum. erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syriâ egredi, atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quòd ea maximè pateret, esse facturos. Itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Ciliciâ continens est, iter feci: castraque 2 ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi: ut 3 Artiasdes, rex Armenius, quocunque animo esset, sciret non procul à suis finibus exercitum populi Romani esse: & 4 Dejotarum, 5 fidelissimum regem, atque amicissimum reipublicæ nostræ, maximè conjunctum haberem, hominem cujus & consilio, & opibus adjuvari posset respublica: quo cùm in loco castra haberem, equitatumque in Ciliciam misissem, ut & meus adventus iis civitatibus, quæ in eâ parte essent, nuntiatus, firmiores animos hominum faceret: & ego maturè, quid ageretur in Syriâ, scire possem: tempus ejus tridui, quod in iis castris morabar, [c] in magno officio, & necessario mihi ponendum putavi. [d] cùm enim vestra auctoritas intercessisset, ut ego regem

INTERPRETATIO.

[a] *in Asiam.* [b] *opibus, & exercitu.* [c] *in honesto, & necessario negotio.* [d] *cùm enim senatusconsulto Ariobarzani salutem mihi commendassetis.*

NOTÆ.

1. *Facultate, & copiâ*] Ob militum paucitatem, de quâ in epist. proximè superiori.

2. *Ad Cybistra*] Urbem hanc nonnulli in Cappadociâ, alii in Armeniâ minori reponunt: certè in utriusque provinciæ confinio sita est. *Armina;ha.*

3. *Artiasdes*] Cujus soror Pacoro, Orodis Regis Parthorum filio, nupserat; quapropter de ejus erga Romanos fide merito poterat dubitari.

4. *Dejotarum*] Cujus filia hujus Orodis filio promissa erat.

5. *Fidelissimum*] Luc. *Fidumque per ma... Dejotarum.*

Digitized by Google

[6] Ariobarzanem, [c 7] Euſeben, & Philoromæum, tuerer, ejuſque regis ſalutem, & incolumitatem regni defenderem, regi regnoque præſidio eſſem: adjunxiſſetiſque, ſalutem ejus regis populo, ſenatuique magnæ curæ eſſe, quod nullo unquam de rege decretum eſſet [f] à noſtro ordine: exiſtimavi me [8] judicium veſtrum ad regem deferre debere, eique præſidium meum, & fidem, & diligentiam polliceri: ut, quando ſalus ipſius, & incolumitas regni mihi commendata eſſet à vobis, diceret, ſi quid vellet. Quæ cùm eſſem [8] in conſilio meo cum rege locutus, initio ille orationis ſuæ vobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit, quòd ei permagnum, & perhonorificum videbatur, ſenatui, populoque Romano tantæ curæ eſſe ſalutem ſuam, meque tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides, & commendationis veſtræ auctoritas perſpici poſſet. Atque ille primò, quod mihi maximæ lætitiæ fuit, ita mecum locutus eſt, ut nullas inſidias neque vitæ ſuæ, neque regno diceret ſe aut intelligere fieri, aut etiam ſuſpicari. Cùm ei ego gratulatus eſſem, idque me gaudere dixiſſem, cohortatus ut recordaretur caſum illum [9] interitûs paterni, & vigilanter ſe tueretur, atque admonitu ſenatus conſuleret ſaluti ſuæ: tùm à me diſceſſit in oppidum Cybiſtra. poſtero autem die cum Ariarathe, fratre ſuo, & cum paternis amicis, majoribus natu, ad me in caſtra venit, perturbatuſque, & flens, cùm idem & frater faceret, & amici, meam fidem, veſtram commendationem implorare cœpit. Cùm admirarer quid accidiſſet novi, dixit, ad ſe indicia manifeſtarum inſidiarum eſſe delata, quæ eſſent ante adventum meum occultata, quòd ii, qui ea patefacere poſſent, propter metum reticuiſſent: eo autem tempore, ſpe mei præſidii, complures ea, quæ ſcirent, audacter ad ſe detuliſſe: in his amantiſſimum ſui, ſummâ pietate præditum, fratrem dicere ea quæ is me quoque audiente dicebat, [10] ſe ſolicitatum eſſe, ut regnare vellet: id, vivo fratre ſuo, accidere non potuiſſe: tamen ante illud tempus eam rem nunquam in medium [11] propter periculi metum protuliſſe. Quæ cùm eſſet locutus, monui regem, ut omnem diligentiam ad ſe conſervandum adhiberet: [h] amicoſque [11] in patris ejus fide, atque judicio probatos, hortatus ſum

INTERPRETATIO.

[c] *religioſum, & Romanorum amicum.*
[f] *à Senatu.*
[8] *denuntiare. quid de eo judicaretis.*
[h] *& hortatus ſum eos, quibus ejus pater fidem habuerat, & de quibus optimè judicare ſolitus erat, ut regis, &c.*

NOTÆ.

6. *Ariobarzanem*] Regem Cappadociæ.

7. *Euſeben, & Philoromæum*] Hæc duo verba, ut notat Corradus, Græcè melius ſcriberentur.

8. *In conſilio meo*] Iis præſentibus, quorum apud me major eſt authoritas.

9. *Interitûs paterni*] Ariobarzanis pater regno pulſus à Mithridate, & Pompeii beneficio reſtitutus, per inſidias interfectus eſt.

10. *Solicitatum eſſe*] Ut fratrem occideret, quo vivo regnare non poterat.

11. *Propter periculi metum*] Ne, ſi indicaſſet, occiſus fuiſſet ab iis, qui eum ſolicitaverant.

12. *In patris*] Cenſeo cum benè multis

Digitized by Google

regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris ejus, omni curâ, custodiâque defenderent. Cùm rex à me equitatum, [i] cohortesque de exercitu meo postularet: etsi intelligebam vestro senatusconsulto, non modò posse me id facere, sed etiam debere: tamen, cùm respublica postularet, propter quotidianos ex Syriâ nuntios, ut quamprimum exercitum ad Ciliciæ fines adducerem: cúmque mihi rex, patefactis jam insidiis, non egere exercitu populi Romani, sed posse se suis opibus defendere videretur: illum cohortatus sum, ut in suâ vitâ conservandâ primùm regnare disceret: à quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur jure regio, pœnâ afficeret eos, quos necesse esset, reliquos metu liberaret; præsidio exercitûs mei ad eorum, qui in culpâ essent, timorem potiùs, quàm [k] ad contentionem uteretur: fore autem ut omnes, quando S. C. nossent, intelligerent me regi, si opus esset, ex auctoritate vestrâ præsidio futurum. Ita confirmato illo, ex eo loco castra movi, & iter in Ciliciam facere institui: cùm hac opinione è Cappadociâ discederem, ut consilio vestro, casu incredibili, ac penè divino regem, quem vos honorificentissimè appellassetis [l] nullo postulante, quemque meæ fidei commendassetis, & cujus salutem magnæ vobis curæ esse decrevissetis, meus adventus præsentibus insidiis liberasset. Quod ad vos à me scribi, non alienum putavi, ut intelligeretis ex iis, quæ penè acciderunt, vos multò antè, ne ea acciderent, providisse. Eóque vos studiosiùs feci certiores, quòd in rege Ariobarzane ea mihi signa videor virtutis, ingenii, fidei, benevolentiæque erga vos perspexisse, ut non sine causâ tantam curam, diligentiamque in ejus vos salutem videamini contulisse. Valete.

INTERPRETATIO.

[i] *peditesque.* [k] *ad dimicationem.* [l] *sponte vestrâ.*

NOTÆ.

tis interpretibus, tollendam præpositionem *in*.

13. *Nullo postulante*] Ciceronem tamen Consule ad Senatum referente.

EPISTOLA III.

Scribit de rumore Parthici belli; additque quibus de causis nihil adhuc ad Senatum publicè scripserit. Eodem anno. Primam hujus libri sedem hæc epistola obtinere debet.

Ciceso [1] Imp. s. D. M. Catoni.

CUM ad me legati, missi ab Antiocho Commageno, venissent in castra ad Iconium ante diem III. non. Sept. iique mihi nuntiassent, regis

NOTÆ.

1. *Cicero Imperator*] Huic titulo mendum inesse patet, necdum enim imperatoris appellationem erat Cicero consecutus.

Digitized by Google

Parthorum [a] filium, quocum esset nupta regis [b] regis Armeniorum soror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copiis, multarumque præterea [c] gentium magnâ manu venisse, Euphratemque jam transire cœpisse, [d] dicique, Armenium regem in Cappadociam impetum esse facturum: putavi pro nostrâ necessitudine me hoc [a] ad te scribere oportere. [e] Publicè propter duas causas nihil scripsi: quòd & ipsum Commagenum legati dicebant ad senatum statim nuntios, literasque misisse, & existimabam M. Bibulum procos. qui circiter id. Sext. ab Epheso in Syriam navibus profectus erat, quòd secundos ventos habuisset, jam in provinciam suam perveniss: cujus literis [f] omnia certiora perlatum iri ad senatum putabam. Mihi, [g] ut in ejusmodi re, tantoque bello, maximè curæ est, ut, quæ copiis, & opibus tenere vix possumus, eâ mansuetudine, & [a] continentiâ nostrâ, sociorum fidelitate teneamus. Tu velim, ut consuesti, nos absentes diligas, & defendas. Vale.

INTERPRETATIO.

a *Pacorum.* b *Artuasdis.* c *Arabum.* d *cúmque nuntiassent, dici Artuasdem in Cappadociam, &c.* e *ad senatum.* f *ut in re difficillimâ.* g *moderatione.*

NOTÆ.

2. *Ad te scribere*] Quoniam Cappadocia erat in Catonis clientelâ, ut videre est in epistolâ sequenti.

3. *Omnia certiora*] Quia Syria, quam Bibulus regebat, Parthis vicina est.

EPISTOLA IV.

Petit à Catone, ut pro rebus in Ciliciâ à se gestis, supplicationes in senatu sibi decerni curet. Paulo & Marcello Coss. anno urbis conditæ 703.

Cicero Imp. s. d. M. Catoni.

SUMMA tua auctoritas fecit, meumque perpetuum de tuâ singulari virtute judicium, ut magni meâ interesse putarem, & res eas, quas gessissem, tibi notas esse, & non ignorari à te, quâ æquitate, & [a] continentiâ tuerer socios, provinciamque administrarem. His enim à te cognitis, arbitrabar faciliùs me tibi, quæ vellem, [b] probaturum. Cùm in provinciam pridie Kal. Sext. venissem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum viderem, [a] biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ qua-

INTERPRETATIO.

a *quâ moderatione.* b *persuasurum.*

NOTÆ.

2. *Biduum Laodiceæ*] Hîc memoriâ lapsus videtur Cicero; scribens enim ad Atticum, sic loquitur, epistolâ 16. libri 5. *moratus triduum Laodiceæ, tri-*

triduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomeli. quibus in oppidis cùm magni [2] conventus fuissent, multas civitates [3] acerbissimis tributis, & gravissimis usuris, & falso ære alieno liberavi. cúmque ante adventum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione ullo [4] apud Philomelum consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaoniâ: M. Annio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaoniâ apud Iconium faceret. quod cùm ab illo diligenter esset actum, ego in castra a. d. VII. Kal. Sept. veni: cùm intereà superioribus diebus ex S. C. & [5] evocatorum firmam manum, & equitatum satis idoneum, & populorum liberorum, regumque sociorum auxilia voluntaria comparavissem. Interim cùm, exercitu lustrato, iter in Ciliciam facere cœpissem, [6] Kal. Sept. legati à rege Commageno ad me missi, permultuosè, neque tamen non verè, Parthos in Syriam transisse, nuntiaverunt. quo audito, vehementer sum commotus cùm de Syriâ, tùm de meâ provinciâ, de reliquâ denique Asiâ. Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putavi. Nam si me in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidem ipsam propter montis Amani naturam facilè tenuissem, (duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syriâ, quorum uterque parvis præsidiis propter angustias intercludi potest: nec est quidquam Ciliciâ contra Syriam munitius) sed me Cappadocia movebat, quæ patet [c] à Syriâ, regesque habet finitimos, qui etiam si sunt amici nobis, tamen aperte Parthis inimici esse non audent. Itaque in Cappadociâ extremâ non longè à Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut & Ciliciam tuerer, &, Cappadociam tenens, nova finitimorum consilia impedirem. Intereà in hoc tanto motu, tantaque expectatione maximi belli, rex Dejotarus, cui non sine causâ plurimùm semper & meo, & tuo, & senatûs judicio tributum est, vir cùm benevolentiâ, & fide erga populum Romanum singulari, [d] tùm præsentiâ, magnitudine, & animi, & consilii legatos ad me misit, se cum omnibus suis copiis in mea castra esse venturum. Cujus ego studio, officioque commotus, egi ei per literas gratias: idque ut maturaret, hortatus sum. Cùm autem ad Cybistra propter rationem belli quinque

INTERPRETATIO.

[c] ex parte Syriæ. [d] tùm præsenti animo, tùm magno consilio.

NOTÆ.

dum Apameæ, totidem dies Synnadis. Et ibidem epist. 20. ait, se moratum esse biduum Laodiceæ, quinque dies Apameæ, triduum Synnadis, Philomeli quinque dies, Iconii decem.

2. *Conventus*] Ad jus dicendum fieri soliti.

3. *Acerbissimis tributis*] Quæ Appius Ciliciæ ante Ciceronem Proconsul imposuerat. Epist. 16. libri 5. ad Atticum.

4. *Apud Philomelum*] De hac urbe, & de aliis, quas appellat in hac epistolâ, Consule indicem Geographicum.

5. *Evocatorum*] Epist. 6. lib. 3.

6. *Kalendis Sept.*] Legendum, *tertio Kalend. Sept.*

Digitized by Google

dies essem commoratus, regem Ariobarzanem, cujus salutem à senatu te auctore commendatam habebam, præsentibus insidiis nec opinantem liberavi: neque solùm ei saluti fui, sed etiam curavi ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi commendaras, Athenæum, importunitate [7] Athenaïdis exilio multatos, maximâ apud regem auctoritate, gratiâque constitui. Cúmque magnum bellum in Cappadociâ concitaretur, si [8] sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolescens & equitatu, & peditatu, & pecuniâ paratus, [e 9] & toto, iis qui novari aliquid volebant: perfeci, ut è regno [f] ille discederet, rexque sine tumultu, ac sine armis, [s] omni auctoritate aulæ communita, regnum cum dignitate obtineret. Intereà cognovi multorum literis, atque nuntiis, magnas Parthorum copias, & Arabum ad oppidum [10] Antiochiam accessisse, magnumque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum turmis, & à cohorte prætoriâ, quæ erat [11] Epiphaneæ præsidii causâ, occidione occisum. Quare cùm viderem, à Cappadociâ Parthorum copias aversas, non longè à finibus esse Ciliciæ, quàm potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Quò ut veni, hostem ab Antiochiâ recessisse, Bibulum Antiochiæ esse cognovi, Dejotarumque confestim, jam ad me venientem cum magno, & firmo equitatu, & peditatu & cum omnibus suis copiis, certiorem feci, non videri esse causam, cur abesset [h] à regno, meque ad eum, si quid fortè novi accidisset, statim literas nuntiosque missurum esse. cúmque eo animo venissem, ut [i] utrique provinciæ, si ita tempus ferret, subvenirem: tamen id, quod jam antè statueram vehementer interesse utriusque provinciæ, pacare Amanum, & perpetuum hostem ex eo monte tollere, agere perrexi. cúmque me discedere ab eo monte simulassem, & alias partes Ciliciæ petere,

INTERPRETATIO.

e *& omni re iis necessariâ, qui seditiones excitare volunt.*
f *sacerdos Comanus.*
s *regis auctoritate per me corroboratâ.*
h *à Galatiâ.*
i *Syriæ, & Ciliciæ.*

NOTÆ.

7. *Athenaïdis*] Mulieris nomen esse crediderim, potiùs quàm civitatis, ut nonnulli volunt. Per *importunitatem*, intelligitur crudelis & impotens dominatio.

8. *Sacerdos*] Comanorum, summæ in Cappadociâ authoritatis, quem scilicet gens illa secundum post Regem agnoscebat, & reverebatur, nec rarò contingebat ut Rex, & Sacerdos ille ex eadem stirpe prognati essent. Vide Hirtium de bello Alexandrino.

9. *Toto*] Dicitur à Cicerone pro eâ re, ex quâ maximè pendet alicujus rei exitus, & in quâ summa omnia posita sunt.

10. *Antiochiam*] Multæ fuerunt hoc nomine civitates: 1. in Mesopotamiâ, non procul à Tigri, *Nisibis*: 2. in Pisidiâ: 3. in Ciliciâ: 4. ad Taurum montem, inter Issum, & Euphratem: 5 in Cariâ ad Mæandrum fluvium: sed omnium nobilissima est Antiochia Syriæ, nunc *Antachia*, de quâ hîc agitur, ad Orontem fluvium, exstructa à Seleuco Nicanore, deinde ab Antiocho Rege Syriæ instaurata, & amplificata.

11. *Epiphaneæ*] Ciliciæ civitas est, ab illâ diversa, quæ in Syriâ ad fluvium Orontem sita est: differt ab eâ quoque, quæ in Commagene Euphrati immanet.

Digitized by Google

abeſſemque ab Amano iter unius diei, & caſtra apud Epiphaneam feciſſem: a. d. IV. id. Oct. cùm adveſperaſceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut a. d. III. id. Oct. cùm luceſceret, in Amanum aſcenderem: diſtributiſque cohortibus, & auxiliis, cùm aliis Quintus frater legatus mecum ſimul, aliis C. Pontinius legatus, reliquis M. Anneius, & L. Tullius legati præeſſent, pleroſque nec opinantes oppreſſimus, qui occiſi, captique ſunt, intercluſi fugâ. [12] Eranam autem, quæ fuit non vici inſtar, ſed urbis, quòd erat Amani caput, itemque Sepyram, & Commorim, acriter, & diu repugnantibus, Pontinio illâm partem Amani tenente, ex antelucano tempore uſque ad horam diei decimam, magnâ multitudine hoſtium occisâ, cepimus: caſtellaque ſex capta: complura incendimus. his rebus ita geſtis, caſtra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum: & in reliquiis Amani delendis, agriſque vaſtandis, quæ pars ejus montis meæ provinciæ eſt, id tempus omne conſumpſimus: confectis his rebus, ad oppidum [k] Eleutherocilicum Pindeniſsum exercitum adduxi. quod cùm eſſet altiſſimo, & munitiſſimo loco, ab iiſque incoleretur, qui ne regibus quidem unquam paruiſſent, cùm & fugitivos reciperent, & Parthorum adventum acerrimè expectarent: ad exiſtimationem imperii pertinere arbitratus ſum, comprimere eorum audaciam, quò faciliùs etiam cæterorum animi, qui alieni eſſent ab imperio noſtro, frangerentur. vallo, & foſsâ circumdedi: ſex caſtellis, caſtriſque maximis ſepſi: aggere, vineis, turribus oppugnavi: uſuſque tormentis multis, multis ſagittariis, magno labore meo, ſine ullâ moleſtiâ, ſumptuve ſociorum, ſeptimo quinquageſimo die rem confeci, ut omnibus partibus urbis diſturbatis, aut incenſis, compulſi in poteſtatem meam pervenirent. His erant finitimi, pari ſcelere, & audaciâ, [13] Tibarani. *ab his*, Pindeniſso capto, obſides accepi: exercitum in hiberna dimiſi. Quintum fratrem negotio præpoſui, ut in vicis aut captis, aut malè pacatis exercitus collocaretur. Nunc velim tibi ſic perſuadeas, ſi de his rebus ad ſenatum relatum [l] ſit, me exiſtimaturum ſummam mihi laudem tributam, [m] ſi tu honorem meum ſententiâ tuâ comprobaris. idque [n] etſi talibus de rebus graviſſimos homines & rogare ſolere, & rogari ſcio, tamen admonendum potiùs te à me, quàm rogandum, puto. Tu es enim is, qui me tuis ſententiis ſæpiſſimè ornaſti, qui oratione, qui prædicatione, qui ſummis laudibus in ſenatu, in concionibus ad cælum extuliſti: cujus ego ſemper tanta

INTERPRETATIO.

[k] *liberorum Cilicum.* [l] ut mihi ſupplicationes decernantur.

[m] *ſi res à me præclarè geſtas judicio tuo, & auctoritate comprobaris.*

[n] *& licet ſcio, ſumma auctoritatis viros ſæpè rogare*, ut hic honos ſibi tribuatur.

NOTÆ.

12. *Eranam, Sepyram, &c.*] Ad Amanum montem, ignota prorsùs loca, & quibus bellica Ciceronis expeditio non multò illuſtrius nomen fecit.

13. *Tibarani*] Amani montis incolæ: hucuſque Geographis ignota gens.

14. *Clariſſimo*

Digitized by Google

esse verborum pondera putavi, ut uno verbo tuo cum meâ laude conjuncto omnia consequi me arbitrarer. Te denique memini, cùm cuidam [14] clarissimo, atque optimo viro supplicationem non decerneres, dicere, te decreturum, si referretur ob eas res, quas is consul in urbe gessisset. Tu idem mihi supplicationem decrevisti [15] togato, non, ut multis, republicâ benè gestâ, sed, ut nemini, [o] republicâ conservatâ. [p] Mitto, quòd invidiam, quòd pericula, quòd omnes [16] meas tempestates & subieris, & multò etiam magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris. quòd denique [17] inimicum meum, tuum inimicum putaris: cujus etiam interitum, ut facilè intelligerem, mihi quantum tribueres, [18] Milonis causa in senatu defendenda approbaris. [q] A me autem hæc sunt profecta, quæ ego in beneficii loco non pono, sed in veri testimonii, atque judicii: non ut præstantissimas tuas virtutes tacitus admirarer, (quis enim id non facit?) sed in omnibus orationibus, sententiis dicendis, causis agendis, omnibus scriptis, Græcis, Latinis [r] omni denique varietate literarum mearum te non modò iis, quos vidisse mus, sed iis, de quibus audissemus, omnibus anteferrem. Quæres fortasse, quid sit, quòd ego hoc [f] nescio quid gratulationis, & honoris à senatu tanti æstimem. Agam jam tecum familiariter, ut est & studiis, & officiis nostris mutuis, & summâ amicitiâ dignum, & necessitudine etiam paternâ. Si quisquam fuit unquam remotus & naturâ, & magis etiam, ut mihi quidem sentire videor, ratione, atque doctrinâ ab inani laude, & sermonibus vulgi, ego profectò is sum. Testis est consulatus meus: in quo, sicut in reliquâ vitâ, fateor ea me studiosè secutum, ex quibus vera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se nunquam putavi expetendam. Itaque & [19] provinciam ornatam, & spem non dubiam triumphi neglexi.

INTERPRETATIO.

[o] *extinctâ prorsùs conjuratione Catilinariâ.*

[p] *omitto, quòd in partem veneris, & odii Clodiani, & periculorum meorum, & calamitatum.*

[q] *quæ verò tuâ causâ feci, nolim ut consideres velut beneficia, sed ut vera testimonia mea de te opinionis.*

[r] *in omnibus denique scriptis meis.*

[f] *nescio quam supplicationem.*

NOTÆ.

14. *Clarissimo, atque optimo*] Hæc verba cum Victorio ad Lentulum Spintherem refero, qui cùm Tullium exulem restituisset, & deinde ob ea quæ præclarè gesserat in Ciliciâ, supplicationes peteret, adversum sibi, infensumque Catonem habuit, cujus hæc fortè vox tùm audita est, *se decreturum, si referretur ob eas res quas idem Consul*, id est, quas Lentulus pro restituendo Cicerone, *in urbe* gessisset.

15. *Togato*] Id est mihi Consuli, ob Catilinam oppressum.

16. *Meas tempestates*] Excitatas à Clodio.

17. *Inimicum meum*] Clodium, quem Milo interfecit. Cato autem se Milonis defensorem, & patronum cum Cicerone exhibuit.

18. *Milonis*] De quo sic Velleius, *vir inquies, & ultrà fortem temerarius.*

19. *Provinciam ornatam*] Galliam citeriorem, quam reclamante populo in concione deposuit. Hæc provincia dicebatur ornata, cujus Proconsuli decernebantur à

[t] sacerdotium denique, cùm, quemadmodum te existimare arbitror, non difficillimè consequi possem, non appetivi. idem [u] post injuriam acceptam, quam tu reipublicæ calamitatem semper appellas, meam non modò non calamitatem, sed etiam gloriam, [x] studui quamornatissima senatûs, populique Romani de me judicia intercedere. Itaque & augur postèa [y] fieri volui, quod anteà neglexeram: & [z] eum honorem, qui à senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum à me olim, nunc mihi [21] expetendum puto. Huic meæ voluntati, in quâ inest aliqua vis desiderii [a] ad sanandum vulnus injuriæ, ut faveas, [22] adjutorque sis, quod paulò antè me negaram rogaturum, vehementer te rogo: sed ita, [a] si non jejunum hoc nescio quid, quod ego gessi, & contemnendum videbitur, sed tale, atque tantum, ut multi, nequaquam paribus rebus, [b] honores summos à senatu consecuti sint. Equidem etiam mihi illud animadvertisse videor, (scis enim, quàm attentè te [23] audire soleam) te non tam res gestas, quàm mores, institutaque vitam imperatorum spectare solere in habendis, aut non habendis honoribus. Quod si [c] in meâ causâ considerabis, reperies me exercitu imbecillo contra metum maximi [d] belli firmissimum præsidium habuisse æquitatem, & continentiam. His ego subsidiis ea sum consecutus, quæ nullis legionibus consequi potuissem: ut ex alienissimis sociis amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderem, animosque novarum rerum expectatione suspensos, ad [e] veteris imperii benevolentiam traducerem. Sed nimis hæc multa de me, præsertim ad te, à quo uno omnium sociorum querelæ audiuntur. cognosces ex iis, qui [f] meis institutis se recreatos putant. Cúmque omnes uno propè consensu de me apud te ea, quæ mihi optatissima sunt, prædicabunt: tum [g] duæ [24] maximæ clientelæ tuæ, Cyprus insula, & Cappadociæ regnum, tecum de me loquentur: puto etiam regem Dejotarum, qui unus

INTERPRETATIO

[t] *auguratum.* [u] *postquam in exilium pulsus sum*, quod exilium *Reipublicæ calamitatem tu nominas, ego meam gloriam.*

[x] *dedi operam, ut Senatus, populusque Romanus de me semper honorificentissimè sentirent.*

[y] *triumphum.*

[z] *ad sedandam penitùs exilii* mei *infamiam.*

[a] *si non inanis est omninò victoria quam retuli.*

[b] *triumphum.*

[c] *in hoc præsenti negotio.*

[d] *Parthici.* [e] *imperii Romani.*

[f] *moderatâ meâ administrandi ratione.*

[g] *quæ sub tuâ clientelâ sunt, de me honorificè loquentur.*

NOTÆ

Senatu, & publico sumptu, quæ necessaria erant.

20. *Fieri volui.*] In locum Crassi à Parthis interfecti.

21. *Expetendum puto.*] Ut dignitatem meam, quam exilii tempore penè totam perdidi, abundè resarciam.

22. *Adjutorque sis.*] In supplicatione obtinendâ.

23. *Audire soleam.*] Quando tum de honoribus Imperatori concedendis sententiam aperis.

24. *Maximæ clientelæ tuæ.*] Cyprus erat sub clientelâ Catonis, quoniam hæc insula in populi Romani potestatem ejus operâ venerat; Cappadocia autem, quia Ar-

Digitized by Google

tibi est maximè [h] necessarius. Quæ si etiam majora sunt, & in omnibus seculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates, quàm qui hostium copias, vincerent: [25] est profectò tuum, cùm ad res bellicas hæc, quæ rariora, & difficiliora sunt, genera virtutis adjunxeris, ipsas etiam illas res gestas [i] justiores esse, & majores, putare. Extremum illud est, ut quasi diffidens rogationi meæ, philosophiam ad te [k] [26] allegem: quâ nec mihi carior ulla unquam res in vitâ fuit, nec hominum generi majus à diis munus ullum est datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum communis est, societas studiorum, atque artium nostrarum, quibus à pueritiâ dediti, ac devincti, soli propemodum nos philosophiam illam veram, & antiquam, [l] quæ quibusdam otii esse, ac desidiæ videtur, in forum, atque in rempublicam, atque in ipsam aciem penè deduximus, tecum agit de meâ laude: cui negari à Catone fas esse non puto. Quamobrem sic tibi persuadeas velim: si mihi tua sententia tributus honos [m] ex meis literis fuerit, me existimaturum, cùm auctoritate tuâ, tùm benevolentiâ erga me, [n] mihi, quod maximè cupierim, contigisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] de me etiam honorificè loquuturum.
[i] *triumpho & supplicatione digniores.*
[k] *mittam.*
[l] *hæc igitur philosophia vera, & antiqua, quam nonnulli ad inertes duntaxat, & otiosos pertinere arbitrabantur, & quam nos ambo cum actione forensi sociavimus; hæc, inquam, philosophia tuum pro me auxilium implorat, teque hortatur, ut laudem meam, decreta supplicatione adjuves: hoc autem à Catone denegari philosophiæ fas, &c.*
[m] *vi harum literarum, quas ad te nunc scribo.*
[n] *supplicationem publicam mihi decretam fuisse.*

NOTÆ.

gem Ariobarzanem diligebat singulariter, fecerat que, ut Ciceroni in Ciliciam abeunti, Senatus eum commendaret.

25. *Est profectò tuum*] Tui muneris est, cùm ego virtuti bellicæ æquitatem, & continentiam adjunxerim, quæ quidem in ducibus rarò reperiuntur, tuum, inquam, est concludere res à me bello gestas justiores, &c. Lege interpret.

26. *Allegem*] Quæ pro me tibi supplicet.

EPISTOLA V.

Excusat se, quòd Ciceroni supplicationem non decreverit: tamen decretam esse gaudet; additque, se de illo honorificentiùs sensisse, quàm eos, qui supplicationem ei decernendam censuerunt. Eodem anno.

M. Cato S. D. M. Ciceroni Imp.

QUOD & respublica me, & nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in

INTERPRETATIO.

[a] *meus erga te, & Rempublicam amor facit, ut gaudeam tuam virtutem exerceri semper, & lucere in maximis rebus, tùm Romæ in Consulatu tuo, tùm foris in exercitu.*

Digitized by Google

maximis rebus [1] domi togati, armati foris pari industriâ administrare gaudeam. [b] Itaque, quod [2] pro meo judicio facere potui, ut innocentiâ, consilioque tuo defensam provinciam, [c] servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, [d] sociorum revocatam ad studium imperii nostri voluntatem sententiâ meâ, & decreto laudarem, feci. [e] supplicationem decretam, si tu, quâ in re [3] nihil fortuitò, sed summâ tuâ ratione, & continentiâ reipublicæ provisum est, diis immortalibus gratulari nos, quàm tibi referre acceptum mavis, gaudeo. [f] Quòd si triumphi [4] prærogativam putas supplicationem, & [5] idcirco [5] casum potiùs, quàm te, laudari vis: neque supplicationem sequitur semper triumphus: & [h] triumpho [6] multò clarius est, se-

INTERPRETATIO.

[b] *quare* non assentandi causâ, *sed ratione adductus & judicio meo, laudavi te palam in senatu, quòd Ciliciam innocentiâ, & prudentiâ tuâ* contra metum belli Parthici *defenderis.*

[c] *quòd Ariobarzanem cum ipsius regno conservaveris.*

[d] *quòd alienatas sociorum voluntates ad benevolentiam Reipublicæ nostræ iterum revocaveris.*

[e] *gaudeo supplicationem tibi decretam, si quidem mavis diis immortalibus, quàm tibi gratias agi, pro re, quæ non fortunæ,* nec diis immortalibus, *sed prudentiæ, & continentiæ tuæ tota debetur.*

[f] *quòd si putas* impetratam *supplicationem certissimum esse triumphi* impetrandi *signum.*

[5] *& idcircò fortuitum eventum potius, quàm virtutem tuam laudari vis; erras, neque* enim, *&c.*

[h] & licet triumphus tibi concedatur, *multò minorem ex eo gloriam percipies, quàm si Senatus pronuntiet, provinciam tuam, consuetudine potiùs, & innocentiâ Imperatoris, &c.*

NOTÆ.

1. *Domi togati*] Quando togatus, seu Consul, Catilinariæ factionis incendium extinxit. Toga pacis insigne fuit, sicut sagum belli.

2. *Pro meo judicio*] Ratione adductus te laudavi; qui verò supplicationem tibi decreverunt, id fecerunt scilicet gratiæ tuæ captandæ causâ. Hæc longè aliter interpretatus est Cicero; scribens enim ad Atticum, ait, Catonem suæ gloriæ, & dignitati invidisse.

3. *Nihil fortuitò*] Causam affert, cur supplicationem Tullio non decreverit, quia decerni solebat pro victoriis, quarum pars maxima Fortunæ, diisque immortalibus debetur, cùm res à Cicerone gestæ ejus æquitati, continentiæ, &c. tribui deberent. Artificiosa in primis hæc Catonis epistola; negatâ enim supplicatione, Ciceronem offenderat: Ciceroni tamen persuadere conatur se id fecisse, ut honorem illi haberet.

4. *Prærogativam*] Hæc vox adjectivè sumitur, & substantivè: adjectivè quidem Tribus, aut Centuria *prærogativa* dicebatur, quæ prima in Comitiis suffragium ferebat, cujus erat tanta auctoritas, ut cæteræ Tribus, aut Centuriæ vulgò assentirentur: substantivè, accipitur pro præjudicio, & certissimo rei futuræ signo, *un préjugé, une marque infaillible.* quæ significatio oritur ex eo quòd, ut antè dixi, Centuriam prærogativam reliquæ vulgò in suffragiis ferendis sequerentur.

5. *Casum*] Per casum intelligit victoriam, quæ ex immortalibus diis, & fortunâ potiùs, quàm ex virtute pendet.

6. *Multò clarius est*] Ex mente Catonis, supplicatio ad deos immortales, ad fortunam triumphus, laus verò ad virtutem unam pertinebat; unde consequens est ut fateatur Cicero, majorem se ex laudibus Catonis, quàm ex supplicatione, vel etiam ex triumpho gloriam colligere.

Digitized by Google

natum judicare, potiùs manſuetudine, & innocentiâ imperatoris provinciam, [7] quàm vi militum, aut benignitate deorum retentam, atque conſervatam eſſe: quod ego meâ ſententiâ cenſebam. Atque hæc ego idcirco ad te [8] contra conſuetudinem meam pluribus ſcripſi, [9] ut, quod maximè volo, exiſtimes me laborare, ut tibi perſuadeam, me & voluiſſe de tuâ majeſtate, quod ampliſſimum ſum arbitratus, &, quod tu maluiſti, factum eſſe gaudere. Vale, & nos dilige, & [i] inſtituto itinere, [10] ſeveritatem, diligentiamque ſociis, & reipublicæ præſta.

INTERPRETATIO.

i *& ut facere cœpiſti, da operam, ut ne quid contra Rempublicam & ſocios in provinciâ tuâ committatur.*

NOTÆ.

7. *Quàm vi militum*] Propter quam triumphus, aut benignitate deorum, ob quam ſupplicatio decernitur.

8. *Contra conſuetudinem meam*] Quia Stoïcus Cato: Stoïcorum autem brevis erat oratio.

9. *Ut, quod maximè volo*] Idcirco pluribus ad te ſcripſi, quoniam cupio duo tibi perſuadere; primum voluiſſe me tuam in ſenatu laudare virtutem, quia id glorioſiſſimum tibi fum arbitratus; ſecundum, gaudere me tamen de ſupplicatione tibi decretâ, cùm intelligam, ſupplicationem pluris à te fieri, quàm laudationem meam.

10. *Severitatem*] Quæ virtus in Catone, præter cæteras, enituit.

EPISTOLA VI.

Significat, quantam ex Catonis ſententiâ, honorificiſque litteris, voluptatem ceperit; tùm rogat, ut ſibi in obtinendo triumpho adjutor ſit, vel ſaltem, ſi obtineat, lætetur. Eodem anno.

Cicero S. D. Catoni.

[a] 1 LÆTUS ſum laudari me, inquit Hector, opinor [z] apud Nævium, 10
abs te pater laudato viro. Ea eſt enim profectò jucunda laus, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt. [b] Ego verò, vel gratulatione

INTERPRETATIO.

z *gaudeo laudari abs te, ô Cato, quia vir in primis laudatus es.*

b *ego verò ſummam gloriam aſſecutum me puto, & gratulatione tuarum litterarum, & ſententiâ honorificâ, quam de me in ſenatu pronunciaſti.*

NOTÆ.

1. *Lætus ſum*] Apud Nævium in Tragœdiâ inducitur Priamus, Hectoris laudans virtutem; cui Hector his verbis reſpondet, *lætus ſum*, &c. id eſt, gaudeo, ô pater, abs te laudari, qui es vir laudatus.

2. *Apud Nævium*] Poëtam Comicum, natione Campanum: aliquot ſcripſit fabu-

[3] literarum tuarum, vel testimoniis [4] sententiæ dictæ, nihil est, quod me non assecutum putem. Idque mihi tùm amplissimum, tùm gratissimum est, te libenter [c] amicitiæ dedisse, quod liquidò veritati dares. &, [d] si non modò unus, verùm etiam multi Catones essent in civitate nostrâ, in quâ unum extitisse mirabile est: [5] quem ego currum, aut quam lauream cum tuâ laudatione conferrem? [e] nam [6] ad meum sensum, & ad illud sincerum, ac subtile judicium nihil potest esse laudabilius, quàm ea [7] tua oratio, quæ est ad me perscripta à meis necessariis. [f] sed [8] causam mez voluntatis (9 non enim dicam cupiditatis) exposui tibi superioribus literis. Quæ etiamsi parum justa tibi [10] visa est, [g] hanc tamen habet rationem, ut non nimis concupiscendus [11] honos, sed tamen, si deferatur à senatu, minimè aspernandus esse videatur. Spero autem illum ordinem, pro meis ob rempublicam susceptis laboribus, me non indignum [h] [12] honore, usitato præsertim, existimaturum. Quod si ita erit, [i] tantùm ex te peto, quod ami-

INTERPRETATIO.

[c] ob amicitiam nostram ea pro me dixisse, quæ pro veritate aperiè diceres.

[d] quamquam essent multi Catones in nostrâ civitate, (in quâ vel te unum esse mirabile est) laudationem nihilominùs tuam laureæ cuilibet, & triumpho anteferrem; cùm verò sis unus, præconium illud tuum multò pluris facio.

[e] nam ut ego sentio, ac judico, (judico autem sincerè, & omni procul affectu) nihil præstantius est, mihique honorificentius suâ sententiâ, licet supplicationem mihi non decrevit.

[f] sed causam exposui tibi, cur supplicationem hanc tantoperè cuperem.

[g] à ratione tamen non prorsùs abhorret; neque enim facit, ut honorem hunc unis concupiscam, sed tantùm, ut non respuam, si deferatur à Senatu.

[h] triumpho, cùm præsertim aliis sæpiùs soleas.

[i] siquidem sententiâ tuâ mihi tribuisti quod honorificentissimum judicas, peto ut, non ut triumphum mihi decernas, sed tantùm, si decernatur, ut gaudeas; quod alter atque video te gavisum esse supplicatione mihi decretâ.

NOTÆ.

fas, primumque bellum Punicum, in quo militavit ipse, carmine prosecutus est.

3. *Litterarum tuarum*] Vide proximè superiorem epistolam.

4. *Sententia*] Quâ Ciceronem in senatu Cato laudaverat, licet censuerat, supplicationem ei non esse decernendam.

5. *Quem ego currum*] Currus, & laureâ corona, triumphantium ornamenta erant; utrumque pro triumpho ipso hîc sumitur.

6. *Ad meum sensum*] Alii fortè plurìs facient supplicationem, & triumphum; ego verò, &c. Consule interpretationem: ne putes autem hæc à Cicerone sincerè, & ex animo dici: reverà enim ægrè ferebat, supplicationem à Catone sibi denegatam.

7. *Tua oratio*] Quam in laudem Ciceronis coram Senatoribus habuerat.

8. *Causam mea voluntatis*] Non inani laude ductus, ut anteà jam dixit Cicero, supplicationem hanc petierat; sed ut exilii sui infamiam novis honoribus compensaret.

9. *Non enim dicam cupiditatis*] Voluntas à ratione proficiscitur, cupiditas ab appetitu: rationis est, delatum honorem non repuere; appetitûs, nimiùm concupiscere.

10. *Visa est*] Si quidem non te impulit, ut supplicationem mihi deferres.

11. *Honos*] Triumphus, & supplicatio.

12. *Honore*] Triumpho; decreta enim

essimè scribis, ut, cùm tuo judicio, [13] quod amplissimum esse arbitraris, mihi tribueris, si id, [14] quod maluero, acciderit, gaudeas. sic enim fecisse te, & [15] sensisse, & [16] scripsisse video: resque ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse jucundum, [b 17] quod scribendo affuisti. Hæc enim senatusconsulta non ignoro ab amicissimis ejus, cujus de honore agitur, scribi solere. Ego, ut spero, te propediem videbo, atque utinam republicâ meliore, [18] quàm timeo. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *quoniam affuisti* in senatu, *cùm de eâ decretum scriberetur.*

NOTÆ.

jam erat à Senatu Ciceroni supplicatio, vel invito Catone.

13. *Quod amplissimum esse arbitraris*] Judicaverat Cato, id Ciceroni honorificentius fore, si innocentiam ejus, & diligentiam in senatu laudaret.

14. *Quod maluero*] Triumphare malebat, quàm laudari sine triumpho.

15. *Et sensisse*] Neque enim simulatè, sed verè, & sensu intimo, supplicationem mihi concessâ gavisus es; observa hæc à Cicerone, non sensu intimo, sed simulatè dici: dolebat enim Cato Tullium, hominem novum, tantis honoribus decorari.

16. *Et scripsisse*] Vide superiorem epistolam.

17. *Quòd scribendo affuisti*] Consule epist. 8. libri octavi.

18. *Quàm timeo*] Ob discordiam Cæsaris, & Pompeii.

EPISTOLA VII.

Gratulatur M. Marcello, fratrem ejus Patruelem Consulem esse designatum; eumque rogat, ut sibi quamprimùm, annuâ administratione finitâ, successor mittatur. Sulpicio, & eodem M. Marcello Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo secundo.

Cicero Procos. s. d. [1] M. Marcello Cos.

[a] TE & [2] pietatis in tuos, & animi in rempublicam, & clarissimi atque optimi [3] consulatûs, C. Marcello consule facto, fructum cepisse vehementer gaudeo. Non dubito, [b] quid præsentes sentiant. [c] nos quidem

INTERPRETATIO.

[a] *vehementer gaudeo, quòd, Caio Marcello*, patruele tuo *Consule designato*, mercedem, *& fructum acceperis, & tua pietatis in tuos, &c.*

[b] *qui* Romæ *præsentes adsunt.*

[c] *ego, qui tuâ potissimùm*, tuique collegæ Sulpicii *sententiâ* in Ciliciam *Proconsul missus sum.*

NOTÆ.

1. *Marco Marcello*] Consule tabulas historicas.

2. *Pietatis*] Vide epistolam primam libri primi.

3. *Consulatûs*] Quem cum Servio Sulpicio tunc gerebat, quo anno Tullius in Ciliciam Proconsul abiit.

Digitized by Google

longinqui, & à te ipso missi in ultimas gentes, ad cælum mehercule te tollimus verissimis, ac justissimis laudibus. nam cùm te à pueritiâ tuâ unicè dilexerim, tuque me [4] in omni genere semper amplissimum esse & volueris, & judicaris: [e] tamen, [4] hoc vel tuo facto, vel populi Romani de te [f] judicio, multò acriùs vehementiúsque diligo, maximâque lætitiâ afficior, cùm ab hominibus prudentissimis, virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, vel me tui similem esse audio, vel te mei. Unum verò si addis ad præclarissimas res consulatûs tui, ut aut mihi succedat quamprimum aliquis, [f] [6] aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & senatusconsulto, & [7] lege finisti: omnia me per te consecutum putabo. Cura ut valeas, & me absentem diligas, atque defendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non putabam à me etiam nunc scribenda esse [8] publicè, propterea ne pro familiaritate quidem nostrâ volui [8] ad te scribere, ne, cùm ad consulem scripsissem, publicè viderer scripsisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *in quolibet honorum genere illustrissimum.*

[e] *tamen multò vehementiùs te nunc diligo, quia* patruelem tuum, Consulem *designandum curasti, & quia populus Romanus* suffragiis suis *declaravit, quàm honorificè de te sentiret.*

[f] *aut saltem, ne administratio* Ciliciæ *mihi prorogetur ultrà annum, quem senatusconsulto, & lege præscripsisti.*

[8] *ad Senatum, populumque Romanum.*

NOTÆ.

4. *Hoc tuo facto*] Quia industriâ potissimùm, & virtute tuâ, Caius Marcellus, patruelis tuus, renuntiatus est Consul.

5. *Judicio*] Id est suffragiis, quibus C. Marcellum Consulem designavit.

6. *Aut ne quid*] Non datus est Ciceroni successor, ob discordias, quæ tùm Pompeium inter, & Cæsarem emergebant, annuo tamen imperio finito decessit, administratione provinciæ, Quæstori suo commissâ.

7. *Lege*] Curiatam intelligit, de quâ diximus epist. 9. lib. 1. ad notas 168. 169. &c.

8. *Ad te*] Qui ex Consul, & persona publica, ad quam qui scribit, videtur ad omnes cives scribere.

EPISTOLA VIII.

Caio Marcello Consulatum gratulatur, suamque illi dignitatem commendat. Eodem anno.

Cicero Procos. s. d. [1] C. Marcello Cos. designato.

MAXIMA sum lætitiâ affectus, cùm audivi te consulem [a] factum esse: eumque honorem tibi deos [2] fortunare volo, atque à te pro tuâ,

INTERPRETATIO.

[a] *designatum.* [b] *& cupio, ut dii felicem hanc tibi dignitatem reddant.*

NOTÆ.

1. *C. Marcello*] Adi historicum indicem.

2. *Fortunare*] Sic Horatius, lib. 1. epist. 11.

Tu

[3] parentisque tui dignitate administrari. Nam cùm te semper dilexi, amavique, quòd mei amantissimum cognovi [c] in omni varietate rerum mearum, tùm patris tui pluribus beneficiis, vel defensus [d] tristibus temporibus, vel ornatus secundis, necesse est [e] ut & sim totus vester, & esse debeam: cùm præsertim [4] matris tuæ, gravissimæ, atque optimæ fœminæ, majora erga salutem, dignitatemque meam studia, quàm erant à muliere postulanda, perspexerim. Quapropter à te peto majorem in modum, ut me [f] absentem [g] diligas, atque [5] defendas. Vale.

INTERPRETATIO.

, tùm in adversâ fortu-
tem oppugnarent meam.

[e] ut sim tibi, patrique tuo omninò deditus. [f] me Ciliciæ Proconsulem.
[g] in laboribus, honoribusque meis.

NOTÆ.

e deus tibi fortunaverit
nu.
ad quem epistola sequens

4. *Matris tuæ*] Juniæ.
5. *Defendas*] Maximéque efficias, ut nihil ad annuam Ciliciæ administrationem temporis mihi prorogetur. Vide superiorem epistolam, & lib. oct. epist. 5. 6. 8.

3 Mey.
DE heylige HELENA indagtig zynde dat haeren soon den ser Constantinus een Kruys e logt gesien hadde met dese den. *In dit teeken sult gy win-* wierd beweegt om te trekken et H. Land, ende het Kruys ligmaekers te soeken. Sy doet graeven, ende ontdekt dry n, maer om dat den tytel ter lag, en wist men niet welk t van Christus: dog door den heyligen Macarius Bis- men brogt eene vrouwe tot toe siek aen het eerste maer en vond geene baet, k aen het tweede: soo sy e raekte, genas sy. De hey- ENA dede hier eene koste- e bouwen, en den Keyser nus gaf een gebod, dat men ruys geen quaetdoenders soude straffen, maer dat eere soude bewysen.

EPISTOLA IX.

Caio Marcello de filio Consule designato. Eodem anno.

Cicero procos. S. D. C. Marcello [1] collegæ.

CELLUM tuum consulem [2] factum, teque eâ lætitiâ af- 10
im esse, quam maximè optasti, mirum in modum gaudeo: sius causâ, tùm quòd te omnibus secundissimis rebus dignis- : cujus erga me singularem benevolentiam [b] vel in labore meo, perspexi: totam denique domum vestram vel salutis, vel di- studiosissimam, cupidissimamque cognovi. Quare gratum mi- 15
uxori tuæ Juniæ, gravissimæ, atque optimæ fœminæ, meis verbis [3] eris gratulatus. A te id, quod consuesti, peto, me absentem diligas, atque defendas. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] filium tuum designatum esse Consulem. [b] vel in adversis rebus, vel in prosperis.

NOTÆ.

1. *Collega*] In Auguratu.
2. *Factum*] Cum L. Æmilio Paulo.
3. *Eris gratulatus*] De filii sui Consulatu.

longinqui, & à te ipso missi in ultimas gentes, ad cælum mehercule te tollimus verissimis, ac justissimis laudibus. nam cùm te à pueritiâ tuâ unicè dilexerim, tuque me [d] in omni genere semper amplissimum esse & voluerís, & judicaris: [e] tamen, [4] hoc vel tuo facto, vel populi Romani de te [f] judicio, multò acriùs vehementiúsque diligo, maximâque lætitiâ afficior, cùm ab hominibus prudentissimis, virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, vel me tui similem esse audio, vel te mei. Unum verò si addis ad præclarissimas res consulatûs tui, ut aut mihi succedat quamprimum aliquis, [f] [6] aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & senatusconsulto, & [7] lege finisti: omnia me per te consecutum putabo. Cura ut valeas, & me absentem diligas, atque defendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non putabam à me etiam nunc scribenda esse [8] publicè, propterea ne pro familiaritate quidem nostrâ volui [8] ad te scribere, ne, cùm ad consulem scripsissem, publicè viderer scripsisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *in quolibet honorum genere illustrissimum.*

[e] *tamen multò vehementiùs te nunc diligo, quia* patruelem tuum, Consulem *designandum curasti, & quia populus Romanus* suffragiis suis *declaravit, quàm honorificè de te sentiret.*

[f] *aut saltem, ne administratio* Ciliciæ *mihi prorogetur ultrà annum, quem senatusconsulto, & lege præscripsisti.*

[8] *ad Senatum, populumque Romanum.*

NOTÆ.

4. *Hoc tuo facto*] Quia industriâ potissimùm, & virtute tuâ, Caius Marcellus, patruelis tuus, renuntiatus est Consul.

5. *Judicio*] Id est suffragiis, quibus C. Marcellum Consulem designavit.

6. *Aut ne quid*] Non datus est Ciceroni successor, ob discordias, quæ tùm Pompeium inter, & Cæsarem emergebant, annuo tamen imperio finito decessit, administratione provinciæ, Quæstori suo commissâ.

7. *Lege*] Curiatam intelligit, de quâ diximus epist. 9. lib. 1. ad notas 168. 169. &c.

8. *Ad te*] Qui ex Consul, & persona publica, ad quam qui scribit, videtur ad omnes cives scribere.

EPISTOLA VIII.

Caio Marcello Consulatum gratulatur, suamque illi dignitatem commendat. Eodem anno.

Cicero Procos. s. d. [1] C. Marcello Cos. designato.

MAXIMA sum lætitiâ affectus, cùm audivi te consulem [a] factum esse: eumque honorem tibi deos [2] fortunare volo, atque à te pro tuâ,

INTERPRETATIO.

[a] *designatum.* [b] *& cupio, ut dii fœlicem hanc tibi dignitatem reddant.*

NOTÆ.

1. *C. Marcello*] Adi historicum indicem.

2. *Fortunare*] Sic Horatius, lib. 1. epist. 11.

Tu

[3] parentisque tui dignitate administrari. Nam cùm te semper dilexi, amavique, quòd mei amantissimum cognovi [c] in omni varietate rerum mearum, tùm patris tui pluribus beneficiis, vel defensus [d] tristibus temporibus, vel ornatus secundis, necesse est [e] ut & sim totus vester, & esse debeam: cùm præsertim [4] matris tuæ, gravissimæ, atque optimæ fœminæ, majora erga salutem, dignitatemque meam studia, quàm erant à mulicre postulanda, perspexerim. Quapropter à te peto majorem in modum, ut me [f] absentem [g] diligas, atque [5] defendas. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *tùm in prosperâ, tùm in adversâ fortunâ.*
[d] *cùm multi salutem oppugnarent meam.*
[e] *ut sim tibi, patrique tuo omninò deditus.* [f] *me Ciliciæ Proconsulem.*
[g] in laboribus, honoribusque meis.

NOTÆ.

Tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam
Grata sume manu.

3. *Parentis*] Ad quem epistola sequens scribitur.

4. *Matris tuæ*] Juniæ.

5. *Defendas*] Maximéque efficias, ut nihil ad annuam Ciliciæ administrationem temporis mihi prorogetur. Vide superiorem epistolam, & lib. oct. epist. 5. 6. 8.

EPISTOLA IX.

Gratulatur Caio Marcello de filio Consule designato. Eodem anno.

Cicero procos. S. D. C. Marcello [1] collegæ.

[a] MARCELLUM tuum consulem [2] factum, teque eâ lætitiâ affectum esse, quam maximè optasti, mirum in modum gaudeo: idque cum ipsius causâ, tùm quòd te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico: cujus erga me singularem benevolentiam [b] vel in labore meo, vel in honore perspexi: totam denique domum vestram vel salutis, vel dignitatis meæ studiosissimam, cupidissimamque cognovi. Quare gratum mihi feceris, si uxori tuæ Juniæ, gravissimæ, atque optimæ fœminæ, meis verbis [3] eris gratulatus. A te id, quod consuesti, peto, me absentem diligas, atque defendas. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *filium tuum designatum esse Consulem.* [b] *vel in adversis rebus, vel in prosperis.*

NOTÆ.

1. *Collegæ*] In Auguratu.

2. *Factum*] Cum L. Æmilio Paulo.

3. *Eris gratulatus*] De filii sui Consulatu.

Digitized by Google

longinqui, & à te ipso missi in ultimas gentes, ad cælum mehercule te tollimus verissimis, ac justissimis laudibus. nam cùm te à pueritiâ tuâ unicè dilexerim, tuque me [d] in omni genere semper amplissimum esse & volueris, & judicaris: [e] tamen, [4] hoc vel tuo facto, vel populi Romani de te [f] judicio, multò acriùs vehementiúsque diligo, maximâque lætitiâ afficior, cùm ab hominibus prudentissimis, virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, vel me tui similem esse audio, vel te mei. Unum verò si addis ad præclarissimas res consulatûs tui, ut aut mihi succedat quamprimum aliquis, [f] [6] aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & senatusconsulto, & [7] lege finisti: omnia me per te consecutum putabo. Cura ut valeas, & me absentem diligas, atque defendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non putabam à me etiam nunc scribenda esse [8] publicè, propterea ne pro familiaritate quidem nostrâ volui [8] ad te scribere, ne, cùm ad consulem scripsissem, publicè viderer scripsisse. Vale.

INTERPRETATIO.

[d] *in quolibet honorum genere illustrissimum.*

[e] *tamen multò vehementiùs te nunc diligo, quia* patruelem tuum, Consulem *designandum curasti, & quia populus Romanus* suffragiis suis *declaravit, quàm honorificè de te sentiret.*

[f] *aut saltem, ne administratio* Ciliciæ *mihi prorogetur ultra annum, quem senatusconsulto, & lege præscripsisti.*

[8] *ad Senatum, populumque Romanum.*

NOTÆ.

4. *Hoc tuo facto*] Quia industriâ peritissimum, & virtute tuâ, Caius Marcellus, patruelis tuus, renuntiatus est Consul.

5. *Judicio*] Id est suffragiis, quibus C. Marcellum Consulem designavit.

6. *Aut ne quid*] Non datus est Ciceroni successor, ob discordias, quæ tùm Pompeium inter, & Cæsarem emergebant, annuo tamen imperio finito decessit, administratione provinciæ, Quæstori suo commissâ.

7. *Lege*] Curiatam intelligit, de quâ diximus epist. 9. lib. 1. ad notas 168. 169. &c.

8. *Ad te*] Qui ex Consul, & persona publica, ad quam qui scribit, videtur ad omnes cives scribere.

EPISTOLA VIII.

Caio Marcello Consulatum gratulatur, suamque illi dignitatem commendat. Eodem anno.

Cicero Procos. s. d. [1] C. Marcello Cos. designato.

MAXIMA sum lætitiâ affectus, cùm audivi te consulem [a] factum esse: eumque honorem tibi deos [2] fortunare volo, atque à te pro tuâ,

INTERPRETATIO.

[a] *designatum.* [b] *& cupio, ut dii fœlicem hanc tibi dignitatem reddant.*

NOTÆ.

1. *C. Marcello*] Adi historicum indicem.

2. *Fortunare*] Sic Horatius, lib. 1. epist. 11.

Tu

[3] parentisque tui dignitate administrari. Nam cùm te semper dilexi, amavique, quòd mei amantissimum cognovi [c] in omni varietate rerum mearum, tùm patris tui pluribus beneficiis, vel defensus [d] tristibus temporibus, vel ornatus secundis, necesse est [e] ut & sim totus vester, & esse debeam: cùm præsertim [4] matris tuæ, gravissimæ, atque optimæ fœminæ, majora erga salutem, dignitatemque meam studia, quàm erant à mulicre postulanda, perspexerim. Quapropter à te peto majorem in modum, ut me [f] absentem [g] diligas, atque [5] defendas. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *tùm in prosperâ, tùm in adversâ fortunâ.*
[d] *cùm multi salutem oppugnarent meam.*
[e] *ut sim tibi, patrique tuo omninò deditus.* [f] *me Ciliciæ Proconsulem.*
[g] in laboribus, honoribusque meis.

NOTÆ.

Tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam
Gratâ sume manu.

3. *Parentis*] Ad quem epistola sequens scribitur.

4. *Matris tuæ*] Juniæ.

5. *Defendas*] Maximéque efficias, ut nihil ad annuam Ciliciæ administrationem temporis mihi prorogetur. Vide superiorem epistolam, & lib. oct. epist. 5. 6. 8.

EPISTOLA IX.

Gratulatur Caio Marcello de filio Consule designato. Eodem anno.

Cicero procos. S. D. C. Marcello [1] collegæ.

[a] MARCELLUM tuum consulem [2] factum, teque eâ lætitiâ affectum esse, quam maximè optasti, mirum in modum gaudeo: idque cùm ipsius causâ, tùm quòd te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico: cujus erga me singularem benevolentiam [b] vel in labore meo, vel in honore perspexi: totam denique domum vestram vel salutis, vel dignitatis meæ studiosissimam, cupidissimamque cognovi. Quare gratum mihi feceris, si uxori tuæ Juniæ, gravissimæ, atque optimæ fœminæ, meis verbis [3] eris gratulatus. A te id, quod consuesti, peto, me absentem diligas, atque defendas. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *filium tuum designatum esse Consulem.* [b] *vel in adversis rebus, vel in prosperis.*

NOTÆ.

1. *Collegæ*] In Auguratu.

2. *Factum*] Cum L. Æmilio Paulo.

3. *Eris gratulatus*] De filii sui Consulatu.

EPISTOLA X.

Marcellum Consulem rogat, ut ejus operâ supplicationem pro rebus à se gestis obtinere possit. Anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

Cicero Imp. s. d. C. Marcello C. F. Cos.

[a] QUANDO id accidit, quod mihi maximè fuit optatum, ut omnium Marcellorum, [1] Marcellinorum etiam, ([b] mirificus enim [2] generis, ac nominis vestri fuit erga me semper animus) quando ergo ita accidit, ut omnium vestrûm studio tuus consulatus satisfacere posset, in quem meæ res gestæ, [3] lausque, & honor earum potissimùm incideret: peto à te id, [c] quod facillimum factu sit, non aspernante, ut confido, senatu, ut quamhonorificentissimum senatusconsultum [4] literis meis recitatis, faciendum cures. [d] Si mihi tecum minus esset, quàm est cum tuis omnibus, [e] allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè diligi. Patris tui beneficia in me sunt amplissima. neque enim saluti meæ, neque honori amicior quisquam dici potest. [5] Frater tuus quanti me faciat, semperque fecerit, esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem. domus tua denique tota me semper omnibus summis officiis prosecuta est. neque verò tu in me diligendo cuiquam concessisti tuorum. Quare à te peto majorem in modum, [f] ut me per te quamornatissimum velis esse, meamque & [6] in supplicatione decernendâ, & in cæteris rebus [g] existimationem satis tibi esse commendatam putes. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quandòquidem Consulatus tuus in id tempus incidit, quo de meis rebus gestis, honoribusque agendum est in senatu; atque adeò, tùm Marcelli, tùm Marcellini suo erga me studio satisfacere jam possunt.*

[b] *mirificè enim me semper dilexit, tùm Claudia gens, tùm familia tua.*

[c] *quod factu facillimum erit, modo ut, quod spero, consentiat Senatus.*

[d] *si minor esset mihi tecum, quàm cum tuis omnibus necessitudo*, aut amicitia.

[e] *mitterem.*

[f] *ut me summis honoribus ornandum cures. & dignitatem meam.*

NOTA.

1. *Marcellinorum*] Eorum scilicet, qui ex familiâ Marcellorum, in alias cooptati, nomen suum pro more inflexerant. Sic Æmilius ex Æmiliâ gente in Corneliam adoptatus, *Æmilianus* dictus est. & ita de cæteris. Vide Cantelium nostrum de Romanorum gentibus, & familiis.

2. *Generis*] Hîc genus pro gente, nomen verò pro familiâ sumitur; gentis, & familiæ hæc erat differentia, quòd gens multò latiùs, quàm familia pateret, cùm ex unâ gente multæ familiæ, quasi ex unâ radice plures rami propagarentur. Eundem consule de Romanorum nominibus.

3. *Lausque & honor*] Sensus est. & quandoquidem accidit, ut res à me gestæ laudari, te Consule, possint, & honorari, si modò supplicationem mihi decernendam cures, &c.

4. *Literis meis recitatis*] Quibus belli seriem, contra Amanenses à se gesti, victoriamque Senatui exponebat.

5. *Frater tuus*] Patruelis, M. Marcellus, qui superiori anno consulatum gesserat.

6. *In supplicatione decernendâ*] Uterque Consul, magis tamen Æmilius Paulus hac in re Ciceronem juvit. Epist. 11. lib. 5.

Digitized by Google

EPISTOLA XI.

Agit gratias Consuli Marcello, quòd supplicationem sibi decernendam curaverit. Eodem anno.

Cicero Imp. s. d. C. Marcello Cos.

QUANTÆ tibi curæ meus [a] honos fuerit, & quàm idem extiteris consul in me ornando, & amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis, & cum totâ domo: etsi [b] res ipsa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium literis. Itaque nihil est tantum, quod ego non tuâ causâ debeam, facturusque sim cùm studiosè, tùm libenter. nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quàm tibi, cui me cùm studia communia, beneficia paterna, tuaque [c] jam antè conjunxerant: tùm accedit, mea quidem sententia, maximum vinculum, quod ita rempublicam geris, atque gessisti, quâ nihil carius mihi est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantumdem ego unus debeam, non recusem. Quamobrem tibi velim [d] ii sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat [1] in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *supplicatio.* [b] *supplicatio per te mihi decreta.* [c] *ante Consulatum tuum.* [d] *ut aquè feliciter, atque mereris, tuum* consulatum *perficias.*

NOTA.

1. *In ipsos Etesias*] Epist. 15. lib. 2.

EPISTOLA XII.

Æmilio Paulo Consulatum gratulatur: eumque rogat, det operam, ne quid temporis ad annuam Ciliciæ administrationem accedat. Sulpicio & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo secundo.

Cicero Imperator s. d. [1] L. Paulo [2] Consuli designato.

ETSI mihi nunquam fuit dubium, quin te populus Romanus pro tuis summis in rempublicam meritis, & pro amplissimâ familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis consulem facturus esset: tamen incredibili lætitiâ sum affectus, cùm id mihi nuntiatum est: [a] eumque ho-

INTERPRETATIO.

[a] *& cupio, ut hanc tibi dignitatem dii fortunatam esse velint.*

NOTÆ.

1. *L. Paulo*] Vide indicem historicum.
2. *Consuli designato*] In annum sequentem cum Caio Claudio Marcello.

EPISTOLA X.

Marcellum Consulem rogat, ut ejus operâ supplicationem pro rebus à se gestis obtinere possit. Anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

Cicero Imp. s. d. C. Marcello C. F. Cos.

[a] QUANDO id accidit, quod mihi maximè fuit optatum, ut omnium Marcellorum, [1] Marcellinorum etiam, ([b] mirificus enim [2] generis, ac nominis vestri fuit erga me semper animus) quando ergo ita accidit, ut omnium vestrûm studio tuus consulatus satisfacere posset, in quem meæ res gestæ, [3] lausque, & honor earum potissimùm incideret: peto à te id, [c] quod facillimum factu sit, non aspernante, ut confido, senatu, ut quamhonorificentissimum senatusconsultum [4] literis meis recitatis, faciendum cures. [d] Si mihi tecum minus esset, quàm est cum tuis omnibus, [e] allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè diligi. Patris tui beneficia in me sunt amplissima. neque enim saluti meæ, neque honori amicior quisquam dici potest. [5] Frater tuus quanti me faciat, semperque fecerit, esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem. domus tua denique tota me semper omnibus summis officiis prosecuta est. neque verò tu in me diligendo cuiquam concessisti tuorum. Quare à te peto majorem in modum, [f] ut me per te quamornatissimum velis esse, meamque & [6] in supplicatione decernendâ, & in cæteris rebus [g] existimationem satis tibi esse commendatam putes. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quandoquidem Consulatus tuus in id tempus incidit, quo de meis rebus gestis, honoribusque agendum est in senatu; atque adeò, tùm Marcelli, tùm Marcellini sui erga me studio satisfacere jam possunt.*

[b] *mirificè enim me semper dilexit, tùm Claudia gens, tùm familia tua.*

[c] *quod factu facillimum erit, modo ut, quod spero, consentiat Senatus.*

[d] *si minor esset mihi tecum, quàm cum tuis omnibus necessitudo, aut amicitia.*

[e] *mitterem.*

[f] *ut me summis honoribus ornandum cures. & dignitatem meam.*

NOTA.

1. *Marcellinorum*] Eorum scilicet, qui ex familiâ Marcellorum, in alias cooptati, nomen suum pro more inflexerant. Sic Æmilius ex Æmiliâ gente in Corneliam adoptatus, *Æmilianus* dictus est. & ita de cæteris. Vide Cantelium nostrum de Romanorum gentibus, & familiis.

2. *Generis*] Hîc genus pro gente, nomen verò pro familiâ sumitur; gentis, & familiæ hæc erat differentia, quòd gens multò latiùs, quàm familia pateret, cùm ex unâ gente multæ familiæ, quasi ex unâ radice plures rami propagarentur. Eundem consule de Romanorum nominibus.

3. *Lausque & honor*] Sensus est. & quandoquidem accidit, ut res à me gestæ laudari, te Consule, possint, & honorari, si modò supplicationem mihi decernendam cures, &c.

4. *Literis meis recitatis*] Quibus belli seriem, contra Amanenses à se gesti, victoriamque Senatui exponebat.

5. *Frater tuus*] Patruelis, M. Marcellus, qui superiori anno consulatum gesserat.

6. *In supplicatione decernendâ*] Uterque Consul, magis tamen Æmilius Paulus hac in re Ciceronem juvit. Epist. 11. lib. 8.

Digitized by Google

EPISTOLA XI.

Agit gratias Consuli Marcello, quòd supplicationem sibi decernendam curaverit. Eodem anno.

Cicero Imp. s. d. C. Marcello Cos.

QUANTÆ tibi curæ meus [a] honos fuerit, & quàm idem extiteris consul in me ornando, & amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis, & cum totâ domo: etsi [b] res ipsa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium literis. Itaque nihil est tantum, quod ego non tuâ causâ debeam, facturusque sim cùm studiosè, tùm libenter. nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quàm tibi, cui me cùm studia communia, beneficia paterna, tuaque [c] jam antè conjunxerant: tùm accedit, mea quidem sententia, maximum vinculum, quod ita rempublicam geris, atque gessisti, quâ nihil carius mihi est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantumdem ego unus debeam, non recusem. Quamobrem tibi velim [d] ii sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat [1] in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *supplicatio.* [b] *supplicatio per te mihi decreta.* [c] *ante Consulatum tuum.* | [d] *ut aquè feliciter, atque mereris,* tuum consulatum *perficias.*

NOTA.

1. *In ipsos Etesias*] Epist. 15. lib. 2.

EPISTOLA XII.

Æmilio Paulo Consulatum gratulatur; eumque rogat, det operam, ne quid temporis ad annuam Ciliciæ administrationem accedat. Sulpicio & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo secundo.

Cicero Imperator s. d. [1] L. Paulo [2] Consuli designato.

ETSI mihi nunquam fuit dubium, quin te populus Romanus pro tuis summis in rempublicam meritis, & pro amplissimâ familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis consulem facturus esset: tamen incredibili lætitiâ sum affectus, cùm id mihi nuntiatum est: [a] eumque ho-

INTERPRETATIO.

| [a] *& cupio, ut hanc tibi dignitatem dii fortunatam esse velint.*

NOTÆ.

1. *L. Paulo*] Vide indicem historicum.
2. *Consuli designato*] In annum sequentem cum Caio Claudio Marcello.

norem tibi deos fortunare volo, à æque ex tuâ, majorumque tuorum dignitate administrari. Atque utinam præsens illum diem, mihi optatissimum, videre potuissem, proque tuis amplissimis erga me studiis, atque beneficiis tibi operam meam, 3 studiumque navare. b Quam mihi facultatem quando
1 hic nec opinatus, & improvisus provinciæ casus eripuit: tamen, ut te consulem rempublicam pro tuâ dignitate gerentem videre possim, magnoperè à te peto, ut operam des, efficias, 4 ne quid mihi fiat injuriæ, néve quid temporis ad meum annuum munus accedat. quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Vale.

INTERPRETATIO.

b *quandoquidem mihi facultatem hanc eripuit provinciæ administratio, quæ mihi, & contra voluntatem meam, & præter opinionem tradita est.*

NOTÆ.

3. *Studiumque navare*] Te juvare in petitione, & adeptione Consulatûs.

4. *Ne quid mihi fiat injuriæ*] Injuriam sibi fieri existimat, si ultra præfinitum tempus abesse cogatur Româ, quia longior absentia damni plurimum rebus suis afferre poterat.

EPISTOLA XIII.

Rogat, ut de rebus à se gestis honorificum in senatu fieri decretum curet; suamque illi cæteris in rebus existimationem commendat. Paulo, & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

10 Cicero Imperator S. D. Paulo.

MAXIME mihi fuit optatum, Romæ esse tecum, multas ob causas, sed præcipuè, ut & in petendo, & in gerendo consulatu meum tibi debitum studium perspicere posses. a ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen navare operam volebam. In consulatu
15 verò cupio equidem te minus habere negotii: sed molestè fero, b me consulem tuum studium adolescentis perspexisse, te meum, cùm id ætatis essem, perspicere non posse. Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil suppetat præter voluntatem. 1 Ornasti consulatum, ornasti 2 reditum meum

INTERPRETATIO.

a *& certè nunquam dubitavi, quin omnium suffragiis designandus esses Consul.*

b *quòd, cùm essem Consul, tuum mihi studium, licet eras adolescens, præstiteris; & ego, quamvis ætate jam sim provectior, meum tibi studium in Consulatu tuo, præstare non potuerim.*

NOTÆ.

1. *Ornasti*] Meritis erga me tuis. 2. *Reditum*] Ab exilio.

[c] incidit meum tempus rerum gerendarum in ipsum consulatum tuum. [d] Itaque cùm & tua summa amplitudo, & dignitas, & meus magnus honos, magnaque existimatio postulare videatur, ut à te pluribus verbis contendam, ac petam, ut quamhonorificentissimum senatusconsultum de meis rebus gestis faciendum cures: non audeo vehementer à te contendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ [3] consuetudinis erga me oblitus esse videar, aut te oblitum putem. Quare, ut te velle arbitror, ita faciam, atque ab eo, quem omnes [4] gentes sciunt de me optimè meritum, breviter petam. Si alii consules essent, ad te potissimùm Paule mitterem, ut eos mihi quamamicissimos rederes. nunc, cùm tua summa potestas, summaque auctoritas, notaque omnibus nostra necessitudo sit, vehementer te rogo, ut & quamhonorificentissimè cures, decernendum de meis rebus gestis, & quamcelerrimè. dignas res esse & honore, & [5] gratulatione cognosces ex iis literis, quas [e] ad collegam, & senatum publicè misi: omniumque mearum reliquarum rerum [f] maximéque existimationis meæ procurationem, susceptam, velim habeas, in primisque tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoque literis petivi, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te consulem videre, omniaque quæ spero, cùm [6] absens, tùm etiam præsens te consule assequi. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *contigit, ut te Consule, ageretur in senatu de rebus* in Cilicià *à me gestis.*
[d] *itaque cùm & tuus Consulatus.*
[e] *ad Caium Marcellum.*
[f] *meamque in primis existimationem, ut anteà fecisti, semper tuearis.*

NOTÆ

3. *Consuetudinis*] In me ornando.
4. *Gentes*] Etiam exteræ, & Româ procul distantes.
5. *Gratulatione*] Id est gratiarum actione; nam *gratulari*, cùm ad deos refertur, idem valet, quod gratias agere. Val. Max. lib. 1. cap. 1. *Prisco instituto rebus divinis operæ dabatur, cùm aliquid commendandum est, precatione; cùm exposcendum, voto; cùm solvendum, gratulatione.*
6. *Absens*] Absenti Proconsuli supplicatio, seu gratiarum actio, quæ fiebat diis immortalibus, pro rebus egregiè, & prosperè gestis: præsenti verò decernebatur triumphus.

EPISTOLA XIV.

Spondet se facturum omnia pro Fabio, quem Cassius ei commendaverat; causas exponit, cur doleat se non vidisse Cassium ad urbem ex provinciâ redeuntem; postremò petit, diligentiam ut omnem adhibeat, ne quid sibi temporis ad annuum Cilicia munus addatur. Eodem anno.

Cicero s. d. [1] C. Cassio proquæst.

[a] MARCUM Fabium quòd mihi amicum tuâ commendatione das, nullum in eo facio quæstum. multi enim anni sunt, cùm ille

INTERPRETATIO.

[a] *quòd tuâ commendatione me rogas, ut Fabium amicum habeam, nihil inde lucri facio, jam diù enim meus est amicus.*

NOTÆ.

1. *Cassio Proquæstori*] Vide indicem historicum.

norem tibi deos fortunare volo, à teque ex tuâ, majorumque tuorum dignitate administrari. Atque utinam præsens illum diem, mihi optatissimum, videre potuissem, proque tuis amplissimis erga me studiis, atque beneficiis tibi operam meam, [3] studiumque navare. [b] Quam mihi facultatem quando hic nec opinatus, & improvisus provinciæ casus eripuit: tamen, ut te consulem rempublicam pro tuâ dignitate gerentem videre possim, magnoperè à te peto, ut operam des, efficias, [4] ne quid mihi fiat injuriæ, néve quid temporis ad meum annuum munus accedat. quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Vale.

INTERPRETATIO.

[b] *quandoquidem mihi facultatem hanc eripuit provinciæ administratio, quæ mihi, & contra voluntatem meam, & præter opinionem tradita est.*

NOTÆ.

3. *Studiumque navare*] Te juvare in petitione, & adeptione Consulatûs.

4. *Ne quid mihi fiat injuriæ*] Injuriam sibi fieri existimat, si ultra præfinitum tempus abesse cogatur Româ, quia longior absentia damni plurimùm rebus suis afferre poterat.

EPISTOLA XIII.

Rogat, ut de rebus à se gestis honorificum in senatu fieri decretum curet; suamque illi cæteris in rebus existimationem commendat. Paulo, & Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

Cicero Imperator s. D. Paulo.

MAXIME mihi fuit optatum, Romæ esse tecum, multas ob causas, sed præcipuè, ut & in petendo, & in gerendo consulatu meum tibi debitum studium perspicere posses. [a] ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen navare operam volebam. In consulatu verò cupio equidem te minus habere negotii: sed molestè fero, [b] me consulem tuum studium adolescentis perspexisse, te meum, cùm id ætatis sim, perspicere non posse. Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil suppetat præter voluntatem. [1] Ornasti consulatum, ornasti [2] reditum meum

INTERPRETATIO.

[a] *& certè nunquam dubitavi, quin omnium suffragiis designandus esses Consul.*

[b] *quòd, cùm essem Consul, tuum mihi studium, licet eras adolescens, præstiteris; & ego, quamvis ætate jam sim provectior, meum tibi* studium in Consulatu *tuo, præstare non potuerim.*

NOTÆ.

1. *Ornasti*] Meritis erga me tuis. 2. *Reditum*] Ab exilio.

[c] incidit meum tempus rerum gerendarum in ipsum consulatum tuum. [d] Itaque cùm & tua summa amplitudo, & dignitas, & meus magnus honos, magnaque existimatio postulare videatur, ut à te pluribus verbis contendam, ac petam, ut quamhonorificentissimum senatusconsultum de meis rebus gestis faciendum cures: non audeo vehementer à te contendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ [3] consuetudinis erga me oblitus esse videar, aut te oblitum putem. Quare, ut te velle arbitror, ita faciam, atque ab eo, quem omnes [4] gentes sciunt de me optimè meritum, breviter petam. Si alii consules essent, ad te potissimùm Paule mitterem, ut eos mihi quamamicissimos rederes. nunc, cùm tua summa potestas, summaque auctoritas, notaque omnibus nostra necessitudo sit, vehementer te rogo, ut & quamhonorificentissimè cures, decernendum de meis rebus gestis, & quamcelerrimè. dignas res esse & honore, & [5] gratulatione cognosces ex iis literis, quas [e] ad collegam, & senatum publicè misi: omniumque mearum reliquarum rerum [f] maximéque existimationis meæ procurationem, susceptam, velim habeas, in primisque tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoque literis petivi, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te consulem videre, omniaque quæ spero, cùm [6] absens, tùm etiam præsens te consule assequi. Vale.

INTERPRETATIO.

[c] *contigit, ut te Consule, ageretur in senatu de rebus* in Cilicià *à me gestis.*
[d] *itaque cùm & tuus Consulatus.*
[e] *ad Caium Marcellum.*
[f] *meamque in primis existimationem, ut anteà fecisti, semper tueatis.*

NOTÆ

3. *Consuetudinis*] In me ornando.
4. *Gentes*] Etiam exteræ, & Româ procul distantes.
5. *Gratulatione*] Id est gratiarum actione; nam *gratulari*, cùm ad deos refertur, idem valet, quod gratias agere. Val. Max. lib. 1. cap. 1. *Prisco instituto rebus divinis operæ dabatur, cùm aliquid commendandum est, precatione; cùm exposcendum, voto; cùm solvendum, gratulatione.*
6. *Absens*] Absenti Proconsuli supplicatio, seu gratiarum actio, quæ fiebat diis immortalibus, pro rebus egregiè, & prosperè gestis: præsenti verò decernebatur triumphus.

EPISTOLA XIV.

Spondet se facturum omnia pro Fabio, quem Cassius ei commendaverat; causas exponit, cur doleat se non vidisse Cassium ad urbem ex provinciâ redeuntem; postremò petit, diligentiam ut omnem adhibeat, ne quid sibi temporis ad annuum Cilicia munus addatur. Eodem anno.

Cicero S. D. [1] C. Cassio proquæst.

[a] MARCUM Fabium quòd mihi amicum tuâ commendatione das, nullum in eo facio quæstum. multi enim anni sunt, cùm ille

INTERPRETATIO.

[a] *quòd tuâ commendatione me rogas, ut Fabium amicum habeam, nihil inde lucri facio, jam diù enim meus est amicus.*

NOTÆ.

1. *Cassio Proquæstori*] Vide indicem historicum.

[a] in ære meo est, & à me diligitur propter summam suam humanitatem, & observantiam. sed tamen, quòd te ab eo egregiè diligi sensi, multò amicior ei sum factus. Itaque quanquam profecerunt literæ tuæ, [b] tamen aliquantò plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te mihi perspectus, & cognitus. Sed de Fabio faciemus studiosè, quæ rogas. Tu, multis de causis vellem, me [3] convenire potuisses: primùm, ut te, quem jam diù plurimi facio, [c] [4] tanto intervallo viderem: deinde, ut tibi, quod feci per literas, possem præsens [5] gratulari: tum, ut, quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus: postremò, ut amicitia nostra, quæ summis officiis ab utroque culta est, sed longis intervallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur vehementiùs. Id quando non accidit, utemur [d] bono literarum, & eadem ferè absentes, quæ si coràm essemus, consequemur. Unus scilicet ille fructus, [e] qui in te videndo est, percipi literis non potest. [f] alter gratulationis est, is quidem exilior, quàm si tibi, te ipsum intuens, gratularer: sed tamen & feci antè, & facio nunc, tibique [8] cùm pro rerum magnitudine, [6] quas gessisti, tùm [7] pro opportunitate temporis gratulor, quòd te de provinciâ decedentem summa laus, & summa gratia provinciæ prosecuta est. Tertium est, ut id, quod de nostris rebus coràm communicassemus inter nos, conficiamus idem literis. Ego cæterarum rerum causâ tibi Romam properandum magnoperè censeo. [h] nam & ea, quæ reliqui, [8] tranquilla de te erant:

INTERPRETATIO.

[b] *nihilominùs commendatum magis habui, ex quo intellexi amantissimè eum esse in te animo.*

[c] *tanto post tempore.*

[d] *commodo.*

[e] *qui in eo positus est, ut te videam.*

[f] *alter, qui in eo consistit, ut tibi gratuler.*

[8] *tùm quia fortiter contra Parthos dimicasti, tùm quia feliciter, & opportunè tibi cecidit, ut te de Syriâ decedentem, Syria omnis te laudibus prosequeretur.*

[h] *nam cùm Româ discessi, nondum magnus erat hominum de tuis egregiè factis sermo, sed hac tuâ recenti de Parthis victoriâ, &c.*

NOTÆ.

2. *In ære meo est*] In ære alicujus esse, idem est, quod in ejus bonis, in ejus censu esse, *appartenir à quelqu'un.*

3. *Convenire potuisses*] Priusquam Româ in Ciliciam Proconsul abirem.

4. *Tanto intervallo*] Post triennium. Cassius abierat in Syriam cum Crasso, Consulibus Domitio, & Appio, anno urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo nono: Cicero autem in Ciliciam, septingentesimo secundo, Consulibus Sulpicio, & Marcello.

5. *Gratulari*] Ob Syriam immani Parthorum impetu liberatam.

6. *Quas gessisti*] In Syriâ.

7. *Pro opportunitate temporis*] Gratulatur Cassio duplici potissimùm de causâ; primò, de Parthis Antiochiâ depulsis; secundò, quòd cùm de ejus administratione, querelæ Romam delatæ essent, timendumque esset, ne de repetundis accusaretur; sic tamen paulò ante decessum è provinciâ, se gessisset, ut decedentem, Provincia laudibus, & gratiâ prosequeretur.

8. *Tranquilla de te erant*] Hujus loci potest esse duplex sensus; ille scilicet, cùm Româ discessi, nihil turbulenti erat adversum te; nullus adhuc te accusaverat;

Digitized by Google

& hac tuâ recenti victoriâ tanta clarum adventum tuum fore intelligo. [i] Sed, si quæ sunt onera tuorum, si [10] tanta sunt ut ea sustinere possis, propera, nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius: [k] sin majora, considera ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus. [l] hujus rei totum consilium tuum est. tu enim scis, [11] quid sustinere possis. [m] Si potes, laudabile, atque populare est: sin planè non potes, absens hominum [n] sermones faciliùs sustinebis. De me autem idem tecum his ago literis, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & senatus, & populus annuam esse voluit, temporis prorogetur. Hoc à te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. Habes [12] Paulum nostrum nostri cupidissimum: est [13] Curio: est Furnius. sic velim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. [o] Extremum illud est de iis, quæ præposueram, confirmatio nostræ amicitiæ: de quâ pluribus verbis nihil opus est. tu puer [p] me appetisti: ego autem semper ornamento te mihi fore duxi. fuisti etiam præsidio [q] tristissimis meis temporibus. accessit post tuum discessum familiaritas mihi [14] cum Bruto tuo maxima. [r] Itaque in vestro ingenio, & industriâ mihi plurimum & suavitatis, & dignitatis constitutum puto. id tu ut

INTERPRETATIO.

[i] *quòd si tui, qui tecum sunt, aliquid egerunt reprehensione dignum; id si est ejusmodi, ut defendere possis, festina* Romam reverti, *nihil tibi erit elegantius*, quàm ut tuos defendas.

[k] *quòd si tanta sunt*, quæ tuis objiciuntur crimina, ut ea diluere nequeas, *vide ne tibi* Romam *advenienti periculum impendeat.*

[l] *tuum est videre quid tibi sit agendum, cùm* omnium optimè *intelligas, quomodò tui se gesserint.*

[m] *si potes efficere*, ut tui absolvantur, *id erit tibi laudabile, & populo jucundum.*

[n] *reprehensiones.*

[o] *ex iis, quæ* hac in epistolâ *proposueram, restat, ut agam de confirmatione amicitiæ nostræ.*

[p] *meam ultrò amicitiam expetisti.*

[q] *exilii mei tempore.*

[r] *ab utriusque ingenio, & industriâ plurimùm & suavitatis, & gloriæ expecto.*

NOTÆ.

vel sequere, si voles, interpretationem. De Cassio, consule tabulam ejus historicam.

9. *Sed si quæ sunt, &c.*] Quòd igitur ad te pertinet, nihil est, quod Romæ timendum tibi existimem, immò etiam clarum fore adventum tuum auguror: quòd si quid à tuis peccatum est, &c. vide interpretationem: fortè Cassii vel amicus, vel propinquus, qui cum eo in provinciâ fuisset, captæ contra leges pecuniæ accusabatur: damnari autem non poterat, quin eodem damnationis discrimine Cassius implicaretur: est enim Rectoris provinciæ, suos in officio continere.

10. *Tanta sunt*] Id est, si leviores sunt accusationes, adeò ut illas confutare possis, & efficere ne tui damnentur, propera, &c. *tanta* hoc in loco, non auget, sed minuit potius rei magnitudinem.

11. *Qui sustinere possis*] Id est, an possis tuorum consulere saluti: si enim damnantur, vide ne in eamdem tu quoque damnationem incurras.

12. *Paulum*] Hujus anni cum Cæio Marcello Consulem.

13. *Curio, Furnius*] Ambo eodem anno Tribuni plebis.

14. *Cum Bruto tuo*] Cujus sororem Cassius duxerat.

Digitized by Google

cuo ſtudio confirmes, te vehementer rogo, literaſque ad me [f] continuò mittas, &, cùm Romam veneris, quamſæpiſſimè [g]. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *ſtatim atque meas acceperis.* [g] *ad me ſcribas.*

EPISTOLA XV.

Probat conſilium ſuum de non renovando civili bello; miſerrimamque Italiæ conditionem exponit. Coſſ. Cæſare iterùm, & Servilio, anno urbis conditæ ſeptingenteſimo quinto.

Cicero S. D. Caſſio.

ETSI uterque noſtrûm, [1] ſpe pacis, & odio [2] civilis ſanguinis, [a] abeſſe à belli pertinaciâ voluit: tamen, [b] quando ejus conſilii [3] princeps ego fuiſſe videor, [c] plus fortaſſe tibi præſtare ipſe debeo, quàm à te expectare; etſi, ut ſæpè ſoleo mecum recordari, ſermo familiaris meus tecum, & item mecum tuus adduxit utrumque noſtrûm ad id conſilium, [d] ut uno prælio putaremus, ſi non totam cauſam, at certè noſtrum judicium definiri convenire. neque quiſquam hanc noſtram ſententiam verè unquam reprehendit [4] præter eos, qui arbitrantur melius eſſe [5] deleri omninò rempublicam, [6] quàm imminutam & debilitatam manere. Ego autem ex interitu ejus nullam ſpem ſcilicet mihi proponebam, ex reliquiis magnam. [e] ſed ea ſunt conſecuta, [7] ut magis mirum ſit accidere illa potuiſſe, quàm nos non

INTERPRETATIO.

[a] *voluit*, poſt cladem Pharſalicam, *bellum renovare.*

[b] *quandoquidem arma deponendi auctor ego, &c.*

[c] *efficere potiùs debeo, ut firmus in propoſito remaneas, quàm expectare*, ut in meâ me ſententiâ confirmes.

[d] *ut ex unâ clade* Pharſalicâ *judicaremus, objiciendæ nobis arma eſſe. ita cauſa* Pompeii *nondum penitus perdita eſſet.*

[e] *Reipublicæ.*

[f] *bellum tamen* Africanum, præter opinionem meam, *ſecutum eſt; quod non tam mirum eſt, nobis non eſſe præviſum, quàm mirum eſt excitatum fuiſſe.*

NOTÆ.

1. *Spe pacis*] Opinione falſus eſt, cladem enim Pharſalicam non pax, ſed ferox, & crudele bellum excepit; primùm in Africâ, deinde in Hiſpaniâ.

2. *Civilis ſanguinis*] Si contingeret, quod non putabat, ut bellum renovaretur.

3. *Princeps*] Quia profligato ad Pharſalum Pompeio, ſtatim ab armis Cicero diſceſſit; Caſſius verò, poſt bellum duntaxat Alexandrinum, cùm obviam habuiſſet in Helleſponto Cæſarem.

4. *Præter eos*] Qui bellum in Africam deportaverunt, & arbitrantur, &c. intellige Scipionem, Catonem, &c.

6. *Quàm imminutam*] Unicâ clade acceptâ.

7. *Ut magis mirum ſit*] Pompeianas enimverò partes ſic ad Pharſalum fuiſſe attritas exiſtimabat Cicero, ut reſtitui poſſe deſperaret; videturque ſignificare, neque ipſum,

vidisse ea futura, nec, [8] cùm homines essemus, divinare potuisse. Equidem fateor meam conjecturam hanc fuisse, ut, illo quasi [8] quodam fatali prælio facto, & victores communi saluti [9] consulere vellent, & victi [10] suæ. utrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate victoris. [11] quæ si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa, quam cognovit Asia, quam etiam Achaia, &, [12] ut opinor, [h] ipso legato, ac deprecatore. [i] Amissis autem temporibus, [13] quæ plurimùm valent, præsertim [14] in bellis civilibus, [15] interpositus annus [k] alios induxit, ut victoriam sperarent; alios, ut ipsum vinci contemnerent. [l] atque horum malorum omnium culpam fortuna sustinet. [m] Quis enim aut [16] Alexandrini belli [17] tantam moram huic bello adjunctum iri, aut nescio quem istum [18] Pharnacem Asiæ terrorem illaturum putaret? nos tamen [19] in consilio pari, [20] casu dissimili usi sumus. [n] tu enim eam partem petisti, ut & consiliis in-

INTERPRETATIO.

[8] *post illud prælium Pharsalicum.*
[h] *ipso etiam Cæsare agente, & deprecante*, ut suam clementiam experiri vellent.
[i] *sed occasionibus abire permissis.*
[k] *fecit, ut alii, victoriam in Africâ sperarent, alii verò, vinci se mallent; quàm ab armis discedere.*
[l] *quæ quidem renovati belli culpa, non hominibus, sed fortunæ tota tribuenda est.*
[m] *quis enim divinasset, bellum Alexandrinum tantam bello civili moram injecturum?*
[n] *sic enim* in Asiâ *te Cæsari tradidisti, ut cum ipso permaneres, &c. ego autem in Italiam veni, &c.*

NOTÆ.

ipsum, neque Cassium ab armis tam citò discessuros fuisse, si prævidissent, bellum à Pompeianis in Africâ tanto apparatu renovandum.

8. *Cum homines essemus*] Qui futura certò divinare nequeunt.

9. *Consulere vellent*] Victis ignoscendo.

10. *Suæ*] Veniam, abjectis armis, rogando.

11. *Quæ si fuisset*] Id est, si statim post Pharsalicam pugnam, in Africam Cæsar dimicaturus advolasset, eandem clementiam experti essent, qui bellum in Africâ redintegrarunt, quam experti sunt ii, qui post Pharsalicum certamen, in Asiam, & in Achaïam se contulerant.

12. *Et ut opinor*] Nec solùm, ut opinor, veniam rogantibus Pompeianis ultrò dedisset, immò etiam primus ad pacem eos invitasset, ac reconciliationem: tanta est humanitas & clementia Cæsaris.

13. *Quæ plurimùm valent*] Quia repentinâ temporum inclinatione, sæpè fit, & rerum, & voluntatum repentina mutatio.

14. *in bellis civilibus*] In quibus multa victori facienda sunt non ex suâ, sed ex eorum, per quos vicit, voluntate.

15. *Interpositus annus*] Inter Pharsalicum certamen, & victoriam de Pharnace relatam.

16. *Alexandrini belli*] Quod Cæsar, post Pompeii cædem, cum Ptolemæo, Ægypti Rege, difficillimum, & periculosissimum habuit.

17. *Tantam moram*] Novem mensium, ut testatur Appianus.

18. *Pharnacem*] Mithridatis filium, qui existimans, Romanos bello civili diutiùs occupatos fore, Armeniam minorem, & Cappadociam incursare cœpit, at Cæsar rebus in Ægypto confectis in Asiam profectus est, Pharnacemque profligavit tantâ celeritate, ac felicitate, quantam elogium illud Cæsaris testatur: *Veni, vidi, vici.*

19. *In consilio pari*] Deponendi arma.

20. *Casu dissimili*] Quia Cicero Brundusium venit, quò statim venturum Cæsarem falsò speraverat, Cassius autem in Asiam ad Cæsarem se contulit. Vide not. 3.

teresses; &, quod maximè curam levat, [21] futura animo prospicere pos-
ses: ego, qui [22] festinavi, ut Cæsarem in Italiâ viderem, ([23] sic enim ar-
bitrabamur) eumque, multis honestissimis viris conservatis, redeuntem, ad
pacem currentem, ut aiunt, incitarem, ab illo [24] longissimè & absum, &
5 abfui. Versor autem [25] in gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis querelis,
quibus aliquid opis fortasse, ego pro meâ, tu pro tuâ, pro suâ quisque
parte ferre potuisset, si [26] auctor affuisset. Quare velim pro tuâ erga me
perpetuâ benevolentiâ scribas ad me, quid videas, quid sentias, [27] quid ex-
pectandum, quid agendum nobis existimes. magni erunt mihi tuæ literæ,
10 atque utinam [28] primis illis, quas [29] Luceriâ miseras, paruissem. sine ullâ
enim molestiâ dignitatem meam retinuissem. Vale.

NOTÆ.

21. *Futura animo prospicere posset*] Quippe qui à Cæsaris latere, nunquam, aut raro discedas.

22. *Festinavi*] Præproperam hanc suam festinationem graviter damnat epist. 6. & 9. lib. 11. ad Att. *Brundusii jacere in omnes partes est molestum.*

23. *Sic enim arbitrabamur*] Rediturum hûc ocyùs Cæsarem, debellato ad Pharsalum Pompeio; neque enim quidquam de Alexandrino bello, aut de Pharnace nobis in mentem venerat.

24. *Longissimè*] Cicero Brundusii, Cæsar autem in Ponto, contra Pharnacem dimicans, versabatur.

25. *In gemitu Italiæ*] Ob intolerandam Antonii tyrannidem, qui Romæ, absente Cæsare, armis, ac militum præsidiis septus, fœdè omnia diripiebat; cúmque videret civitas, hæc à magistro equitum fieri, longè graviora à Cæsare Dictatore ipso expectabat. Addé seditiones, & scelera Dolabellæ, & Trebellii Tribunorum plebis, qui ære alieno obruti, salutem suam in Reipublicæ ruinâ positam esse existimabant.

26. *Si auctor affuisset*] Si Romæ Cæsar affuisset, cujus auctoritate freti, tot malis medelam fortè nos adhiberemus.

27. *Quid expectandum*] Id scilicet prævidere poterat Cassius, qui Cæsari comes aderat, ejusque consiliorum particeps.

28. *Primis illis*, Quibus auctor eras, ut ne minimam quidem belli civilis partem attingerem

29. *Luceriâ*] Apuliæ oppido intra Teanum versus Austrum, ad fluvium Cerbalum, qui nunc *Foggia* dicitur: urbs autem ipsa *Lucera*, & *Nocera*; hanc à Diomede conditam testatur Strabo; fuit Romanorum colonia, quam Pompeius in hac dissensione civili, belli sedem elegerat.

EPISTOLA XVII.

Jocatur in Epicuri sectam, adeóque in ipsum Cassium, qui Epicureus evasserat. Cæsare quartùm Consule sine collegâ, & in Hispaniâ contra Pompeii liberos bellante, anno urbis conditæ septingentesimo octavo.

Cicero procos. s. d. Cassio.

PUTO te jam suppudere, [1] cùm hæc te tertia jam epistola antè oppressit, quàm tu schedulam, aut literam, sed non urgeo: longiores enim

INTERPRETATIO.

Jam ad te tertiò scripserim, priusquàm ad me vel schedulam misisti.

Digitized by Google

expectabo, vel potiùs [1] exigam. Ego, si semper haberem, cui darem, vel ternas in horâ darem. fit enim nescio quid, ut quasi coram adesse videare, cùm scribo aliquid ad te: [b] neque id [2] κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui amici novi, qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis [3] excitari. nam ne te fugiat, [4] Catius [5] Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, [c] quæ ille [6] Gargettius, etiam antè [7] Democritus, εἴδωλα, hic spectra nominat. [d] His autem spectris [8] etiam si oculi possent feriri, quòd vel iis ipsa occurrunt: [9] animus quî possit, ego non video. doceas tu me oportebit, cùm salvus veneris, in meâ-ne potestate sit spectrum tuum, ut simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat. neque solùm de te, [e] qui mihi hæres in medullis: [f] sed, si insulam [10] Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus? Sed hæc [g] posterius. tento enim te, [11] quo animo accipias. [12] si enim stomachabere, & molestè feres, plura dicemus, postulabimusque, [h] ex quâ hæresi [13] vi hominibus armatis dejectus

INTERPRETATIO.

[b] *neque id per spectrorum visa, ut dicunt Epicurei, qui putant etiam mentis cogitationes excitari spectris, de quibus Catius loquitur.*

[c] *ejusmodi imagines* menti objectas *spectra nominat, quæ à Gargettio, immò etiam antè à Democrito εἴδωλα dicta sunt.*

[d] *etsi concesserim hisce spectris oculos feriri, quoniam oculis hæc spectra occurrunt.*

[e] *quem unicè diligo, de quo ferè semper cogito.*

[f] *sed* fieri-ne potest? *ut, si insulam Britanniam cœpero cogitare, ejus illius simulacrum, & imago mihi ad mentem advolet?*

[g] *alio tempore.*

[h] *ut in sectam Stoïcam, ex quâ per vim, & armis dejectus es, restituare.*

NOTÆ.

1. *Exigam*] Tanquam mihi debitas, cùm jam ad te tertiò scripserim.

2. Κατ'] Erat hæc Epicureorum doctrina, ut crederent, si quis rem aliquam vellet cogitare, ejus rei spectrum, seu simulacrum ad cogitantis animum protinùs advolare.

3. *Excitari*] Id est ejusmodi spectrorum incursione commoveri, & feriri mentem.

4. *Catius*] De quo Quintilianus lib. 10. c. 1. *In Epicureis levis quidem, sed non injucundus tamen auctor est Catius.*

5. *Insuber*] Insubres, populi Galliæ Transpadanæ inter Sessitem, & Adduam flumina, quorum regio nunc *Ducatus Mediolanensis* dicitur, qui Insubriâ veteri latiùs patet.

6. *Gargettius*] Epicurus, ex Gargetto, ignobili Atticæ pago, Gargettius dictus.

7. *De mocritus*] Ex Abderâ urbe Thraciæ, qui quoties in publicum procedebat, ridebat hominum ineptias: tradunt Cicero, & Gellius, hunc se occæcasse, ut naturæ secreta quietiùs rimaretur.

8. *Etiamsi oculi possent feriri*] Quod sentiebat Epicurus.

9. *Animus quî possit*] Non video quomodò animus possit his spectris moveri: non enim sicut oculis, ita animo hæc spectra occurrunt; quâ enim ratione corpus penetrare queant?

10. *Britanniam*] Quam nunquam vidi, de quâ nunquam cogitavi.

11. *Quo animo accipias*] Meam de doctrinâ Epicuri sententiam.

12. *Si enim stomachabere*] Quòd irridere videar Epicuri dogmata.

13. *Vi hominibus armatis*] Solemnis est formula in Prætoris interdicto, seu sententiâ, quâ quis in possessionem suam, de quâ vi & armatis hominibus erat deturbatus, restituebatur. Vide epistolam 13. libri septimi.

sis, in eam [14] restituare. [15] in hoc interdicto non solet addi. In hoc anno. Quare si jam biennium, aut triennium est, cùm [16] virtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris [17] voluptatis, [18] in integro res nobis erit. [19] Quanquam quicum loquor? cum uno fortissimo viro: qui posteà quàm forum attigisti, nihil feci sti, [20] nisi plenissimum amplissimæ dignitatis. In ista ipsa ἀφύσει [21] metuo ne plus nervorum sit, quàm ego putarim, si modò eam tu probas. [i] Quid tibi in mentem venit? inquies. Quia nihil habebam aliud, quod scriberem. de republicâ enim nihil scribere possum. neque enim, quod sentio, libet scribere. Vale.

INTERPRETATIO.

i *sed fortè à me petes, cur hæc tibi scribam.*

NOTÆ.

14. *Restituare*] Id est, ut neglectâ voluptate, cui student Epicurei, ad virtutem, quam Stoïci profitentur, te referas.

15. *In hoc interdicto*] Interdictum est Prætoris sententia: epistolâ 13 libri septimi. sensus est: quoties Prætor sententiam pronuntiat, ut aliquis in possessionem, unde per vim ejectus est, restituatur, hæc addit verba: *in hoc anno*, id est, modò ut hoc anno id contigerit; secùs enim induceretur præscriptio; verùm in sententiâ, quam ego nunc pronuncio, ut relictis Epicureis, ad Stoïcos redeas; non addo hanc exceptionem, *in hoc anno*, id est, modò ut hoc anno duntaxat ab Stoïcis discesseris, quare etsi jam, &c.

16. *Virtuti*] Quam Stoïci docent.

17. *Voluptatis*] In quâ Epicurei summum bonum reponunt.

18. *In integro*] Integrum tamen tibi erit ab Epicureis ad Stoïcos te referre, & pristinam tuam vivendi rationem denuò complecti.

19. *Quanquam*] At imprudens ego sum, qui te fortissimum, sapientissimumque virum ad virtutem colendam excitem.

20. *Nisi plenissimum*] Nisi quod honestum & præstantem virum decet.

21. *Metuo*] Sed & metuo, ne secta Epicuri, quæ mollis hactenùs & imbecilla mihi visa est, plus virium habeat, quàm ego putarim, si modò eam tu probas, tu, inquam, qui subtili vales, & peracri judicio, nihilque laudas, nisi id quod laude dignum est.

EPISTOLA XVII.

Queritur de importunitate Tabellariorum; scribit de Syllæ morte, de rumoribus Hispanensis belli, de Pansâ, de Cassii commoratione Brundusinâ officium literarum & postulat, & pollicetur. Eodem anno.

Cicero s. d. Cassio.

[a] PRÆPOSTEROS habes tabellarios: etsi me quidem non offendunt: sed tamen, cùm à me discedunt, flagitant literas: cùm ad

INTERPRETATIO.

a *importunos.*

NOTÆ.

a. *Præposteros*] Quidam legunt *præproperos*, nec, ut opinor, malè.

me veniunt, nullas afferunt. atque id ipsum facerent commodiùs, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent: sed [b] [a] petasati veniunt, comites ad portam expectare dicunt. Ergo ignoscis: [c] alteras habebis has breves: [d] sed expecta πάντα περὶ πάντων. [e] Etsi quid ego me tibi purgo, cùm tui ad me [f] inanes veniant, ad te cum epistolis revertantur? Nos hîc, (tamen ad te scribam aliquid) [g] P. Syllam patrem mortuum, [g] habebamus. alii, à latronibus, alii, [4] cruditate, dicebant. populus [g] non curabat. [6] combustum enim esse constabat. hoc tu pro sapientiâ tuâ 7 feres æquo animo. [h] quanquam πρόσωπον πόλεως amisimus. Cæsarem putabant molestè laturum, verentem ne [8] hasta refrixisset. Mindius Marcellus, [i] & Attius pigmentarius valdè gaudebant se [9] adversarium perdidisse. [10] De Hispaniâ novi nihil, sed expectatio valdè magna: [11] rumores tristiores, sed [i] ἀδιάφορα. Pansa noster [k] paludatus a. d. III. Kal. Jan. [12] profectus est: [13] ut quivis intelligere posset, id quod tu nuper [14] dubitare cœpisti, [l] τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν esse. nam, quòd multos [15] miseriis levavit, & quòd se in his malis [m] hominem

INTERPRETATIO.

[b] *ad iter parati.* [c] *erit hæc epistola brevis, sicut & prior.*
[d] *sed expecta longiores de rebus omnibus.*
[e] *quamquam nihil opus est, ut me tibi excusem.*
[f] *sine literis.* [g] *audiebamus.*
[h] *quamquam nulla jam supereſt facies, & imago civitatis.*
[i] *sine certo auctore.*
[k] *Imperatoris ornatus vestis.*
[l] *honestum propter se expetendum.*
[m] *summam adhibuit humanitatem.*

NOTÆ.

2. *Petasati*] Petasus capitis est tegmen galero persimile.

3. *P. Syllam*] Is erat, opinor, L. Syllæ Dictatoris ex fratre nepos, C. Cæsaris in bello civili legatus, & à Cicerone, hac oratione, quæ etiam nunc extat, defensus. Consule epist. 10. lib. 9.

4. *Cruditate*] Cruditas, prava est stomachi affectio, quæ contrahitur ægrâ ciborum concoctione.

5. *Non curabat*] Quo genere mortis obiisset, mortem tantummodò obiisse gaudebat.

6. *Combustum*] Neminem ex hac familiâ, ante Syllam Dictatorem, combustum fuisse, auctores tradunt.

7. *Feres æquo animo*] Ironia, neque enim dolebat Cassius, mortuum esse Syllam, qui Pompeianorum bona in auctione emere solitus esset.

8. *Hasta*] Signum erat auctionis; sumitur pro ipsâ bonorum venditione, *ne hasta refrixisset*, sensus est, ne auctio, seu venditio bonorum proscriptorum fieri desineret, amisso tali patrono. Vide epist. 10. lib. 9.

9. *Adversarium*] Quæstui suo in bonis emendis.

10. *De Hispaniâ*] Ubi Cæsar contra Pompeii liberos bellum gerebat.

11. *Rumores tristiores*] De Pompeio jumiore, ejusque legatis.

12. *Profectus est*] In citeriorem Galliam M. Bruti successor.

13. *Ut quivis intelligere posset*] Tantâ benevolentiâ discedentem Pansam prosecuti sunt cives, ut inde quivis intelligere posset, honestum propter se, ut litate omni, & voluptate semotâ, expetendum esse.

14. *Dubitare cœpisti*] Ex quo jurâsti in Epicuri verba, qui quidem honestum censebat expetendum esse, si tamen cum voluptate conjungeretur.

15. *Miseriis levavit*] Quòd suâ apud Cæsarem auctoritate usus est, ut afflictis opem ferret.

præbuit, mirabilis eum virorum bonorum benevolentia prosecuta est. Tu quòd adhuc Brundusii moratus es, valdè probo, & gaudeo, & mehercule puto te sapienter facturum, [n 16] si ἀκυρόπους & fueris. nobis quidem, qui te amamus, [17] erit gratum. Et, amabo te, cùm dabis posthac aliquid domum literarum, mei memineris. ego nunquam quenquam ad te, cùm sciam, sine meis literis ire patiar. Vale.

INTERPRETATIO.

[n] *minimè curiosus.*

NOTÆ.

16. *Si*] Si res inutiles, rumoresque vanos audire neglexeris.

17. *Erit gratum*] Si Brundusii procul ab omni tumultu bellico remanseris.

EPISTOLA XVIII.

Excusat brevitatem epistolæ festinatione Tabellarii; scribit de statu Reipublicæ, de Hispaniæ bello; Cassii absentiam probat. Eodem anno.

Cicero s. d. Cassio.

LONGIOR epistola fuisset, nisi eo ipso tempore petita esset à me, cùm jam iretur ad te: longior etiam, [a 1] si φλύαρον aliquem habuisset. nam [b] παυδιάζειν [2] sine periculo vix possumus. Ridere igitur, inquies, possumus. [3] Non mehercule facillimè: veruntamen [c 4] aliam aberrationem à molestiis nullam habemus. Ubi igitur, inquies, [5] philosophia? [d] tua quidem [6] in culinâ, [7] mea molesta est. [8] pudet enim servire. itaque [e 9] facio me

INTERPRETATIO.

[a] *nugacem*, garrulum. [b] *res seriùs scribere.*

[c] *non est altera ratio molestiam omnem pellendi.*

[d] *tua quidem in epulis*, & voluptate consistit, *mea verò mihi* gravis est, *ac molesta.*

[e] *fingo me non servire, sed res meas non curare.*

NOTÆ.

1. *Si φλύαρον*] Id est, si is essem, qui nugis, fabulisque scribendis delectarer.

2. *Sine periculo*] Ne fortè, si de præsenti rerum statu scribamus, indignentur Cæsariani, nobisque succenseant.

3. *Non mehercule facillimè*] Ne risum nostrum malam in partem Cæsariani interpretentur, quasi videamur benè sperare de Pompeianis in Hispaniâ dimicantibus. hæc nempe miserrima est tyrannicæ dominationis conditio, ut risus & fletus, silentium & sermo, vultûs etiam figura quælibet aliquando funesta sint.

4. *Aliam aberrationem*] Præter risum.

5. *Philosophia?*] Unde repetere potes ad tolerandum dolorem, remedia.

6. *In culinâ*] Quia Cassius Epicuri dogmata sequebatur, vide epist. 16.

7. *Mea molesta est*] Meam enim servitutem perpetuò mihi exprobrat.

8. *Pudet enim me servire*] Qui prius effeceram, ne Respublica Catilinæ serviret.

9. *Facio*] Fingo me rebus meis consu-

Digitized by Google

alias res agere, ne convicium [10] Platonis audiam. [11] De Hispaniâ nihil adhuc certi, nihil omninò novi. Te abesse [12] meâ causâ molestè fero, [13] tuâ gaudeo. Sed flagitat tabellarius. valebis igitur, meque, ut à puero feciſti, amabis.

NOTÆ.

lere, & à publicis abstinere.

10. *Platonis audiam*] Eos, qui ſerviunt, objurgantis, vel ne Plato me arguat, quòd tali tempore, quo nulla eſt reſpublica, publica tamen negotia tractare velim. reſpicit, opinor, ad id, quod refert epiſt 9. lib. 1. ubi de Platone ſic loquitur: *atque hanc quidem ille cauſam ſibi ait non attingendæ Reipublicæ fuiſſe, quòd cùm offendiſſet populum Athenienſem propè jam deſipientem ſenectute, &c.*

11. *De Hiſpaniâ*] Ubi ad Mundam Bæticæ oppidum omnibus viribus utrimque dimicatum eſt; vicit tandem Cæſar, amiciſque poſt pugnam dixit, *ſæpè ſe pro victoriâ, in præſentiâ verò pro vitâ dimicaſſe.*

12. *Meâ causâ*] Quia nihil mihi tuâ conſuetudine jucundius.

13. *Tuâ gaudeo*] Cùm liber ab omni curâ tranquillè vivas.

EPISTOLA XIX.

Reſcribit ad duas epiſtolas, quæ ante proximè ſuperiorem collocatæ ſunt: maximè verò Epicurum, ejuſque ſectatores, à ſtudio virtutis, & juſtitiæ laudat. Eodem anno.

Caſſius S. D. Ciceroni.

NON mehercule in hac meâ peregrinatione quidquam libentiùs facio, quàm ſcribo ad te. videor enim cum præſente loqui, & jocari. [a] nec tamen hoc uſu venit propter [1] ſpectra Catiana: [b] pro quo tibi proxima epiſtolâ tot ruſticos [2] Stoïcos [3] regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas. Panſam noſtrum [c] ſecundâ voluntate hominum [4] paludatum ex urbe exiſſe, cùm ipſius causâ gaudeo, tùm mehercule etiam omnium noſtrûm. Spero enim homines intellecturos, quanto ſit omnibus odio [5] crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia, [d] atque ea, quæ maximè mali petant,

INTERPRETATIO.

[a] *nec tamen hoc contigit ob ſpectra de quibus Catius ſcripſit.*

[b] *pro quo* Catio, quem contemnere viſus es, *tot tibi Stoïcos contrà objiciam barbarè loquentes, ut Catius* cum iis comparatus, *elegans eſſe & politus videatur.*

[c] *approbante, & plaudente populo.*

[d] *probosque viros hac* benignitate *& clementiâ honores adipiſci, quos mali maximè concupiſcunt.*

NOTÆ.

1. *Spectra Catiana*] Vide epiſt. 16.

2. *Stoïcos*] Quos tamen Epicureis videris anteponere.

3. *Regeram*] Senſus eſt: Tu Catium perſtrinxiſti, ut agreſtem, & inerudituni; ego contrà tot inurbanos tibi Stoïcos nominabo, ut, &c. Conſule interpretationem.

4. *Paludatum*] Paludamentum, ut ante jam dixi, erat militare Imperatoris indumentum. Legati tamen, & Tribuni militum, ut Livius habet, eâdem veſte uſi ſunt.

5. *Crudelitas*] A quâ prorſus abhorrebat Panſa. Epiſt. 17.

Digitized by Google

& concupiscant, [6] ad bonos pervenire. 7. Difficile est enim hominibus persuadere, [8] τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν esse: [9] ἡδονῇ verò, & [10] ἀταραξίᾳ virtute, justitiâ, [8] & καλῷ parari, & verum, & probabile est. ipse enim Epicurus, [h] à quo omnes Catii, & Amafinii, [11] mali verborum interpretes, proficiscuntur, dicit, [i] οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς, καὶ δικαίως ζῆν. Itaque & [12] Pansa, qui [k] ἡδονῇ sequitur, virtutem retinet: & ii, qui [13] à nobis [l] φιλήδονοι vocantur, sunt [m] φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, [14] omnesque virtutes & colunt, & retinent. Itaque [15] Sylla, [16] cujus judicium probare debemus, cùm [17] dissentire philosophos videret, [18] non quæsivit, quid bonum esset, & omnia bona coëmit. cujus ego mortem [19] forti mehercule animo tuli. nec tamen Cæsar diutiùs nos eum [20] desiderare patietur. [21] nam habet

INTERPRETATIO.

[8] *honestum per se expetendum.*
[9] *voluptatem verò, & tranquillum animi statum.* [8] *& honesto.*
[h] *qui Catii, & Amafinii similes, Epicuri verba malè interpretantur.*
[i] *non licet suaviter vivere, nisi justè, & honestè vivatur.*
[k] *voluptatem.*
[l] *voluptatis amantes.*
[m] *amantes honesti, & justi.*

NOTÆ.

6. *Ad bonos pervenire*] Id est probitatem, & clementiam tutissimum esse ad honores obtinendos iter, quod sit manifestum exemplo Pansæ, qui clemens, & probus Galliæ administrationem accepit.

7. *Difficile est enim, &c.*] Sed nemo deinceps in dubium id revocabit, ad Pansam si velit respicere.

8. Τὸ καλὸν] Pauci quippe reperiuntur, qui honestatem ab utilitate propriâ sejunctam curent.

9. Ἡδονῇ] Summum bonum Epicurei posuisse dicuntur, in voluptate, sive in doloris immunitate, ut sanum corpus esset, animus à perturbatione vacuus; sic tamen, ut sentirent utrumque parandum esse virtute, & justitiâ.

10. Ἀταραξίᾳ] Id est statum animi, qui nullâ re turbatur. Ταράττω, turbo.

11. *Mali verborum interpretes*] Id est, qui cùm Epicuri sententiam perperam intellexissent, opinati sunt felicitatem ab eo reponi in obscœnis voluptatibus, & ab honesto, ac virtute sejunctis, cùm tamen affirmaret non posse jucundè vivi, nisi honestè, justéque viveretur.

12. *Pansa*] Epicureus.

13. *A nobis*] Epicuri sectatoribus, vel *à nobis*, ut nonnulli Interpretes habent, Epicuri placita irridentibus.

14. *Omnesque*] Ex Epicuri mente voluptatem à virtute non separant.

15. *Sylla*] De cujus morte Cicero scripserat epist. 17.

16. *Cujus judicium probare debemus*] Quasi sapientis, & eruditi viri. ironicè & acutè dictum.

17. *Dissentire*] Quâ scilicet in re summum ac verum bonum consisteret. quod Stoïci in virtute, in divitiis alii, alii in voluptate solâ reponebant.

18. *Non quæsivit*] Sylla vir ingeniosus & prudens, non laboravit in investigandâ naturâ boni; sed ne erraret in delectu, omnia bona sumpsit: jocatur Cassius, & in verborum ambiguitate ludit. disputabant philosophi de summo bono; Sylla verò Pompeianorum bona omnia, cùm sub hastâ venderentur, coëmit.

19. *Forti animo tuli*] Hæc etiam jocosè dicta sunt: nec enim de morte Syllæ Cassius doluit, immò potiùs eâ gavisus est, quippe qui Pompeianos amaret, eorumque bona ægrè ferret à Syllâ auferri.

20. *Desiderare*] Habet enim Cæsar quos in locum Sullæ brevi sufficiat.

21. *Nam habet damnatos*] Festivè in primis, & argutè dictum. Lege Pompeiâ damnatos restituerat Cæsar; hoc lateret Cassius notat; cùm tamen de iis loquatur, quos

damnatos, quos pro illo nobis restituat : [21] nec ipse [23] sectorem desiderabit cùm filium viderit. Nunc, ut ad rempublicam redeam, quid in Hispaniis geratur, rescribe. peream, [24] nisi solicitus sum, ac malo vererem, & clementem [n] dominum habere, quàm [o] novum, & crudelem experiri. Scis, [25] Cnæus quàm sit fatuus : scis quo modo crudelitatem virtutem putet : scis, § quàm se semper à nobis derisum putet. vereor, ne nos rusticè gladio velit [p] [26] ἀντιμυκτηρίσαι. quid fiat, si me diligis, rescribe. Hui quàm velim scire utrùm ista solicito animo, an [q] soluto legas. sciam enim eodem tempore, quid me facere [27] oporteat. Ne longior sim, vale, & me, ut facis, ama. Si Cæsar vicit, celeriter me expecta. 10

INTERPRETATIO.

[n] *Cæsarem.* [o] *Cnæum Pompeium, Magni filium.* [p] *vicissim deridere.* [q] *quieto.*

NOTÆ

quos Cæsar ad sectiones faciendas, ne hasta refrigesceret, Sullæ mortuo suffecturus est : Jocus est in verbo *restituat*, ambiguâ significatione ad majorem Cæsaris contumeliam. Ita Manutius.

22. *Nec ipse*] Nec Cæsar ipse desiderabit, qui bona Pompeianorum emat, postquam Syllæ filium viderit : is enim patris, in sectione faciendâ, imitator erit optimus.

23. *Sectorem*] Sector is est, qui proscriptorum bona in auctione emit : Antonius sector Pompeii à Cicerone appellatur, quoniam sub hastâ, Pompeii bona redemerat; inde sectio sumitur pro bonis damnatorum, aut spoliis hostium, quæ in auctione venduntur : Gallicè dicimus *confiscation*.

24. *Nisi sollicitus*] De belli Hispaniensis eventu timeo, ne Pompeiani vincant.

25. *Cnæus*] Pompeii magni filius.

26. *Ἀντιμυκτηρίσαι*] Id est, naso vicissim suspendere : μυκτὴρ, nasus, qui pro irrisione nonnunquam sumitur.

27. *Oporteat*] Utrùm sollicitus, an quietus esse debeam.

EPISTOLA XX.

Significat, se ad illum mittere librum, quem de virtutibus perfecti Oratoris scripserat; fidem Sabinorum, & probitatem laudando extollit; petit ab eo frequentes literas. Antonio, & Dolabellâ Consulibus, anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Cicero s. d. C. Trebonio.

[a] ORATOREM meum (sic enim inscripsi) [1] Sabino tuo commendavi. [3] natio me hominis impulit, [b] ut ei rectè putarem.

INTERPRETATIO.

[a] *librum de Oratore à me scriptum.* [b] *ut putarem ei rectè* committi posse.

NOTÆ.

1. *Oratorem meum*] Epist 13. lib. 6.

2. *Sabino*] Nomen proprium, quod à regione tamen deductum est.

3. *Natio*] Severitate morum, & con-

[c] nisi fortè [4] candidatorum licentiâ hîc quoque usus, hoc subitò cognomen arripuit. [5] etsi modestus ejus vultus, sermoque constans habere quiddam à [6] Curibus videbatur. Sed de Sabino satis. Tu, mi Treboni, [d] quando ad amorem meum aliquantulum discedens addidisti, quò tolerabilius feramus [e] igniculum desiderii tui, [f] crebris nos literis appellato, atque ita, si idem fiet à nobis. quanquam duæ causæ sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas, quàm nos: primùm, quòd olim solebant, qui Romæ erant, ad provinciales amicos de republicâ scribere: nunc tu nobis scribas oportet: [g] res enim publica [7] istic est: deinde, [8] quòd nos aliis officiis tibi absenti satisfacere possumus: tu nobis, nisi literis, non video quâ re aliâ satisfacere possis. Sed cætera scribes ad nos posteà. nunc hæc primò cupio cognoscere, iter tuum cujusmodi sit: ubi [9] Brutum nostrum videris, quàm diù simul fueris: deinde, cùm processeris longiùs, de bellicis rebus, [10] de toto negotio: ut existimare possimus, [11] quo statu simus. ego tantum me scire puta-

INTERPRETATIO.

[c] *nisi si dicamus eum, candidatorum more, ac licentiâ, hoc subitò nomen arripuisse.*

[d] *quandoquidem discessus tuus aliquid amoris erga te meo addidit.*

[e] *desiderium tui videndi.*

[f] *frequenter ad me scribe; ad tamen consuetudinem, ut ad te frequenter scribam.*

[g] *nam respublica, non jam* Romæ *ut antea, sed vobiscum est in provinciis.*

NOTÆ.

tinentiâ nobilis. Sabini populi sunt Romæ vicini, Apennini jugis circumvallati.

4. *Candidatorum*] Qui magistratus petebant, candidati dicebantur à togâ candidâ, quam induisse constat. hoc docet, præter cæteros, Macrobius: *Mos fuit*, inquit, *petitoribus, ut sumptâ candidâ togâ, nundinis in Comitium venirent, & in colle considerent, unde coràm possent ab universis videri.* Tradit etiam Plutarchus in Coriolani vitâ, petitores, cùm in campum descenderunt, tunicam deposuisse, sive, ut pecuniam in sinu gestare non possent, quâ emerent suffragia, sive ut cicatrices adverso pectore acceptas commodiùs ostenderent; sive ut, quemadmodum prensationibus, & supplicatione, sic etiam eo corporis habitu se deprimerent: fictis quoque aliquando cognominibus, populum sibi conciliabant.

5. *Etsi modestus*] Præterea sum adductus, ut librum illi meum committerem, quòd modestus ejus vultus, &c. Sabinam severitatem exprimat.

6. *Curibus*] Urbe Sabinorum primariâ, ubi nunc monasteriolum *Vescovio di Sabina.* Virg. l. b 8.

Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.

7. *Istic*] Id est in iis provinciis, ubi erant Trebonius, Cassius, & Brutus, libertatis, post interfectum Cæsarem, defensores: Romæ enim, dominantibus Antonio, & Dolabellâ Consulibus, nulla Reipublicæ, nulla libertatis imago superat.

8. *Quòd nos aliis officiis*] Cùm dignitatis tuæ, reique familiaris habere curam & possim, & velim.

9. *Brutum nostrum*] Marcum Brutum, qui metu veteranorum militum, quos in urbem convocarat Antonius, Româ discesserat, Macedoniamque à Senatu sibi decretam occupaverat. Vide tabulam ejus historicam.

10. *De toto negotio*] Id est de toto belli apparatu, quod Antonio, pro mendâ libertate, indicere cogitabant.

11. *Quo statu simus*] Utiam Reipublicæ liberæ cives, an semper Antonii servi?

Digitized by Google

bo, quantum ex tuis literis habebo cognitum. Cura ut valeas, meque ames amore illo tuo singulari.

EPISTOLA XXI.

Rogat, ut sui absentis desiderium crebris, ac longis epistolis leniat; commemorat Trebonii erga se officia; suum de Calvo oratore jam mortuo judicium exponit. Cæsare iterùm Dictatore, M. Antonio Magistro Equitum, anno urbis conditæ septingentesimo sexto.

Cicero s. d. Trebonio.

ET [1] epistolam tuam legi libenter, & [2] librum libentissimè. sed tamen in eâ voluptate hunc accepi dolorem, quòd cùm incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendæ nostræ, (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) [3] tùm discedis à nobis, meque tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas, fore, ut utriusque nostrùm absentis desiderium crebris, & longis epistolis leniatur. quod ego non modò de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi. nullam enim apud me reliquisti dubitationem, quantùm me amares. nam, ut illa omittam, quæ civitate teste [4] fecisti, [a] cùm mecum inimicitias communicasti, cùm me [b] concionibus tuis defendisti, cùm quæstor [5] in meâ, atque in publicâ causâ [c] [6] consulum partes suscepisti, cùm [7] tribuno plebis quæstor non paruisti, cui tuus præ-

INTERPRETATIO.

[a] *cùm eos qui me oderant, odio quoque habuisti* [b] *tuis* ad populum *orationibus.*

[c] *ea pro me fecisti, quæ debuerant facere Consules.*

NOTÆ.

1. *Epistolam tuam*] Quæ ad nos usque non pervenit.

2. *Librum*] In quo Ciceronis acutè dicta laudabat Trebonius.

3. *Tùm discedis à nobis*] In Hispaniam ulteriorem proficiscens, quam ex prætură Proconsul obtinuit, ut habet Pighius libro decimo septimo Annalium, tom. 3. pag. 450. Prætúram urbanam Trebonius exercuit anno superiori, Cæsare iterùm, & Servilio Coss.

4. *Fecisti*] Ut me contra Clodium, aliosque, defenderes.

5. *In meâ, atque in, &c.*] Suam causam à Reipublicæ causâ non secernit: iidem enim eodem tempore & Tullium, & Rempublicam prodiderunt.

6. *Consulum*] Erant eo anno Afranius, & Metellus Celer; hic Herennio quoque, Publium Clodium ad plebem traducere cupienti restitit, unde fie potest explicari locus ille, *Consulum partes suscepisti*, id est Metelli partes contra Herennium apertè suscepisti, vel ita uti in interpretatione exposuimus: probabile enim est Afranium Clodio favisse.

7. *Tribuno plebis*] Caio Herennio, qui legem de P. Clodio à Patriciis ad plebem traducendo promulgavit, ut Tribunus plebis fieri posset; huic legi adversatus videtur Trebonius, qui Quæstor urbanus fuit eodem anno, quo Herennius Tribunatum gessit, id est anno urbis conditæ 693. Coss. Afranio, & Metello Celere: hæc accuratè pro more suo Pighius: longè aliter Manutius explicat; judicium Lectoris facio.

Digitized by Google

fertim [8] collega pareret: ut hæc recentia, quæ meminero semper, obliviscar, quæ tua solicitudo de me [d] in armis, quæ lætitia [9] in reditu, quæ cura, qui dolor, cùm ad te [10] curæ, & [11] dolores mei perferrentur: [12] Brundusium denique te ad me venturum fuisse, nisi subitò [13] in Hispaniam missus esses: ut hæc igitur omittam, quæ mihi tanti æstimanda sunt, quanti vitam æstimo, & salutem meam: [14] liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui? [15] Primùm, quòd tibi facetum videtur, quidquid ego dixi, quod aliis fortasse non item: deinde, quòd illa, sive facta sunt, [16] sive sic, fiunt [17] narrante te venustissima: quinetiam, [18] antè quàm ad me veniatur, risus omnis penè consumitur. [19] Quòd si in his scribendis nihil aliud, nisi quod necesse fuit, de uno me tam diù cogitavisses: ferreus essem, [20] si te non amarem. cùm verò ea, [c] quæ scripturâ [21] persecutus es, sine summo amore cogitare non potueris: non possum existimare, plus

INTERPRETATIO.

[d] *in bello civili.* [c] *quæ scripsisti de me.*

NOTÆ.

8. *Collega*] Quintus Cæcilius Metellus Creticus, sic dictus ob recentem patris de Cretensibus triumphum. Plurimùm autem hac parte Trebonio debebat Tullius; hoc enim in primis consilio Tribunatum Clodius expetebat, ut Ciceronem in exilium ejiceret, quod utique pòst fecit. Vide tabulam historicam Cæsaris.

9. *In reditu*] Cùm in Italiam redii post cladem Pharsalicam.

10. *Curæ*] Pœnituit enim Ciceronem tam citò venisse in Italiam, non obtentâ priùs à Cæsare facultate; ad Atticum epist. 16. libri undecimi: *Consilii pœnitet; in oppido aliquo mallem resedisse, quoad arcesserer*, nempe à Cæsare in Italiam; id enimverò tutius, & magis honorificum fuisset.

11. *Et dolores mei*] Ob periculum, in quo versabar, cùm Brundusii in eorum potestate essem, contra quos arma sumpseram.

12. *Brundusium*] Ubi Cicero tamdiù restitit, donec usque Cæsar, Alexandrino bello confecto, Italiam repetiit.

13. *In Hispaniam*] Vide notam tertiam.

14. *Liber iste*] De quo suprà.

15. *Primùm*] Primùm in eo declaras amorem erga me tuum, quod facetum tibi videtur, & ingeniosum id omne quod dixi, quanquam alii fortè non idem de meis dictis judicium ferant.

16. *Sive sic*] Asserit Manutius, conjunctionem hanc, *sic*, minuendi vim habere, adeò ut sensus ille sit, sive dicta mea faceta sunt, sive facetiarum per se minus habent. Lubentiùs ego legerem *secùs*, id est, sive dicta mea faceta sunt, sive non sunt.

17. *Narrante*] Dùm enim dicta mea repetis, & usurpas, novum iis leporem videris affingere.

18. *Antequam ad me veniatur*] Antequam ad me veniant amici, ut librum hunc mihi gratulentur, sic jam de meis facetiis, & salibus, te narrante, riserunt, ut risus omnis consumptus videatur.

19. *Quòd si*] Quòd si inter scribendum hunc librum, quem ad me misisti, nihil aliud in mentem tibi veniret, præter id quod postulabat necessitas, nulli amoris mutui habitâ ratione; tamen de me uno tam longo tempore cogitasses, ut ferreus essem, &c.

20. *Si te non amarem*] Quòd de me uno tamdiù cogitaveris: nec enim de aliquo scribere possumus, quin ejus imago in mentem sæpè nostram recurrat.

21. *Persecutus es*] In libro, quem de Ciceronis dictis Trebonius scripserat.

Digitized by Google

quenquam à se ipso, quàm me à te, amari. cui quidem ego amori, utinam cæteris rebus possem, amore certè respondebo. quo tamen ipso tibi confido [22] futurum satis. Nunc ad epistolam venio. cui copiosè, & suaviter scriptæ, nihil est, quòd multa respondeam. Primùm enim ego illas [23] Calvo literas misi, [f] non plus, quàm has, quas nunc legis, [24] existimans exituras, aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus: aliter, quod multos lecturos putamus. deinde, ingenium ejus meliòribus extuli laudibus, quàm tu id verè potuisse fieri putas. primùm, quod ita [25] judicabam, acutè movebatur: [26] genus quoddam sequebatur, in quo judicio lapsus, quo valebat, tamen assequebatur, quod probaret. multæ [27] erant, & reconditæ literæ: [28] vis non erat. ad eam igitur adhortabar. in excitando autem, & in acuendo, plurimùm valet, si laudes eum, quem cohortere. Habes de Calvo judicium, & consilium meum. consilium, quòd hortandi causâ, laudavi: judicium, quòd de ingenio ejus [g] valdè existimavi benè. Reliquum est, [29] tuam profectionem amore prosequar, reditum spe expectem, absentem memoriâ colam, omne desiderium literis mittendis, accipiendisque leniam. Tu, velim, tua in me studia, & officia multùm tecum recordere: quæ cùm tibi liceat, [30] mihi nefas sit obliviscì, non modò virum bonum me existimabis, verùm etiam te à me amari plurimùm judicabis. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *existimans non magis in publicum exituras, quàm has, quas nunc legis.* [g] *optimè, & sincerè judicavi.*

NOTÆ.

22. *Futurum*] Malim cum Manutio, *facturum* satis, ut subaudiatur *me*, id est, quo tamen amore meo, etsi nihil præterea tibi rependam, spero futurum, ut tibi faciam satis.

23. *Calvo*] Ex iis verbis colligitur, Ciceroni significasse Trebonium sibi non probari, quòd tantis laudibus Calvum ornasset. multiplici ratione suum id factum Tullius excusat. Fuit Calvus Orator insignis, & à Quintiliano laudatus, lib. x. cap. 2. *Quid tamen noceret vim Cæsaris, diligentiam Pollionis, judicium Calvi, quibusdam in locis assumere.* Et in cap. 1. ejusdem libri, *Inveni, qui Calvum præferrent omnibus, &c. sed est & sancta, & gravis oratio, & castigata, imitator est autem Atticorum. fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus, non si quid detracturus sit.*

24. *Existimans*] Illas literas, quas ad Calvum de ejus laudibus misi, in ejus duntaxat, non in alterius cujusquam manus venturas.

25. *Judicabam*] Ingenii plurimùm in Calvo esse, vel ex eo quòd acutos in dicendo motus haberet.

26. *Genus*] Genus quidem dicendi sectum, & jejunum usurpabat, in quo peccare contra judicium visus est, etsi valebat judicio, quo finem sibi propositum semper assequebatur.

27. *Erant*] Id Calvo.

28. *Vis non erat*] Quoniam nimiâ quâdam religione vim orationis enervabat.

29. *Tuam profectionem*] Ut te proficiscentem in Hispaniam amore prosequar.

30. *Mihi nefas*] Beneficia commemorare debet, qui accipit, non qui confert.

Digitized by Google

LIBER XVI.

AD TIRONEM.

EPISTOLA I.

Cùm Romam è Ciliciâ Cicero rediret, libertum sibi carissimum Tironem, Patris ægrum reliquit; hujus videndi desiderio teneri se significat; rogat in primis, ut valetudinem suam curet. L. Æmilio Paulo, & C. Claudio Marcello Coss. anno urbis conditæ septingentesimo tertio.

[1] Tullius, & Cicero meus, & frater, & fratris filius, S. D.
[2] Tironi suo.

PAULÒ faciliùs putavi posse me ferre [a] desiderium tui: sed planè non fero. & quanquam magni [b] ad honorem nostrum interest, [3] quamprimum ad urbem me venire: tamen peccasse mihi videor, qui à te discesserim. sed quia tua voluntas ea videbatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles navigare: approbavi tuum consilium: neque nunc muto, si tu in eadem es sententiâ. [4] sin, posteà quàm cibum cepisti, videris tibi me posse consequi: [c] tuum consilium est. [5] Marionem ad te eò misi, ut aut tecum ad me quamprimum veniret, aut, si tu morarere, statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo valetudinis tuæ fieri possit, nihil me malle, quàm te esse mecum: sin intelliges opus esse, te [6] Patris, convalescendi causâ, paulùm commorari, nihil me malle, quàm te valere. Si statim navigas, [d] nos [7] Leucade consequêre. sin te confirmare vis, & comites, & [e] tempestates, & navem idoneam ut habeas, diligenter videbis.

INTERPRETATIO.

[a] *absentiam tuam, sed hanc ægerrimè fero.*
[b] *ad triumphum obtinendum.*
[c] *tuum est consulere*, utrùm ad nos navigare velis, nec-ne.
[d] *invenies me Leucade.*
[e] *tempus commodum.*

NOTÆ.

1. *Tullius, & Cicero, &c.*] E Ciliciâ Romam redeuntes.
2. *Tironi*] Vide indicem historicum.
3. *Quamprimùm*] Ne discordia civilis triumphum, quem petierat, impediret; quod re verâ contigit.
4. *Sin posteaquàm, &c.*] Sin verò speras fieri posse, ut me assequaris, ex quo tempore cibum, confirmato stomacho, sumere cœpisti, potes in viam te dare, id tuæ permitto voluntati.
5. *Marionem*] Servum.
6. *Patris*] Patræ Achaiæ in Peloponneso civitas, *Patras*, quæ nunc etiam floret.
7. *Leucade*] Leucas, hodie *Sainte Mari*

Digitized by Google

Unum illud, mi Tiro, videto, si me amas, [f] ne te Marionis adventus, & hæ literæ moveant. quod valetudini tuæ maximè conducet, si feceris, maximè obtemperaris voluntati meæ. [g] hæc pro tuo ingenio considera. nos ita te desideramus, ut amemus. amor, ut valentem videamus, hortatur: desiderium, ut quamprimum. [9] illud igitur potiùs. Cura ergo potissimùm ut valeas [10] de tuis innumerabilibus in me officiis erit [11] hoc gratissimum. III. non. Nov. Vale.

INTERPRETATIO.

[f] *ne te sollicitum habeant.* [g] *hæc diligenter, ut soles, considera.*

NOTÆ.

ve, insula Græciæ, urbem habet cognominem, & permunitam: erepta fuit Venetis à Mahumete II. & ab iisdem recepta sub Mahumete IV. anno proximè elapso, post Christum natum 1684.

8. *Moveant*] Quasi velim, ut, nullâ valetudinis habitâ ratione, quamprimùm ad me venias.

9. *Illud igitur potiùs*] Malo igitur te seriùs, at valentem, quam ocyùs, & ægrum videre.

10. *De tuis innumerabilibus officiis*] Vide epistolam quartam.

11. *Hoc gratissimum*] Ut valetudinem tuam cures.

EPISTOLA II.

Scribit de suo ad Alyziam accessu; monet, ut valetudini suæ omni studio consulat. Eodem anno.

Tullius s. d. Tironi suo.

NON queo ad te, nec lubet scribere, [a] quo animo [1] sim affectus: tantùm scribo, & tibi, & mihi maximæ voluptati fore, si te firmum quamprimum videro. [b] Tertio die abs te [2] ad Alyziam accesseramus. is locus est citra Leucadem [3] stadia CXX. Leucade aut ipsum, aut tuas literas à Marione putabam me acceperturum. Quantum me diligis, tantum fac ut valeas, vel quantum à me scis diligi. Nonis Nov. Alyzia.

INTERPRETATIO.

[a] *quàm me sollicitum habuerit* valetudo tua. [b] *tertio die, postquam abs te discesseramus.*

NOTÆ.

1. *Sim affectus*] Ex quo tempore præsentiam tuam amisi.

2. *Ad Alyziam*] Alyzia, seu Halyzea Acarnaniæ in Græciâ civitas inter Leucadem insulam, & Acheloum fluvium, *Natalico* dicitur à Sophiano.

3. *Stadia CXX*] Centum & viginti stadia efficiunt quindecim millia passuum.

Digitized by Google

EPISTOLA III.

Rogat, ut valetudinem diligenter curet. Eodem anno.

Tullius, & Cicero, & Q. Pater, & Q. filius s. d. Tironi suo.

NOs apud Alyziam, ex quo loco tibi literas antè dederamus, unum diem commorati sumus, [a] quòd Quintus nos consecutus non erat. [b] is dies fuit non. Nov. inde ante lucem proficiscentes, [c] ante diem VIII. id. Nov. has literas dedimus. Tu, si nos omnes amas, & præcipuè me, magistrum tuum, [d] confirma te. Ego valde [e] suspenso animo expecto, primùm te scilicet, deinde [1] Marionem cum tuis literis. Omnes cupimus, ego in primis, quamprimum te videre, sed, mi Tiro, valentem. quare nihil properaris. satis quotidie videro, si valebis. [f] [2] utilitatibus tuis possum carere: te valere, tuâ causâ primùm volo, tùm meâ, mi Tiro, vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quia Quintus frater nondum me assecutus erat.*
[b] *quintus fuit Novembris dies.*
[c] *sexta Novembris die.*
[d] *recipe vires tuas.*
[e] *sollicito.* [f] *operâ tuâ.*

NOTÆ.

1. *Marionem*] Epistolâ primâ.
2. *Utilitatibus*] Utilitas hîc sumitur pro munere, seu operâ, quam alter alteri præstare solet.

EPISTOLA IV.

Hortatur ad curandam valetudinem. Eodem anno.

Tullius Tironi suo s. d. & Cicero, & Q. Pater, & Q. F.

VARIE sum affectus tuis literis: valde [1] priore paginâ perturbatus, paulùm alterâ recreatus. Quare [a] nunc quidem non dubito, quin, quoad planè valeas, te neque navigationi, neque viæ committas. satis te maturè videro, si planè confirmatum videro. De medico & tu [b] benè existimari scribis, & ego sic audio, sed planè curationes ejus non probo. [2] jus enim

INTERPRETATIO.

[a] *Nunc quidem intellige, te non venturum ad nos, nisi valetudine prorsùs confirmatâ.* [b] *inter peritissimos haberi.*

NOTÆ.

1. *Priore paginâ*] In alterâ quippe paginâ de gravitate morbi scripserat; in alterâ, de spe salutis, & valetudinis curâ.
2. *Jus enim, &c.*] Per jus intelligit quandam

dandum tibi non fuit, cùm [c] κακοστόμαχῳ esses. sed tamen & ad illum scripsi accuratè, & [3] ad Lysonem. [4] ad Curium verò, suavissimum hominem, & summi officii, summæque humanitatis, multa scripsi: in his, etiam ut, si tibi videretur, [d] ad se transferret. Liso enim noster, vereor, ne negligentior sit: primùm, [5] quia omnes Græci: deinde, quòd, cùm à me literas accepisset, mihi nullas remisit. sed eum tu laudas. tu igitur, quid faciendum sit, judicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, sumptui ne parcas ullâ in re, [e] quod ad valetudinem opus sit. scripsi ad Curium, [f] quod dixisses, daret. medico ipsi puto aliquid dandum esse, quò sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, [g] forensia, urbana, provincialia, in re privatâ, in publicâ, in studiis, in literis nostris. [h] omnia viceris, si, ut spero, te validum videro. [i] Ego puto te belliss imè, si rectè erit, cum quæstore Messinio decursurum. non inhumanus est, teque, ut mihi visus est, diligit. & cùm valetudini tuæ diligentissimè consulueris, tùm, mi Tiro, consulito navigationi. nullâ in re jam te festinare volo. nihil laboro, nisi ut salvus sis. Sic habeto, mi Tiro, neminem esse, qui me amet, quin idem te amet: & cùm tuâ, & meâ maximè interest te valere, [k] tùm multis est curæ. [l] adhuc, dum mihi nullo loco deesse vis, nunquam te confirmare potuisti. nunc te nihil impedit: [m] omnia depone: corpori servi. quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te judicabo. Vale, mi Tiro, vale, vale, & salve. [6] Lepta tibi salutem dicit, & omnes. Vale. VII. id Nov. Leucade.

INTERPRETATIO.

[c] *cùm imbecillo stomacho esses.*
[d] *domum suam.*
[e] *quæ sit ad recuperandam sanitatem necessaria.*
[f] *ut daret tibi, quidquid ab eo petiisses.*
[g] *quæ mihi præstitisti in foro, in urbe Româ, in provinciâ.*
[h] *sed hæc omnia officia* longè *superaveris.*
[i] *puto te, si valebis, maritimo cursu facillimè ad me cum Messinio venturum.*
[k] *idcirco multis est curæ* valetudo tua.
[l] *ad hoc usque tempus, quæ res meas omni diligentiâ curare voluisti, tua confirmari valetudo non potuit.*
[m] *negotia quælibet omitte.*

NOTÆ.

quandam ciborum admistionem stomacho debili noxiam.

3. *Ad Lysonem*] Patrensem. lib. 13. epist. 19.

4. *Ad Curium*] Epist. 28. lib. 7.

5. *Quia omnes Græci*] Negligentiores esse solent.

6. *Lepta*] Ciceronis in Ciliciâ Præfectus Fabrûm. epist. 7. lib. 3.

Digitized by Google

EPISTOLA V.

Tironem monet, ut valetudini ſerviat. Eodem anno.

Tullius, & Cicero F. & Q. S. D. Tironi humaniſſimo, & optimo.

VIDE quanta in te ſit ſuavitas: duas horas [1] Thyrei fuimus: Xenomenes hoſpes tam te diligit, quàm ſi vixerit tecum. Is omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent opus: facturum puto. mihi placebat, ſi [a] firmior eſſes, ut te Leucadem deportaret, ut ibi te planè confirmares. Videbis, quid Curio, quid Lyſoni, quid medico placeat. Volebam ad te [2] Marionem remittere: quem, cùm meliuſculè tibi eſſet, ad me mitteres: ſed cogitavi unas literas Marionem afferre poſſe, me autem crebras expectare. Poteris igitur, & facies, ſi me diligis, ut quotidie ſit [3] Acaſtus in portu. Multi erunt, quibus rectè literas dare poſſis, qui ad me libenter perferant. equidem Patras euntem [4] neminem prætermittam. Ego omnem ſpem tui diligenter curandi in Curio habeo. nihil poteſt illo fieri humanius, nihil noſtri amantius. ei te totum trade. malo te paulò pòſt valentem, quàm ſtatim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, niſi ut tu valeas: cætera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiſcens, VII. id. Nov.

INTERPRETATIO.

[a] *cùm firmior eſſet valetudo tua.*

NOTÆ.

1. *Thyrei*] Peloponeſi urbs eſt in Græciâ.
2. *Marionem*] Epiſt. 1.
3. *Acaſtus*] Ciceronis ſervus.
4. *Neminem prætermittam*] Cui eodem literas ad te perferendas.

EPISTOLA VI.

Idem argumentum. Eodem anno.

[1] Tullius, & Cicero, & Q. Q. S. D. Tironi.

TERTIAM ad te hanc epiſtolam ſcripſi eadem die, magis [a] inſtituti mei tenendi causâ, quia nactus eram cui darem, quàm quòd haberem quid ſcriberem. [b] Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe

INTERPRETATIO.

[a] *ſervandæ conſuetudinis meæ.* [b] *eadem igitur tibi ſcribam, quæ* jam ſuperioribus literis ſcripſi.

NOTÆ.

1. *Tullius, &c.*] Hæc inſcriptio ſic legenda: Tullius pater, & Cicero Tullii filius, Quintus pater, & Quinti filius Tironi ſalutem dant.

Digitized by Google

[c] in te diligentiæ. ad tua [2] innumerabilia in me officia [3] adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium. [d] cùm valetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam navigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, ut ego euntem Patras [4] neminem prætermitto. cura, cura te, mi Tiro. [e] Quando non contigit, ut simul navigares, nihil est quod festines: nec quidquam cures, nisi ut valeas. Etiam atque etiam vale. VII. id. Nov. [5] Actio, vesperi.

INTERPRETATIO.

[c] *in curandâ tuâ valetudine.* [d] *ubi primùm ex morbo convalueris, ad nos proficiscere.* | [e] *quandoquidem non contigit, ut mecum navigares.*

NOTÆ.

2. *Innumerabilia*] Epist. 4.
3. *Adde hoc*] Valetudinis tuæ curam.
4. *Neminem prætermitto*] Cui non dem ad te literas.
5. *Actio*] Actium Augusti colonia, & juxta, promontorium in Epiro, ubi Marcum Antonium, & Cleopatram, idem Augustus navali bello superavit, civitate totâ, *Nicopoli*, in victoriæ memoriam nominatâ. Virg. Æneid. 8.

——*Actia bella*
Cernere erat, totumque instructo Marte videres,
Fervere Leucaten, &c.

EPISTOLA VII.

Scribit, se Corcyræ tempestatibus retineri; hortaturque Tironem, ut suâ curam habeat, nec nisi confirmatâ valetudine naviget. Eodem anno.

Tullius, [1] & Cicero S. D. Tironi suo.

SEPTIMUM jam diem Corcyræ tenebamur, Quintus autem pater, & filius [2] Buthroti. soliciti eramus de tuâ valetudine mirum in modum: nec mirabamur [a] nihil à te literarum. Iis enim ventis [b] istinc navigatur, [c] qui si essent, [d] nos Corcyræ non sederemus. Cura igitur te, & confirma, & cùm commodè, & per valetudinem, & per anni tempus navigare poteris, ad nos amantissimos tui veni. Nemo nos amat, qui te non diligat.

INTERPRETATIO.

[a] *nihil à te nobis scriptum est.* [b] *ex eo loco, ubi es.* [c] *qui si nobis flarent.* | [d] *hic navigationem otiosi non expectaremus.*

NOTÆ.

1. *Et Cicero*] Filius M. Tullii.
2. *Buthroti*] Retinebantur adversis ventis. Buthrotum Thesprotiorum in Epiro civitas. Virg. Æneid. lib. 3.

Littoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus urbem.

Digitized by Google

carus omnibus, expectatusque venies. Cura ut valeas etiam atque etiam Tiro noster. Vale. XV. Kal. Dec. Corcyræ.

EPISTOLA VIII.

Quintus Cicero significat, quantæ sibi curæ sit Tironis valetudo. Eodem anno.

Q. Cicero S. D. Tironi.

MAGNÆ nobis est solicitudini valetudo tua. nam tametsi qui veniunt, [a] ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nuntiant: tamen in magnâ consolatione ingens inest solicitudo, si diutiùs à nobis abfuturus es, [b] is, cujus usum & suavitatem desiderando sentimus. attamen, quanquam videre te [c] totâ cogitatione cupio, tamen te penitùs rogo, ne te tam longæ navigationi, & viæ per hiemem, nisi benè firmum, committas, néve naviges, [d] nisi exploratè. vix in ipsis tectis, & oppidis frigus infirmâ valetudine vitatur, [e] ne dum in mari, & viâ sit facile abesse ab injuriâ temporis.

[f] Ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον,

inquit [1] Euripides. cui, tu quantum credas, nescio: ego certè singulos ejus versus singula testimonia puto. Effice, si me diligis, ut valeas, & ut ad nos firmus, ac valens quamprimum venias. Ama nos, & vale. [g] Q. F. tibi salutem plurimam dicit.

INTERPRETATIO.

a *nuntiant* morbum tuum *non esse periculosum, sed fore diuturniorem.*

b *tu, cujus absentiam ægrè patimur, cùm suavi tuâ consuetudine nos privet.*

c *vehementissimè.* d *nisi tutè.*

e *multò minùs facile est in mari, & in viâ, temporis injurias vitare.*

f *frigus enim macilento corpori inimicissimum.*

g *filius meus.*

NOTÆ.

1. *Euripides*] Poëta Græcus tragœdiis celeberrimus, qui scripsit 75. fabulas. æqualis fuit, & æmulus Sophoclis Poëtæ pariter tragici: obiisse dicuntur anno ante Christum quadringentesimo nono; ille quidem immoderatâ lætitiâ, poëtici certaminis adeptus palmam: hic ingenti mœrore, cùm invidorum operâ à canibus laceraretur.

EPISTOLA IX.

Navigationem describit; & ad curandam valetudinem, verbis benevolentiæ plenis hortatur. Eodem anno.

Tullius, & Cicero S. D. Tironi suo.

NOs à te, ut scis, discessimus, [a] a. d. IV. non. Novemb. Leucadem venimus [b] a. d. VIII. id. Nov. [c] a. d. VII. Actium. Ibi propter tem-

INTERPRETATIO.

a *secundo Novembris die.* b *sexto Novembris die.* c *septimo Novembris die.*

Digitized by Google

peſtatem [d] a. d. vi. id. morati ſumus. inde [e] a. d. v. id. Corcyram belliſſimè navigavimus. Corcyræ fuimus uſque [f] a. d. xvi. Kal. Decemb. tempeſtatibus retenti: [g] a. d. xv. Kal. à portu Corcyræorum [h] [2] ad Caſſiopen ſtadia cxx. proceſſimus, ibi retenti ventis ſumus uſque [i] a. d. ix. Kalend. Intereà, qui cupidè profecti ſunt, multi naufragia fecerunt. nos eo die cœnati ſolvimus. inde auſtro leniſſimo, cœlo ſereno, nocte illâ, & die poſtero in Italiam [3] ad Hydruntem [k] [4] ludibundi pervenimus: eodemque vento poſtridie (id erat [l] a. d. vii. Kal. Dec.) * horâ quartâ Brunduſium venimus. eodemque tempore ſimul nobiſcum in oppidum introiit Terentia, quæ te facit plurimi. [m] A. d. v. Kalend. Dec. ſervus [5] Cn. Plancii Brunduſii tandem aliquando mihi à te expectatiſſimas literas reddidit, datas [n] id. Nov. quæ me moleſtiâ valdè [6] levarunt: utinam omninò liberaſſent. Sed tamen Aſclapo medicus planè confirmat, propediem te valentem fore. nunc quidem ego te hortor, ut omnem diligentiam adhibeas ad convaleſcendum. tuam [7] prudentiam, temperantiam, amorem erga me novi. ſcio te omnia facturum, ut nobiſcum quamprimum ſis: ſed tamen ita velim, ut ne quid properes. [o] [8] ſymphoniam Lyſonis velim vitaſſes, ne [9] in quartam hebdomadam incideres. ſed quando [10] pudori tuo maluiſti obſequi, quàm valetudini, reliqua cura. [p] [11] Curio miſi, ut medico [12] honos haberetur, & tibi daret

INTERPRETATIO.

[d] *uſque ad octavum diem.* [e] *nono die.*
[f] *ad decimum ſextum diem.*
[g] *decimo ſeptimo.*
[h] *duodecim millia paſſuum.*
[i] *ad vigeſimum tertium diem.*
[k] *facili navigatione.* [l] *vigeſimo quinto die.*
* *circa decimam horam.*
[m] *vigeſimo ſeptimo die.*
[n] *decimo tertio die.*
[o] *vellem, ut interfuiſſes Lyſonis ſymphoniæ*: verebar enim, *ne tuus idcirco morbus in quartam hebdomadem protraheretur.*
[p] *mandavi Curio, ut medico pecuniam daret.*

NOTÆ.

2. *Ad Caſſiopen*] Duo ſunt hujus nominis oppida; alterum in Epiro, in Corcyrâ alterum, cujus opinor hîc fieri mentionem.

2. *Stadia*] Vide epiſt. 2.

3. *Ad Hydruntem*] Hydruntum, urbs olim Salentinorum primaria, nunc *Otranto*, regni Neapolitani portus nobilis, & munitus: finitima regio dicitur Hydruntina *terra d'Otranto*: eſt & mons, & fluvius ejuſdem nominis.

4. *Ludibundi*] Id eſt ludentibus ſimiles, nullam in navigationis curſu difficultatem paſſi.

5. *Cneii Plancii*] Pro quo Ciceronis exſtat oratio. Vide indicem hiſtoricum.

6. *Levaverunt*] Quia tibi melius eſſe ſcribebas, utinam ſcripſiſſes te planè valere, omni moleſtiâ tunc liber eſſem.

7. *Prudentiam*] In te regendo, temperantiam in victu.

8. *Symphoniam*] Tiro ad convivium, & ſymphoniam, ſeu celebritatem aliquam à Lyſone invitatus, inde graviùs ægrotans, ut opinor, redierat.

9. *In quartam hebdomadam*] Timendum enim, ne diutiùs ille ægrotet, cujus morbus ad quartam uſque hebdomadam perducitur.

10. *Pudori tuo*] Qui te adduxit, ut ad ſymphoniam, ſeu celebritatem Lyſonis, licet æger, venires.

11. *Curio*] Epiſt. 4. 5. & 11.

12. *Honos*] Hîc *honos* pro pecuniâ ſumitur.

quod opus esset; me, cui jussisset, [q] curaturum. equum, & mulum Brundusii tibi reliqui. Romæ vereor, ne ex [r] 13 Kal. Jan. [14] magni tumultus sint. nos agemus omnia [15] [s] modicè. Reliquum est, ut te hoc rogem, & à te petam, ne temerè naviges. solent nautæ festinare quæstûs sui causâ cautus
5 sis, mi Tiro. mare magnum, & difficile tibi restat. [t] si poteris, cum Messinio: (cautè is soler navigare) si minus, [u] cum honesto aliquo homine, cujus auctoritate [x] naviculârius moveatur. in hoc omnem diligentiam si adhibueris, teque nobis incolumem præstiteris, [y] omnia à te habebo. Etiam atque etiam noster Tiro vale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligen-
10 tissimè. Vale, salve.

INTERPRETATIO.

[q] *redditurum.* [r] *ad primum Januarii diem.*
[s] *moderatè.*
[t] *si poteris* navigare *cum Messinio.*
[u] saltem fac *ut naviges cum nobili & honorifico homine.*
[x] *navis rector.*
[y] *mihi prorsùs satisfeceris.*

NOTÆ.

13. *Ex Kalendis Jan.*] Quo die novi Consules magistratum ineunt. Creati erant autem in sequentem annum, id est urbis conditæ septingentesimum quartum, Gaius Claudius Marcellus, & Lucius Cornelius Lentulus Crus.

14. *Magni tumultus.*] Quia Consules unà cum Pompeio, omni contendebant ope, ut Cæsari, ante tempus ei lege concessum, adimeretur Galliarum administratio. Tribuni autem plebis pro Cæsare pugnabant; hinc civile bellum exarsit.

15. *Modicè.*] Ut nec Cæsarem offendam, nec Pompeium, hisque tumultibus non nimis me implicem.

EPISTOLA X.

Rogat, ut valetudinem, cæteris neglectis, unicè curet: addit de suo ad urbem adventu, de civilibus discordiis, de triumpho suo, de Præfecturâ Campanâ sibi traditâ. Caio Claudio Marcello, & Lucio Cornelio Lentulo Coss. anno urbis conditæ septingentesimo quarto, belli civilis primo.

Tullius, & Cicero filius, Terentia, Tullia, Q. frater, Quinti filius S. D. Tironi.

[a] ETSI opportunitatem operæ tuæ omnibus locis desidero: tamen non tam meâ; quàm tuâ causâ doleo te non valere. sed quando in quar-
15 tanam conversa vis est morbi: sic enim scribit Curius: spero te, [b] diligentiâ adhibitâ, [1] etiam firmiorem fore. Modò fac [c] id, quod humanitatis tuæ

INTERPRETATIO.

[a] *etsi operam tuam mihi in primis utilem, &c.* [b] *si diligentiam in te curando adhibueris.*
[c] *id quod mihi, tibique debes.*

NOTÆ.

1. *Etiam firmiorem fore*] Quoniam quartanâ febri melancholicum humorem exsiccari constat.

est, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quàm commodissimè convalescas. non ignoro, [d] quantum ex desiderio labores: sed erunt omnia facilia, si valebis. festinare te nolo, ne [2] nauseæ molestiam suscipias æger, & periculosè hieme naviges. Ego [3] ad urbem accessi [e] pridie non. Jan. obviam mihi sic est proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius, sed incidi in ipsam flammam civilis discordiæ, vel potiùs belli: cui cùm cuperem mederi, &, ut arbitror, possem, [5] cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt. omninò & ipse Cæsar, [6] amicus noster, [7] minaces ad senatum, & acerbas literas miserat: [f 8] & erat adhuc impudens, qui exercitum, & provinciam invito senatu teneret: & [9] Curio meus illum incitabat. [10] Antonius quidem noster, & Cassius, [11] nullâ vi expulsi, ad Cæsarem, cum Curione profecti erant, postea quàm senatus consulibus, prætoribus, tribunis plebis, & nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, [12] ne quid respublica detrimenti caperet. nunquam majore in periculo civitas fuit: nunquam improbi cives habuerunt [13] paratiorem ducem. [8] omninò ex hac quoque parte

INTERPRETATIO

[d] *quàm ægrè tibi sit, quòd absis à me.*
[e] *die quartâ Januarii.*
[f] *eò usque impudens erat, ut, &c.*
[8] *magni quoque ex parte Reipublicæ* contra Cæsarem *apparatus fiunt.*

NOTÆ.

2. *Nauseæ*] Quam navigatio in iis præsertim excitat, qui stomacho sunt debili.

3. *Ad urbem*] Id est, prope urbem: triumphum enim petentibus, urbem ingredi lege veritum, lib. 4. epist. 1.

4. *Discordiæ*] Pompeium inter, & Cæsarem.

5. *Cupiditates certorum hominum*] Lib. 4. epist. 1. *Inciderant in hominum pugnandi cupidorum insanias.* Et lib. 6. epist. 6. per *certos homines*, designat in primis Domitium Ænobarbum, Scipionem Pompeii socerum, Bibulum, &c. Cæsari infensissimos.

6. *Amicus noster*] Vide epist. 9. lib. 1.

7. *Minaces*] Quibus petebat, ut omnes ab armis discederent; quod nisi fieret, se suam, patriæque dignitatem armis defensurum minabatur.

8. *Impudens*] Cur impudens Cæsar? immò iniquus in Cæsarem Senatus, qui jusserat, ut ei ante tempus & exercitus adimeretur, & provincia, cùm Pompeius utrumque retineret.

9. *Curio meus*] Anno superiori Tribunus plebis, cujus præcipuè operâ, inquit Velleius, conditiones pacis, quas & Cæsar justissimo animo postulabat, & Pompeius æquo recipiebat, discussæ, & ruptæ sunt. *Suum* vocat Cicero, quòd eum singulariter diligeret. Vide tabulam historicam Curionis.

10. *Antonius*] M. Antonius, & Quintus Cassius hoc anno Tribuni plebis? *noster*, cui scilicet antea amicus fuerat. Nota Cassium hunc alium esse ab eo qui Cæsaris percussor fuit.

11. *Nullâ vi expulsi*] Contrarium asserunt Appianus, Suetonius, & Cæsar ipse libro primo belli civilis.

12. *Ne quid Respublica, &c.*] Erat postremum illud, in rebus desperatis, Senatûs decretum, quo summa Consulibus in cives potestas tradebatur.

13. *Paratiorem ducem* [Sic Velleius de utroque duce loquitur: *Alterius ducis*, id est Pompeii, *causa melior videbatur, alterius erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia; Pompeium Senatûs auctoritas, Cæsarem militum armavit fiducia.*

Digitized by Google

diligentissimè comparatur. Id fit auctoritate, & studio Pompeii nostri, qui Cæsarem [14] serò cœpit timere. nobis inter has turbas senatus tamen frequens [15] flagitavit triumphum : sed [16] Lentulus consul [h] quo majus suum beneficium faceret, simul atque expedisset quæ essent necessaria de republicâ, dixit se relaturum. [i] nos agimus [17] nihil cupidè, eóque est nostra pluris auctoritas. Italiæ regiones [k] descriptæ sunt, [18] quam quisque partem tueretur. [19] nos Capuam sumpsimus. Hæc te scire volui. Tu etiam atque etiam cura ut valeas, literasque ad me mittas, quotiescunque habebis cui des. Etiam atque etiam vale. Datum [l] prid. id. Jan.

INTERPRETATIO.

[h] *quò beneficium illud majus esse videretur, dixit* de triumpho mihi decernendo *esse relaturum, simul atque, &c.*

[i] *non nimiam pro me fero* triumphi obtinendi *cupiditatem.*

[k] *divisa sunt.* [l] *duodecimâ die.*

NOTÆ.

14. *Serò cœpit timere*] Id sæpiùs in Pompeio Tullius reprehendit.

15. *Flagitavit*] A Consulibus, ut referrent de triumpho mihi decernendo.

16. *Lentulus*] Cognomento Crus, aut Crusellus, de quo epist. 4. lib. 8.

17. *Nihil cupidè*] In tantâ rerum perturbatione, nihil ago, nisi moderatè : hæc verba vel ad Rempublicam spectant, vel ad triumphum, ut indicavimus in interpretatione, vel ad utrumque simul.

18. *Quam quisque*] Ut unusquisque regionem suæ custodiæ commissam contra Cæsarem tueatur.

19. *Nos Capuam*] Mihi Capua, cum orâ maritimâ Campaniæ tradita est.

EPISTOLA XI.

Periculum Reipublicæ, & initia belli civilis exponit ; deinde Tironem monet, ut nonnisi salvus, & hieme transactâ, redeat. Eodem anno.

Tullius s. d. Tironi suo.

QUo in discrimine versetur salus mea, & bonorum omnium, atque universæ reipublicæ ex eo scire potes, quòd domos nostras, & patriam ipsam vel diripiendam, vel inflammandam [1] reliquimus. in eum locum res deducta est, ut, nisi quis deus, vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus. Equidem, ut veni ad urbem, non destiti omnia & sentire, & dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent : sed mirus invaserat furor non solùm improbos, sed etiam hos, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, [a] me clamante nihil esse bello civili miserius. Itaque cùm Cæsar

INTERPRETATIO.

[a] *quamvis ego clamarem.*

NOTÆ.

1. *Reliquimus*] Cæsar cum copiis ad urbem properans, ita Pompeium, aliosque

[2] amentiâ quadam raperetur, & oblitus [3] nominis, atque [4] honorum suorum, [5] Ariminum, [6] Pisaurum, [7] Anconam, [8] Arretium occupasset, urbem reliquimus: quàm sapienter, aut quàm fortiter, [9] nihil attinet disputare. quo quidem in casu simus, vides. [b] Feruntur omninò conditiones ab illo, ut Pompeius eat [10] in Hispaniam: delectus qui sunt habiti, & præsidia nostra dimittantur: se ulteriorem Galliam [11] Domitio, citeriorem [12] Considio Noniano ([c] his enim [13] obtigerunt) traditurum: ad [14] consulatûs petitionem se venturum: neque jam velle absentis [15] rationem haberi sui: se præsentem [16] trinundinum petiturum. accepimus conditiones, [d] sed ita, ut

INTERPRETATIO.

[b] *equidem à Cæsare pacis conditiones illæ proponuntur, ut scilicet Pompeius, &c.*

[c] *sorte obvenerunt.*

[d] *additâ tamen eâ conditione.*

NOTÆ.

que perterruit, ut fine morâ, urbe, ac deinde totâ Italiâ relictâ, in Græciam navigarint. ep. 1. lib 4.

2. *Amentiâ*] Furore quodam: is enim furiosus, & amens, qui patriæ suæ bellum indicit.

3. *Nominis*] Gloriæ, quam rebus anteà pro Republicâ gestis, maximam sibi paravit.

4. *Honorum*] Dignitatum, quas ab eadem Republicâ accepit.

5. *Ariminum*] Antiqua est non procul à Rubicone civitas ad fluvium cognominem *Rimini*.

6. *Pisaurum*] Urbem Umbriæ flumini ejusdem nominis impositam. *Pezaro.*

7. *Anconam*] In Piceno, quæ suum hodie nomen retinet.

8. *Arretium*] Tusciæ civitatem, & Romanorum coloniam. *Arezzo.*

9. *Nihil attinet disputare*] Siquidem constat id factum esse à nobis imprudenter, ac timidè: hæc enim fuga Cæsarianis partibus roboris plurimum addidit; sed ut ait Lucanus,

Danda tamen venia est, tantorum danda malorum,
Pompeio fugiente timent.

10. *In Hispaniam*] Quam per legatos Pompeius administrabat, ne Româ discederet, ubi pro nutu regebat omnia, epist. 6. lib. 6. *Eundum in Hispaniam censui; quòd si feciſſet, civile bellum nullum omninò fuiſſet.*

11. *Domitio*] L. Domitio Ænobarbo, quo nullum Cæsar inimiciorem sibi habuit: is est quem posteà Corfinii accepit in deditionem, liberumque dimisit: consulatum gesserat eum Appio Claudio, anno urbis conditæ 699.

12. *Considio Noniano*] Qui nondum Consul fuerat: inde colligitur, Galliam citeriorem factam fuisse Prætoriam provinciam.

13. *Obtigerunt*] Postquam lectæ sunt in senatu minaces Cæsaris epistolæ, se non discessurum ab armis, nisi Pompeius idem faceret; sed confestim venturum, ut injurias, tàm sibi, quàm patriæ illatas ulciscereturr: ad hæc postrema verba, conclamatum est denunciari bellum, & L. Domitius ei successor nominatus est. Ita omnes Historici.

14. *Consulatûs*] Secundi, quem cum Servilio gessit.

15. *Rationem haberi sui*] Quod ei tamen lege concessum fuerat, ipso annitente Consule Pompeio. Vide epistolam 6. libri sexti.

16. *Trinundinum*] Lex ad populum ferenda, promulgabatur priùs, ut per trium nundinarum spatium populo pateret, quò posset, lege satis considerată, quid sentiret, suffragiis ostendere. Eadem, opinor, in Magistratibus creandis ratio fuit, promulgatis per tres nundinas eorum nominibus qui petebant, ut populus, de quibus suffragium laturus esset, tanto antè nosset. atque hîc *trinundinum* pro trinundini spatio dictum puto. Cæsar igitur ostendebat, ser-

17 removeat præsidia ex iis locis, quæ occupavit: ut sine metu de his ipsis conditionibus Romæ senatus haberi possit. id ille si fecerit, spes est pacis non honestæ, (leges enim imponuntur) e sed quivis est melius, quàm sic esse, ut sumus. sin autem ille f suis conditionibus stare noluerit, bellum paratum est, ejusmodi tamen, quod ille sustinere non possit, præsertim g cùm à suis conditionibus ipse fugerit: h tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere: i quod sperabamus fieri posse: delectus enim magnos k habebamus: putabamusque illum metuere, si ad urbem ire cœpisset, ne Gallias amitteret, quas 18 ambas habet inimicissimas, 19 præter transpadanos ex Hispaniâque sex legiones, & magna auxilia, 20 Afranio, & Petreio ducibus, habet à tergo. videtur, si insaniet, posse opprimi, l modò ut urbe salvâ. Maximam autem plagam accepit, quòd is, qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. 21 Labienus, socius sceleris esse noluit, reliquit m illum, & nobiscum est: multique idem facturi esse dicuntur. Ego adhuc 22 oræ maritimæ præsum à Formiis. nullum majus negotium suscipere volui, quò plus apud illum meæ literæ, cohortationesque ad pacem valerent. sin autem erit bellum, 23 video me castris, & certis legionibus præfuturum. Habeo etiam illam molestiam, quòd Dolabella n noster apud Cæsarem est. Hæc tibi nota esse volui, quæ, cave, te perturbent, & impediant valetudinem tuam. Ego A. Varroni, quem cùm amantissimum mei cognovi, tùm etiam valdè tui studiosum, diligentissimè te commendavi: ut & valetudinis tuæ rationem haberet, & navigationis, & totum te susciperet,

INTERPRETATIO

e *sed quavis conditio melior est, quàm in tanto versari discrimine.*
f *suas conditiones servare.*
g *si conditiones ipse suas violaverit.*
h *id nunc tantummodò* contendimus, *ut, &c.* i *quod speramus, &c.*
k *habemus; putamusque illum metuere, si ad urbem ire cœperit, ne Gallias amittat.*
l *modò ut opprimatur, priusquam Romam diripuerit.*
m *Cæsarem.*
n *gener meus Cæsaris castra sequitur.*

NOTÆ

vari à se velle consuetudinem veterem in petendo Consulatu, modò Pompeius iret in Hispaniam. Ita Manutius.

17. *Ut removeat præsidia*] Quam conditionem Cæsar, ut iniquam, rejecit.

18. *Ambas*] Transalpinam, & Cisalpinam.

19. *Præter Transpadanos*] Præter eos qui in Galliâ Cisalpinâ trans Padum siti sunt; quibus cùm jus Latii Pompeius Strabo Consul anteà dedisset, eosdem postea Cæsar Ædilis, & Consul, civitate donare cogitaverat, ut suffragii ferendi, & petendi honores facultatem haberent: sed cùm à Senatu id impetrare non potuisset, tandem ipse rerum potitus, & Dictator effecit.

20. *Afranio, & Petreio*] Pompeii in Hispaniâ legatis, quos Cæsar superavit, eorum exercitu in deditionem accepto.

21. *T. Labienus*] Vide ep. 14. lib 14. not. 6.

22. *Oræ maritimæ*] Vide notam 19. epistolæ decimæ.

23. *Video me castris*] Non modò non præfuit castris, aut legionibus, sed ne quidem pugnæ Pharsalicæ interfuit, ob infirmitatem, ut ait Plutarchus, τῆς μάχης ἐν μετεώρῳ δι' ἀῤῥωστίαν.

Digitized by Google

ac tueretur. quem omnia facturum confido: [a] recepit enim, & mecum locutus est suavissimè. Tu quando eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego maximè operam, & fidelitatem desideravi tuam, cave festines, aut committas, ut aut æger, aut hieme naviges. nunquam ego serò te venisse putabo, si salvus veneris. Adhuc neminem videram, qui te posteà vidisset, quàm M. Volusius, à quo tuas literas accepi: quod non mirabar. neque enim meas puto ad te literas tantâ hieme perferri. Sed da operam, ut valeas: &, si valebis, cùm rectè navigari poterit, tùm naviges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia, & Tullia Romæ. Cura ut valeas. IV. Kalend. Feb. Capua.

INTERPRETATIO.

[a] *promisit enim.*

EPISTOLA XII.

Significat quàm periculosum sit post gravem morbum itineri se committere; tùm addit, literas, quæ Tironis absentiâ oblanguebant, ejus aspectu vim pristinam recepturas. Quo præcisè anno scripta sit, affirmare nolim; puto scriptam fuisse Coss. C. Iulio Cæsare secundùm, & Servilio Isaurico, anno urbis conditæ 705. mortuo jam Pompeio magno.

Tullius s. d. Tironi.

[1] EGo verò cupio te ad me venire: sed viam timeo. gravissimè ægrotasti: inediâ & purgationibus, & vi ipsius morbi consumptus es. [2] Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis, si qua culpa commissa est. [b] Jam ad id biduum, quod fueris in viâ, dum in Cumanum venis, accedent continuò ad reditum dies quinque. ego in Formiano a. d. III. Kal. esse volo. ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Literulæ meæ, [2] sive nostræ, [c] tui desiderio oblanguerunt, [3] hac tamen epistolâ, quam [4] Acastus attulit, [d] oculos paulùm [5] sustulerunt. [6] Pompeius erat apud me, cùm hæc

INTERPRETATIO.

[a] *culpa, quæ post gravem morbum committuntur, solent valetudini plurimùm nocere.*

[b] *deinde, præter biduum, quo futurus es in viâ, ut ut, &c.*

[c] *absentiâ tuâ.*

[d] *visæ sunt paululùm respirare.*

NOTÆ.

1. *Ego verò*] Ex hac particulâ colligi potest, Ciceronem respondere Tironi, qui scripserat, cupere se dominum convenire. nam, ut observat Manutius, *verò* in principio epistolæ responsionem significat. ep. 23 & lib. 4. ep. 6. &c.

2. *Sive nostræ*] Quia Tironem Cicero studiorum suorum, & comitem, & adjutorem habebat.

3. *Hac tamen epistolâ*] Quâ tibi melius esse significasti.

4. *Acastus*] Servus.

5. *Sustulerunt*] Languor enim oculos deprimit.

6. *Pompeius*] Vel alter est à magno Pompeio, vel *Pomponius*, ut multi opinan-

scribebam. hilarè, & libenter ei cupienti [e] audire nostra, dixi, sine te [f] omnia mea [7] muta esse. tu, [8] musis nostris, para, ut operas reddas. [9] nostra ad diem dictam fient. docui enim te, [s 10] fides ἔτυμον quod haberet. Fac planè ut valeas: nos [h 11] ad summum. Vale. XIV. Kalend.

INTERPRETATIO.

e *quænam opera scriberem?* f *nihil à me scribi.* | s *quænam esset etymologia hujus vocabuli,* fides. h *nos optimâ sumus valetudine.*

NOTÆ.

tur, legendum pro *Pompeius.*

7. *Muta esse*] Tunc enim literæ silere dicuntur, cùm nihil scribimus. Lib. 2. Off. *Cùm Respublica, in quâ omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omninò, illa scilicet litera conticuerunt, forenses, & Senatoria.*

8. *Musis nostris*] Fac ut citiùs convalescas, consuetam ut musis nostris operam navare possis.

9. *Nostra*] Quæ tibi promisi, hæc ad præfinitum diem fient. hæc verba Manutius de manumissione intelligit, Huberinus etiam de pecuniâ, quam Tironi Cicero promiserat, ut fundum, de quo infra sermo est, emeret.

10. *Fides*] *Fidem* inde dictam, quoniam id fit quod promittitur. ἔτυμος, id est notatio.

11. *Nos ad summum*] Non eadem hic omnium codicum scriptura; in quibusdam legitur, *adsumis*; in aliis, *ad summum*; posteriorem, quæ mihi accuratior visa est, secutus sum.

EPISTOLA XIII.

Suam de Tironis valetudine solicitudinem significat. Eodem anno, ut opinor, quo decima.

Tullius s. d. Tironi.

1 ÆGYPTA ad me venit pridie id. Apr. is etsi mihi nuntiavit te plane febri carere, & belle habere, tamen, quòd negavit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, & eò magis, quòd [2] Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum solicitudine de tuâ valetudine; quâ si me liberaris, [a] ego te omni curâ liberabo. Plura scriberem, si jam putarem [3] libenter te legere posse. [b] ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibique conservandum. cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scriptâ jam epistolâ, Hermia venit. accepi tuam

INTERPRETATIO.

a *te libertate donabo.* b *ingenium tuum, quantum est, adhibe ad convalescendum.*

NOTÆ.

1. *Ægypta*] Servi nomen.

2. *Hermia*] Hic quoque Ciceronis servus.

3. *Libenter*] Ægrotis enim, aut morbo debilitatis, multitudo verborum injucunda solet esse.

Digitized by Google

epistolam [4] vacillantibus literulis: nec mirum, tam gravi morbo. Ego ad te Ægyptam misi, quod nec inhumanus est, & te visus est mihi diligere, ut is tecum esset, & cum eo coquum, quo uterere. Iterum vale.

NOTÆ.

4. *Vacillantibus*] Literis nec firmè, nec æqualiter scriptis. nec mirum istuc post tam gravem morbum.

EPISTOLA XIV.

Scribit, se delectatione omni, ob Tironis absentiam, & morbum carere, eumque hortari pergit, ut curam omnem ad convalescendum conferat.

Tullius s. d. Tironi.

[1] ANDRICUS postridie ad me venit, quàm expectaram. itaque hui noctem [2] plenam timoribus, ac miseriis. [a] Tuis literis nihil sum factus certior, quo modo te haberes: [b] sed tamen sum [3] recreatus. ego omni delectatione, literisque omnibus careo: quas antè, quàm te videro, attingere non possum. Medico mercedis quantum poscet, promitti jubeto. id scripsi [4] ad Mumium. Audio te [5] animo angi, & medicum dicere, [c] ex eo te laborare. si me diligis, [d] excita ex somno tuas literas, [6] humanitatemque, propter quam mihi es carissimus. nunc opus est [e] te animo valere, ut corpore possis. id cùm tuâ, tùm meâ causâ facias, à te peto. Acastum retine, quò commodiùs tibi ministretur. conserva te mihi. [7] dies promissorum adest: quem etiam [f] repræsentabo, si adveneris. Etiam atque etiam vale. III. id. * horâ III.

INTERPRETATIO.

[a] *adde, quòd tuis literis certiorem me non fecisti, &c.*
[b] priori tamen timore & miseriâ *sum paululùm levatus.*
[c] *ex illâ animi anxietate te graviùs ægrotare.* [d] *memoriâ repete Philosophiæ præcepta, illamque eruditionem, propter quam, &c.*
[e] *tranquillo te animo esse, ut convalescas.*
[f] *anteverram.* * *circa horam nonam.*

NOTÆ.

1. *Andricus*] Quem Manutius existimat eumdem esse cum Menandro, qui nominatur in sequenti epistolâ.

2. *Plenam timoribus, & miseriis*] Hic locus à nonnullis ita corrigitur, *plenam timoris, & miseriæ*; sed quoniam cum vulgatâ scripturâ cohæret sensus, nihil quidquam immutandum judico.

3. *Recreatus*] Quia cognovi ex Andrico, & ex tuis literis te vivere, majorem idcirco metum depuli.

4. *Ad Mumium*] Non eodem modo veteres codices, *Munium, Numium*, &c. res, ut opinor, levissimi momenti, & cui immorari diutiùs religioni ducerem.

5. *Animo angi*] Quòd à me longiùs absis.

6. *Humanitatem tuam*] Humanitas vulgò sumitur pro sermonis, ac morum suavitate ac lepore; hîc pro eruditione usurpatur. Vide Gell. lib. 13. c. 16.

7. *Dies promissorum*] Quo libertate tibi promissâ donandus es.

EPISTOLA XV.

Hortatio ad curandam valetudinem. Eodem anno.

Tullius s. d. Tironi.

[a] OMNIA à te data mihi putabo, si te valentem videro. Summâ cum expectabam adventum [b] Menandri, quem ad te miseram. Cura, si me diligis, ut valeas: & cùm te benè confirmaris, ad nos venias. Vale. IV. id. Apr.

INTERPRETATIO.

[a] *rem omnium mihi gratissimam feceris.* [b] *servi.*

EPISTOLA XVI.

Gratias agit de libertate Tironi datâ.

Quintus s. d. Marco fratri.

[a] DE Tirone, mi Marce, ita te, meumque Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumque filium videam, ut mihi gratissimum fecisti, cùm eum, indignum illâ fortunâ, nobis amicum, quàm servum esse maluisti. mihi crede, tuis, & illius literis perlectis, exilui gaudio: & tibi & ago gratias, & gratulor. si enim mihi [1] Statii fidelitas est tantæ voluptati: [b] quanti esse in isto [2] hæc eadem bona debent, [3] additis literis, sermonibus, humanitate, quæ sunt [4] his ipsis commodis potiora? amo te omnibus equidem maximis de causis, [c] verùm etiam propter hanc, vel quòd mihi fic, ut debuisti, nuntiasti. [5] te totum in literis vidi. [6] Sabini [c] pueris & promisi omnia, & faciam. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *quàm mihi gratum est te, meumque filium, &c. videre, tam mihi gratum feceris, cùm Tironem servili indignum conditione, nobis amicum, &c.*

[b] *quanti in Tirone hæc eadem fidelitas æstimari debet.* [c] *propter libertatem Tironi datam.*

[d] *præterea hoc etiam nomine te amo, quòd mihi, &c.*

[e] *servis.*

NOTÆ.

1. *Statii*] Quem libertate Quintus Cicero donaverat.

2. *Hæc eadem bona*] Per emphasim plurali utitur numero, quasi in unâ fidelitate multa commoda contineantur.

3. *Additis literis*] Cùm non modò sit fidelis Tiro, sed etiam literatus, &c.

4. *His ipsis commodis*] His ipsis obsequiis, quæ servi dominis præstare solent.

5. *Te totum*] Te totum, qualis es, in literis tuis cognovi, beneficum scilicet, & liberalem.

6. *Sabini*] Romanæ familiæ cognomen.

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

Jocatur cum Tirone, quòd minùs propriè scripsisset, valetudini fideliter inserviendo; *eumque monet, ut valetudini omni curâ inserviat.*

Tullius S. D. Tironi.

VIDEO [a] quid agas. [1] tuas quoque epistolas vis referam in volumina; sed heus tu, qui [b] [2] κατὰ esse, meorum scriptorum soles; unde illud tam [c] [3] ἄλλοθι, *Valetudini fideliter inserviendo?* [d] unde in istum locum. [4] *fideliter*, venit? [e] cui verbo domicilium est proprium in officio, [5] migrationes in alienum multæ. nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici potest: ut sit, quomodo [6] Theophrasto placet, [f] verecunda translatio. Sed hæc coram. Demetrius venit ad me. [7] quo quidem comitatu ἀφιλίνων, satis scis. tu eum videlicet non potuisti videre: Cras aderit: videbis igitur. nam ego hinc [g] perendie manè cogito. Valetudo tua me valdè solicitat: [8] sed inservi, & fac omnia. tum te mecum esse, tum mihi

INTERPRETATIO.

[a] *quid instendas.* [b] *regula.* [c] *impropriùm.*

[d] *quânam* amabo *ratione vocabulum illud*, fideliter, *huicloco convenit?*

[e] *illud quidem verbum propriam in significatione sud sedem habet, quamvis per metaphoram in alienas aliquando transeat.*

[f] *modestæ.*

[g] *post crastinum diem ego hinc* discedere *cogito.*

NOTÆ.

1. *Tuas quoque*] Ciceroni Tiro fortè significaverat, cupere se, ut epistolæ à se diligenter scriptæ colligerentur, & asservandæ referrentur in volumina, sicut & ipse Ciceronis literas servabat. Epist. 5. libri 16. ad Atticum.

2. Κατὰ] Non modò quia literas Ciceronis redactas in ordinem custodiebat diligentissimè; sed quòd eas examinare, atque interdùm corrigere solitus esset.

3. Ἄλλοθι] Alieno loco positum.

4. *Fideliter*] Quia vocabulum istuc de hominibus duntaxat in propriâ significatione dicitur.

5. *Migrationes*] Sensus est; equidem potest hæc eadem dictio ad alia transferri: dicitur enim doctrina, domus &c. fidelis, cavendum tamen, ut ejusmodi translationes verecundæ sint, & modestæ, vitanda est nimia in his metaphoris licentia.

6. *Theophrasto*] Is Philosophus eruditissimus Eresso in insulâ Lesbo oriundus, ob sermonis suavitatem, quasi divina tantùm loqueretur, ab Aristotele præceptore suo Theophrasti nomen accepit, cùm antè Tyrtamus diceretur. mortuus est anno urbis conditæ 465. cùm scholæ Peripateticæ annos sex, & triginta præfuisset, tanto omnium plausu, ut ad eum audiendum discipuli circiter bis mille confluerent.

7. *Quo quidem comitatu*] Nodus hic sanè solvi difficilis: ita Lambinus explicat; sed, ut scis ipse, ab comitatu abstraxi ego me, ac removi, neque cum Demetrio, neque cum aliis, qui comites ipsi aderant, congressus sum, aut collocutus, ξυνῆλθον colloquor; quidam legunt ἀφιλίνους, & sic interpretantur: cujus ego Demetrii, comitumque ejus consuetudine sum usus, nosti homines, huic declarationi, cùm nulla melior occurrat, calculum facilè meum adjecerim.

8. *Sed inservi*] Valetudini tuæ.

Digitized by Google

cumu'atiſſimè ſatisfacere [9] putato. Cuſpio [h] quòd operam dediſti, mihi gratum eſt: valdè enim [i] ejus causâ volo. Vale.

INTERPRETATIO.

[h] *quòd auxilium præſtitiſti.* [i] *illum amo.*

NOTÆ.

9. *Putato*] Si valetudini indulſeris tuæ.

EPISTOLA XVIII.

Cùm Tironi manumiſſo literas Cicero dediſſet, inſcriptionem hanc appoſuerat, M. Tullius Cicero M. Tullio Tironi; *invidiam veritus Tiro, reſpondit, titulum hunc omittendum eſſe. Id utique Tullius, & alia nonnulla breviter attingit.*

Tullius s. d. Tironi.

QUID igitur? [1] non ſic oportet? [2] equidem cenſeo ſic, addendum etiam, ſuo. [3] ſed, ſi placet, invidia vitetur: quam quidem ego ſæpè contempſi. Tibi [4] διαφόρησιν gaudeo profuiſſe. ſi verò etiam [5] Tuſculanum, dii boni, quanto mihi illud erit amabilius. ſed, ſi me amas, quod quidem aut facis, aut perbellè ſimulas, [6] quod tamen in modum procedit: [7] ſed, ut eſt, [8] indulge valetudini tuæ: [9] cui quidem tu adhuc, dum mihi deſervis, ſerviſti non ſatis. Ea quid poſtulet, non ignoras, [10] πίψαν, ἀκηδίαν,

NOTÆ.

1. *Non ſic oportet*] Ita-ne cenſes, non adhibendam in meis literis hanc inſcriptionem. Inter ſervos, & libertos id erat diſcriminis, quòd ſervi, domini prænomen tantùm; liberti verò, & nomen, & prænomen aſſumerent, cognomen nunquam *Marcus Tullius Tiro*. Conſule argumentum.

2. *Equidem cenſeo*] Ego verò cenſeo, non modò nihil de hoc titulo detrahendum, ſed addendum etiam *Tironi ſuo*, quod majus eſt benevolentiæ ſignum.

3. *Sed ſi placet*] Sed quandoquidem tibi placet, omittamus hanc inſcriptionem, ut vitetur invidia, quam tibi apud familiares tuos fortè concitaret.

4. Διαφόρησιν] Diſſipationem, animi relaxationem, meliùs fortè, purgationem. διαφορέω, diſſipo.

5. *Tuſculanum*] Si tibi etiam Tuſculanum profuerit, ut profuit διαφόρησις, longè erit mihi amabilius, quàm anteà; Tuſculanum Tiro ſe contuleras, & animi relaxandi, & valetudinis confirmandæ gratiâ.

6. *Quod tamen*] Quæ tamen ſimulatio tibi ſatis ex ſententiâ ſuccedit, mihi quippè perſuaſum eſt me ſincerè à te amari: hæc per jocum Cicero, neque enim dubitabat, quin verè à Tirone ſuo amaretur.

7. *Ut eſt*] Sive me ex animo amas, ſive me amare ſimulas. Manutius legit, *ut ut eſt*, & rectè, ut opinor, legit.

8. *Indulge*] Plus etiam in ſervi valetudini tuæ, quàm decere videatur, indulgere, eſt nimium obſequi.

9. *Cui quidem*] Quam quidem nondum anteà curaſti ſatis, quia in meis negotiis curandis nimiam contentionem adhibuiſti. Vide epiſt. 4.

10. πίψαν] concoctionem, πίσσω coquo, ἀκηδίαν, vitationem laſſitudinis; κάματος, labor. In vetuſtis quibuſdam codicibus legitur ἀλυπίαν, indolentiam, vacuitatem, ceſſationem doloris; λύπην, dolor. *ne-mini-*

ου μμ ξαν,

Digitized by Google

περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. fac [11] bellus revertare. non modò te, sed etiam [12] Tusculanum nostrum plus amem. [13] Paredrum excita, ut hortum ipse conducat: sic olitorem ipsum commovebis. [14] [15] heluo nequissimus [16] H-S CIↃ dabat, nullo [17] aprico horto, [18] nullo emissario, [19] nullâ maceriâ, [20] nullâ casâ. Iste nos [21] tantâ impensâ [22] derideat? [23] calface hominem, ut [24] ego M. Othonem: [25] itaque abutor coronis. [26] De

NOTÆ.

σύμμετρον, ambulationem moderatam: περιπατέω, ambulo: μέτρον, mensura: τέρψιν, delectationem: τέρπω, delecto: quidam legunt τρίψιν, frictionem: τρίβω, tero, tundo: εὐλυσίαν κοιλίας, facilitatem alvi: λύω, solvo.

11. *bellus*] Confirmatâ valetudine: ep. 15. *bellè habere*, pro *sanum esse*.

12. *Tusculanum*] In quo morbum depuleris, plus amabo.

13. *Paredrum*] Assessorem aliquem excita, qui hortum ipse nostrum conducat; παρέδρος assessor est, παρὰ & ἕδρα sedes; nihilominùs per metaphoram significare potest consiliarium, aut custodem: estque, nisi fallor, hujus loci sensus; olitor, nostrum hortum facit minimi, minimumque pro eo pretium offert, ratus affuturum neminem, qui velit eum conducere; at quære inter vicinos aliquem, qui hortum hunc vel ad tempus conducat, aut fingat velle se conducere, sic olitorem excitabis, & adduces, ut summam pecuniæ majorem mihi solvat. Vel sic explica: *commovebis*, id est, anxietate, & molestiâ illum afficies, utrumque simul stare potest.

14. *Helluo*] Id enimverò quis indignè non ferat? homo nequissimus, non dubitat grandem summam numerare pro horto, qui nec apricus sit, nec fertilis, qui caret maceriâ, casâ; & olitor iste noster hortum meum, in quem tot sumptus feci, deridet, & negligit.

15. *Helluo*] Magna est codicum super hoc vocabulo varietas, nec minor loci totius obscuritas, & caligo: in quibusdam legitur *helico*, in aliis, *heruco*, scripturâ forsan ubique corruptâ, nullibi certè clarâ: non displicet Victorii conjectura, qui libenter, ut ait, legeret, *salaco nequissimus*: hujus quippè vocis declaratio aptè satis convenit huic Ciceronis sententiæ: sunt enim salacones, qui delicatè vivunt, sumptumque faciunt, ubi minimè oportet: sic autem Cicero, ille salaco nequissimus, grandem insumebat pecuniam in conducendo, aut emendo agro non aprico, &c. noster autem olitor, &c. Vide superiorem notam.

16. *H-S CIↃ*] Centum millia librarum Gallicarum, quamquam vix adducor, ut credam, tantùm pecuniæ pro horto numerari potuisse.

17. *Aprico*] Duplex hujus vocabuli significatio: aliter enim de loco, aliter de homine, aut de volucre dicitur, locus ille apricus est, qui soli tepido quidem, & leni, non torrido exponitur, Virg. 9. eclogâ,

Duceret apricis in collibus uva colorem.

Apricos autem appellamus, qui locis apricis gaudent. Pers. sat. 5.

——— *nostra ut floralia possint,*
Aprici meminisse senes.

18. *Nullo emissario*] Qui sit sterilis, parum ferax, qui non multos fructus emittat.

19. *Nullâ maceriâ*] Maceria, murus est, seu lapidum simul compactorum absque cæmento congeries, *muraille seche*.

20. *Nullâ casâ*] Qui nullam habet casam, sicut habet noster.

21. *Tantâ impensâ*] Quam in hortum meum feci.

22. *Derideat*] Fingat se nolle conducere, nisi vilissimo pretio.

23. *Calface*] Incende illum cupiditate hortum nostrum majori conducendi pretio, quod feceris, si aliquem alium excites, qui conducat, aut simulet se velle conducere.

24. *Ut ego M. Othonem*] Seu Mothonem, vel Mathonem calefeci, vel excitavi.

25. *Abutor coronis*] Nihil admodum floreas ejus coronas, aut dona ejusmodi moror, malim ut majus pro horto pretium constituat.

26. *De Crabrâ*] Aquæ nomen in agro Tusculano, unde etiam aqua Tusculana

Crebrâ quid agatur, [27] etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ; tamen velim scire. Horologium mittam, & libros, [a] si erit sudum. sed tu nullosne tecum libellos? an [b] pangis aliquid [c] Sophocleum? [d] [28] fac opus appareat. A. Ligurius, Cæsaris familiaris, mortuus est, bonus homo, & nobis amicus. Te quando [29] expectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *si sit serenum tempus.* [b] *scribis.* [c] *simile Sophoclis versibus.* [d] *fac ut illud videam.*

NOTÆ.

dicitur: sensus est: scribe quo sit in statu fons noster; licet enim aquis jam abundet, tamen velim scire quomodo se habeat.

27. *Etsi nunc quidem*] Joratur Cicero: fortè enim aquâ fons carebat; sed quia maximus eo tempore imber defluxerat, ideò dicere addit, *etsi nunc quidem*, &c.

28. *Fac opus appareat*] Fac ut in publicum exeat, ab eruditis legatur, &c. Sophocles patriâ Atheniensis, Tragœdiarum author locuples, fabulas scripsit CXXIII. & vicies quater victor discessit. De ejus obitu vide epistolam octavam.

29. *Expectemus*] Romæ.

EPISTOLA XIX.

Agit de literis, de Demetrio, de Aufidii debito.

Tullius S. D. Tironi.

EXPECTO tuas literas de multis rebus, te ipsum multò magis. [a] Demetrium redde nostrum, & aliud, si quid potes boni. [b] De Aufidiano nomine nihil te hortor: scio tibi curæ esse: [c] sed confice. &, si ob eam rem moraris, accipio causam: [d] si te id non tenet, advola. Literas tuas valde expecto. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *fac ut Demetrius servus noster ad nos revertatur.* [b] *non te hortor, ut exigas ab Aufidio quod debet.* [c] *persiste etiam, quod si tamen id perficere moraris, accipio excusationem tuam.* [d] *si res illa non te detinet.*

EPISTOLA XX.

De valetudine curandâ, de libris disponendis, de olitore, de reditu Tironis.

Tullius S. D. Tironi.

[a] SOLICITAT, [1] ita vivam, me tua, mi Tiro, valetudo: sed confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, citò te firmum

INTERPRETATIO.

[a] *moriar, si non me sollicitat valetudo tua.*

NOTÆ.

1. *Ita vivam*] Jurandi & affirmandi formula.

Digitized by Google

fore. libros [b] compone, [2] indicem, cum Metrodoro lubebit, quando ejus arbitratu vivendum est. [c] 3 Cum olitore, ut videtur. Tu potes Kalendis [4] spectare gladiatores, postridie [5] redire: & ita censeo. verùm, [6] ut videbitur. Cura te, si me amas, diligenter. Vale.

Interpretatio.

[b] *ordinatè dispone.* [c] *ad olitorem* quod pertinet, *fac, quòd tibi visum fuerit.*

Notæ.

2. *Indicem*] Quòd pertinet ad indicem, quia majorem labor ille contentionem exigit, eum dispones, cùm medico placebit.
3. *Cum olitore*] Epist. 18.
4. *Spectare*] Romæ.
5. *Redire*] In Tusculanum.
6. *Ut videbitur*] Totum id arbitrio tuo permitto.

EPISTOLA XXI.

Ciceronis filius Tironi significat, quanto teneatur virtutis, ac literarum studio; tùm de prædio empto gratulatur. Anno, ut putat Manutius, urbis conditæ septingentesimo decimo, vel superiore.

[1] Cic. F. s. d. Tironi suo dulciss.

CUM vehementer tabellarios expectarem quotidie, aliquando venerunt post diem XL, & VI, quàm à vobis discesserant: quorum mihi fuit adventus optatissimus. nam cùm maximam cepissem lætitiam ex humanissimi, & carissimi patris epistolâ: tùm verò jucundissimæ tuæ literæ cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me jam non pœnitebat, [a] intercapedinem scribendi feciſſe, sed potiùs lætabar. [b] fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex silentio mearum literarum. vehementer igitur gaudeo te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi optatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro: præstaboque, & enitar, ut in dies magis magisque hæc nascens de me duplicetur opinio. Quare, quod polliceris te [c] [2] buccinatorem fore existimationis meæ, firmo id, constantique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem, cruciatumque attulerunt errata [d] ætatis meæ, ut non solùm animus à factis, sed aures quoque à commemoratione abhorreant. cujus te so-

Interpretatio.

[a] *dilatuisse literas ad te dare.* [b] *quòd enim tibi non scriberem, idcircò plura mihi postea scripsisti.* [c] *præconem virtutis meæ.* [d] *antacta vitæ.*

Notæ.

1. *Cicero filius*] Qui tum Athenis Philosophiæ studio vacabat.
2. *Buccinatorem*] Te meas laudes divulgaturum.

licitudinis, & doloris participem fuisse, notum exploratumque est mihi. nec id mirum. [e] nam cùm omnia meâ causâ velles mihi, [3] successa, tùm etiam tua. socium enim te meorum commodorum semper esse volui. quando igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo. [4] Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium esse conjunctissimum. nam cùm audio illum libenter, tùm etiam ejus propriam suavitatem vehementer amplector. sum totos dies cum eo, noctisque sæpenumero partem. exoro enim, ut mecum quamsæpissimè cœnet. hac [5] introductâ consuetudine, sæpè, [6] inscientibus nobis, & cœnantibus, obrepit: sublataque severitate philosophiæ, humanissimè nobiscum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quamprimum. Nam quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore à me patior discedere: cujus cùm frugi, severaque est vita, tùm etiam jucundissima [8] convictio. [h] non est enim sejunctus jocus à philologiâ, & quotidianâ [7] συζηθήσει. [8] huic ego locum in proximo conduxi, &, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. Præterea declamitare græcè [9] apud Cassium institui: latinè autem apud Bruttium exerceri volo. utor familiaribus, & quotidianis convictoribus, quos secum [10] Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatissimis. multum etiam mecum est Epicrates, princeps Atheniensium, & Leonides, & horum cæteri similes. [i] τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς, τάδε. [11] De Gorgiâ autem quòd mihi scribis, erat quidem ille in quotidianâ declamatione utilis, sed omnia postposui, dummodò præceptis patris parerem. [k] διαρρήδην enim scripserat, [12] ut eum dimitterem statim. tergiversari nolui, ne mea nimia [13] σπουδὴ suspicionem ei aliquam [14] importaret. deinde illud etiam mihi succurrebat, [15] grave esse me de judicio pa-

INTERPRETATIO.

[e] *quia, & meâ, & tuâ causâ capiebas omnia mihi prosperè evenisse.*

[f] *suavissimo ejus colloquio libentissimè utor.*

[g] *societas.*

[h] *neque enim Philosophiæ studium, aut disputatio de literis impedit, quominus jocetur.* [i] *quæ igitur ad nos pertinent, hæc sunt.* [k] *apertè.*

NOTÆ.

3. *Successa*] Pro *successisse*.

4. *Cratippo*] Philosophorum in Peripateticâ doctrinâ principi.

5. *Introductâ consuetudine.*] Ut mecum sæpè cœnet.

6. *Inscientibus nobis*] Summæ familiaritatis indicium.

7. Συζηθήσει] Mutuâ quæstione, seu disputatione. ζητέω, quæro.

8. *Huic ego locum*] Id est ædem, sive cubiculum in viciniâ nostrâ.

9. *Apud Cassium*] Non dubito, quin sit ille diversus ab Cassio Cæsaris percussore, cui non tantùm otii eo tempore supererat, ut apud eum Ciceronis filius pro arbitratu suo declamitare posset.

10. *Mitylenis*] Epist. 7. lib. 4.

11. *De Gorgiâ*] Græco Rhetore.

12. *Ut eum dimitterem*] Quoniam, ut ait Plutarchus, ad potum, & ad voluptatem Ciceronis filium alliciebat, qui tali præceptore binos congios simul haurire didicit.

13. Σπουδὴ] Propensior in Gorgiam voluntas.

14. *Importaret*] Diceretque mihi amicum esse Gorgiam, non doctrinæ, sed voluptatis gratiâ.

15. *Grave esse*] Contra prudentiæ leges me peccare, si judicium patris ita exi-

ris judicare. tuum tamen [16] ſtudium, & conſilium gratum, acceptumque eſt mihi. [17] Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio: ſcio enim, quàm ſoleas eſſe occupatus. Emiſſe te prædium, vehementer gaudeo: feliciterque tibi rem iſtam evenire cupio. [18] Hoc loco me tibi gratulari, [18] noli mirari. [19] eodem enim ferè loco tu quoque, emiſſe te, feciſti me certiorem. [20] Habes, ubi deponendæ tibi ſint urbanitates. [21] ruſticus Romanus factus es. [22] cùm ego mihi nunc ante oculos tuum jucundiſſimum conſpectum propono, videor videre ementem te ruſticas res, cum villico loquentem, [23] in laciniâ ſervantem ex menſâ ſecundâ ſemina. ſed, quod ad rem pertinet, [24] me tùm tibi defuiſſe, æquè ac tu doleo. ſed noli dubitare, mi Tiro, quin te ſublevaturus ſim, ſi [25] modò fortuna me, præſertim cùm ſciam, communem nobis emptum eſſe iſtum fundum. [26] De mandatis quòd tibi curæ fuit, eſt mihi gratum: ſed peto à te, ut quamcelerrimè mihi [m] librarius mittatur, maximè quidem Græcus. [n] multum enim mihi eripitur operæ in exſcribendis hypomnematis. Tu, velim, in primis cures, ut valeas, ut unà [o] συμφιλολογεῖν poſſimus. [27] Antherum tibi commendo. Vale.

INTERPRETATIO.

[l] *hac epiſtolæ parte.* [m] *qui libros deſcribat.* [n] *multum enim & laboris, & temporis conſumo in deſcribendis commentariis.* [o] *de literis unà diſputare.*

NOTÆ.

mirare velim, quaſi falli poſſit, in ſuâ de hoc Rhetore ſententiâ.

16. *Studium*] *Studium*, quia cupis; *conſilium*, quia ſuades, ut à Gorgiæ convictu, & ſocietate me ſejungam.

17. *Excuſationem*] Quòd ſcribis, anguſtum tibi eſſe tempus; & rariores ideircò te mihi dare literas; excuſationem hanc accipio.

18. *Noli mirari*] Id quippè mirari potuiſſet: moris enim erat, ut gratulatio initio epiſtolæ collocaretur.

19. *Eodem enim ferè loco*] Id eſt, nam fermè ſub epiſtolæ tuæ finem de emptione tuâ mihi ſcripſiſti.

20. *Habes, ubi deponenda, &c.*] Habes jam locum, ubi omiſſis urbanis occupationibus, animum relaxes.

21. *Ruſticus Romanus*] Jam factus es Romanis veteribus ſimilis, qui licet triumphales erant, & Conſulares, vitam agreſtem exercebant, & è villis in ſenatum arceſſebantur. id jocosè dictum Tironi, qui ob impetratam libertatem Romanus aliquo modo civis evaſerat; ruſticus autem, ob prædium emptum.

22. *Cùm ego*] Quoties ego mihi nunc, &c.

23. *In laciniâ*] Et in extremâ veſtimenti tui parte, ſervantem, ut Ruſtici ſolent, pomorum, quæ ſecundâ menſâ comeduntur, ſemina; ut ea deinde in tuo fundo ſeras. Secunda menſa, idem eſt quod vulgò dicimus *le deſſert*.

24. *Me tùm*] Me tibi pecuniam commodare non potuiſſe.

25. *Si modò fortuna me*] Sublevaverit, locupletiorem me fecerit.

26. *De mandatis*] Quòd tibi curæ fuerit ea exequi, quæ tibi mandaveram.

27. *Antherum*] Servum.

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

Tironem hortatur, ut valetudini inserviat; varia deinde subjungit. Videtur scripta Tirone iterùm ægrotante, cùm in agris Tullius, Roma Tiro esset.

Tullius S. D. Tironi suo.

SPERO [a] ex tuis literis tibi melius esse, cupio quidem certè. cui quidem rei omni ratione cura ut inservias: & cave suspiceris, contra voluntatem meam te facere, quòd non sis mecum. mecum es, si te curâs. Quare malo, te valetudini tuæ servire, [b] quàm meis oculis, & auribus. etsi enim & audio te, & video libenter: tamen hoc multò erit, si valebis, jucundius. [c] Ego hîc cesso, quia ipse nihil scribo: lego autem libentissimè. [d] tu istic, [e] si quid librarii meâ manu non intelligent, monstrabis. una omninò interpositio difficilior est, quàm ne ipse quidem facilè soleo, [1] [2] de quadrimo Catone. [3] De triclinio cura ut facis. [4] Tertia [5] aderit, [6] modò ne Publius rogatus sit. [7] Demetrius iste nunquam omninò Phalereus fuit, [8] sed nunc planè Bilienus est. [9] Itaque te do vicarium. tu cum observabis.

INTERPRETATIO.

[a] *ut mihi scripsisti.* [b] *quàm te à me videri, & audiri.*
[c] *ego hîc rure sum otiosus.* [d] *Romæ.*
[e] *si illi, qui libros meos describunt, reperiunt aliquid manu meâ scriptum, quod vix legere possint.*

NOTÆ.

1. *De quadrimo Catone*] De puero Catone, quatuor annos nato; Uticensem, opinor, significat, de quo id præter cætera Plutarchus tradit: Cùm in domo M. Drusi avunculi sui, ac Tribuni plebis, educandus maneret, Latini venerunt, uti de civitate obtinendâ cum Druso agerent; rogantibusque puerum Catonem, ut sibi propitium hac in re avunculum redderet, seque præcipitem illum, ni postulata faceret, è fenestrâ daturos, jocosè minantibus, quadrimus Caro constantissimè recusavit: Istuc autem in Catonis laudibus Ciceronem attigisse probabile est; sed quia vel rem totam, vel aliquam partem minutioribus exaravit literis, idcircò addit, hæc vel à seipso vix legi posse.

2. *De quadrimo Catone*] Hæc est, inquam, illa interpositio ad legendum, vel Ciceroni ipsi difficilis.

3. *De triclinio*] Perge, ut cœpisti, triclinium curare, & ornare. Triclinium locus erat, ubi discumbere consueverant, ac cœnare, dictus à tribus lectis, ibidem sternis solitis: hinc Horatius, 1. serm. sat. 4.

Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos, &c.

4. *Tertia*] Mulier post duas sorores nata: talis enim fuit apud Romanos consuetudo, ut si unica tantùm esset filia, gentis ei imponeretur nomen, & *Cornelia* v. g. diceretur; si duæ, una *Cornelia major*, altera *Cornelia minor*; si plures, *prima, secunda, tertia, quarta*, &c.

5. *Aderit*] Veniet ad cœnam, quæ dabitur in illo triclinio.

6. *Modò ne Publius*] Non sit invitatus ad cœnam. quidnam hominis sit ille Publius conjici vix potest.

7. *Demetrius iste*] De quo ad me scribis, nunquam fuit Demetrio Phalereo similis; id est, nunquam fuit elegans, urbanus, &c. Ludit in *Demetrii* nomine.

8. *Sed nunc planè*] Sed Bilieno potiùs, homini nequam nunc planè similis est.

9. *Itaque*] Meas igitur, ad Deme-

Digitized by Google

10 Etsi, Veruntamen, De illis : 11 nosti cætera. Sed tamen, si quem cum eo sermonem habueris, scribes ad me : ut mihi nascatur epistolæ argumentum, & ut tuas quamlongissimas literas legam. Cura, mi Tiro, ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

NOTÆ.

trium quòd attinet, vices gere, illum examina, ab eo tibi cave, haud secùs atque facerem ego, si præsens adessem. Vicarius ille dicitur, qui locum alterius tenet, ejusque munere, interèà dùm abest, fungitur.

10. *Etsi, veruntamen, &c*] Occultus, & involutus sermo, quem aperire sit arduum; reticentia est: existimat Manutius, Demetrii, de quo loquitur, concisum, perplexumque sermonem exprimi his verbis, & derideri.

11. *Nosti cætera*] Quæ Demetrius absurdè, & obscuè dicere solet.

EPISTOLA XXIII.

Monet, ut professionem conficiat; additque sibi verum esse, Antonii amicitiam conservare. Videtur scripta post Cæsaris mortem.

Tullius S. D. Tironi.

1 TU verò, 2 confice professionem, si potes. 3 etsi hæc pecunia ex eo genere est, ut professione non egeat. 4 veruntamen Balbus ad me scripsit, tantâ se 5 epiphorâ oppressum, 6 ut loqui non possit, 7 Antonius

NOTÆ.

1. *Tu verò*] Hæc dictio in principio epistolæ apposita, vel continet ironiam, vel responsionem significat.

2. *Confice professionem*] Palàm denuncia, quidquid pecuniæ, agri, aliarumve rerum possideo. professio est confessio palàm facta : cives omnes in suâ tribu, classe, centuriâ, jurejurando dato, apud eum, penes quem jus censendi populi esset, nomina sua, uxorum, liberorum, libertorum, servorumque suorum profitebantur, fortunarumque suarum æstimationem deferebant : hoc autem jus primò Regum, deinde Consulum, & Dictatorum; denique, creato ad id proprio Magistratu, Censorum fuit

3. *Etsi hæc pecunia*] Et quamvis hæc pecunia, quæ mihi debetur, ejusmodi est, ut eam profiteri necesse non sit : fiebat denunciatio horum dumtaxat bonorum, quæ quisque apud se habebat.

4. *Veruntamen*] Subaudi *confice*, id est hanc ipsam quoque pecuniam, quæ nobis debetur, denuncia, & profitere.

5. *Epiphorâ*] Oculorum dolore; *lachrymam* vulgò appellant, cùm scilicet humor acer decidit, & oculos vellicat. *Epiphora* est propriè impetus, quo quis in aliquem fertur, & irruit : à Medicis autem sumitur pro humoris impetu, in partem aliquam influentis.

6. *Ut loqui non possit*] Ut de lege Antonii loqui nolit. Jocatur Cicero; epiphora enim oculorum officium, non linguæ impedit; *non possit* autem dixit, id est, *nolit* : nolebat autem Balbus de Antonio Rempublicam turbante loqui, quia Cæsarianus erat, amicus Antonio, dissimulandique peritissimus.

7. *Antonius de lege quid egerit*] Sermo est, ut suspicor, de lege, quam Antonius, interfecto Cæsare, fixerat, ratamque voluerat esse, quâ Siculi, cives Romani facti sunt.

Digitized by Google

de lege quid egerit. [8] liceat modò rusticari. [9] Ad Bithynicum scripsi. [10] De Servilio tu videris, qui senectutem non contemnis. [11] etsi Atticus noster, quia quondam me commoveri [12] πτυκτοῖς intellexit, idem semper putat. nec videt quibus præsidiis philosophiæ septus sim. [13] & hercle, quòd timidus ipse est, δυσκόλως. [14] Ego tamen Antonii [15] inveteratam sine ullâ offensione amicitiam [16] retinere sanè volo: scribamque ad eum, sed non antè, quàm te videro. [17] nec tamen te avoco à syngraphâ. [18] γόνυ κνήμης. Cras expecto Leptam: etenim [19] ad cujus [20] rutam [21] pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale.

NOTÆ.

8. *Liceat modò rusticari*] Quandoquidem Romæ, ob Antonii tyrannidem, esse non licet.

9 *Bithynicum*] Epist. 17. lib. 6.

10. *De Servilio*] Scripsisti mihi Servilium Isauricum diem extremum obiisse: tu, qui senectutem non contemnis, vitamque longiorem amas, tu, inquam, cogita jam, & cura, ne ex hac vitâ, nisi ultimâ senectute, discedas, quod Servilio contigit; ego certè, libertate per Cæsarem & Antonium oppressâ, vivere diutius non laboro.

11. *Etsi Atticus*] Neque mortem, neque casum ullum extimesco, licet Atticus, qui me quondam vidit subitis terroribus commoveri, etiam nunc me timidum putat esse; cùm tamen Philosophia, cujus nunc præsidio septus sum, omni metu me liberet, docuerit atque nihil esse sapienti timendum, præter culpam.

12. *Πτυκτοῖς*] Id est repentinis terroribus, qui nos incautos aggrediuntur, ac feriunt; sic à Pane deo dicti, quòd ejusmodi terrores animis subitò immittere crederetur.

13. *Et hercle*] Et certè Atticus, quia ipse timidus est, terrorem & aliis injicit, mihique præsertim ab Antonio timendum existimat.

14. *Ego tamen*] Ego tamen, etsi nihil timeo, Antonii inveteratam, &c.

15. *Inveteratam*] Quia jam ante multos annos, Ciceronis defensionem contra Clodium Antonius susceperat.

16. *Retinere*] Sapienter utique fecisset; sed in eum paulò post invectus, sive ipsi exitio fuit, nec Reipublicæ consuluit saluti.

17. *Nec tamen*] Et licet videndi tui desiderio teneor, nolo tamen te Româ proficisci, priusquam pecuniam, mihi per syngraphâm debitam, exegeris. De syngraphâ vide epist. 17. lib. 7.

18. *γόνυ κνήμης*] Subauditur ἔγγιον; genu enim tibiæ propius est, quo proverbio significatur, ea magis curanda esse, quæ magis ad nos pertinent. Sic Terentius, *Proximus sum egomet mihi.*

19. *Ad cujus rutam*] Nempe sermonis Leptæ amaritudo, tui suavitate mihi condienda est.

20. *Rutam*] Herbam, in quâ amari aliquid subest. hanc nonnulli sic dictam volunt à *ruendo*, quòd ejus ex omnibus herbis, ob multiplicem ejus usum, maximè eruatur; adversus venena præsens remedium.

21. *Pulegio*] Pulegium, seu Pulcium, *du Poüillot*, ou *du Thim sauvage*: Pulegium sermonis, pro suavitate sermonis, hic à Cicerone usurpatur.

EPISTOLA

EPISTOLA XXIV.

Primùm de rebus domesticis, tùm de publicis scribit. M. Antonio, & P. Dolabellâ Coss. anno urbis conditæ septingentesimo nono.

Tullius S. D. Tironi.

[a] ETsi manè Harpalum miseram: tamen, cùm haberem, cui rectè darem literas, etsi novi nihil erat, iisdem de rebus volui ad te sæpiùs scribere: [b] non quin confiderem diligentiæ tuæ, sed rei [1] me magnitudo movebat. [c] Mihi [2] prora, & puppis, [3] ut Græcorum proverbium est, fuit à me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares. [4] Offilio, & Aurelio utique satisfiat. [d] A Flammâ, si non potes omnem, partem aliquam velim extorqueas, in primisque [e] ut expedita fit pensio Kalen. Jan. [f] [5] de attributione conficies. [6] De repræsentatione videbis. De domesticis rebus hactenus. [g] De publicis omnia mihi certa, [7] quid Octavius, [8] quid Antonius: quæ hominum opinio: [9] quid futurum putes. ego vix teneor, [10] quin accurram. [11] Sed st. literas tuas expecto: & scito [12] Balbum tùm fuisse [13] Aquini,

INTERPRETATIO

[a] *etsi servum Romam ad te miseram.*
[b] *non quòd diffiderem, &c.*
[c] *non nisi summâ necessitate impulsus dimisi te, ut rationes meas explicares.*
[d] *à Flammâ debitore, si non potes omne debitum, partem saltem aliquam, &c.*
[e] *ut Kalendis Januariis solvat id, quod debet.*
[f] *fac ut assignata mihi pecunia solvatur.*
[g] *quòd ad res publicas attinet, rogo te ut mihi certa perscribas.*

NOTÆ.

1. *Rei magnitudo*] Agitur enim de rationibus meis, quas à te explicari volo.

2. *Prora, & puppis*] Eò nempè reducitur meum omne consilium, ut meas tibi rationes explicandas committam: nam prora, & puppis totam navem continent.

3. *Ut Græcorum*] Apud quos vigebat illud proverbium, ἀρχὴ ἡμίσυ παντός.

4. *Offilio, & Aurelio*] Creditoribus.

5. *De attributione*] Attributio idem est, quod nunc assignatio: hanc autem pecuniam Ciceroni Dolabellla, dimissâ Tulliolâ ejus filiâ, debebat.

6. *De repræsentatione*] Videbis autem utrùm hæc pecunia possit ante præfinitum diem solvi. *repræsentare* significat *anteverlere*, epist. 14. quamquam existimant alii, *repræsentare* idem esse quod præsenti pecuniâ solvere, seu præsentem pecuniam facere, non verò ante diem solvere; quod si verum est, erit hujus loci sensus: videbis utrùm pecunia præsens mihi numerari possit.

7. *Quid Octavius*] Qui Apolloniâ, ubi studiis navabat operam, Romam venerat, ut Cæsaris hæreditatem adiret.

8. *Quid Antonius*] Qui cum Octavio de pecuniâ Julii Cæsaris in contentionem venerat.

9. *Quid futurum putes?*] De hac contentione, uter authoritate superior erit.

10. *Quin accurram*] Romam, ut horum quæ hîc geruntur, testis ipse sim.

11. *Sed st*] Sed hæc litebis: est enim *st* nota silentii. Ita Manutius, cujus conjectura similis vero est.

12. *Balbum tuum*] Lucium Cornelium Balbum, pro quo extat oratio

13. *Aquini*] Vide indicem Geographicum.

cùm tibi est dictum, & postridie [14] Hirtium. Puto utrumque [15] ad aquas. [16] Sed quod egerint. Dolabellæ procuratores fac [17] admoneantur, [18] appellabis etiam Papiam. Vale.

NOTÆ.

14. *Hirtium*] Qui cum Pansâ futurus erat Consul anno sequenti.

15. *Ad aquas*] Ad aquas Bajanas venisse.

16 *Sed quod egerint*] Fac ut resciam.

17. *Fac ut admoneantur*] De pecuniâ mihi debitâ ob dotem filiæ, cum quâ divortium fecit.

18. *Appellabis*] Citabis etiam Papiam, ut debitum mihi solvat. mulier erat Papiæ gentis. *Appellare*, creditoris est pecuniam à debitore flagitantis.

EPISTOLA XXV.

Cicero filius rogat Tironem, ut creberrimas ad se literas mittat.

Cicero filius s. d. Tironi.

Etsi justâ, & idoneâ usus es excusatione intermissionis literarum tuarum, tamen id ne sæpiùs facias, rogo. Nam etsi de reipublicæ rumoribus, & nuntiis certior fio, & de suâ in me voluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quavis minimâ re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cùm in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potiùs expleas officium scribendi, quàm assiduitate literarum. Vale.

EPISTOLA XXVI.

Tironem negligentiæ in scribendo accusat; eumque hortatur, ut etiam sine argumento scribat.

Q. Cicero s. d. Tironi.

1. Verberavi te cogitationis tacito duntaxat convicio, quòd fasciculus alter ad me jam sine tuis literis perlatus est. Non potes effugere hujus culpæ pœnam, [2] te patrono. [3] Marcus est adhibendus, [4] isque diù, & multis lucubrationibus commentatâ oratione. vide ut probare pos-

NOTÆ.

1. *Verberavi*] Negligentiæ in scribendo te accusavi, non verbis quidem, sed cogitatione duntaxat.

2. *Te patrono*] Si tuam ipse causam solus agas, si te ipse solus defendas: neque enim unquam persuaseris te non peccasse.

3. *Marcus est adhibendus*] Tibi est in patronum adhibendus Marcus frater, qui propter eloquentiæ vim, in judiciis regnare dicitur.

4. *Isque diù*] Isque tamen, accuratâ licet oratione, probare vix poterit, te culpâ vacare, quòd ad me non scripseris.

Digitized by Google

sit, te non peccasse. 5 Planè te rogo, 6 sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ: sic tu etiam si quid scribas non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsiviſſe videaris. Valde enim mihi semper & vera, & dulcia tuis epistolis nuntiantur. Ama nos, & vale.

NOTÆ.

5. *Planè te rogo*] Te rogo, ut, etsi non habes quod scribas, tamen aliquid scribas.

6. *Sicut olim matrem nostram*] Sicut olim mater mea, non modò lagenas, quæ plenæ essent, sed & vacuas etiam obsignabat, ne illæ, quas furtim servi ebibissent, dicerentur fuisse anteà vacuæ, atque adeò excusationi locus aliquis relinqueretur; sic & ego velim ut etiam sine argumento mihi scribas, ne fortè hac furtivâ excusatione tectus scribere negligas, etiam tùm, cùm argumentum tibi suppetet.

EPISTOLA XXVII.

Invehitur in Hirtium, & Pansam, designatos Consules, eosque verbis asperioribus perstringit. Eodem anno.

Q. Cicero s. d. Tironi.

1 MIRIFICAM mihi verberationem cessationis epistola dedisti. Nam quæ parciùs frater perscripserat, verecundiâ videlicet, & properatione, ea tu sine assentatione, ut erant, ad me scripsisti, & maximè de consulibus designatis: quos ego penitùs 3 novi libidinum, & languoris effœminatissimi animi plenos: 4 qui nisi à gubernaculis recesserint, maximum ab universo naufragio periculum est. 5 Incredibile est, quæ ego illos scio, oppositis Gallorum castris, in æstivis feciſſe: 6 quos ille latro, 7 nisi aliquid firmius fuerit, societate vitiorum deliniet. 8 Res est aut tribunitiis, aut privatis

NOTÆ.

1. *Mirificam*] Epistolâ tuâ me egregiè reprehendisti, quòd ad te scribere cessâviſſem. Oppone styli hujusce duritiem, eleganti & puro Ciceronis sermoni.

2. *Verecundiâ*] Veritus ne meum fortè animum offenderet.

3. *Novi*] Cùm Cæsaris in Galliâ legatus essem.

4. *Qui nisi*] Qui nisi amoveantur ab Reipublicæ administratione, tota funditùs Respublica peribit: translatio ducta à navi, quæ gubernatoris imperiti culpâ naufragium facit.

5. *Incredibile est*] Quanta in æstivis scelera commiserint, quàm fœdis indulserint libidinibus in Galliâ, quando cum Cæsare militabant. id ego vix crediderim de duobus hisce Consulibus, quos ubique passim laudat Marcus Cicero; sed tale fuit Quinti Ciceronis ingenium, nemini ut parceret, modò ut furori suo faceret satis.

6. *Quos ille latro*] Quos Marcus Antonius, contra quem illi bellum gesturi dicuntur, facilè sibi, ob vitiorum similitudinem, conciliabit.

7. *Nisi aliquid firmius*] Nisi fortiores aliqui cum illis duces eligantur, qui Reipublicæ partes constanter foveant.

8. *Res est aut tribunitiis*] Tribuni, vel privati etiam cives eligendi sunt, qui Rempublicam contra Antonium tueantur. Id fecit Octavius, quamquam tantum abest

Digitized by Google

consiliis munienda. [9] Nam isti duo vix sunt digni, quibus alteri [10] Cæsenam alteri [11] Cossutianarum tabernarum fundamenta credas. Te, [12] ut dixi, [a] fero oculis. Ego vos ad IV. Kalend. videbo, tuosque oculos, etiamsi te veniens in medio foro videro, [b] dissuaviabor. Me ama. Vale.

INTERPRETATIO.

[a] *te mirificè diligo.* [b] *singulari cum gaudio osculabor.*

NOTÆ.

ut Hirtius & Pansa ad Antonium transierint, ut etiam in Mutinensi prælio contra Antonium fortiter ambo pugnantes occubuerint.

9. *Nam isti duo*] Hirtius, & Pansa.

10. *Cæsenam*] Galliæ togatæ oppidum, non procul à Rubicone situm, nomen antiquum retinet.

11. *Cossutianarum*] Nomina, ut opinor, tabernarum, quæ tum ædificabantur.

12. *Ut dixi*] Coram, cùm simul ambo loqueremur.

Finis Epistolarum Familiarium.

Digitized by Google

INDEX GEOGRAPHICUS,

In quo designantur pagina, & notæ, in quibus Urbes, Provinciæ, & Fluvii, quos in Epistolis Tullius appellat, explicantur.

Prior numerus paginam, posterior notam indicat.

A.

Achaia, pag. 98. not. 2.
Actium, p. 577. not. 5.
Ædui, p. 201. not. 10.
Ægina, p. 100. not. 2.
Alabanda, 496. not. 2.
Alesa, 482. not. 1.
Allobroges, 333. not. 44.
Alsium, 283. not. 1.
Alysia, 573. not. 2.
Amanus mons, 46. not. 9.
Ancona, 583. not. 7.
Antiochia, 424. not. 11.
Apamea, 71. not. 3.
Apenninus mons, 381. not 9.
Apollonia, 478. not. 7.
Aquæ Statiellorum, 383. not. 7.
Aquinum, 316. not. 2.
Arabia, 79. not. 38.
Ariminum, 241. not. 19.
Ariminum 583. not. 5.
Armenia, 299. not. 21.
Arpinum, 462. not. 1.
Arretium, 583. not. 8.
Astura, 183. not. 9.
Atella, 303. not. 17. & pag. 456. not. 1.
Athenæ, 44. not. 9.

B.

Baiæ, 279. not. 11.
Bargyletæ, 496. not. 6.
Bauli, 234. not. 13.
Bellovacum, 234. not. 8.
Bithynia, 419. not. 1.
Bœotia, 110. not. 3.
Bononia, 385. not. 3.
Brundusium, 64. not. 1.
Buthrotum, 577. not. 2.
Byllis, 487. not. 1.

C.

Cæsena, 602. not. 10.
Calacta, 485. not. 1.
Calenum, 293. not. 1.
Calpe, 360. not. 4.
Capena, 306. not. 9.
Cappadocia, 70. not. 14.
Caria, 48. not. 8.
Cassiope, 579. not. 1.
Catana, 480. not. 3.
Caunus, 496. not. 7.
Cibyra, 241. not. 39.

Cilicia, 14. not. 11.
Civarone, 348. not. 10.
Claterna, 413. not. 5.
Colophon, 506. not. 1.
Commagene, 255. not. 4.
Corcyra, 67. not. 5.
Corduba, 359. not. 10.
Corinthus, 100. not. 5.
Corycum, 421. not. 10.
Χερυμβίου ἄκρα, 422. not. 16.
Cumæ, 233. not. 2.
Cumanum, 195. not. 1.
Cures, 568. not. 6.
Cybistra, 536. not. 2.
Cyprus, 14. not. 12.
Cyprus, 490. not. 1.
Cysicus, 519. not. 5.

D.

Dalmatia, 130. not. 6.
Dertona, 382. not. 16.

E.

Elis, 474. not. 3.
Ephesus, 82. not. 3.
Epidaurus, 110. not. 1.
Epiphanea, 541. not. 11.
Epirus, 469. not. 5.
Eporædia, 393. not. 7.
Erana, 542. not. 12.
Etruria, 160. not. 5.
Euphrates, 533. not. 1.

F.

Fabrateriæ, 316. not. 3.
Falernum, 182. not. 1.
Flumen argenteum, 366. not. 8.
Formiæ, 274. not. 2. & 530. not. 5.
Formianum, 399. not. 5.
Forum Cornelium, 413. not. 6.
Forum Gallorum, 356. not. 5.
Forum Voconii, 339. not. 3.
Fregellæ, 510. not. 3.

G.

Gades, 360. not. 3.
Gallia Braccata, 298. not. 3.
Gargettus, 561. not. 6.

H.

Heles, 214. not. 5.
Hellespontus, 493. not. 4.
Heracleotæ, 496. not. 6.
Hispalis, 362. not. 32.
Hydruntum, 579. not. 2.

I.

Iconium, 68. not. 7.
Insubria, 561. not. 5.
Intemelium, 272. not. 16.
Isara, 338. not. 6.
Issus, 47. not. 16.

L.

Laodicea, 67. not 6.
Larissa, 473. not. 1.
Leucas, 572. not. 7.
Lilybæum, 442. not. 1.
Luceria, 560. not. 29.
Lycaonia, 85. not. 17.
Lycia, 422. not. 4.

M.

Malea, 110. not. 4.
Mantinea, 135. not. 11.
Megara, 100. not. 3.
Melita, 492. not. 2.
Mitylenæ, 105. not. 8.
Minturnæ, 527. not. 8.

Digitized by Google

Mopsuestia, 79. not. 37.
Mutina, 170. not. 6.
Mylasia, 496. not. 2.
Myndus, 75. not. 10.
Myrina, 150. not. 21.

N.

NArbo, 364. not. 4.
Narona, 130. not. 7.
Narona, 511. not. 3.
Neapolis, 295. not. 8.
Nicæa, 429. not. 2.
Novocomum, 483. not. 1.
Numantia, 134. not. 7.
Nysa, 501. not. 3.

O.

OSci, 188. not. 12.
Ostia, 283. not. 3.

P.

ΠΑλαιτί, 422. not. 13.
Pamphilia, 245. not. 13.
Paphos, 490. not. 2.
Parma, 365. not. 14.
Patræ, 224. not. 2.
Peloponnesus, 224. not. 1.
Perga, 425. not. 20. & pag. 541. not. 10.
Pessinus, 49. not. 6.
Petrinum, 182. not. 5.
Philomelium, 76. not. 16.
Phrygia, 85. not. 17.
Pyræus, 100. not. 4.
Pisaurum, 583. not. 6.
Pollentia, 385. not. 8.
Pontinum, 212. not. 10.
Ptolemaïs, 514. not. 13.
Puteolanum, 141. not. 3.
Puteoli, 84. not. 12.
Puteoli, 496. not. 1.
Pyramus, 86. not. 1.

R.

RAvenna, 23. not. 54.
Ravenna, 234. not. 16.
Regium Lepidi, 413. not. 7.
Rhegium, 213. not. 4.
Rhodanus, 331. not. 4.
Rhodus, 57. not. 5.

S.

SAltus Castulonensis, pag. 357. not. 1.
Samorabriva, 203. not. 9.
Samos, 75. not. 12.
Sardes, 495. not. 3.
Sardinia, pag. 23. not. 50. & pag. 220. not. 7.
Sejanum, 187. not. 2.
Seleucia, 268. not. 2.
Sepyra, 542. not. 12.
Sicyon, 471. not. 2.
Sida, 67. not. 4.
Sigæum, 137. not. 21.
Silva Gallinaria, 315. not. 1.
Sparta, 136. not. 17.
Stabianum, 187. not. 1.
Synnadæ, 75. not. 9.
Syracusæ, 303. not. 15.
Syria, 79. not. 40.
Syria, 299. not. 22.

T.

TArentum, 204. not. 4.
Tarichea, 418. not. 8.
Tarsus, 57. not. 3.
Terracina, 218. not. 12.
Thespiæ, 472. not. 1.
Thyreum, 576. not. 1.
Tibarani, 542. not. 13.
Tralles, 66. not. 1.

Digitized by Google

Trebula, 399. not. 10.
Treviri, 206. not. 8.
Tuſculanum, 141. not. 2.
Tybæ, 534. not. 10.

V.

VAdum Sabatium, pag. 381. not. 8.
Vardæi, 130. not. 5.
Veii, 306. not. 8.
Velia, 213. not. 1.
Venuſia, 531. not. 2.
Vercellæ, 191. not. 7.
Vicentia, 391. not. 5.
Vienna, 331. not. 5.
Ulubræ, 204. not. 9.
Vocontii, 346. not. 2.

Finis Indicis Geographici.

INDEX

Digitized by Google

INDEX II,

QUI NOMINA EORUM, QUORUM

Tabulas historicas confecimus, ordine Alphabetico continet.

A.

A Cilius, *Pag.* xxix.
Allienus, xxx.
Ampius Balbus, xvj.
Q. Ancharius, xxix.
C. Antonius, ix.
M. Antonius, xxiij.
Appius Claudius Pulcher, v.
Appuleius, xxix.

B.

Basilius, xvj.
Bithynicus, xvj.
Decimus Brutus, xxv.
M. Brutus, xxvij.

C.

A Cæcina, xv.
C. Cæsar, xvij.
C. Cassius, xxvj.
M. Cato, xxxj.
M. Cicero, j.
Cluvius, xxvij.
C. Cœlius Caldus, v.
M. Cœlius Rufus, iij.
Q. Cornificius, xxvj.
Crassipes, xxvij.
M. Crassus, xij.
L. Culleolus, xxix.
M. Curius, xx.
C. Curio, ij.

D.

D Olabella, xxj.
Domitius, xvij.

F.

T Fabius, xiv.
T. Furfanius, xv.
C. Furnius, xxiij.

G.

Q Gallius, xxix.
Servius Galba, xxiv.

L.

P Lentulus Spinther, j.
Pub. Cornelius Lentulus Spinther, xxiij.
M. Lepidus, xxiij.
Lepta, xvj.
Q. Ligarius, xvj.
L. Lucceius, xiv.

M.

M Claudius Marcellus, vj.
Caius Claudius Marcellus, xxxij.
M. Marius, xvij.
Matius, xxvj.
Memmius, xxvj.

Epist. Famil.

Digitized by Google

Q. Metellus Celer, viij.
Q. Metellus Nepos, ix.

N.

Nigidius Figulus, vij.

O.

M. Oppius, xxvj.

P.

Papirius Pætus, xxij.
L. Paulus, xxxij.
Cn. Plancius, viij.
L. Munatius Plancus, xxij.
Cn. Pompeius, x.
Asinius Pollio, xxiv.

R.

Rufus, xv.
M. Rutilius, xxvij.

S.

Cneius Salluſtius, iv.
P. Servilius Iſauricus, xxx.
Servius Sulpicius Rufus, vj.
C. Sextilius Rufus, xxx.
Caius Titius Rufus, xxx.
P. Seſtius, ix.
P. Seſtius, xiv.
Silius, xxx.

T.

Terentia, xxxi.
M. Terentius Varro, vij.
Q. Thermus, iv.
Thoranius, xvij.
C. Trebatius, xx.
Trebianus, xvj.
C. Trebonius, xxj.
Tiro, xxxiij.
T. Titius, xiv.
Torquatus, xv.

V.

Valerius Juriſconſultus, ij.
Q. Valerius Orca, xxvij.
P. Vatinius, xiij.
Ventidius, xxxiv.
Volumnius, xx.

INDEX III.

Qui docet quo circiter tempore Epiſtolæ Ciceronis ſcriptæ ſint.

Epiſtolæ familiares ſcriptæ ſunt omnes poſt Conſulatum, ante exilium, in exilio, poſt exilium. Ante exilium quinque; prima omnium, quæ Pompeio Magno inſcribitur; altera, Quinti Metelli Celeris ad Ciceronem: tertia, Ciceronis ad eum; quarta, ad Caium Antonium: quinta, ad Publium Seſtium: quæ libro quinto omnes continentur. In exilio, ad Terentiam uxorem quinque libri decimi quarti. Poſt exilium, reliquæ omnes. Ad Lentulum lib. i. diverſis temporibus, id eſt, toto triennio, ſcriptæ ſunt. Sex quidem primæ, gerentibus Conſulatum Marcello, & Philippo: ſeptima, & octava, Pompeio, & Craſſo: nona Domitio, & Appio: Quod ex earum argumentis, & obſervatione cognoſcitur hiſtoriæ. Hæc Manutius, cui plura hîc addere ſupervacaneum judicavi, cùm epiſtolæ cujuſque argumento non modò Conſulatûs, ſed & urbis conditæ annum ſubjunxerim.

Digitized by Google

INDEX IV.

Qui multiplex Literarum genus indicat.

Prior numerus librum, posterior epistolam declarat.

A.

ACcusatoriæ, *Lib.* 2. *Epist.* 10.
Admonitoriæ, lib. 4. ep. 15. lib. 7 ep. 7. lib 11. ep. 20. 26. lib. 12. ep. 19. lib. 14. ep. 10. 12. 14. 18. 20. 21.
Apologetica, lib. 3. ep. 7. 8.

C.

COmmendatitiæ, lib. 1. epist. 3. lib. 2. epist. 6. 8. 14. lib. 3. ep. 1. lib. 5. ep. 5. lib. 6. ep. 9 lib. 7. ep. 5. 21. lib. 8 ep. 6. lib. 9. ep. 13. 25. lib. 10. ep. 17. lib. 11. ep. 29. lib. 12. ep. 6. 12. 21. 24. 26. 27. 29. lib. 13. ep. 3 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 69. 70. 71. 72. 74. 75. 77. 78. 79.
Condictitiæ, lib. 9. ep. 23.
Consolatoriæ, lib. 1. ep. 6. lib. 2. ep. 2. lib. 3. ep. 3. 5. 13. lib. 5. ep. 16. 17. 18. ep. 6. lib. 1. 2. 3. 4. 5. 11. 13. 21. 22. lib. 9. ep. 6.

D.

DEliberativæ, lib. 2. ep. 16. lib. 4. ep. 1. 2. lib. 5. ep. 19. lib. 9. ep. 3. 7. lib. 11. ep. 1. 9. lib. 14. ep. 24.

E.

EXcusatoriæ, lib. 1. ep. 1. lib. 2. ep. 1. 7. 16. lib. 3. ep. 8. lib. 5. ep. 2. 17. lib 6. ep. 2. 7. 11. lib. 8 ep. 1. 5. lib. 9. ep. 26. lib 10. ep. 2. 8. 23. 31. 35. lib. 15. ep. 3. 5. 13. 15.

G.

GRatulabundæ, lib. 2. ep. 5. 7. 9. 10. lib. 3. ep. 9. 12. lib. 6. ep. 12. 13. 16. lib. 7. ep. 15. 17. lib. 8. ep. 12. lib. 9. ep. 12. lib. 12. ep. 13. 16. lib. 13. ep. 73. lib. 15. ep. 5. 7. 8. 9. 10. lib. 16. ep. 16. 21.

H.

HOrtativæ, lib. 2. ep. 1. 4. 8. 12. lib. 4. ep. 8. 9. 10. lib. 5. ep. 21. lib 6. ep. 12. 14. lib. 7. ep. 6. 17. lib. 9. ep. 14. lib. 10. ep. 1. 3. 5. 10. 12. 13. 14. 16. 19. 20. lib. 11. ep. 5. 7. 15. 23. 25. lib. 12. ep. 1. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 22. 23. 24. 25. lib. 13. ep. 68. lib. 14. ep. 8. lib. 15. ep. 1. lib. 16. ep. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 17. 23. 25. 26.

I.

JOcosæ, lib. 1. ep. 10. lib. 7. ep. 10. 12. 13. 14. 16. 18. 30. 32. lib. 9. ep. 4. 15. 16. 18. 19. 26. 22. 25. lib. 12. ep. 20. lib. 15. ep. 16. 18.

L.

LAudatoriæ, lib. 7. ep. 18. lib. 9. ep. 14. lib. 12 ep. 5.

M.

MOnitoriæ, lib. 6. ep. 21. lib. 7. ep. 6. 9. 10. lib. 8. ep. 5. 9. lib. 9. 12. 17. 24. lib. 12. ep 28. lib. 14. ep. 23. lib. 16. ep. 11. 12. 13.

N.

NUntiæ, lib 1 ep. 2. 5. 7. lib. 4. 12. lib. 5. ep 6. lib. 6. ep. 19.

Digitized by Google

lib. 7. ep. 1. 26. lib. 8. ep. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. lib. 9. ep. 6. 16. lib. 10. ep. 15. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 28. l. 11. ep. 8. 11.

O.

Objurgatoriæ, lib. 2. epist. 7. 8. lib. 5. ep. 5. lib. 7. ep. 8. lib. 10. ep. 27. lib. 11. ep 18.
Officiosæ, lib. 2. ep. 11. lib. 3. ep. 10. lib. 10. ep. 29.

P.

Petitoriæ, lib. 2. ep. 11. lib. 3. ep. 2. 3. 9. lib. 5. ep. 4. 9. 12. lib 6. ep. 7. 17. lib. 7. ep 29. lib. 8. ep. 3. lib. 9. ep. 8. l. 10. ep. 21. 24. l. 11. ep. 2. 4. lib. 13. ep. 12. 57. 73. 76. 77. l. 15. ep. 4. 7. 8. 10. 12. 13. 20
Præceptoriæ, lib. 7. ep. 19.
Purgatoriæ, lib. 3. ep. 10. 12. lib. 5. ep. 20. lib. 7. ep. 3. lib. 11. ep. 27. 28. lib. 12. ep. 18. 29. 30. lib. 15. ep. 17.

Q.

Querebundæ, lib. 8. ep. 13. lib. 11. ep. 10. 12. lib. 12. ep. 2. 3. 4. 8. lib. 14. ep. 1. 6.

S.

Suasoriæ, lib. 2. ep. 18. lib. 4. ep. 7. 8. 9. lib. 5. ep. 19. lib. 6. ep. 8. 23. lib. 7. ep. 11. lib. 8. ep. 16. lib. 9. ep. 2. 9.

V.

Variæ, lib. 12. ep. 17. lib. 14. ep. 2. 3. 4. 5. 6. lib. 15. ep. 14. lib. 16. ep. 18. 22. 24.
Ad benevolentiam significandam, lib. 3. ep. 1. 4. lib. 6. ep. 18.
Ad beneficium commemorandum, lib. 3 ep. 5.
Ad confirmandum, lib. 6. epist. 6. 10. 14. 17.
Ad confutandum, lib. 3. ep. 7. lib. 9. epist. 21.
Ad defendendum, lib. 1. ep. 9. lib. 5. ep. 2. lib. 7. ep. 3. lib. 9. ep. 5.
Ad deplorandam calamitatem, lib. 4. ep. 1. 13. lib. 7. ep. 28. 30. lib. 9. ep. 11. lib. 10. ep. 1. 33.
Ad dissuadendum, lib. 2. ep. 3. lib. 5. ep. 14. lib. 6. ep. 20. lib. 7. epist. 20. lib. 10. ep. 6. 25.
Ad expostulandum, lib. 2. epist. 17. lib. 3. ep. 6. lib. 5. ep. 1. 7. lib 7. ep. 24. lib. 8. ep. 17. lib. 10. ep. 28. lib. 11. ep. 3.
Ad gratias agendas, lib. 13. ep. 28. 41. 54. 62. 64. lib. 15. ep. 11. lib. 16. ep. 16.
Ad gratum animum testificandum, lib. 3. ep. 13. lib. 7. ep. 29. lib. 10. epist. 11.
Ad invitandum, lib. 7. ep. 31. lib. 9. epist. 1.
Ad narrandum, lib. 1. ep. 1. 4. 8. 9. lib. 2. ep. 1. 10. lib. 4 ep. 4. lib. 10. ep. 8. 30. 32. lib 12. ep. 13. 15. 22. 23. 24. 25. 30. lib. 14. ep. 7. 11. 15. lib. 15. ep. 1. 2. 3. 4. 17. lib. 16. ep. 9. 10. 11.
Ad reprehendendum, lib. 12. ep. 28. lib. 16. ep. 17. 26.
Ad respondendum, lib. 2. ep. 17. lib. 15. ep. 19. lib. 16. ep. 21 27.
Ad respondendum accusatoriæ, lib. 7. epist. 27.
Ad respondendum commendatoriæ, lib. 5. ep. 11. lib. 9. ep. 24. lib. 11. ep. 6.
Ad respondendum consolatoriæ, lib. 4. ep. 6. lib. 5. ep. 13. 15.
Ad respondendum excusatoriæ, lib. 15. epist. 6.
Ad respondendum gratulatoriæ, lib. 4. ep. 14. lib. 7. ep. 2. lib. 15. epist. 6.
Ad respondendum hortatoriæ, lib. 4. ep. 11. lib. 10 ep. 4. 7. lib. 11. ep. 24.
Ad respondendum monitoriæ, lib. 2. ep. 13 lib. 7 ep. 25. lib. 11. ep. 21.
Ad respondendum nuntiatoriæ, lib. 2. ep. 15. lib. 11. ep. 14.
Ad respondendum petitoriæ, lib. 5. ep. 10. lib. 10. ep. 22.

Digitized by Google

INDEX V.

Rerum, seu verborum, quorum explicatur in Notis significatio.

Numerus prior paginam, posterior notam designat.

A.

ACademia, Pag. 111. not. 10.
Academici Philosophi, 287. not. 4.
Achilles, 137. not. 13.
Æstiva, 51. not. 20.
Afranius, 4. not. 24.
Agamemnon, 295. not. 4.
Agere cum populo, 7. not. 12.
Agesilaüs, 136. not. 12.
Alarii equites, 59. not. 35.
Alitis volatus, 168. not. 25.
Aliptæ, 28. not. 94.
Ambitûs reus, 87. not. 3.
Amphiaraüs, 163. not. 28.
Andabatæ, 201. not. 8.
Apage, 131. not. 3.
Apelles, 136. not. 16.
Apparitores, 494. not. 3.
Appietas, 73. not. 23.
Apricus, 591. not. 17.
Aquarii, 259. not. 20.
Aquila, Romanæ legionis signum, 357. not. 8.
Area, 516. not. 8.
Aristarchus, 88. not. 11. & 290. not. 4.
Arrogo, 93. not. 13.
Arsaces, 208. not 1.
Artolagani, 311. not. 10.
Assis, & dextans, 479. not. 9.
Atellanus, & Mimus, in quo differant, 303. not. 17.
Athenodorus, 73. not. 28.
Athletæ, 189. not. 14.
Atramentum sutorium, 313. not. 15.
Attributio, 599. not. 5.
Auctoritas, quid à senatusconsulto differat, 7. not. 16.
Auspicari, 217. not. 9.

B.

BAcchæ, 217. not. 4.
Lucius Cornelius Balbus, 360. not. 1.
Belli civilis causæ, 161. not. 7. & seq.
Bibulus, 4. not. 10.
Bogud Mauritaniæ Rex, 360. not. 5.
Bonum nomen, 125. not. 11.
De summo Bono controversiæ, 318. not. 6.

C.

CAlendæ Intercalares, 178. not. 1.
Callisthenes, 133. not. 3.
Calumnia, 8. not. 4.
Calumnia religionis, 3. not. 9.
Calumniari, quid sit apud Ciceronem, 285. not. 2.
Candidati, 588. not. 4.
Cantharidæ, 313. not. 12.
Cantus sinister, 163. not. 24.
Catius, 561. not. 4.
Marcus Cato Censorius, 103. not. 4.
Q. Catulus Consul, 299. not. 15.
Cautiones, 211. not. 2.
Censores, 82. not. 4.
Cernere hæreditatem, 295. not. 9.
Circenses ludi, 267. not. 5.
Clytemnestra, 188. not. 8.
Codici, 496. not. 3.
Codicilli, 111. not. 6.
Cohors Romana, 70. not. 10.
Cohortes Prætoriæ, 336. not. 2.
Columnarii, 246. not. 27.
Comitia Centuriata, 28. not. 105.
Comitia Transpadanorum, 233. not. 1.
Comitia tributa, 227. not. 8.
Comitiales dies, 261. not. 3.
Comparare provincias, 34. not. 171.
Compositiones Gladiatorum, 43. not. 2.
Compromissum, 446. not. 8.
Concursatio, 4. not. 30.
Conficere professionem, 597. not. 1.
Congiarium, 235. not. 17.
Contubernales, 150. not. 20.
Crabra aqua, 591. not. 26.
Publius Crassus divitis filius, pag. 158. not. 4.
Crassus Orator, 298. not. 9.

Creditor, 2. not. 8.
Curia, 103. not. 6.

D.

Damasippus, 217. not. 3.
Decuriones, 180. not. 5.
Dejotarus, 254. not. 3.
Democritus, 561. not. 7.
Dibaphus, 32. not. 32.
Diœceſis, 77. not. 15.
Diodorus, 281 not. 3.
Dionyſius, 307. not 3.
Diploma, 175. not. 10.
Diſceſſionem facere, 6. not. 5.
Diverſorium, 182. not. 2.
Dividere ſententias, 6. not. 4.
Drachma, 422. not. 14.

E.

Embænetica ars, 234. not. 14.
Epicurus, 203. not. 3.
Epiſtola, 597. not. 5.
Eques Romanus, 245. not. 25.
Eſſedarii, 197. not. 5.
Eteſiæ, 53. not. 27.
Evocati milites, 70. not. 11.
Euripides, 578. not 1.
Exceptio in interdicto, 206. not. 7.

F.

Fabii, & Trebonii Conſulatus, 227. not. 6.
Q. Fabius Maximus, 102. not. 1.
Favonius, 246. not. 26.
Feriæ Latinæ, 259. not. 18.
Fratris nomen latè ſumptum, 121. not. 4.

G.

Gentis, & familiæ diſcrimen, 552. not. 2.
Gratulatio, 555. not. 5.
Gymnaſium, 111. not. 9.

H.

Haruſpicina, 181. not. 6.
Haſta, 563. not. 8.
Hercules Xenophonteus, 134. not. 8.
Herodotus, 136. not. 20.
Heſiodus, 182. not. 17.
Hipponax, 220. not. 9.
Homerus, 137. not. 28.
Hortenſius, 3. not. 13.

J.

Jamblicus, 534. not. 11.
Imperium, 4. not. 19.
Intercalari, 192. not. 11. & 259. not. 28.
Intercedere, 223. not 6.
Interdictum, 230 not. 13.
Interregnum, 202. not. 2.
Invitâ Minervâ, 63. not. 4.
Judicium capitis, 227. not. 19.

L.

Laberius, 433. not. 8.
Labrum, 531 not. 1.
Labienus, 527. not. 6.
Lælius, 127. not. 9.
Latrocinium, 9. not. 14.
Legatio libera, 569. not. 6.
Levis armaturæ milites, 356. not. 6.
Lex Caſſia, 89. not. 1.
Lex Cornelia, 69. not. 7.
Lex Curiata, 34. not. 168.
Lex Julia, 147. not. 4.
Lex Pupia, 9. not. 9.
Lex Scantinia, 267. not. 7.
Lex Sempronia, 17. not. 42.
Liberales Feſti, 438. not. 1.
Liberti, 8. not. 4.
Libo, 4. not. 28.
Licitator, 191. not. 2.
Longum ſubſellium, 80. not. 5.
Lucilius, 298. not. 8.
Lucullus, 3. not. 14.
Ludi Gymnici, 137. not. 26.
Ludi Megalenſes, 48. not. 11.
Ludi Scenici, 189. not. 19.
Lupercal, 214. not. 4.
Luſtrum, 51. not. 19.
Lynceus, 278. not. 6.

M.

Majeſtatis reus, 86. not. 2.
Manſuetiores Muſæ, 33. not. 160.
Manu conſertum formula juris, pag. 205. not. 6.
Manum de tabulâ, adagium, 221. not. 2.
Marcellinus, 3. not. 12.
Medius fidius, 214. not. 2.
Municipes, 451. not. 1.
Municipia, 181. not. 7.
Muræna, 222. not. 7.

Digitized by Google

N.

Nævius, 137. not. 24.
Nestor, 295. not. 5.
Nexus, 227. not. 16.
Nobilis homo, 16. not. 30.
Noctis divisio apud Romanos, 110. not. 5.
Noctuam Athenas, adagium, 116. not. 9.
Novum, & recens, in quo differant, 394. not. 5.
Novus homo, 16. not. 29.

O.

Octavianus Cæsar, 378. not. 5.
Officium, 2. not. 2.
Opera, 459. not. 6.
Osci ludi, 188. not. 12.

P.

Palæstra, 217. not. 8.
Palimpsestus, 211. not. 4.
Papirii, pag. 322. & 323. not. 5. 6. &c.
Patricii minorum gentium, 322. not. 4.
Paludamentum, 255. not. 11.
Lucius Paulus, 103. not. 2.
Pelopidæ, 224. not. 3.
Pharnaces, 559. not. 18.
Philoctetes, 281. not. 5.
Phylarchus, 534. not. 12.
Pietas, 2. not. 3.
Polybius, 134. not. 6.
Polypus, 304. not. 29.
Poma orbiculata, 271. not. 7.
Popilius, 303. not. 18.
Populus, quid à plebe differat, pag. 251. not. 49.
Populum jubere, quid sit, 162. not. 12.
Præfectus fabrûm, 72. not. 15.
Prærogativa, 546. not. 4.
Prætexta, 56. not. 30. & 361. not. 18.
Prævaricari, 248. not. 9.
Proconsul, 2. not. 1.
Promulsis, 304. not. 30.
Prora, & puppis, adagium, 539. not. 2.
Psecades, 273. not. 22.
Pulegio, 598. not. 21.
Pullarii, pag. 335. not. 5. *Vide* Tripudium.
Pyrrhus, pag. 134. not. 5. & pag. 318. not. 2.

Q.

Quadrimus Cato, 556. not. 1.
Quatuorviri, 520. not. 1.
Quatuorviratus, 361. not. 9.
Quinquatrus festi Minervæ, 48. not. 25.
Quinquare, 362. not. 29.

R.

Reipublicæ forma, 44. not. 6.
Repræsentatio, 599. not. 6.
Risus Sardonius, 222. not. 1.
Ruta, 598. not. 20.

S.

Sacellum, 267. not. 10.
Sacerdos Comanus, 541. not. 8.
Sacramento contendere, 230. not. 9.
Sacrarium, 450. not. 1.
Sarta tecta, 462. not. 2.
P. Corn. Scipio Africanus, 127. not. 8.
Scribendo adesse, quid sit, 250. not. 30.
Scriptura, 502. not. 2.
Scurra veles, 310. not. 1.
Sector, 567. not. 23.
Sedendo, aut stando sententiam dicere, 120. not. 23.
Sella Curulis, 313. not. 7.
Senex coëmptionalis, 225. not. 1.
Si sciens fallo, jurandi formula, p. 188. not. 6.
-ociale bellum, 133. not. 1.
Solistimum, 163. not. 26.
Sororis nomen latè sumptum, 119. not. 15.
Sponsio, 216. not. 2.
Sportellæ, 311. not. 9.
Stoici, 209. not. 12.
Subrostrani, 234. not. 12.
Subsellia, 460. not. 3.
Supplicatio, 52. not. 1.
Sylla, 87. not. 4.
Syngrapha, 210. not. 4.

T.

Tabulæ, seu lex Valeria, 516. not. 6.
Tarcondimotus, 534. not. 7.
Teruncius, 58. not. 17.
Themistocles, 136. not. 12.
Theophrastus, 589. not. 6.
Trimæus, 133. not. 4.
Timoleon, 136. not. 19.
Translatitium, 76. not. 12.

Digitized by Google

Trinundinum, 583. not. 16.
Tripudium, 163 not. 25.
Triumviri Capitales, & Monetales, 206. not. 10.

V.

VAdimonium, 43. not. 3.
Versari in eadem navi, 40. not. 3.
Vestis levidensis, 293. not. 5.
Vi hominibus armatis, formula juris, 561. not. 13.
Victoria justa, 46. not. 15.
Vigiliæ, 72. not. 14.
Vineæ, 46. not. 19.
Urbanitas, 73. not. 22.
Unde petitur, formula juris, 202. not. 4.

X.

XEnophon, 134. not. 9.

INDEX VI. ERRATORUM.

Prior numerus in Ind. Hist. paginam, posterior lineam: in Notis, prior paginam, posterior notam designat.

In Indice Historico.

PAg. iv. *lin.* 4. Hirtio, *lege* Hirro. *Pag.* ix. *lin.* 6. à quo, *lege* à quâ.

In Notis.

Pag. 65. *not.* 1. sequens, *lege* septima. *Pag.* 80. *not.* 4. Epicuri, *lege* Epicurei. *Pag.* 137. *not.* 23. Pelidis, *lege* Pelei. *Pag.* 161. *not* 6. Cneii Pompeii, *lege* Cnei Pompei *Pag.* 311. *not.* 8. ὑμιεῖς, *nota ultimam syllabam accentu circumflexo. Pag.* 361. *not.* 18. & qui prætextas, &c. *lege*, vel qui prætextas, vel qui docuêre togatas. *Pag.* 380 *not.* 2. 2° Æncidos, *lege* undecimo. *Pag.* 447. *not.* 8. fecit, *lege* senatûs. *Pag.* 430. *not.* 6. occultè, *lege* acutè. *Pag.* 434. *not.* 1. venerantur, *lege* venerarentur. *Pag.* 454. *not.* 3. Galliæ, *lege* Gallicæ. *Pag.* 500. *not.* 5. obtinueri, *lege* obtinuerit. *Pag.* 512. *not.* 1. Ciliciæ, *lege* Siciliæ.

Addenda.

Pag. 75. *not.* 10. Myndensium, *in manuscriptis* Midænsium *legitur; ex quo plerique Interpretes perperàm finxêre Mindensium, sive Myndensium, quòd Myndos urbs Cariæ nota iis esset. Sed* Midaensium *legi oportuit, ab oppido Phrygiæ Midaio, quod Græci* Μιδάιον *scribunt: fuit enim pars ea Phrygiæ sub Proconsulis Ciliciæ administratione, à quâ longè Myndos Caricæ abfuit.*

Pag. 174. Titus Ampius, *Eruditi legendum* Tampius *ex nummis contendunt.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7-10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google